455

1

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA
JURIS CANONICI
COMPREHENSA
TRIBUS PARTIBUS.

Digitized by Google

134B.8

Digitized by Google

SVMMA JURIS CANONICI COMPREHENSA TRIBUS PARTIBUS

IN QVA

DISTINCTE ET SVCCINCTE

Explicantur, quæ ad perſonas, negotia, & iudicia Eccleſia-ſtica ex Canonum præſcripto, pertinent,

ACCEDIT

COMMENTARIUS IN REGULAS Iuris Pontificii & Iuris utriuſque Antinomia &c.

AVCTORE

R. P. IOANNE STREINIO SOCIET. IESU
SS. Theologiæ Doctore, Sacrorum Canonum Profeſſore Ordinario & Academiæ Bambergenſis Cancellario.

Cum S. C. M. Privilegio & Approbatione Superiorum.

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud IODOCUM KALCOVIUM Bibliopolam. M. DC. LVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

D. PHILIPPO VALENTINO

IMPERIALIS ECCLESIÆ BAMBERGENSIS EPISCOPO, S. R. I. PRINCIPI.

VEnio,& convenio te, *Illuſtriſſime Princeps*, non procul, & de ultimis finibus terræ, ſed vicino Iiterario rure, ſapientiæ adytis, non ita pridem Vrbi & Orbi additis. Quod fero, parvum mole, adfectu magnum, conatu arduum eſt: tua majeſtate augeri, fulgore tuo quærit illuſtrari. Alias in umbra & caligine, tam facile, quam neceſſario periturum. Vrget & invitat aviti ſtemmatis ubique gentium publicata nobilitas, eminentibus meritis acquiſita dignitas, non quæſita morum, ſed innata facilitas. Eaque propter mirari deſines, quid me in his rugis & effœto corpore, ad hoc Siſyphio durius ſaxum admoverit. *Iuris Canonici Summam* à te quiſquam mortalium expectat? Novi has non præconum, ſed

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

triconum vaces. Scilicet hujus ævi lacrymoſa væcordia eſt, ut ignorare *Canones*, quàm laudare, aut ſervare malimus. Et, ut cum *Lucilio* loquar,

Triſtes, difficiles ſumus, faſtidimus bonorum.

Mihi mens conſcia recti, utilitas, & neceſſitas pro cauſa & patrocinio ſatis. Cæterùm tria ſunt hominum genera qui in Domini ſortem electi, & altari ſervientes ſpecioſo Eccleſiaſticorum nomine gloriantur non vice ſimplici. Primum illorum, qui tenebris obſcuratum habentes intellectum ſacrarum legum turpi & punibili ignorantiâ laborant, quos cum emendare nequeas, accenſere queas infantibus, qui nondum ære lavantur, eadem ferulâ dignos. Alterum eorum, quibus non incognita planè, ſed deſpecta iuris ſacri notitia eſt. Quod malè didicerunt, pejus oderunt: & quod per hirquos vident, ſaturi inter pocula rident. In tertio genere invenias, qui cum ex officio malignantibus reſiſtere, tueri Eccleſiæ dignitatem ac diſciplinam terreantur, manum ſub axilla ponunt, vigeat, an frigeat, nihil penſi habentes.

Languor, & oppreſſit pigror, torporq; quietis.

Primi infelices, non tamen elingues, ne deeſſe ſibi laudem homine dignam fateri cogantur, nunquam à ſe appetitam prædicanti: ab hoc rerum inutilium ſtudio animum abduxiſſe penitus, majoribus conſecraſſe. Credite poſteri.

Nihil parvi, & penſi: fruſtra edoceas lutum.

His nocentiores, qui doctiores, ſenſu eluto, affectu corrupto, ſævis factis, & triſtibus dictis

Formoſam veri ſpeciem ſuſpendere naſo
Virtutem ducunt, & ſpernere faſtidita.

Cuius væſaniæ eo turpior nota eſt, quòd hoc ævo à fide orthodoxâ alieni Doctores Ius Canonicum, ſibi aphoriſmis diſtinguendum, aut Commentariis illuſtrandum ſumpſerunt.

Ex tertiâ claſſe languent periculosè, & imminentium malorum ſecuri dormiunt multi, ipſisque dormientibus creſcunt Zizania, bonaque

Intereunt, labuntur, euntur omnia verſum.

Perſtringitur, quod mireris, Apoſtoli Doctoris gentium alumnus Epheſiorum antiſtes Timotheus propter remiſſionem, & teporem. *Primam charitatem*, id eſt, *fervorem reliquiſti.* Quid non timendum poſteris, quorum tenuior gratia, acrior pugna, obſtacula majora? Enim verò dormitaverunt, & dormierunt omnes. Ab his longiſſimè quoniam remota

Digitized by Google

mota eſt vivendi ratio tua *Illuſtriſſime Princeps*, qui admirabili ſtudio, infatigabili vigilantia, pervigili curâ, & labore, gregem tibi divinitus commiſſum, paſcis, dirigis, & conſervas, præſumit animus futurum, ut exemplo tuo excitati torpentes caput attollant, veternum excutiant, arma ſumant & ſcutum, quibus hoſti reſiſtant, improbis bellum indicant, bonos defendant, vitia conterant, ſcandala tollant, Eccleſiam ſanctam & illæſam conſervent.

Reliquis verò illis, qui vel ignorantiâ exorbitant, vel levitate ſuâ veritati officiunt, Pontificum Decreta ſpernunt, nihil eſt, quod cedamus, ſed cædamus potius, duce, & vindice Te ipſo, cujus ergà bonos dulciſſima humanitas, adverſum malos infractum robur, conſtantia martia'is, formidanda potentia. Quemadmodum orto ſole, nebulæ, & nubila diffugiunt, lucifugæ volucres latibula ineunt, campi, & viridaria rident: ſic ad conſpectum tuum ſannæ, & ludibria concident, tenebriones, quorum

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitasq;,

ſeſe abdent, veri, bonique nativa pulchritudo, & gloria effloreſcet. Leoni ex ore exſculpere prædam non ita Davidi facile fuit, quàm tibi ſugillandi libidinem obterere. Rara hæc virtus eſt, illis relicta ſolis, quos ardens ad æthera virtus, evexit, quorum illuſtris proſapia, potentia præcellens, intaminata dignitas.

Eum in finem Eccleſiæ præſulibus pedum in manus committitur, cujus ad proterendum malum, & frenandos improbos vis quanta ſit, *S. Ioannis Apocalypſis* indicat *c.* 2. ubi virgæ ferreæ mentio, quæ perfecti regiminis ſymbolum eſt, notatque illius ſeptem attributa, Alcazaro teſte, nimirum fortitudinem, beneficentiam, æquitatem, ſapientiam, patientiam, comminationem, & punitionem. Ea virga magneti (divinam ſapientiam intellige) applicata duplicem virtutem haurit, indicandi polum, mundique plagas, & aliud ferrum ſibi copulandi. Attrahit ergò ſacratus Antiſtes, dirigit, jungit, & pungit.

Quæ omnia cùm in te unum, *Illuſtriſſime Princeps*, à bonorum omnium largitore DEO ſimul congeſta ſint, bonis omnibus præſidio, improbis terrori es: ut benefactis, quàm merentur, gloria, flagitiis ſua pœna tribuatur: quibus duabus columnis ſacra, & profana Reip. ſuſtinetur. Quod ex eo die, quo communibus ſacri Senatus Suffragiis ad ſummum *Eccleſiæ Bambergenſis* principatum evectus es, uſque in hanc, quâ ſub protectione

Digitized by Google

triconum vaces. Scilicet hujus ævi lacrymoſa væcordia eſt, ut ignorare *Canones*, quàm laudare, aut ſervare malimus. Et, ut cum *Lucilio* loquar,

Triſtes, difficiles ſumus, faſtidimus bonorum.

Mihi mens conſcia recti, utilitas, & neceſſitas pro cauſa & patrocinio ſatis. Cæterùm tria ſunt hominum genera qui in Domini ſortem electi, & altari ſervientes ſpecioſo Eccleſiaſticorum nomine gloriantur non vice ſimplici. Primum illorum, qui tenebris obſcuratum habentes intellectum ſacrarum legum turpi & punibili ignorantiâ laborant, quos cum emendare nequeas, accenſere queas infantibus, qui nondum ære lavantur, eadem ferulâ dignos. Alterum eorum, quibus non incognita planè, ſed deſpecta iuris ſacri notitia eſt. Quod malè didicerunt, pejus oderunt: & quod per hirquos vident, ſaturi inter pocula rident. In tertio genere invenias, qui cum ex officio malignantibus reſiſtere, tueri Eccleſiæ dignitatem ac diſciplinam terreantur, manum ſub axilla ponunt, vigeat, an frigeat, nihil penſi habentes.

Languor, & oppreſſit pigror, torporq́ue quietis.

Primi infelices, non tamen elingues, ne deeſſe ſibi laudem homine dignam fateri cogantur, nunquam à ſe appetitam prædicanti: ab hoc rerum inutilium ſtudio animum abduxiſſe penitus, majoribus conſecraſſe. Credite poſteri.

Nihil parvi, & penſi: fruſtra edoceas lutum.

His nocentiores, qui doctiores, ſenſu eluto, affectu corrupto, ſævis factis, & triſtibus dictis

Formoſam veri ſpeciem ſuſpendere naſo
Virtutem ducunt, & ſpernere faſtidita.

Cuius væſaniæ eo turpior nota eſt, quòd hoc ævo à fide orthodoxâ alieni Doctores Ius Canonicum, ſibi aphoriſmis diſtinguendum, aut Commentariis illuſtrandum ſumpſerunt.

Ex tertiâ claſſe languent periculosè, & imminentium malorum ſecuri dormiunt multi, ipſiſque dormientibus creſcunt Zizania, bonaque

Intereunt, labuntur, euntur omnia verſum.

Perſtringitur, quod mireris, Apoſtoli Doctoris gentium alumnus Epheſiorum antiſtes Timotheus propter remiſſionem, & teporem. *Primam charitatem*, id eſt, *fervorem reliquiſti.* Quid non timendum poſteris, quorum tenuior gratia, acrior pugna, obſtacula majora? Enim verò dormitaverunt, & dormierunt omnes. Ab his longiſſimè quoniam remota

Digitized by Google

mota eſt vivendi ratio tua *Illuſtriſſime Princeps*, qui admirabili ſtudio, infatigabili vigilantia, pervigili curâ, & labore, gregem tibi divinitus commiſſum, paſcis, dirigis, & conſervas, præſumit animus futurum, ut exemplo tuo excitati torpentes caput attollant, veternum excutiant, arma ſumant & ſcutum, quibus hoſti reſiſtant, improbis bellum indicant, bonos defendant, vitia conterant, ſcandala tollant, Eccleſiam ſanctam & illæſam conſervent.

Reliquis verò illis, qui vel ignorantiâ exorbitant, vel levitate ſuâ veritati officiunt, Pontificum Decreta ſpernunt, nihil eſt, quod cedamus, ſed cedam is potius, duce, & vindice Te ipſo, cujus ergà bonos dulciſſima humanitas, adverſum malos infractum robur, conſtantia martia'is, formidanda potentia. Quemadmodum orto ſole, nebulæ, & nubila diffugiunt, lucifugæ volucres latibula ineunt, campi, & viridaria rident: ſic ad conſpectum tuum ſannæ, & ludibria concident, tenebriones, quorum

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitasq;,

ſeſe abdent, veri, bonique nativa pulchritudo, & gloria efflorefcet. Leoni ex ore exſculpere prædam non ita Davidi facile fuit, quàm tibi ſugillandi libidinem obterere. Rara hæc virtus eſt, illis relicta ſolis, quos ardens ad æthera virtus, evexit, quorum illuſtris proſapia, potentia præcellens, intaminata dignitas.

Eum in finem Eccleſiæ præſulibus pedum in manus committitur, cujus ad proterendum malum, & frenandos improbos vis quanta ſit, *S. Ioannis Apocalypſis* indicat *c.* 2. ubi virgæ ferreæ mentio, quæ perfecti regiminis ſymbolum eſt, notatque illius ſeptem attributa, Alcazaro teſte, nimirum fortitudinem, beneficentiam, æquitatem, ſapientiam, patientiam, comminationem, & punitionem. Ea virga magneti (divinam ſapientiam intellige) applicata duplicem virtutem haurit, indicandi polum, mundique plagas, & aliud ferrum ſibi copulandi. Attrahit ergò ſacratus Antiſtes, dirigit, jungit, & pungit.

Quæ omnia cùm in te unum, *Illuſtriſſime Princeps*, à bonorum omnium largitore DEO ſimul congeſta ſint, bonis omnibus præſidio, improbis terrori es: ut benefactis, quàm merentur, gloria, flagitiis ſua pœna tribuatur: quibus duabus columnis ſacra, & profana Reip. ſuſtinetur. Quod ex eo die, quo communibus ſacri Senatus Suffragiis ad ſummum *Eccleſiæ Bambergenſis* principatum evectus es, uſque in hanc, quâ ſub pro-

rectione

tectione tuâ vivimus, hora, à cunctis annotatum, & pleno ore commendatum eſt.

Et mihi tunc animus erat, feliciſſimo illo die, gratulantium turbæ miſceri, ac *Breviculo* hoc conteſtari, non tam, quæ mea, quàm Collegarum omnium in Te obſervantia eſſet; ſed huc uſque illorum, quibus imperitare non poſſum, cunctatione dilatus ſum.

Excipies igitur, quæ tua humanitas eſt, benignâ manu, hilareſcente vultu, animo ſereno: excipies hanc IURIS CANONICI SUMMAM ſummæ in Te obſervantiæ, obſequiique fidiſſimum indicem, & adverſus livoris æſtum, inſcitos tricones potenter defendes. Sub tuï nominis tutelâ prodibit in publicum, quod exilitatis ſuæ conſcientiâ in tenebris deliteret. Quod enim ornamentum, quæ commendatio illuſtrior obvenire ſacro antiſtiti poteſt, quàm ſi literatorum perfugium, aſylum doctrinarum, ſapientiæ lyceum, patronus eruditionis, & ſcientiarum, publicè prædicetur?

Pro quâ benignitate dabit TIBI Deus felicitatem, virtutem, ac diuturnitatem, ut eadem juſtitiâ & pietate, quâ primùm exorſus es, gubernare Eccleſiam, etiam ſenex teneas, ſucceſſoribus tuis principatum, multò, quàm nactus es auctiorem, feliciorémque relinquas. Ita voveo.

Reverendiſsimæ, & Illuſtriſſ. Celſit. Veſtræ

humillimus in Chriſto ſervus

IOANNES STREINIUS
Societ. IESU.

CENSV-

Digitized by Google

SVmmam Iuris Canonici propoſuerunt multi; verum Methodo & ordine, quali ſe convenientiùs Lectori ſatisfacere poſſe exiſtimant, non rarò diverſo. Quos ſi A. R. P. IOANNES STREINIUS Societatis IESU in ſua Iuris Canonici Summa, tribus partibus comprehenſa, nec non in ejuſdem Commentario in Regulas Iuris Pontificii & Antinomia Iuris utriuſque, nihil contra fidem aut bonos mores continentibus, ſuperaverit: idipſum tractandi claritati & perſpicuitati adſcribendum, ac proptcrea typis mandari poſſe cenſeo & permitto. Coloniæ 7. Septemb. 1658.

Adrianus de VValenburch Metrop. Eccleſiæ Colonien. Presb. Canonicus & Cenſor libr. Ordin.

APPROBATIO.

EGo NITHARDUS BIBERUS Societatis Ieſu in Rheno Superiori Præpoſitus Provincialis poteſtate ad hoc mihi factâ ab Admodum Reverendo P. N. GOSVVINO NICKEL Præpoſito Generali facultatem concedo, ut *Summa Iuris Canonici tripartita, Commentarius in Regulas Iuris Pontificii & Antinomia Iuris utriuſque* à P. IOANNE STREINIO Societ. noſtræ Theologo, & Iuris Canonici Profeſſore Ordinario ſcripta, gravium Theologorum ejuſdem Societatis noſtræ judicio examinata & approbata typis evulgetur. In cujus rei fidem has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & conſueto ſigillo munitas dedimus. Bambergæ 12. Ianuar. M.DC.LVI.

(L.S.)

NITHARDUS BIBERUS.

CÆSAREUM PRIVILEGIUM ET poteſtas Typographo facta à R.P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ Superioris Societatis JESU.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque negotiationem librariam exercentibus, ſerio firmiterque inhibeatur, ne quiſquam ullos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel impoſterum edendos, intra Sacri Rom. Imperii Regnorum & Dominiorum ſuæ Cæſareæ majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere aut forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere clam vel palam, citra judicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat vel præſumat: Concedo Ego NITHARDUS BIBERUS Societ. Iesu per Rheni Superioris Provinciam Præpoſitus Provincialis (poteſtate ad id mihi facta ab Admodum R.P.N. Generali GOSWINO NICKEL) D. IODOCO KALCOVIO Civi & Bibliopolæ Colonienſi facultatem excudendi *Summam Iuris Canonici Tripartitam, Commentarium ad Regulas Iuris Canonici & Antinomiam Iuris Pontificii & Cæſarei, &c.* à R.P. IOANNE STREINIO Societatis noſtræ Theologo & Iuris Canonici Profeſſore Ordinario conſcriptam. In cujus rei fidem hoc ei teſtimonium dari curavi. Bambergæ 12. Ianuarii M.DC.LVI.

(L.S.)

NITHARDUS BIBERUS.

PRÆFA-

PRÆFATIO

Ad Clericos, & animarum paſtores.

EClesiæ faciem majorum ævo, fidei, morumq́ integritate, & omnium virtutum quaſi radiis fulgentibus conſpicuam, hodie quiſquis flaccidam, nævis oblitam, ſibique diſſimilem intuetur, ſuſpenſus animo hæret, & in exceſſu mentis ſuæ cum Ieremia vate exclamat: Quomodo obſcuratum eſt aurum, periit color optimus? Aurum ſynceræ fidei, intactæ religionis, ſcientiæ ſalvificæ, vitæ incorruptæ, perfectæ charitatis. Vnde malum hoc, unde Zizania! Impietas eſt, credere, ab immemore paſtorum dotalium ſponſo ſuo deſeri, aut tot ſæculorum lapſu effectam, odibilemq́ repudio damnatam eſſe. Inimici hominis ſuſpectam fidem intermixta tritico Zizania produnt, quibus materiam ignavia noſtra, luxus, & ſecuritas abundè ſuggerit. Nox opportuna fraudi, fraudis ignarus ſopor ſoporis agnata deſidia, & otium. Horum omnium denique ſoboles ignorantia. Vnde quod priſcis quoque Scitum (Triſm. in Aſdepio) *contingit in multis remanere malitiam, defectu prudentiæ, ſcientiæq́ rerum cæleſtium. Ex neglectu enim religionis divinæ, quâ conſtituta ſunt omnia, contemptus, & ſequela naſcitur vitiorum totius mundi. Perſeverante autem imperitia, atque inſcitiâ vitia coaleſcunt, & vulnerant animam incurabilibus plagis, quæ infecta iiſdem atque vitiata, quaſi venenis intumeſcit.* Ita Triſmegiſtus.

R*iſum merentur, an lacrymas, quæ rudium Clericorum, & Miniſtrorum exempla legimus: ut non immeritò aſinos togatos vulgi effrænis licentia indigitet. Nec odii, & invidiæ unius hic effectus. Aliqua fidei hoſtes confixerint, plurium certa memoria, & conteſtata fides habetur.* Ioannes Eman. Z*amora, & Tauri Epiſcopus, uti* Navarrus refert in c. ſi quando de reſcript. Except. 18. num. 8. *Coegit Parochos annorum ſexaginta linguam latinam diſcere, quam*

vel

Digitized by Google

vel nunquam didicerant, vel obiter attigerant. Credebant enimverò Athenæi illud. Nihil inanius, quàm multa ſcire. *Cæci, & duces cæcorum. S. Caroli Borromæi Acta teſtantur, in ampliſſimâ Eccleſia Mediolanenſis Diæceſi non uno in loco & paſtore magnum cæleſtis doctrinæ defectum inventum eſſe. Alias Diæceſes qui luſtrando peragrârunt iiſdem tenebris obſcuratam Verbi divini lumen, & obductas tetrâ caligine mentes offenderunt. Non pauci, quam Miſſam legerent, quæ cuique dici Canonicarum precum quota debeatur, quo ritu modoq; petentibus & indigentibus Sacramenta impertienda, ignorare.* Cui tanto *malo ingemiſcere, vel iraſci faciliùs, quàm remedium adferre queas. Nec iſta præteriti temporis hæreſi & perfidia contaminatâ propria lues fuit; comperies hodie, qui quantumlibet, adulti, Barbatique neque epiſtolam in choro neque lectionem aliquam abſque ſolæciſmo, niſi multo prius ſtudio præmeditatam, vel memoriæ commendatam pronuncient. Comperies in numeroſo præſulum & paſtorum agmine, qui animarum neceſſaria curâ, ſacrorum myſteriorum dignitate ſpretâ, neglectaq;, frumenti, vini & olei pretium ad amuſſim norint: faciem cœli, ſpem fertilitatis, & indicem, quatuor anni multiformis tempora, priuſquàm quatuor Evangeliorum mandata, monita, vel teſtimonia inſpiciant, magnam de minimis modicam aut nullam de maximis curam gerentes. Quid fœdius aut nocentius? ſed horum omnium in promptu cauſa eſt. Quibus enim, dic ſodes, in ſeptentrione noſtro hodie præbendarum ſpes certa, ſecura conſecutio eſt? annon magnatum famulis, Prælatorum aſſentatoribus, malè natis nepotibus, ad ſtivam, quàm Eccleſiam aptioribus pueris? Pro ſcientiâ, ait* Navarr. loco *ſupra citato preces & pretium, pro morum honeſtate nobilitas, favor, potentia & divitiæ attenduntur. Ætatem in ſcholis contriviſſe, in libros effudiſſe patrimonium, ſcientiarum apicem contigiſſe, ad inopem, & ingloriam ſenectutem, quàm Canoniam, aut Dignitatem paratior via eſt. Cedit eruditio nummis, animi cultura viribus, ignorantiæ ſubtilitas. Favor brabeuta eſt, cognatio collatio. Et miramur adhuc inter tot Eccleſiæ præfectos, & bonorum ſpiritualium diſpenſatores adeò paucos numerari, qui fideles ſunt, qui ex duabus tunicis dent unam non habenti, æquâ lance munera dividant?*

Invigilandum igitur ſummoperè præſulibus, ne invaleſcens contagio cum tempore vires acquirat & ſerò manum applicationibus deſperationem incutiat. Nova ſemente opus eſt, Seminaria & Gymnaſia erigenda, tyronum Princeps cura ſit: ignorantiæ bellum indicendum, errorum mater, ignaviæ nutrix otioſitas ultra Gangem releganda, ne ullum in Eccleſia alumnis, ac miniſtris locum inveniat. Sacrorum Canonum vigeat inſtitutio, diſciplinaq;, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. verſ. 16. *Attende tibi, & doctrinæ. Tibi, ut teipſum,*

doctrina,

doctrina, ut tecum multos perficias. Huic monito, ſi qui alius. S. Carolus Mediolanenſium Archiepiſcopus, ſui temporis lucidiſſimum Sidus morem exactè geſſit. l. 7. Vitæ c. 2. à Carolo de Baſilica Petri ſcriptæ. Etenim ſibi attendens Iuris Civilis notitiam quâ fuerat adoleſcens imbutus minus competere arbitratus, Theologica & Canonica tantum amplexus eſt, quantum Cardinali magnam Eccleſiam regenti efficere poſſe conceſſum eſt. Ex Theologiâ ſcripturas divinas maximè ſequebatur: Canonum ea ſcientia periucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentans Eccleſiæ ordinandæ rationem continet. Doctrinæ poſthac etiam attendens, ut aliis prodeſſet, delegit, & conſtituit, qui ſacrorum Canonum explanationi præeſſet, unde ſacra morum inſtituta, & ritus optimumq; Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur: quos verò eiuſmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum ſtudiis benignè favit, ut quod etiam Romæ poſtea eiuſdem generis ſtudium excitatum eſt, illi non poſtremò videatur aſſcribendum. Longum eſſet, ſigillatim edicere, quo quantove labore, ſtudio, & contentione Clericorum in literis profectum urſerit, quæ non media, & conſilia exquiſiverit, quantum de reditibus annuis attribuerit. Non contentus uno Collegio plura erexit, fundavitq;, ita majoribus ingeniis conſulens, ut qui à Summo deficerent, non deeſſe ſibi, quo proficerent faterentur. Cura una, prima, & maxima erat, Eccleſiæ Miniſtros, Clerumq; univerſum omni virtutum genere omnium diſciplinarum ornamentis reddere, quoad fieri poſſet, abſolutiſſimum. Inter alia media viros impulit ingenio, & doctrina præcellentes, qui quæ ad honeſtam educationem adoleſcentum, ad comparandam eloquentiam pro divini verbi prædicatione, munere Epiſcoporũ, & Clericorum conſcriptis libris evulgarent, ne muti unquam diſcere volentibus Magiſtri deeſſent. Qua in re meritò primas Theologi, & ſacrorum Canonum interpretes obtinerent, quod illorum ſcientiarũ utilitas maxima, ſummaq; neceſſitas eſſe videatur. Quæ enim (malum) ratio permittat, rerum naturalium cognitionem phyſicas, aut mathematicas diſciplinas cœleſtium myſteriorum, & ſacri Iuris intelligentiæ anteponere? Occupẽtur ſanè, & turbentur circa plurima Philoſophi, unum hoc Eccleſiæ Miniſtris neceſſarium eſt, ut omnes muneris ſui partes accuratè norint, quid chorus, quid paſtoralis cura poſtulet: quis habitus, qui mores deceant: quæ quantaq; obligatio precandi, pſallendique: quæ ſint bonorum Eccleſiaſticorum iura & privilegia: ne vulgo cognita deprehenſaq; proprii ſtatus ignorantia reddat deſpicabiles.

Id verò ut facilius & quaſi compendiò aſſequatur Clericus, non vetera illa, ſemilatina Lapi, Accurſii, Panormitani, Alexandri, Durandi, Oldradi, & ſimiliũ gloſſemata, ſed eorũ, qui noſtro ævo propinquiores, Cõmentaria, ſeu Paratitla legenda ſuadeo. Extat Vivian. Alagona, Andreas Vallenſ. Ant. Cucch.

vel nunquam didicerant, vel obiter attigerant. Credebant enimverò Athenæi illud. Nihil inanius, quàm multa ſcire. Cæci, & duces cæcorum. S. Caroli Borromæi Acta teſtantur, in ampliſſimâ Eccleſia Mediolanenſis Diœceſi non uno in loco & paſtore magnum cœleſtis doctrinæ defectum inventum eſſe. Alias Diœceſes qui luſtrando peragrârunt iiſdem tenebris obſcuratam Verbi divini lumen, & obductas tetrâ caligine mentes offenderunt. Non pauci, quam Miſſam legerent, quæ cuique dici Canonicarum precum quota debeatur, quo ritu modoq; petentibus & indigentibus Sacramenta impertienda, ignorare. Cui tanto malo ingemiſcere, vel iraſci faciliùs, quàm remedium adferre queas. Nec iſta præteriti temporis hæreſi & perfidia contaminatâ propria lues fuit; comperies hodie, qui quantumlibet, adulti, Barbatique neque epiſtolam in choro neque lectionem aliquam abſque ſolœciſmo, niſi multo prius ſtudio præmeditatam, vel memoriæ commendatam pronuncient. Comperies in numeroſo præſulum & paſtorum agmine, qui animarum neceſſaria curâ, ſacrorum myſteriorum dignitate ſpretâ, neglectaq;, frumenti, vini & olei pretium ad amuſſim norint: faciem cœli, ſpem fertilitatis, & indicem, quatuor anni multiformis tempora, priuſquàm quatuor Evangeliorum mandata, monita, vel teſtimonia inſpiciant, magnam de minimis modicam aut nullam de maximis curam gerentes. Quid fœdius aut nocentius? ſed horum omnium in promptu cauſa eſt. Quibus enim, dic ſodes, in ſeptentrione noſtro hodie præbendarum ſpes certa, ſecura conſecutio eſt? annon magnatum famulis, Prælatorum aſſentatoribus, male natis nepotibus, ad ſtivam, quàm Eccleſiam aptioribus pueris? Pro ſcientiâ, ait Navarr. loco ſupra citato preces & pretium, pro morum honeſtate nobilitas, favor, potentia & divitiæ attenduntur. Ætatem in ſcholis contriviſſe, in libros effudiſſe patrimonium, ſcientiarum apicem contigiſſe, ad inopem, & ingloriam ſenectutem, quàm Canoniam, aut Dignitatem paratior via eſt. Cedit eruditio nummis, animi cultura viribus, ignorantiæ ſubtilitas. Favor brabeuta eſt, cognatio collatio. Et miramur adhuc inter tot Eccleſiæ præfectos, & honorum ſpiritualium diſpenſatores adeò paucos numerari, qui fideles ſint, qui ex duabus tunicis dent unam non habenti, æquâ lance munera dividant?

Invigilandum igitur ſummoperè præſulibus, ne invaleſcens contagio cum tempore vires acquirat & ſerò manum applicationibus deſperationem incutiat. Nova ſemente opus eſt, Seminaria & Gymnaſia erigenda, tyronum Princeps cura ſit: ignorantiæ bellum indicendum, errorum mater, ignaviæ nutrix otioſitas ultra Gangem releganda, ne ullum in Eccleſia alumnis, ac miniſtris locum inveniat. Sacrorum Canonum vigeat inſtitutio, diſciplinaq;, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Timoth, 4. verſ. 16. Attende tibi, & doctrinæ. Tibi, ut teipſum,

doctrinæ,

doctrina, ut tecum multos perficias. Huic monito, ſi qui alius. S. Carolus Mediolanenſium Archiepiſcopus, *ſui temporis lucidiſſimum Sidus morem exactè geſſit.* l. 7. Vitæ c. 2. à Carolo de Baſilica Petri ſcriptæ. *Etenim ſibi attendens Iuris Civilis notitiam quâ fuerat adoleſcens imbutus minus competere arbitratus, Theologica & Canonica tantum amplexus eſt, quantum Cardinali magnam Eccleſiam regenti efficere poſſe conceſſum eſt. Ex Theologiâ ſcripturas divinas maximè ſequebatur: Canonum ea ſcientia periucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentans* Eccleſiæ *ordinandæ rationem continet. Doctrina poſthac etiam attendens, ut aliis prodeſſet, delegit, & conſtituit, qui ſacrorum Canonum explanationi praeeſſet, unde ſacra morum inſtituta, & ritus optimumq; Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur: quos verò eiuſmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum ſtudiis benignè favit, ut quod etiam Romæ poſtea eiuſdem generis ſtudium excitatum eſt, illi non poſtremò videatur aſcribendum. Longum eſſet, ſigillatim edicere, quo quantove labore, ſtudio, & contentione Clericorum in literis profectum urſerit, quæ non media, & conſilia exquiſiverit, quantum de reditibus annuis attribuerit. Non contentus uno Collegio plura erexit, fundavitq;, ita majoribus ingeniis conſulens, ut qui à Summo deficerent, non deeſſe ſibi, quo proficerent faterentur. Cura una, prima, & maxima erat, Eccleſiæ Miniſtros, Clerumq; univerſum omni virtutum genere omnium diſciplinarum ornamentis reddere, quoad fieri poſſet, abſolutiſſimum. Inter alia media viros impulit ingenio, & doctrina praecellentes, qui quæ ad honeſtam educationem adoleſcentum, ad comparandam eloquentiam pro divini verbi prædicatione, munere* Epiſcoporũ, & Clericorum *conſcriptis libris evulgarent, ne muti unquam diſcere volentibus Magiſtri deeſſent. Quæ in re merito primas Theologi, & ſacrorum* Canonum *interterpretes obtinerent, quod illorum ſcientiarũ utilitas maxima, ſummaq; neceſſitas eſſe videatur. Quæ enim (malum) ratio permittat, rerum naturalium cognitionem, phyſicas, aut mathematicas diſciplinas cæleſtium myſteriorum, & ſacri Iuris intelligentiæ anteponere? Occupẽtur ſani, & turbentur circa plurima Philoſophi, unum hoc* Eccleſiæ *Miniſtris neceſſarium eſt, ut omnes muneris ſui partes accuratè norint, quid chorus, quid paſtoralis cura poſtulet: quis habitus, qui mores deceant: quæ quantaq; obligatio precandi, pſallendique: quæ ſint bonorum Eccleſiaſticorum iura & privilegia: ne vulgo cognita deprehenſaq; proprii ſtatus ignorantia reddat deſpicabiles.*

I*d verò ut facilius & quaſi compendiò aſſequatur* Clericus, *non vetera illa, ſemilatina* Lapi, Accurſii, Panormitani, Alexandri, Durandi, Oldradi, *& ſimiliũ gloſſemata, ſed eorũ, qui noſtro ævo proquinquiores, Cõmentaria, ſeu Paratitla legenda ſuadeo. Extat* Vivian. Alagona, Andreas Vallenſ. Ant. Cucch.

Henricus Caniſius, Paulus Lancellotus. *quorum Inſtitutiones ad difficiliora manu ducunt. Nec* Vorburgi *Rudimenta ſpreveris. Noſtra autem Summa ſi cui arriſerit, operam impendiſſe fortean non pœnitebit. Inſuper multum proderit, ſuæ Diœceſis mores, & ſtatuta tum Synodalium Decretorum lectione, tum uſu, & quotidianâ obſervatione perſpecta habere. His ſi morum vitæque integritas, qualis à* Concil. Trident. Seſſ. 22. c. 1. de reſol. *præſcribitur, acceſſerit, futurum ſperamus, ut obſcurato Eccleſiaſticæ dignitatis auro ſuus ſplendor redeat, color optimus reſtituatur, ſcandala tollantur, hæreticorum obtrectationes concidant. Clero, & Eccleſiæ auctoritas concilietur, quæ piorum oculis gaudium pariat, improborum verò ſtimulum figat. Denique ſic in ærumnosâ hac vitâ militet, ut illius quæ in cœlo triumphat aſſociari choro mereatur, eaq; præmia conſequi, quæ bonis Paſtoribus, fidelibus ac prudentibus Miniſtris à ſupremo Paſtore, & remuneratore DEO optimo, maximo, conſtituta ſunt.*

PROLE-

Digitized by Google

PROLEGOMENA
AD
JURIS CANONICI
SVMMAM.

VEſtibulum ædificiorum deſcribens *Cæcilius Gallus* in libro de ſignificatione verborum, quæ ad Ius Civile pertinent, ſecundo, dicit, non in ipſis ædibus, neque partem ædium, ſed locum eſſe ante januam domus vacuum, per quem à viâ aditus, acceſſuſque ad ædes eſt, quum dextrâ, ſiniſtrâque intra ianuam tecta ſunt viæ iuncta, atque ipſa ianua procul viâ eſt, areâ vacanti interſitâ. *Gell. l. 16. c. 5.* Adderet viatorum commodo factum, ſi vel conſiſtere, vel facili & ſecuro introitu domum ſubire vellent. Ardua eſſe ſcientiarum, multiſque impervia templa, & qui penetrârunt, & qui aberrarunt, una confitentur. Conſiſtendum multis diu, & fixo gradu meditanda, quorũ poſt uſus in uſu, & pretio. Vt tædeat affatim, perſtitiſſe, voluiſſe & revoluiſſe nequaquã pœnitebit. Beneficiũ autẽ non vulgare præſtaturi ſunt, qui ingreſſuris difficile iter complanant, animum corroborant, & obſtacula ſubmovent: cuiuſmodi ut in aliis diſciplinis, Iuris Canonici præſertim facultate principiorum quorundam, quibus ipſæ aſſertiones nituntur, eſt defectus, & ignoratio. Præclarè *Angelus Conſil. 110. Sanctiſſima, &c.* Principium artis ſcire oportet, aliàs principati proceſſum ignorare neceſſe eſt. Quocirca operæ pretium mihi facturus videor, ſi quæ illius ſcientiæ, conditio ſit, quis modus procedendi, quibus adminiculis nitatur, præliminaribus quibuſdam articulis dedero, exemplo illorum, qui eximiâ tum ingenii, tum doctrinæ commendatione idem præſtiterunt. Erit hoc veſtibuli inſtar, inter viam, & januam, ubi tantiſper novi auditores prima initia meditentur, donec reſeratis foribus in ipſa ſacri Iuris penetralia admittantur.

Digitized by Google

INDEX
PROLOGOMENORVM.

§. 1. *De origine, & cauſis Iuris Canonici.*
§. 2. *De auctoritate Eccleſiæ.*
§. 3. *De vi, & obligatione Canonum.*
§. 4. *De diſpenſatione Canonum.*
§. 5. *De abrogatione Canonum.*
§. 6. *De interpretatione.*
§. 7. *De extenſione legum, & Canonum.*
§. 8. *De lege pœnali.*
§. 9. *De conſuetudine.*
§. 10. *De Reſcriptis.*
§. 11. *De Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ.*
§. 12. *De Canonibus Apoſtolorum.*
§. 13. *De Canonibus pœnitentialibus.*
§. 14. *De fictione Iuris.*
§. 15. *De præſumptione.*
§. 16. *De æquitate Iuris.*
§. 17. *De Permiſſione.*
§. 18. *Modus argumentandi in Iure Canonico.*

Digitized by Google

PROLEGOMENA

§. I.

De origine Iuris Canonici, & cauſis.

I. IUS pro lege acceptum varium ac multiplex eſt, merito Cauſarum, à quibus oritur, & pendet. *Primò* enim aliud eſt Naturale, aliud poſitivum. *Secundo*, Poſitivum aliud eſt divinum, aliud Humanum. *Tertio*, Humanum dividitur in Ius gentium, Civile, & Canonicum. Gratianus *Diſt.* 1. *Inſtit. l.* 1. *tit.* 2. *l.* 1. *&* 11. *π. de iuſt. & Iure. Mol. Diſp.* 2.

II. Ius naturale eſt, cujus obligatio oritur ex naturâ rei, & inde tranſit in præceptum. Aliud per ſe notum eſt; aliud per conſequentiam, vel deductionem. In brutis non reperitur contra, quàm Legiſtæ velint. Poſitivum, cujus obligatio oritur ex voluntate, & præcepto legislatoris, indeque derivatur in objectum. Divinum à Deo: humanum ab hominibus procedit.

Ius gentium legiſtæ vocant, quod proprium eſt hominibus, & illis omnibus aut ferè omnibus commune: ut Religio erga Deum, obſequium erga parentes, licentia vim vi repellendi: quo ſenſu nō omnino diverſum eſt à Naturali. Melius Theologi Ius gentium eſſe dicunt, quod non Naturæ præcepto, ſed ſolo conſenſu populorum illis omnibus, aut ferè omnibus commune eſt, exempli cauſſa, bonorum diviſio, dominia, ſervitutes, & ſimilia. *c.* 7. *Diſt.* 1. *Soto l.* 3. *de iuſt. Q.* 1. *art.* 3. *Covar. in Reg. Peccatum.* §. 11. *Azor.* III. *l.* 1. *c.* 2. *Suar. l.* 2. *de legib. c.* 19. *Comitol. de Contract. par.* 1. *c.* 15.

Jus Canonicum ſumpta denominatione à græca voce κάνων, quæ regulam ſignificat à Daniele Venatorio definitur *Id, quod decretis Pontificum & ſtatutis Conciliorum tam Generalium, quàm Provincialium* conſtat, normam rectè vivendi oſtendens. Ex quâ definitione benè explicata colligitur, Cauſam materialem, ſeu objectum Iuris Canonici eſſe actiones regulis eccleſiaſticis dirigibiles: Efficientem verò eſſe Magiſtratum, ſeu Prælatos Eccleſiæ: Finalem Eccleſiæ bonum regimen, & diſciplinam: Formalem denique ipſam honeſtatem, ſeu æquitatem, quam Canones præſcribunt, inque ſuorum moribus Chriſti Eccleſia requirit.

rit. *Lancel. Caniſ. Vallenſ. in Paratitlis.*

III. Ab origine, & cauſa efficiente habet, quòd partim ſcripto, partim non ſcripto conſtat. Scripto comprehenſa ſunt Decreta Conciliorum & Pontificum. Non ſcripto Traditiones, & conſuetudines, de quibus *c. In his Diſt.* 11. Cùm nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi DEI, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coërcendi ſunt. *Melch. Canuſ. l.* 12. *de loc. Theolog. c.* 9. 5. *ſecundum verò* unde liquet, quod à nonnullis magnâ contentione diſcutitur ad ſubſtantiam legis, ut obliget, ſcripturam minimè requiri. Tunc enim vim ſuam leges accipiunt, cùm promulgantur, & acceptantur, quod fieri poteſt, antequam literis conſignentur. *c. Inſtitutionis.* 25. *Q.* 2. *Ariſt. l.* 10. *Eth. c.* 9. *Panorm. Decius, Felin. in Rubr. de* Conſtitut. *Ioan. Andr. in Reg. Nemo poteſt. de Reg. iuris in* 6. *Guido Papa Q.* 91. *Laym. l.* 1. *Tract.* 4. *c.* 2. *nu.* 3. *Suar. l.* 3. *de legibus. c.* 15. *n.* 6. *Serar. Diſp. de legib. nu.* 63. *Tuſchus* Concl. 252.

Quod etiam ad privilegia multi extendunt, ſufficere exiſtimantes, ſummi Pontificis ſubſcriptionem *Placet* aut *Fiat.* In foro externo tamen contrarium obtinet & Curiæ praxis contradicit, ubi non tantum privilegia, ſed leges etiam ſcripto concipi regulariter ſolent, ſecundum illud Iſidori *l.* 5. *Etymol. c.* 3. Lex eſt conſtitutio ſcripta, & *Iuſtin. inſtit. de jure natur. gent. & civili. Conſtat autem ius noſtrum ſcripto, & non ſcripto: ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι. ſcriptum autem ius eſt Lex, plebiſcitum ſenatus conſultum.* Intellige de conſueto modo proponendi legem, ut illius memoria inviolata conſervetur.

Nihilominus ſi Pontifex tibi facultatem concedat v.g eligendi confeſſarium, ſuſcipiendi ante legitimam ætatem ſacros ordines &c. uti poteris ſecurè abſque aliâ teſtificatione, modo ſubſcripſerit *Placet. Gloſſa in c. Inſtitutionis.* 25. *q.* 2. *Bald. in l. ul. c. de legib. Az.* 1. *l.* 5. *c.* 2. *Q.* 5. *Suar. l.* 3. *de legib. c.* 15. qui etiam *l.* 4. *c.* 14. notat, in ſtatutis inferiorum ſcripturam neceſſariam eſſe.

IV. Inter Civile jus, & Canonicum differentiæ multæ ſunt, quarum præcipuas enumerabo. *Prima.* Materia juris Civilis temporalis, & profana eſt; juris Canonici verò ſacra, & ſpiritualis. Vnde ſequitur, quemadmodum anima corpori, ita juri civili præſtare Canonicum. *Secunda.* Poteſtatem leges ferendi & coërcendi improbos Princeps ſæcularis à populo immediatè accipit: Pontifex autem à Chriſto immediatè. *Ioan.* 21. *v.* 18. *S. Thom. Q.* 90. *art.* 3. *& Q.* 97. *Caiet. Opuſc. de poteſt. Papæ par.* 2. *c.* 2. *Victor in Relect. de eod. Bellarm. l.* 1. *de* Pontif. *c.* 12. *& ſeqq. l.* 2. *n. de orig. iur. l.* 1. *n. de* Conſtit. Princ. *D D. in c. per venerabile. Qui filii ſint legitimi. Tertia.* Magiſtratui politico ſalus, & tranquillitas publica curæ eſt: ſacris Præſulibus puritas & perfectio animæ, quæ mediis ſupernaturalibus acquiritur. *Quarta* differentia in fine conſpicitur. Quamvis enim Chriſtiani Imperatores non deſpiciunt ea, quæ ad animæ ſtatum, & perfectionem conferunt, nihilominus ex officio ea, quæ bono publico proſunt, potiſſimum attendere, & procurare ſatagunt: cùm ſacræ functiones, & munia Eccleſiæ Rectoribus commiſſa ſint. *c. In*

novo

Digitized by Google

*novo Diſt.*21.*V. Eberb. VVeſenerum in Prologo Iuris. Decian.l.*2 *c.*18.

Differunt denique principiis quibuſdam,& regulis, quas à jure civili factas Eccleſia non admittit, ſed vel corrigit, vel abjicit. Quo pertinent 1. illæ, quæ rebus,vel perſonis officiunt. *c. fin.de immun. Eccl.in* 6. *c.* 1.*de iureiur.eod.in* 6.*c. & c.*1. *de conſuetud. Molina Tract.*2. *Diſp.*19. 2. quæ nominatim de perſonis, aut rebus Eccleſiæ diſponunt aliquid.*c. Eccleſia S.Maria.* ubi legimus. *A laicis ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam commodum, & favorem reſpiciat nullius firmitatis exiſtit.* 3. illæ, quarum materia omninò ſpiritualis eſt; puta, Sacramentorum, voti, Iuramenti, & ſimil.*c. duo ſunt, cum ſeq. diſt.* 96. 4. illæ, quæ bonis moribus adverſantur, & peccatum nutriunt. v. g. de concubinatu licito, vſurâ malæ fidei præſcriptione. De quo genere rerum *Innoc.* 111.Generaliter ait,derogatum eſſe,quoniam abſque peccato exequi non licet.

Atque in his generaliter utrumque jus diſſidet. Magis particularia invenies apud *Caniſium in ſummâ, & Gualvanum apud Panormit. initio.*

Item apud *Baptiſtam de S. Blaſio*,qui 249. differentias enumerat in Rubricam Decreti.

V. Quæ omnia non obſtant,quo minus utriuſque fori Eccleſiaſtici, & ſæcularis magna affinitas,& conſonantia ſit. Nam *primò* commune utrique eſt, leges & ſtatuta in materiâ cuiuſcunque virtutis condere. *Secundò*, neutrum verò omnium virtutum actus omnes & opera præcipit, quoniam conſilii permulta ſunt. *Tertiò*, nec vitia omnia abſolutè prohibet, quamvis nullum non fugias, & deteſtetur jus pontificium. *Quartò*, Principum leges civilis, ubi proſunt, ab Eccleſia admittuntur, & quodammodo adoptantur. *Quintò*, quod in uno deſideratur, ex altero ſumitur. Vnde *Lucius* 111.*c.*1. *De no.op.nunc. Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari: ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adiuvantur.* Ita quidem, ut in utroque foro, cùm Canon deeſt,ſecundùm leges civiles ſententia feratur. Quod exemplis de non confecto inventario, non aditâ hæreditate à clerico, & ſimilibus *Oldendorpius declarat in* Progymnaſ. *tt. De ordine Iuris n.*11.*Card. Tuſchus. Concl.*276. *Laym.l.*1.*par.*4.*c.*8.§.*unico.*

VI. *Ius Canonicum* quoad libros in quatuor partes diviſum eſt. *Prima* Decretum appellatur. *Secunda* Decretales. *Tertia* ſextus Decretalium. *Quarta* Clementinæ,& Extravagantes. Decreti tres partes ſunt. *Prima* continet centum Diſtinctiones,& unam. *Secunda* cauſas triginta ſex. *Tertia* Tractatum de Conſecratione in quinque titulos diviſum, Tractatus de Pœnitentiâ ſeptem titulis diviſus in 2. 3.*Cauſa* 33.habetur,unde verſus,

C. *diſtinguit, & I. Cauſas dant* X. *tria cum* VI.
Pœnitet V. *verſum : ſed Conſervare reverſum*

Decretum quatuor modis citatur *Primò* ſic.*Diſt.*26.*c. Acutius. Secundò* ſic.17.*Q.* 1.*c.Decima.Tertiò*, Tractatus de pœnitentiâ allegatur ſic.*de pœnit. Diſt.* 2. *c. ſepties. Quartò* Tractatus de Conſecrat. *Diſt.*1.*c. vaſa*, Decretales in quinque libros diviſæ

rit. *Lancel. Caniſ. Vallenſ. in Paratitlis.*

III. Ab origine, & cauſa efficiente habet, quòd partim ſcripto, partim non ſcripto conſtat. Scripto comprehenſa ſunt Decreta Conciliorum & Pontificum. Non ſcripto Traditiones, & conſuetudines, de quibus *c. In his Diſt.* 11. Cùm nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi DEI, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coërcendi ſunt. *Melch. Canuſ. l.* 12. *de loc. Theolog. c.* 9. 5. *ſecundum verò* unde liquet, quod à nonnullis magnâ contentione diſcutitur ad ſubſtantiam legis, ut obliget, ſcripturam minimè requiri. Tunc enim vim ſuam leges accipiunt, cùm promulgantur, & acceptantur, quod fieri poteſt, antequam literis conſignentur. *c. Inſtitutionis.* 25. *Q.* 2. *Ariſt. l.* 10. *Eth. c.* 9. *Panorm. Decius, Felin. in Rubr. de* Conſtitut. *Ioan. Andr. in Reg. Nemo poteſt. de Reg. iuris in* 6. *Guido Papa Q.* 51. *Laym. l.* 1. *Tract.* 4. *c.* 2. *nu.* 3. *Suar. l.* 3. *de legibus. c.* 15. *n.* 6. *Serar. Diſp. de legib. nu.* 63. *Tuſchus* Concl. 252.

Quod etiam ad privilegia multi extendunt, ſufficere exiſtimantes, ſummi Pontificis ſubſcriptionem *Placet* aut *Fiat*. In foro externo tamen contrarium obtinet & Curiæ praxis contradicit, ubi non tantum privilegia, ſed leges etiam ſcripto concipi regulariter ſolent, ſecundum illud Iſidori 5. *Etymol. c.* 3. Lex eſt conſtitutio ſcripta, & *Iuſtin. inſtit. de jure natur. gent. & civili. Conſtat autem ius noſtrum ſcripto, & non ſcripto: ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι. ſcriptum autem ius eſt Lex, plebiſcitum ſenatus conſultum.* Intellige de conſueto modo proponendi legem, ut illius memoria inviolata conſervetur.

Nihilominus ſi Pontifex tibi facultatem concedat v. g eligendi confeſſarium, ſuſcipiendi ante legitimam ætatem ſacros ordines &c. uti poteris ſecurè abſque aliâ teſtificatione, modo ſubſcripſerit *Placet. Gloſſa in c. Inſtitutionis.* 25. *q.* 2. *Bald. in l. ul. c. de legib. Az.* 1. *l.* 5. *c.* 2. *Q.* 5. *Suar. l.* 3 *de legib. c.* 15. qui etiam *l.* 4. *c.* 14. notat, in ſtatutis inferiorum ſcripturam neceſſariam eſſe.

IV. Inter Civile jus, & Canonicum differentiæ multæ ſunt, quarum præcipuas enumerabo. *Prima.* Materia juris Civilis temporalis, & profana eſt: juris Canonici verò ſacra, & ſpiritualis. Vnde ſequitur, quemadmodum anima corpori, ita juri civili præſtare Canonicum. *Secunda.* Poteſtatem leges ferendi & coërcendi improbos Princeps ſæcularis à populo immediatè accipit: Pontifex autem à Chriſto immediatè. *Ioan.* 21. *v.* 18. *S. Thom. Q.* 90. *art.* 3. *& Q.* 97. *Caiet. Opuſc. de poteſt Papa par.* 2. *c.* 2. *Victor in Relect. de eod. Bellarm. l.* 1. *de* Pontif. *c.* 12. *& ſeqq. l.* 2. *π. de orig. iur. l.* 1. *π. de* Conſtit. Princ. D D. *in c. per venerabile. Qui filii ſint legitimi. Tertia.* Magiſtratui politico ſalus, & tranquillitas publica curæ eſt: ſacris Præſulibus puritas & perfectio animæ, quæ mediis ſupernaturalibus acquiritur. *Quarta* differentia in fine conſpicitur. Quamvis enim Chriſtiani Imperatores non deſpiciunt ea, quæ ad animæ ſtatum, & perfectionem conferunt, nihilominus ex officio ea, quæ bono publico proſunt, potiſſimum attendere, & procurare ſatagunt: cùm ſacræ functiones, & munia Eccleſiæ Rectoribus commiſſa ſint. *c. In*

novo Diſt.21.V.Eberb.VVeſenerum in Prologo Iuris.Decian.l.2 c.18.

Differunt denique principiis quibuſdam,& regulis, quas à jure civili factas Eccleſia non admittit , ſed vel corrigit, vel abjicit. Quo pertinent 1. illæ, quæ rebus,vel perſonis officiunt. *c. fin.de immun.Eccl.in 6. c.1.de iuriur.eod.in 6.c. & c.1. de conſuetud. Molina Tract.2. Diſp.19.* 2. quæ nominatim de perſonis, aut rebus Eccleſiæ diſponunt aliquid.*c. Eccleſia S.Mariæ.* ubi legimus. *A laicis ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit , quod Eccleſiarum etiam commodum, & favorem reſpiciat nullius firmitatis exiſtit.* 3. illæ, quarum materia omninò ſpiritualis eſt; puta, Sacramentorum, voti, Iuramenti, & ſimil.*c. duo ſunt ,cum ſeq. diſt.96.* 4. illæ, quæ bonis moribus adverſantur, & peccatum nutriunt. v. g. de concubinatu licito, vſurâ malæ fidei præſcriptione. De quo genere rerum *Innoc.* III.Generaliter ait,derogatum eſſe,quoniam abſque peccato exequi non licet.

Atque in his generaliter utrumque jus diſſidet. Magis particularia invenies apud *Caniſium in ſummâ, & Gualvanum apud Panormit. initio.*

Item apud *Baptiſtam de S. Blaſio*,qui 249. differentias enumerat in Rubricam Decreti.

V. Quæ omnia non obſtant,quo minus utriuſque fori Eccleſiaſtici, & ſæcularis magna affinitas,& conſonantia ſit. Nam *primò* commune utrique eſt, leges & ſtatuta in materiâ cuiuſcunque virtutis condere. *Secundò*, neutrum verò omnium virtutum actus omnes & opera præcipit, quoniam conſilii permulta ſunt, *Tertiò* , nec vitia omnia abſolutè prohibet, quamvis nullum non fugias, & deteſtetur jus pontificium. *Quartò*, Principum leges civilis, ubi proſunt, ab Eccleſia admittuntur, & quodammodo adoptantur. *Quintò*, quod in uno deſideratur, ex altero ſumitur. Vnde *Lucius* III.*c.1. De no.op.nunc. Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari : ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adiuvantur.* Ita quidem, ut in utroque foro , cùm Canon deeſt,ſecundùm leges civiles ſententia feratur. Quod exemplis de non confecto inventario, non aditâ hæreditate à clerico , & ſimilibus *Oldendorpius declarat in Progymnaſ. tt. De ordine Iuris n.11. Card. Tuſchus. Concl.276. Laym.l.1.par.4.c.8.§.unico.*

VI. *Ius Canonicum* quoad libros in quatuor partes diviſum eſt. *Prima* Decretum appellatur. *Secunda* Decretales. *Tertia* ſextus Decretalium. *Quarta* Clementinæ,& Extravagantes. Decreti tres partes ſunt. *Prima* continet centum Diſtinctiones,& unam. *Secunda* cauſas triginta ſex. *Tertia* Tractatum de Conſecratione in quinque titulos diviſum, Tractatus de Pœnitentiâ ſeptem titulis diviſus in 2. 3.*Cauſa* 33,habetur,unde verſus,

C. *diſtinguit, & I. Cauſas dant* X. *tria cum* VI.
Pœnitet V. *verſum : ſed Conſervare reverſum*

Decretum quatuor modis citatur *Primò* ſic.*Diſt.26.c. Acutius.Secundò* ſic.17.*Q.1.c.Decima.Tertiò*, Tractatus de pœnitentiâ allegatur ſic.*de pœnit. Diſt. 2. c. ſepties. Quartò* Tractatus de Conſecrat. *Diſt.1.c. vaſa*, Decretales in quinque libros diviſæ

ſunt à Greg. IX. Pontif. In *primo* agitur de officio, & munere perſonarum eccleſiaſticarum. *In ſecundo* de iudiciis. *In tertio* de rebus Clericorum & Eccleſiarum. *In quarto* de ſponſalibus & matrimonio. *In quinto* denique de delictis, & pœnis. Vnde Verſus.

Perſonas celebrat pars prima, ſecunda tribunal:
Tertia de Clericis: de ſponſis quarta laborat:
Vltima conſtituit pœnas, & crimina damnat.

Decretales allegari ſolent ita. *c. Etſi Iudaos. de Iudais*, hoc eſt, in Decretali, quæ incipit *Etſi Iudaos, titulo de Iudais.* Vel ſic. *Extra de Iudais. Etſi Iudaos* hoc eſt. Extra Decretum *Tit. de Iudais* in capite, quod incipit. *Etſi Iudaos.* Liber ſextus Decretalium, cujus auctor eſt Bonifacius VIII. etiam dividitur in quinque libros, & eoſdem titulos, ſed pauciores. Nam libri quinque Decretalium continent titulos 185. Sextus verò non niſi 77. Citatur hoc modo. *c. ſi Iudex. De ſentent. Excomm. in 6.*

Clementinæ auctoritate *Clementis* V. editæ ſimiliter in quinque libros, & eoſdem titulos dividuntur, & citantur ita. *Clement. ſi furioſus. de homicidio.* hoc eſt, In Clementinâ, cujus initium eſt. *ſi furioſus T. de homicidio.*

Sequuntur Conſtitutiones *Ioannis* XXII. quæ vocantur Extravagantes Ioannis XXII. Titulos habent 14. Allegantur hoc modo. *Extravag. de prebend. inter Extrav Ioannis XXII.*

Supereſt *Liber Extravagantium communium*, id eſt, Conſtitutionum, quæ à diverſis Pontificibus poſterius editæ ſunt. Conſtant ſimiliter libris quinque (quartus tamen non extat) & eiſdem titulis, ſed pauciſſimis, id eſt, 35. Citantur hoc modo. *Extrav. Ambitioſa. de Reb. Eccl. non alien. inter comm. V. Antonin. Par. I. T. 17. c. un. §. 20.*

VII. Ex his velut partibus totum Pontificii Iuris corpus compoſitum eſt, impari tamen pretio, & auctoritate. Nam quia *Decretum*, à Gratiano multis Patrum ſententiis, & legibus Imperatorum, imo ſuſpectis auctoribus, ut *Bellarminus* demonſtrat *in l. De Scriptor. Eccleſ.* refertum eſt, vim definitionis habere non poſſunt indifferenter omnia, niſi ſummi Pontificis accedat auctoritas. *Sotus l. 3. q. 3. art. 1. Valentia 2. 2&a q. 6. puncto 6. Sanch. l. 12. De matrim. Salas de legib. pag. 169. Diſp. 12 num. 5. Silv. V. lex n. 13. §. Multa* errores Gratiani non paucos notat. *Decretalium* vero, quas *Greg*: IX. edidit, maxima in iudiciis & ſcholis ratio habetur, quoniam id ab eo mandatum eſt, ſimulque vetitum, ne quis præſumat aliam Decretalium epiſtolarũ Compilationem facere, abſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate.

Illarum igitur, quæ à Pontificibus poſterioribus emanârunt, legitima collectio, & publicatio expectatur, non minor futura præcedentibus, ut pollicentur Bullæ, quas diverſi, præſertim *Laertius Cherubinus* magnis voluminibus comprehendit.

Alberic. Diſ. de libris Iur, Can. Petrus Offerman. in Parati. Diſ. 4. Laym. l. 1. tr. 4. c. 6. §. 3. Reginald. l. 13. n. 209. & ſeq.

§. 2. De

Digitized by Google

§ 2.

De auctoritate Eccleſiæ.

1. ECcleſiæ Chriſti triplex poteſtas neceſſaria, & conceſſa eſt, Ordinis, Iuriſdictionis, internæ, & externæ. Poteſtas Ordinis exercetur in conſecratione corporis Chriſti, & adminiſtratione Sacramentorum. Iuriſdictionis internæ in ligando, & ſolvendo. Externæ in præſcribendis legibus, decidendis litibus, corrigendo, & puniendo Huic poteſtati omnes cuiuſcunque ordinis, & ſtatus Chriſtiani ſubjecti ſunt. *Matth.16.v.18. Ioan.20 v.21. Luca 10.v.16. Act.15.v.24. 1.ad Cor. 4. v.1. 2.Cor.13.v.2. ad Hebr.13. v. 17. c. ſollicita De maior. & obed. Diſt 19. to.* Inobedientes & contumaces pœna manet, ſpiritualis, vel corporalis. *ad Rom.13.v.4. c.4. 5. & ſeq. diſt.16. Item Diſt.50. to.*

2. Iuriſdictio interna clavis appellatur *Matth.16.v.19.* quia cœlum reſerat: externa verò gladius, quia malos perſequitur. *Conc. Trid. Seſſ.25.c.3.* Illius forum animæ reconciliationem intendens arctius eſt: hujus limites ampliores ſunt. Ad eam enim pertinet attendere & viſitare ſubditos, inquirere in mores, & punire, mittere legatos, contumaces accerſere, illorum audaciam compeſcere, ad Concilium vocare eos, quorum intereſt, ſtatuta in Concilio examinare. & confirmare, pœnâ eccleſiaſticâ coërcere delinquentes, excommunicando, ſuſpendendo, interdicendo, ab ijſdem Cenſuris abſolvere, caſus reſervare, reſervatos tollere, dare Indulgentias, diſpenſare in votis, ac iuramentis, cõdemnare hæreticos, ſcripta illorum, antequam vulgentur, examinare, declarare, & exponere, quinam ſint veri articuli fidei, & Canonicæ ſcripturæ, dubia de fide, & religione ſolvere, ritus & cæremonias ordinare, conſtituere Eccleſiæ miniſtros, beneficia eccleſiaſtica diſtribuere, de bonis eccleſiaſticis diſponere, canonizare ſanctos, & quibus ritibus colendi ſint, ordinare. Denique univerſam populi Chriſtiani Remp. bonis legibus munire, ac defendere, ſubditos ad æternæ ſalutis portum perducere. *Tolet.l.1.c.3. Reginald.l.1.c.3 Bellarm.l.4. de Rom. Pontif.c.16. Suar. l.3. de legib.c.5. & Tom.IV. in 3. par. diſpu.16. Layman.l.1.Tract.4. & 5. Alvar. Pelagius l. 1. De planctu Eccleſ. art.13. Cornelius Muſſus in Conc. de Cath. Petri.*

3. Utraque poteſtas dividi poteſt in ordinariam, & delegatam: ratione ſubjecti autem, ſeu habentium iuriſdictionem Papalem, epiſcopalem, & parochialem; quæ differunt potiſſimùm ratione originis & dependentiæ *Sylv. V. Iuriſdictio Layman. lo citato.* Nam ſummus Pontifex omnem poteſtatem ſuam, quemadmodũ Apoſtoli olim, immediatè à Chriſto accipit, poſtquam legitimè electus eſt. *Ioan. 20.v.21.* iuxta interpretationem *Chryſoſt. Theophil Cyrilli, Cypriani* & aliorum: quia S. Petro ſuccedit, non ſimpliciter, ut Apoſtolo, ſed ut univerſali & ordinario paſtori totius Eccleſiæ. Epiſcopi verò, quamvis in Apoſtolorum munus ſubrogentur, poteſtatem iuriſdictionis, de quã loquimur, non à Deo immediatè, ſed à ſummo Pontifice accipiunt, ut pluribus confirmat *Bellarm.l.4. de Pontif.c.24. Barb. de poteſt. epiſc. Par. T. 1. c. 1. Piaſecius in Praxi Par.2.c.1. Suar.l.4. de legib.c.4. & To.V. in 3. par. Diſp.1. ſect.2. Layman.l.1. Tract.4.c.7.§.2. Fill. Tr. 11.c.1.n.22.* Hinc ſequitur, quemadmo-

Digitized by Google

admodum Pontifex pro totâ Eccleſia, ſic pro ſua diœceſi Epiſcopum, provincia ſibi commiſſa legatum Apoſtolicum leges condere poſſe. *c.2. De Conſt. c.2. de mai. & obed. Tanner. II. D. 5. q. 5. nu. 99. Salas q. 95. D. 8. ſect. 11. Vaſq. in 1. 2da D. 153. c. 1. n. 5.*

4. Comitia Regni ſunt, Concilia Eccleſiæ, eaque triplicia, Generalia, Provincialia, & Synodalia, ſeu diœceſana: ſua ſingulis poteſtas legislativa convenit, accommodata materiæ, ſubditis, & territorio. Synodalia indicit Archiepiſcopus: Diœceſana Epiſcopus: *generalia* nonniſi à ſummo Pontifice indicuntur, eorumque placita ab eodem confirmantur, alias nullam vim habitura. *c. Canones diſt. 15 & ibi Barb. Tanner. Par. 2. Anatomia Confeſſ. Auguſt.* §. 10. *n.* 122.

Conc. Trid. ſeſſ. 10. *in Bulla Iulii III. Caietan. opuſc. de compar. Pontif. & Concil. Turrecrem. l. 2. c. 71. Navar. Conſil. l. 1. de Conſtit. Suar. & Laym. l. cit. Molanus de Rep. Tract. 5. c. 30. Alph. Caſtro. l. 1 adu. hæres in V. Concilium. Tuſchus eod.* Rationem præſtat vſus, & traditio nec alicubi legimus maiorem Conciliis conceſſam poteſtatem eſſe. *V. Bellarm. l. 2. de Concil. c. 13. Azor* 11, *l. 5. c. 12. & 13. Barb. in c. cit. Canones. Salas de legib. p.* 172 In ſchiſmate igitur, ubi certus Pontifex non eſt, Conciliis licebit ea tantùm decernere & conſtituere, quæ ad præſentem Eccleſiæ ſtatum, & futuram electionem neceſſaria videbuntur. Idem Cardinalium ſenatui vacante ſede tribuitur, quemadmodum infra *Tit. x.* §. 2. *&* 3. latiùs explicabitur.

5. Quod Gratianus *initio Diſt.* 18. ſcribit, Concilia Provincialia invalida eſſe ad definiendum, non tamen ad corrigẽdum, non eſt univerſè verum. Quamvis enim ad definitionem eorum, quæ ad fidem, & mores totius Eccleſiæ pertinent, non ſe extendat illorum poteſtas, ſtatuere tamen, & definire poſſunt, non quidẽ contra Ius, ſed præter Ius, & ſi quid dubii occurrat, declarare, vel removere. Cognoſcunt etiam de vitâ, adminiſtratione, & moribus epiſcoporum, corrigunt, & puniunt iuxta diſpoſitionem antiquorum Canonum. *Diſt.* 17. 18. *&* 19. *Conc. Tr. ſeſſ. 14. c. 2. Silv. v. Concilium nu. 9.* Cauſæ criminales, & graviores contra epiſcopos ſummo Pontifici cognoſcendæ & terminãdæ relinquũtur. *c. 5. eod. Blarm. l. 2. de Conc. c. 7. Salas de leg. pag. 161. Azor. l. cit.*

6. Legatus Apoſtolicus in provinciâ ſuâ ſynodum cogit, quando neceſſarium eſſe videt. Metropolitani verò per ſe ipſos, vel ſi impediti ſint, Coëpiſcopus, ſeu Suffraganeus antiquior, quolibet ſaltem triennio poſt octavã Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti, ſeu alio commodiori tẽpore pro more provinciæ ſynodum indicer; quo Epiſcopi omnes, & qui de iure, vel conſuetudine intereſſe debent, convenire omninò tenentur. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 2. Pro communi ſubditorum bono leges, & ſtatuta condere poſſunt: ſed quæ in ejuſmodi Conciliis ſtatuta fuerint, publicari non debet, inconſulto Romano Pontifice. *V. Congreg. Cardinal, declarat, num. 4. Em. Sa. V. Concilium. Vaſq. 1. 2. da q. 95 D. 152. c. 3.*

7. Ius ferendi leges, ſeu ſtatuta & Cõſtitutiones habent etiã Generales ordinũ Religioſorũ in capitulo generali; & provinciales in provinciali, concurrente maiori ſuffragiorum parte: reliqui prælati ea præcipere poſſunt ſibi ſubiectis, quæ ad obſervationem Regulæ perti-

pertinent. *Navar. Comm. 2. de Regularib. n.63. Bonac. Tomo 2. pag. 8. Suar. l. 4. de leg. c. 6. n. 21. & Tom. IV. de Relig. l. 2. c. 8. Vaſq. D. 153. c. 1. n. 5. Roderic. 1 Q. 67. art. 1. & 5. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 7. §. 8. Salas de leg. Q. 95. Diſp. 8. ſect. 12. Sed an præter aut ſupra Regulam? V. par. 1. ſum. §. 7. ss. 15.*

VIII. Principum ſæcularium leges, & ſtatuta quantumvis honeſta, & utilia nec libertati Eccleſ. inimica, nullam vim obligandi perſonas Eccleſiaſticas habent quam diu à ſummo Pontifice, & Eccleſiâ approbata non ſunt *c. 1. 2. 3. & 4. diſt. 10.* Neque enim Imperium ſacerdotio præeſt, ſed ſubeſt, *c. Sollicita. de maioritate, & obed. c. Eccleſia de Conſtit. c. lege diſt. 10.* Quocirca leges in toto *titulo de ſacroſ. Eccl. & Titulo de Epiſc. & cler. tit. de Epiſcop. audientia. Auth. Conſtitutiones. De Sanctiſſ. Epiſc. Reverend. Cler. & Monarchis. de alien. rer. Eccleſ.* ac ſimiles, quatenus Imperatoriæ & civiles ſunt, in foro conſcientiæ clericos non obligant: at verò, quatenus cum iure naturali, divino, aut Canonico conveniunt, adeoque admiſſæ & receptæ ſunt, pari cum aliis neceſſitate obedientiam exigunt. *v. Vaſq. diſp. 164. c. 4. Barb. in c. Eccleſia S. Mariæ in Prætermiſſis, & DD.* quos magno numero allegat §. NOTA. Statutum à ſæculari Principe contra Eccleſiaſticam libertatem conditum Epiſcopus tollere, & illius obſervationem prohibere poteſt: etiam nullo citato. *Felin. in c. S. Mariæ num. 110. Tolet. lib. 1. cap. 37.*

IX. Eorum, quæ à ſummo Pontifice aliiſve Eccleſiæ Prælatis conſtituuntur, pro diverſitate materiæ, ſeu modi aut finis, ſeptem quaſi ſpecies numerantur, ***Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio, Canon, Decretum, & Epiſtola decretalis.*** *Dogma* vocatur conſtitutio Eccleſiaſtica ad fidem pertinens, *c. penult. de Conſecr. diſt. 5. Mandatum* ad diſciplinam pertinet: *Interdictum* ad correctionem præſentium & imminentium malorum. Vnde ab Edicto differt, quod hoc, ut Conſtitutio generalis jubeat aliquid, vel prohibeat inſtar legis univerſalis, nulla pœna adiecta. *c. Non oportet. de Conſecr. d. 4. Sanctio* eſt conſtitutio pœnalis, certâ pœnam tranſgreſſoribus ponens, cuiuſm. eſt in *c. Si quis ſuadente. 17. Q. 4.* Latiùs accepta omnem Conſtitutionem ſive Pontificis, ſive Regis aut Principis ſignificat. *Canon* dicitur Conſtitutio, quæ in Concilio Generali, vel Provinciali promulgatur. Exemplum de Generali habes *in c. Nonnulli de Reſcript. de Provinciali in c. 11. de ſo. comp. Decretum* propriè eſt. quod Papa conſultus cum Cardinalibus aſſenſum præſtantibus ſuper aliquo negotio conficit, & in ſcripturam redigit. Exemplum habes in *c. Etſi membra de his, quæ fiunt, à Prælato* ſine conſenſu Capituli, & *Can. Generali 15. Q. 1.* Deniquè *Epiſtola Decretalis* eſt, quam ſummus Pontifex alicui de certâ re ſedem Apoſtolicam conſulenti ſcripto tranſmittit, ſive ſolus *c. 1. de Reſcrip.* ſive conſilio fratrum. *c. Bona memoria Moguntinenſi. De elect.* Hæc omnia tamen ſæpè non obſervato diſcrimine pro ſe invicem uſurpantur.

Addi præcedentibus poteſt *Motus proprius, Reſponſum SS. Patrum, Præceptum, & Pragmatica ſanctio. Motus proprius* dicitur, cum Pontifex, ſive Princeps nullius interveniente conſilio, aut ſuaſu, vel petitione aliquid conſtituit. *Reſponſum SS. Patrum* eſt dictum ad interpretandum ſeu reſponden-

ſpondendum, & in corpore Iuris clauſum. *Præceptum* à mandato vix diſtinguitur, niſi præceptum ad ſingulares perſonas tantum: mandatum vero etiam ad communitatem pertinere velis. *Decius in C. de mandatis Princ. p. 200. & ſeq.* *Pragmatica ſanctio* appellatur, quod ex conſilio Procerum Imperator ſanxit, & conſtituit. *l. ult. C. de diu. reſcr. & ibi Glo. c. Peruenit diſt.* 100. *Vallenſ. l. 1. T. 2. §. 2. Salas de leg. pag. 5. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 1. Decianus l. 2. c. 30. num. 23.*

§. 3.

De vi, & obligatione Canonum.

I. LEgis virtus eſt, imperare, vetare, permittere, & punire. *c. Omnis lex diſt* 15. quò reducitur translatio dominii. *Vivianus l. 1. Decretat. T. 2.* Verum ut Canon aliquis, vel Eccleſiaſtica lex conſcientiam obliget, legitimâ promulgatione opus eſt. *Ita communiter ſacri, & profani* DD. Et patet ex *c. In iſtis diſt.* 4. *leges inſtituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Idem dicitur in *C. T. de legibus, & Auth. ut factæ nova Conſtitutiones.* Valere nimirum leges, ex quo in communi factæ ſunt manifeſtæ Adeò, ut hæc conditio legis eſſentialis eſſe cenſeatur, nec ulli Magiſtratui liceat aliter ullam ſubditis obligationem imponere. Vnde paſſim excipientibus venia datur, *Non ſcivi. Ignoravi. Dynus in Reg. 13. Iur. in 6. Nav. Prælud. 9. Sayrus l. 3. c. 1. Roder. I. Q. 6. art. 3. Barb. in c. cit. in iſtis. Salas de legibus. q. 95. diſp. 1. Serar. diſp. de leg. num. 54. & ſeq. Vaſq. diſp. 155. Silveſt. q. 6. Soto l. 1. de iuſt. q. 1. art. 4. Valent. diſp. 7. q. 5. pun. 5.*

II. Leges Eccleſiaſticæ non obligant, niſi poſt duos menſes à promulgatione factâ elapſos, niſi aliud expreſſum ſit. Ita jure civili ſancitum eſt in *cit. Auth.* cui non contradicit jus pontificium *ſed Pius IV. in Bullâ pro Conc. Trid.* manifeſtè approbat jus commune, quod iubet leges non obligare ſtatim, ſed poſt certum tempus videlicet duorum menſium, ut eò facilius innoteſcant ſubditis & excuſationem cauſæ amputentur. Neque intereſt, ante terminum illum conſtare aliquibus vel etiam omnibus factam eſſe legis promulgationem, quæ obligatio illius abſolutè ſuſpenſa manet per voluntatem legiſlatoris, donec duorum menſium ſpatium effluxerit. *Antonin. c. 2. de Conſtit. Navar. c. 23. n. 44. Decius, Valentia, Medina Tanner 11. diſ. 5. q. 6. d. 1. num. 3. Leſſ. c. 22. Dub.* 15. qui addit, quamvis promulgata lex ſit, ſi tamen ipſo uſu non recipiatur, nec ſuperior urgeat obſervationem, non obligare. Imò Conciliorum generalium decreta, quæ per decennium obſervata non ſunt, amittere vim ſuam docet *Navar. l. 3. Conſil.* 83.

III. Neque facta Romæ promulgatio ſufficit, ſed in ſingulis provinciis, aut diœceſibus (cùm aliter conſtitutum non eſt) fieri debet. Ita multi DD. *apud Azorium* 11. *l. 5. c. 3. Ex recentioribus Mol. Tract 2. diſp. 395. Barb. l. 3. Votor. Deciſiv. pag. 293. Reginald. l. 13. num. 156. Zypæus Conſultat. 1. de Conſtitut. & l. 1. de iuriſd. Eccleſ. c. 63. Roderic. 1. q. 66. art. 2. Emman. Sa. v. lex n. 8. Nicol. Serarius diſput. de legibus n. 56.* *Ratio* ſufficiens eſt. Iuris Civilis diſpoſitio valet, ubi in jure Canonico nihil defini-

Digitized by Google

definitum reperitur. *Oſtienſ. & alij apud Roderic. l. q. 66. art. 2. Auth. ut facta nova Conſtitutiones.* quam omnes DD. ita intelligunt & agnoſcit *Navar. Conſil. 1. de Conſtitut. q. 4.* dicens opinionem hanc in jure ſcripto fundatam eſſe. *Confirmatur.* Eædem cauſæ, quibus Imperatores permoti ſunt ad prædictam ſanctionem, in ſacris Canonibus locum habent, nimirum 1. ut facilius in omnium notitiam leges deveniant. 2. ne ſubditi turbentur, dum alii legis obſervationem urgent, alii, an promulgata ſit, ignorant. 3. ut eatenus conſulatur locis & provinciis longè diſtantibus, quas alioquin contingit integris annis ignorare jura, quæ in viciniorıbus obſervantur. Nobis certè, qui non adeò remoti ſumus, Pontificum Bullæ quadam non niſi per libros Auctorum, qui Caſus explicant, & iis tantum, qui eos legunt, hactenus innotuerunt. Vnde non paucis dubia, & ſcrupuli enati ſunt, quibus tollendis maximè conducit opinio hæc, non obligare leges & Decreta, niſi in ſingulis provinciis promulgata ſint. Quod etiam de Bullâ Cœnæ Domini, quæ ab Epiſcopis noſtris nunquam promulgatur, dicendum eſt cum *Becano c. 6. q. 8.*

Quod minus mirum videatur conſiderantibus, ne quidem Conc. Trid. Decreta omnia de Refrom. à quibuſdam Epiſcopis Germaniæ recepta eſſe, quemadmodum experientia teſtatur: ut neque in Galliæ regno uſque ad annum 1615. teſte *Gualterio in Chronol. ſuâ pag. 820.* Cauſas enumerat *Thuanus l. 105. hiſtoriar. ad Annum Chriſti 1595.*

IV. Privilegia alicui vel aliquibus conceſſa, facultates, & Indulgentiæ non cenſentur revocatæ aut extinctæ, antequam revocatio illorum innotuit. Hanc eſſe communem opinionem juris utriuſque Doctorum ex *Abb. & Felino tradit Azor. 1. l. 5. c. 3. q 6. At Domin. Soto, & Medina* conſuetudine introductum volunt, ut neceſſaria ſit revocatio privilegiorum (Generalium ſcilicet) in ſingulis diœceſibus, aliàs non cenſeri cum effectu revocata. Vnde ſequitur, particularium privilegiorum revocationem legitimè notificandum illis, qui ea hactenus obtinuerunt.

Ratio. quia in ſpecie natura generis continetur. Cùm ergò legi in genere eſſentialiter conveniat promulgatio, dubitari non poteſt, eandem convenire etiam legibus revocatoriis. Nec alia Pontificum mens, certè non debet eſſe, ne nimium graventur conſcientiæ, & ſubditi, quibus non eſt perſpecta ſatis Præſulum voluntas, perturbantur.

Hinc deducitur (ut pro multis unum exemplum adferam) Confeſſarium, cui data facultas erat, abſolvendi à reſervatis, abſoluturum validè poſt facultatem, inſcio ipſo privatim revocatam. *Bonac. Tom. 2. pag. 92. n. 22. Henriq. l. 7. c. 20. num. 1. Salas de legib. diſp. 12. ſect. 1. Suar. l. 8. de leg. c. ul. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 23. num. 28. Reginald. l. 13. c 16. num. 157. & n. 240. Fill. Tract. 21. c. 11. n. 398. Soto l. 1. de iuſt. q. 1. art. 4. Vaſq. diſp. 156. c. 4. num. 26.*

V. Quemadmodum leges politicæ non obligant, niſi acceptentur, ita nec Eccleſiaſticæ. De politicis manifeſtum eſt ex *Ariſt. l. 2. Polit. c. 6. & l. de quibus. ff. de leg. Ipſa leges nulla alia de cauſa nos tenent quam quod iudicio populi recepta ſunt.* Reſp.

Digitized by Google

tum *c. In iſtis diſt.* 4. *Secundò* voce aut ſcripto. *Bonac. Tomo* 11. *pag.* 13. *n.* 25. *Tertio* per communem obſervationem. *diſt.* 19. *c. In Canonicis.* Sufficit autem maiorem populi, aut ſubditorum partem conſentire juxta *Reg. Iuris* 120. *Refertur ad univerſos, quod publicè fit per maiorem partem. Vbi Decius in §. Refertur. Dynus in Reg.* 29. *de Reg. Iur. in* 6. *Navar. de Conſt. conſil.* 1. *Becanus. c.* 6. *q.* 8. *Azor.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *Salas diſp.* 13. *ſect.* 1. *Diana Par.* 1. *Tract* 10. *Reſol.* 8.

Quid autem Communitatis nomine comprehendatur, in obſcuro eſt, nec hactenus à quoquam ita explicatum dicit *Carbo*, ut omnis omninò dubitatio ceſſet. Comprehendi non remotam, qualis eſt omnium Chriſti fidelium, ſed proximam, puta, regni, vel diœceſis arbitror, ita ut ſi aliquid receptum ſit in Italiâ, Hiſpania & Galliâ (poſito maiorem in illis fidelium partem eſſe) non continuò receptum ſit in Germaniâ: ſed ſi in diœceſi Metropolitanâ maior cleri & populi pars legem aliquam obſervent, non excuſabuntur alii non obſervantes, qui ſeſe maioribus accommodare debent. *Silv. v. lex. q.* 6. *Azor.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *q.* 4. *Layman l.* 1. *Tract.* 4. *c.* 3. *n.* 3. *Suar. l.* 4 *de leg. c.* 16. *Salas de legib. q.* 96. *diſp.* 13. *ſect.* 2.

VII. Idem videtur dicendum de ſtatutis, & Decretis ſummorum Pontificum, quæ ſolos Regulares concernunt, quando non ſunt legitimè promulgata, & acceptata. Quamvis enim Religioſi omnes ſpecialiter obedire teneantur ſummo Pontifici, ut ſupremo Ordinum regularium Generali, quemadmodum pluribus explicat *Rodericus in parte* 1. *q.* 17. *art.* 2. ab eoque compelli poſſint ad acceptandum & obſervandum mandata ſua, ſi tamen ex rationabili cauſa (quod ſuperioribus relinquitur) acceptata non fuerint, ab omnibus videlicet, quando communia omnibus ſunt, aut maiori ac ſaniori parte, ſubditi excuſantur, niſi aliud in ipſa Conſtitutione ſeu decreto expreſſum ſit. Superiori autem cuilibet non tam attendendum eſt, quid aliorum Ordinum Prælati faciant, à quibus fortè Bulla non acceptatur, quam quid Ordinis ſui ſupremus Magiſtratus velit, penes quem eſt, etiam ab aliis neglecta aut reiecta admittere, ac ſuis præſcribere. Quo in eventu tamen magis ex ſpeciali voluntate ſuperiores Religioſi, quàm communi ordinum, quibus impoſitum eſt mandatum, conſenſu obligatio manet. *v. Roder. l. cit.*

VIII. Ex dictis ſequitur, eos, qui inculpabiliter ignorant legem aliquam latam, vel promulgatam, & acceptatam eſſe, in foro conſcientiæ à peccato excuſari, ſi non obſervent. Quamvis enim vulgò non iuris, ſed facti ignorantia excuſare putetur juxta *Reg.* 13. *in* 6. id de foro externo & judiciali, non autem interno accipiendum eſt: Et in noſtro caſu non ſolius iuris, ſed facti quoque ignorantia cernitur: quia promulgari, & acceptari legem ad fieri & factum eſſe refertur.

Idem dices de illis, qui poſt ſufficientem inquiſitionem de obligatione legis dubitant. *c. Cùm in tua, qui matrim. accuſ. paſſ. c. Cognoſcentes de Conſt. Azor.* 1. *l.* 2. *c.* 16. *q.* 1. *& c.* 19. *q.* 12. *Merolla Tomo* 1. *diſp.* 3. *c.* 3. *dub.* 2. *Silv. v. Lex. n.* 7. *Armilla. v.*

Digitized by Google

Ignorantia.n.8. Navar.c.27.num. 141. *Reginald.l.13.num.*162.*Henriq.l.8.c.45.num.*3. *Sanch.l.1.Moral.c.*10.*num.*32. *Suar.v.diſp.* 40.*ſect.*5.*num.*15. *Emm.Sa.v. Dubium num.* 2.*Layman.l.1.Tract.*4.*c.*20, *num.*4.*Bardus Diſcept* 6.*c.*2.*Vallenſ.l.*1. *Decretal. T.* 2. §.3. *Tolet.l.*8.*c.*1.*num.*7.*Filliut.* Tract. 21. *c.* 4. *num.*159 *Eſcobar.Exam.*2 *c.*5 *num.*17.*Barb. in Praetermiſſis ad c. Dubius de heret.* extendens ad ea quæ Fidei ſunt.

§. 4.

De diſpenſatione Canonum.

1. DIfferunt non modicè quatuor hæc. Irritare legem, abrogare illam, interpretari per ἐπιείκειαν, & diſpenſare. Irritare eſt legem, ſeu Notum impedire aut caſſare, ne robur & vim obtineat obligandi. Vt ſi à civibus formatam legem Rex non confirmet, vel approbet. Abrogare legem eſt, poſtquam vim habet, in totum tollere: derogare eam tollere ſecundùm quid, ſeu aliquam partem. Interpretari per ἐπιείκειαν eſt ipſam declarare in tali caſu locum non habere. Diſpenſare eſt quempiam ſubditorum eximere conceſſa illi licentiâ non obſervandi legem, ſed contrarium faciendi. *Soto l* 1. *de iuſt. q.*7. *art.*3. *Azor. l.*5.*c.*15. *Filliut.* Tract.21.*num.*435.*Reginald. l.*13.*c.*19.*n.*186.

Igitur diſpenſationis virtus ſeu effectus eſt, ut licitum efficiat, quod aliàs de jure illicitum eſt. *Gloſſa c. non debet de elect. Geminianus, & Pariſius apud Rodericum* Tomo 1.*q.*22,*art.*1.

2. Poteſtas diſpenſandi duplex eſt, ordinaria, & delegata. Hæc abſolutè conceſſa morte delegantis, & officii amiſſione deſinit: ſecus, ſi ſub conditione detur, *Ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, vel Papæ.* Duplex item eſt modus diſpenſandi, explicitus, qui verbis convenientibus, vel ſcripturâ fit; & tacitus, per aliquod aliud ſignum, ut factum: ut ſi Pontifex alicui excommunicato ſciens beneficium Eccleſiaſticum tribuat. Cenſetur enim ipſo facto tollere impedimentum, diſpenſando in lege communi, quemadmodum *Silveſter* tradit in *V.Diſpenſatio.n.*21.& uberiùs explicatur à *Laymanno l.*1.*Tract.*4. *c.*22.*n.*7. *& ſeq.*

3. Summus Pontifex ordinariâ poteſtate diſpenſare poteſt in omnibus humanis legibus, adeoque in toto Iure Canonico, quamvis ab Apoſtolis immediatè conſtitutum eſſet. *Ita communiter DD. cum Covar. in* 4. *Decret. part.*2.*c.*6.§.9. Nam licet Apoſtolis quoad alias virtutes, & prærogativas cedat, poteſtate tamen æqualis eſt, utpote Vicarius Chriſti. Vnde Ius Eccleſiaſticum totum, cum omnibus impedimentis & caſibus illius arbitrio, & diſpoſitioni ſubiectum eſt. Nec eximendæ ſunt leges civiles, de quibus ad finem ſupernaturalem æquè iudicat, tollendo illas vel corrigendo, ut infra *Tit.*14.§.2. dicetur. Et fatentur hoc illi quoque auctores qui aliàs Concilium generale Papæ anteponunt, teſte *Corduba l.*4.*q.*44.*Moſcon. De maieſt. Eccl. l.*1. *c.* 1. *Fran.Leo in theſau eccl.par.*2.*c.*23.*Sayrus l.*6. *c.*11.*Azor l.l.*5.*c.*15.*q.*4.*Suarez de legib.l.*6. *c.*14.*Carbo l.*7.*c.*13,*Salas q.*97.*Diſp.* 20.*ſect.* 3. *Melch.Can.de locis* Theol. *l.*3.*c.*5.

4. Præterea ſummum Pontificem habere poteſtatem diſpenſandi in omnibus quæ Iuris divini ſunt, exceptis Fidei ar-

dei articulis, cenſet *Panorm. in c. Propoſuit. De conceſſ. præb. e od. num. 20. citans Innoc. in c. Cum ad monaſt. de ſtatu Mon. Idem tradit Felinus in c. Quæ in Eccleſiar. De Conſt. nu. 19. & 20.* quod confirmant illa *Matth. 16. capite. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cælis.* Exempla dantur in Voto, Iuramento, Matrimonio rato, reſidẽtiâ epiſcoporum, Miniſtro confirmationis, conſecratione unius tantùm ſpeciei & ſimilibus. Cõtrarium meliores Theologi docent, *S. Thom. 1. 2dæ q. 67. artic. 4* quem ſequuntur Interpretes illius, &. *Barboſa* cum numeroſo agmine Doctorum. *c. ſunt quidam. 25. q. 1.* qui in allegatis exemplis non agnoſcunt veram diſpenſationem, ſed vel interpretationem aliquã doctrinalem, vel mutationem, aut ſubtractionem materiæ, v.g. debiti in Voto Iuramento, & ſimilibus. *V. Iudicium De privil. Calvin. n. 10* Quod ius gentium attinet, in eo (ſi non toto, ſaltem ex parte Papam diſpenſare poſſe, cum gravis cauſa id ſaudet cum *Molina* docet *Salas q. 97. D. 20. ſect. 3. n. 12.* Quod ius naturale attinet, in eo ne Deus quidem diſpenſare poteſt, quicquid in contrarium recens ſcripſerit *Caramvel* in ſuâ *Theologiâ Morali, Comitolp. De Contract. P. 1. c. 15.* ſecutus iam pridem *Okami*, & aliorum quorundã reprobatam opinionem.

5. Prælati Eccleſiæ inferiores regulariter, & ordinariè non poſſunt diſpenſare in legibus à ſummo Pontifice aut Concilio generali latis. *Clem. ne Romani De elect.* ubi dicitur inferiorem non poſſe tollere legem ſuperioris, intellige abrogando, vel diſpenſando. Idem colligitur ex *c. Inferior. De maior. & obed. c. inferior. Diſt. 21. c. dilectus iun. Glo V Permiſſa. De temp. ordin. Ratio* eſt. Inferior ſuperioris ſui volũtatem irritare vel impedire ſuo nutu, & arbitrio non poteſt. Adde, quod diſpenſatio, Iuriſdictionis actus eſt, qui ſubdito non convenit. *Silv. V. Diſpenſatio nu. 14. & 15. Nav. c. 22 n. 8 Laym. l. 1. Tr. 4 c. 22.*

Contrarium nihilominus docet *Domin. Soto in 4 diſt. 27. q. 1.* à quo omninò diſſentit *Victoria in Relect. De poteſt. Eccleſ. n. 18.* quibus hæc regula placet. *Quicquid Papa in univerſali Eccleſiâ poteſt. unuſquiſque Epiſcopus in ſuâ diœceſi poteſt, quoad diſpẽſandũ, niſi ſpecialiter prohibeatur.* Quod etiam multi Canoniſtæ recipiunt in *c. At ſi Clerici §. de adult. De Iudic.* ut videre eſt apud *Felinum*, & alios. ſed nihil agunt, quamdiu non demonſtrant, æqualem his cum ſuperiore Magiſtratu poteſtatem eſſe. *Rodericus Tom. 1. q. 22. ar. 8.* benè animadvertit, quamvis in lege ipsâ diſpenſandi licentiam non habeãt Prælati inferiores in pœnâ tamen diſpenſare poſſe, modò non ſit reſervata.

Exemplum habes in *c. Nuper de ſen. excom.* ubi communicans cum excommunicato declaratur excommunicatus; cujus abſolutionem quam ſibi conditor canonis non reſervavit, videtur aliis reliquiſſe diſpenſandi poteſtatem.

6. Epiſcopi, & alii Pontifice inferiores prælati in decretis Conciliorum generalium, & ipſius ſummi Pontifici diſpenſare poſſunt in ſequentibus caſibus. *Primò*, quando in ipſis poteſtas conceditur: quod aliquando fit per clauſulam generalem; aliquando in particulari caſu quem lex nominat. *Secundò*, quando de voluntate ſummi Pontificis rationabiliter præſumitur, puta 1, cum materia levis eſt.

Digitized by Google

eſt, vel præceptum non rigoroſum 2. cùm frequenter occurrit neceſſitas 3. cùm lex non eſt vniverſalis, ſed pro certa provinciâ, aut diœceſi. Porrò neceſſitaté adfert paupertas, impotentia adeundi ſedem Apoſtolicam, periculum in morâ animæ ruina, & ſimilia *Navar. c.22. n.85. Laym. lo. cit.*

Fieri etiam poteſt, ut Epiſcopus aliquis legitimè præſcriptâ conſuetudine diſpenſandi facultatem ſibi ac ſucceſſoribus ſuis compararit. *Valent. 1.2. Diſ.7. q.5. pun.9. Laym. l.1. Tract.1. c.22. n.4. Roder. lo. cit. art.9. Salas De leg. Diſp.20. Suar. l.6. de leg. c.14. Silv. V. Diſpenſatio n.14. Franc. Leo in theſau. Eccleſ. Pa.2. c.23 n.42. Piaſecius par. 1. c.1. nu.56. & ſequen. Emm. Sa V. Diſpenſatio*

Quandocunque dubium eſt, an caſus ad ſummum Pontificem ſpectat, diſpenſare Epiſcopum poſſe, cùm ejuſmodi dubia frequenter occurrant, probabile eſt. *Salas d.20 ſect.3. Tanner 11. D.5. q.7. n.25. Em. Sa V. Diſpenſatio n.1.*

7. Diſpēſatio abſque rationabili cauſa à quocunque etiam ſummo Pontifice facta illicita eſt. Ita communiter DD. paucis exceptis. Et colligitur poſt antiquos Canones ex *Conc. Trid. ſeſſ.25. c.18. De reform.* ubi leges. Si urgens, iuſtaque ratio & maior quandoque utilitas poſtulaverint, cum aliquibus diſpenſandū eſſe, id cauſa cognita ac ſumma maturitate erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur.

Valebit tamen diſpenſatio, ſi Papa aut epiſcopus in propria lege diſpenſet, ut Interpretes docent *Felinus, & Decius in c. Quia in Eccleſiarum. De Conſtit. c. ad monaſterium de ſtatu Monach. Sanch l.8. de Matrim. Diſp.17. cum aliis multis.* Quælibet enim lex pendet à voluntate auctoris ſui, quâ ceſſante ceſſat obligatio. Nec ſubditorum eſt anxiè ſcrutari, benè, an malè faciat ſuperior in diſpenſando. *Fillut. Tract. 21. n.440. Vaſq. D.178. c.3. Navar. Prælud. 9. Em. Sa. n.17.*

Quod Regularium Prælatos attinet, *Sayrus l.3. c.10. n.11. & Caramvel. in Reg. S. Bened. n.759.* docet Abbatem in legibus ſuis abſq; cauſa diſpēſare poſſe, nec idcircò ullius, vel minimi peccati reum fieri.

8. Cauſæ diſpenſandi generatim loquendo tres ſunt. *Prima eſt* utilitas communis, vel etiam privata & ſingularis *c. Tali 1. qu.7.* *Secunda* neceſſitas ſimiliter publica aut privata. *c. quoniam ibid.* *Tertia*, pietas. *c. ſi qui. ibid. ca. ipſa pietas. §. verum. 23 q. 4.*

In particulari occurrere innumerabiles caſus poſſunt, qui viri prudentes arbitrio ſubduntur. *Azor. 1. l.5. c.15. q.7. & S. Roder. Tom.1. q.22. art.5. Bonac. Tom.2. pag. 61. Silv. v. diſp nſatio. n.3. Armillanu.13. Sanchez. l.4. Mor. c.25. & l.8. De matrim. Diſp. 19 num.1. Navar. Prælud. 9. n.15. Laym. loco cit. Salas. q.97. D.20. ſect.8. Barb. in cap. ſunt quidam 25. q.1. Tolet. l.8. c.18. Regin. l.13. c.19. n.194.*

Iam quia eædem cauſæ in ſuperioribus aliquando conſpiciuntur, ſecum ipſi diſpenſare poſſunt, iuxta doctrinam S. *Thom. 2.2da q.185 art.8. quem ſequitur Caiet. Silv. & alii.* Non enim hîc diſtinctio perſonæ neceſſaria eſt, quemadmodum in abſolutione à peccatis, & cenſuris, cùm non ſit actus iudicialis. Aliqui tamen ſuadent, ut Confeſſario ſuo diſpenſandi licentiam Prælatus tribuat. *Henriq. l.6. c.4. §.3 Suar. l.6. de leg. c.19. n.15. Fill. Tract. 21. c.11. Salaſ. q.97. diſp.20. ſect.12.*

9. Quia

Digitized by Google

9. Quia ad legitimam diſpenſationem cognitio cauſæ requiritur, ſaltem in Prælatis inferioribus, ſi in ſupplicatione taceatur aliquid, aut falsò narretur, quo cognito ſuperior non diſpenſaret, diſpenſatio invalida eſt, quia involuntaria: niſi in conceſſione addatur clauſula *Motu proprio*. Hæc enim facit 1. ut diſpenſatio cenſeatur magis voluntaria, quàm ſi detur ad inſtantiam poſtulantis. 2. ut non putetur ſurreptitia, quaſi veritas celaretur in petitione, aut eius loco poneretur falſitas. 3. ut nunquam retorqueatur contra eum, cui conceditur. *c. ul. de fil presb. in 6. Bonac. Tom. 2. p. 65. Panorm. in c. Venerabil. Qui fil. ſint legit. Roder. 1. q. 13. art. 17. Comitol. l. 1. q. 104. Navar. c. 27. n. 86.*

Dixi ad legitimam diſpenſationem, requiri cauſæ cognitionem, non vero ad validam. Valebit enim diſpenſatio ſine cognitione cauſſæ impertita. *Salaſ. q. 97. diſp. 20 ſect. 9. Sãch. l. 8. de Matr diſp. 17. n. 11.*

10. Diſpenſatio ſemel validè obtenta, etiam poſt mortem eius, qui conceſſit, perdurat. Nam quia gratia & favor eſt, non concedenti, ſed accipienti, & utenti in eſſe cenſetur, & cum illo vivere. *c. Cum ſuper. de off. de leg. in 6.* Hinc qui, exempli gratiâ ſolutus eſt lege jeiunii quadrageſimalis ab initio, per omne tempus quadrageſimæ ſolutus & exemptus manet, quamvis in primâ hebdomadâ concedens moreretur. *c. ſi cui de prabend. in 6. c. 19. & 20. de off. iud deleg Navar. Conſil. 2. de off. Iud. del. Item Conſil. 1. & 3. de privil. Silv. V. Gratia n. 3. Armilla n 4. Emm. Sa. eod. n. 1. Sayr. l. 7. c. 14. n. 7. Sanc. l. 8. de Matrim. d. 28. Suar. l. 8. de leg. c. 31. Azor. 1. l. 5. c. 23. q 4. Coninck, de Sacram. diſp. 8. d. 10. n. 70. & ſeq.*

11. Ceſſante cauſa diſpenſationis finali, propter quam ſolum facta eſt, negativè tantùm, non continuò ceſſat conceſſa per illam gratia, ut neque in privilegijs contingit. Nam beneficia conceſſa intempeſtivè revocari non debent. *c. un. de commodato. &c. Decet conceſſum. de Reg. Iur. in 6.* Et patet exemplis. *Primò* enim ſi cum paupere clerico diſpenſetur, ut habeat duo beneficia, quamvis paupertas deſinat, retinere poteſt. *Secundò* ſi per diſpenſationem Canonico valde occupato liceat anticipare horarum lectionem, etiamſi negotia defierint, vel non quotidie adſint, anticipare poteſt. *Tertiò*, manet abſolutè facta diſpenſatio voti Caſtitatis ita, ut etiam ſublato illo periculo mulier ſecundò nubere poſſet. Secus ſi ut hoc tempore mos eſt, diſpenſatio cum reſtrictione fiat.

Si autem diſpenſationis cauſa ceſſet etiam contrariè ita ut actus ſubſequens abſque peccato fieri nequeat, ceſſabit etiam beneficium per eam conceſſum. *Exemplum vide.* Propter neceſſitatem monaſterij, & abundantiam Eccleſiæ, huius illi Decimæ conceſſæ ſunt, quas monaſterium dimittere debet, ſi ſua in Eccleſiam tranſierit paupertas.

Item ſi in jeiunio, vel horarum lectione cum aliquo diſpenſatum fuerit propter morbum aliamve impotentiam, eâ ſublatâ reviviſcit obligatio jeiunandi, & legendi horas, quia eiuſmodi obligatio de ſe continua, & perpetua eſt. *Sanch. l. 8. de Matrim. d. 30. n. 14. Suar l. 6. de leg. c. 20. & l. 8. c. 30 Layman. l. 1. Tract. 4. c. 22. n. 16. Coninck de Sacram. diſp. 33. dub. 1. & 2.*

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

De abrogatione Canonum.

I. CUiuſcunque jus ferendi leges competit, mutare eaſdem, vel etjam abrogare poteſt, quando noxiæ, vel minus utiles videntur, exemplo videlicet DEI, qui legem veterem abrogavit. *c. Non debet. de conſ. & aff. unde S. Aug. L. 1. de lib. arb. c. 6.* humanam legem temporalem vocat, quia, licet iuſta ſit, pro rem porum varietate mutari poteſt, ac ſubinde debet, nimirum ab eo, à cuius voluntate pendet. Nam quælibet res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. *c. 1. de Reg. Iur. de quo V. Barbos. in Axiom. 199. n. 8.*

Atque ea poteſtas ſucceſſori quoque convenit, ut qui in omnia jura ſuccedens eandem habere poteſtatem cenſeatur. *c. Cùm innotuit. de elect. l. Qui in Ius. l. aliud. § fin l. Nemo pluſ. ☞. de Reg. Iur. Reg. 46 in 6. Iſ. qui. ubi Dynuſ. & Deciuſ. Tholoſ. l. 47. c. 20. & l. 9. de Rep. c. 1. n. 40. Medina in 1. 2. q. 95. Serarius diſput. de leg. n. 64. Soto l. 1. q. 7. ar. 1. Carbo l. 7. diſp. 10. Eſcobar Exam. 1. c. 11. Vaſq. diſp 178. c. 1 n. 3.*

II. Summus Pontifex non tantùm Canonicas, ſed etiam civiles leges abrogare poteſt, ſi bonis moribus, & animarum ſaluti noxia videantur. Eſt enim à DEO conſtitutus Iudex in iis, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, omnium Iudicum, etiam aliàs non recognoſcentium ſuperiorem *c. Novit. de jud. ubi Abb n 15. & Felinus num. 14. Franc. Leo in theſau. Eccleſ. P. 1. c. 1. num. 13. Barb. in c. Omnes diſt. 22.*

Quamobrem non paucas Imperatorum leges abolitas comperimus apud *Azorium Tom. 1. l. 5. c. .. & Silv. V. lex. n. 10.* Hodieque non deſinit Papa per nuncios ſuos contradicere pactis, & conventionibus, quas Acatholici extorquent cum iniuriâ, & damno Eccleſiæ. Inſuper jubet irrita eſſe Imperatorum, & Regum juramenta, quæ de conſervandâ falſa Religione, dum confirmantur, aut coronantur edere ſolent. *Lymnæus in Comm. de capitul. Imp.* Nec mirû ſiquidem idem illi cum DEO tribunal eſt, unum idemque conſiſtorium, ut *Moſcovius loquitur l. 1. de maieſt. Eccl. per. 1. pag. 26.*

III. Epiſcopi & Prælati ſummo Pontifice inferiores non poſſunt ullum Canonem à Concilio generali, vel Papæ conditum propria authoritate in ſua diœceſi, aut territorio abrogare. Patet ex *§. præced. num. 3. & Clem. Ne Romani de elect. c. Cum inferior. de maior. & obed.* adde, quod contra Canones & Decreta Conciliorum ac Pontificum non licet illis quicquam ſtatuere. *c. Quod ſuper his. de mai. & obed.* ubi ſupponitur, Epiſcopum in diœceſi ſua nihil ſtatuere poſſe, quod Canonicis obviet inſtitutis. Caſus ſpecialis eſt, de quo *Roder. Tom. 1. q. 69. art. 4.* quod ex cauſa urgente, & à conditore Canonis veroſimiliter non præſumpta fieri poſſit ſtatutum contrarium, quod pluribus exemplis declarat. Verum benè conſideranti ſtatim occurrit, eiuſmodi ſtatuta non fieri contra voluntatem ſuperioris, à quo Ius commune habemus: quia merito præſumitur conſenſum addere in illis caſibus, quos ipſe prævidere non potuit. Quod pari jure de illis, quarundam provinciarum, & civitatum legibus,

gibus dicendum eſt, quæ Iuri communi derogare videntur. Cùm enim Magiſtratus ſuperior non contradicat, ſed ſciens volens toleret, approbare præſumitur *V. Iul. Clar. l. 5 q. 86. Azor. To. 1. l. 5. c. 18. q. 11.*

4 Lex ſemel recepta, & uſu comprobata vim obligandi amittit per legem ipſi contrariam, ſive totaliter per abrogationem, ſive partialiter per correctionem, aut reſtrictionem iuxta correctionis, & reſtrictionis qualitatem.

Nam ſuperioris poſterior voluntas priori derogat, etiam nullâ prioris Decreti facta mentione, *c. 1. De conſtit. in 6. Gonzal. ad Reg. 8 Cancell. Spin. in ſpeculo teſtam. Gloß. 30 Laym. l. 1. Tr. 4 c. 21. n. 2. Reginald. l. 13. c. 19. n. 198. Euerb. in loco A coniunctis nu. 7. Barb in c. cit.* Excipe *Decreta Conc. Generalis, quorum expreßè mentio facienda eſt.*

5. Privilegia & conſuetudines particulares perſonarum, ordinum, & locorũ non cenſẽtur abrogari per leges communes, & clauſulas generales legum proprias non obſtantibus, ſed illorum eſt facienda mentio ſpecialis. Ita communiter Theologi, & Canoniſtæ *c. quoniam diſt. 18.* Quemadmodum enim ſupremus Magiſtratus leges communes, & iura præſumitur repoſita in ſcrinio pectoris ſui habere, ita ignorare creditur particularia, deque illis nihil diſponere per terminos generales.

Adde, magnam animorum perturbationem, aliaque non levia incommoda meritò timeri, ſi quæ particulari ſtudio ac favore indulta ſunt, generalibus Decretis aboleantur. Quin etiam nonnulli DD. extendunt ad eas bullas, quibus annexa clauſa eſt. Non-obſtante quocunque privilegio, licet clauſulam habeat, ut de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cuius tenorem pro inſerto hic volumus haberi, poſito, quod in privilegio priori ita ſcriptum foret. Verior tamen, & in praxi tutior eſt contraria opinio, quam benè explicat, *Sanch. lib. 6. Con. c. 9. D. 8 Reg. generi 34. De Reg. Iur. in 6. Silveſt. lex n. 26. Az. Tom. 1. l. 5. c. 16. Q. 2. Bonac. Tom. 11. p. 52. Vaſq. in 1. 2. Diſp 178. c. 1. Salas q. 97. D. 18, ſect. 6 Tanner. lib. 1. Tr. 4. c. 23. n. 27.* qui duas limitationes ſubiungit.

Prima eſt, niſi prius privilegium in corpore iuris contineatur, & propterea cognitum eſſe Principi cenſeatur. *Secunda*, niſi prius privilegium generale ſit, poſterius vero ſpeciale. Tunc enim probabilius eſt priori ex parte derogari iuxta *regulam 34. in. 6. Generi per ſpeciem derogatur. Silv. vide Privilegium Q. 10. diſt. 6. Suar. 1. c. 39. n. 7. & Rubr. in c. 1. de reſcript.* Et videtur deciſum in *c. dudum. §. nos igitur &c. quamvis tibi de præb. in 6. Emman. Sa v. Gratia n 13.*

6. Quando cauſa motiva ſeu finalis ceſſat reſpectu totius communitatis, ceſſat etiam legis obligatio, nec requiritur aliud Magiſtratus decretum, aut declaratio Ita cõmuniter DD. ex *c. 1. de Reg. Iur.* idem de ceſſatione ſeu extinctione obligationis in voto aſſerentes apud *Sanch. l. 4. Moral. c. 2.* ſed ulterius quæritur, an ceſſante cauſa adæquata legis in particulari, verbi gratia reſpectu Titij, aut Caij, ceſſet quoque obligatio illius? Magna pars, & fortè ſanior Theologorum negat apud *Suarium l. 6 De leg. c. 7. Azor. Tom. 1. l. 5. 1. 16. q. 15. Layman. l. 1. Tr. 4. c. 21. numer 3. Adam. Contzen l. 5. Polit. c. 16. Caſtro l. 1*

Digitized by Google

De lege pœn. c.5 docum.3. Medina q.90. art. 2. ad 4. Arragon. 2.2dæ q 67. art. 2. Econtra ſi finis legis adæquatus in aliquo particulari ceſſet negativè, etiam legis obligationem deſinere docet *Caiet. Tom.1. Opuſ. Tr. 1. q.2. Navar. in ſumma c.16. nu.37 Panorm. 1. c. quoniam de probat num. 6. Aribid. in c. vti, nam.* Fundamentum *illorum eſt in Reg. Iur. c. Cum ceſſante. de appellat.* Adde, quod ratio, ſeu cauſa motiva eſt anima legis: illâ igitur ſummotâ, neceſſario perit obligatio illius. Pono ieiunium indici non alia ex cauſa, quam ut carnalis concupiſcentia reprimatur. Huic cauſæ in decrepito ſane nullus locus eſt. Igitur ieiunii præcepto non obligatur. Eadem ratio invenitur in omnibus aliis, ubi propter incommoda quædam vitanda præcipitur aliquid. Nihilominus, ut dixi, melioribus Theologis non placet opinio hæc, negantque finem legis, niſi etiam contrariè ceſſet, non extinguere obligationem, eò, quod ſemper remanet altior quidam finis & generalior, ex quo opus iniunctum redditur bonum, ac meritorium, expediatque privatum quemlibet in eiuſmodi caſibus ſe cōmunitati accommodare, ut fuſiùs exponit *Suar. l.6.7. c.7 num.6. Salas de leg. q.96. Diſ.11. ſect.3. Laym. l. cit. Arragon. l. cit.*

7. Lex in præſumptione fundata poſt compertam veritatem deſinit obligare, ne fictioni maiorem, quàm veritati vim tribuendam quis exiſtimet. *Arg. c. ſuper hoc. De renunc. Abbatis. in c. quia plerique nu.18. de immun. Eccl. Covar. c. cum eſſes n. 9 de teſtam. Navar. c. ita quorundam de Iudæis notabili 10. n.29. Roderic. Tom.1. q.67 ar.3. Laym l.1. Tr. 4 c.21. n.4.* Cenſetur autem in præſumptione fundata lex, quando formale motivum, & intrinſeca obiecti conditio eſt præſumptio alicuius rei: ſive per quam iudici præcipitur, ut in cunctis occaſionibus ex tali præſumptione ſententiam ferat. Exemplum habes *in c. Veniens c. Is qui fidem. de ſponſal.* ubi dicitur, quod ſponſalia de futuro ſecutâ copulâ in matrimonium tranſeant ob iuris præſumptionem, ſponſos coniugali affectu copulatos eſſe. Quo tamen non obſtante, ſi ſponſo certum ſit, alio animo factum eſſe, aliamque matrimonio ſibi iunxerit, hujus, non illius maritus erit *v. Cavar. par. 1. Epitom. Decretal. c.4. §.1. Suar. l 3. de leg. c. 23. n.2. Navar. in c. Ita quorund. de Iud. Laym. lo. cit.*

8. Quod irritationem attinet, quæ fit impediendo legis obligationem, ea fieri poteſt *primò* auctoritate Magiſtratus ſuperioris, à quo inferiorum leges, & ſtatuta pendent. Nam ſi addere conſenſum ſuum, iuſtè vel iniuſtè, nolit, effectu carebit. Hoc pacto Concilii Baſilienſis & Conſtantienſis acta quædam nullius eſſe roboris, & auctoritatis eſſe dicimus, quia ſummus Pontifex à cujus auctoritate Conciliorum generalium actiones pendent, nullum conſenſum tribuit, ſed irrita & inania eſſe declaravit. *Secundò* fieri à populo, ſeu ſubditis poteſt, qui recipere, & ſervare nolunt: ſive iuſta ad id illos ratio, ſive contumacia impellat. Nam quoad effectum irritationis perinde fuerit. Inanis quæcunque lex eſt, quam populus reijcit, & ſervare detrectat. Exemplorum plenæ ſunt gentium hiſtoriæ, præſertim Romanorum, in qua Tribuni plebis contra ſenatum, & Patritios plebē concitabant. *V. Livium, Roſinum l.5. Antiq. Dominic. Floccum l.2. de poteſt. Rom. c.10. Soto l.1. de iuſt. q.7. art.5. Reginald. l.13. num.* 199.

§.6. De

Digitized by Google

§. 6.
De Interpretatione Canonum.

I. INterpretatio duplex eſt, ſimplex ſeu doctrinalis, & authentica. Simplex explicando verba legis obſcuritatem tollit eo fere modo, quo Magiſtri in ſcholis ſolent. *l. un. C. de profeſſ. in Vrbe Conſtant.*

Authentica ſenſum, & mentem legiſlatoris in particulari *&* non præviſo caſu declarat, adeoque legem corrigit. *l. ult. C. de leg.* 1. Et ideò cum ſeq. *ff.* eod. Quod quia nec in lege naturali, nec divina contingit, in illis locum (ſi propriè loquendum ſit) non habet niſi ſimplex interpretatio. In iure humano autem ſolius Principis ſeu legiſlatoris authentica & correctiva interpretatio eſt. *c. ul. C. de legib. Panorm. in c.* 1. *de poſtul. Prælat. Becan. de lege human. c.* 6. *q.* 14. *Laym. l.* 1. *Tr.* 4. *c.* 18. *Everb. in loco à ratione legis n.* 4. *Silv. & Armilla. V. Interpretatio. Carb. de leg. l.* 7 *c.* 12. ubi interpretationem ſimplicem vocat magiſtralem, authenticam verò iudicialem. *Laym. l.* 1. *Tr.* 4. *c.* 18.

2. In legibus tum Eccleſiaſticis, tum civilibus interdum adhibenda eſt interpretatio ſive primi, ſive ſecundi generis. Patet ex *l. Neque leges. l. non poſſunt. l. nulla. ff. de leg. & l. non dubium. C. ead. Ratio.* Occurrunt enim caſus penè innumeri, quos impoſſibile eſt legem prævidere. Nec eadem hodie, quæ olim conveniunt, aut proſunt. *Vnde S. Auguſtinus l.* 1. *de lib. arb. lex temporalis, quamvis iuſta ſit, commutari tamen per tempora iuſtè poteſt. S. Thom. q.* 96. *art.* 6. *Dom. Soto l.* 1. *de iuſt, q.* 7. *art.* 1. *Lud. Carbo l.* 11. *diſp.* 1. *ad Contzen l.* 5. *Politic. c.* 15, *n.* 2. *Filliut. tr.* 21. *n.* 433. *Silv. V. lex n.* 16.

A quibus autem & quomodo facienda interpretatio ſit, præſertim ſecundi generis, ſeu correctiva, nondum expedita dubitatio eſt.

3. Quando evidens eſt hìc & nunc legem non obligare, cuilibet ſubdito licet illam interpretari ex æquitate, & contra legis verba agere. Exemplùm *S. Thom. l. cit.* eſt. Lex iubet obſidionis tempore portas civitatis nemini aperire. Contingit autem cives aliquos ad portam accedere, qui niſi admittantur, in hoſtium manus devenient perituri; aperienda porta eſt, contra quàm lex videatur præcipere.

Alterum *Filliutii eſt tract.* 22. *c. ult. n.* 435. ſi contingat aliquem in die præcepti ieiunii nihil habere aliud, quam carnes, comedendo eas non peccat, nec opus eſt ullâ conſultatione. Quod enim pro charitate inſtitutum eſt, non debet militare contra charitatem. Idem *S. Antonin. Par.* 1. *T.* 17. §. 19 aſſerit, ratione addita. In obſervatione enim legum, maximè attendi debet, & ſervari intentio ferentis legem: de qua ſi conſtet, & contraria ſit ad ſcripturam legis, illi obediendum eſt, omiſſa litera aut ſcriptura. Si autem dubitetur de intentione, ſtandum eſt literæ, ſecundum Archidiaconum. *Valent. Tom.* 11. *diſp.* 7. *q.* 5. *p.* 4. *Sayr. l.* 3. *c.* 10. *n.* 3. *Salas. q.* 97. *diſp.* 21. *ſect.* 10.

4. Quando dubium eſt, idque negativum, ita ut in neutram partem præpôderet ratio aliqua, pro interpretatione ad ſuperiorem recurrendum eſt. iuxta reg. *Pandect.* 96. *In ambiguis orationibus, maximè ſententia ſpectanda eſt eius, qui eas protulit.* Quod in legibus præcipuè neceſſarium, ut Decius monet. Illius enim eſt interpretari legem, cuius eſt condere. *l. fin. C.*

de leg. c. Inter alia. De ſent. excomm. Ideo pro interpretione ſtatuti ad populum, qui fecit ſtatutum, recurritur, ut notat *Bart. in l. omnes populi ff. De iuſt. & iure.* Et hoc in ſubſidium, quando alia interpretatio quæ congrua ſit, haberi nequit: alias ſecus. Nã quando eſt dubium arduum, & inexplicabile ad principem recurritur. ut notat *Abb. in c. 1. de iure calum. & c. Cum venerab. de iudic.* Hinc iudices quoque habent poteſtatem interpretandi leges in præiudic. partium.

Idem quoque in privilegiis locum habet, ut pluribus explicat *Dynus in Reg. 57. in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius &c.*

Quod ſi ad ſuperiorem aditus præcluſus ſit, verba legis attendenda & ſequenda ſunt, ne contrarium eligendo contra conſcientiam putes. *Navar. c. 13. nu. 26. & Prælud. 9. n. 9. Suar. de leg. l. 6. c. 1. n. 7. Filliut. tract. 21. n. 43. Medulla Theol. pract. l. 1. tract. 1. c. 2. Gail. l. 2. Obſeru. 33.*

5. Si ratio in unam partem inclinet, nec adire ſuperiorem liceat, & moram res non patiatur, opinione probabili uti poteris & ſecundum illam operari. Hoc enim & nihil aliud neceſſitas permittit cui omnia ſubiecta ſunt, nec ferias habet *l. 2. §. Deinde quia difficile ff. De orig. iuris. l. Illicitas. §. ult. ff. de off. præſ. l. ſolet etiam ff. de feriis. Leſſ. c. 29. dub. 5. n. 47. Vaſq. in 1. 2. Diſp. 176. c. 3.*

Dixi *opinione probabili uti poſſe*, quod *Barb. in c. Canonum ſtatuta de Conſt.* extendit, ad opinionem probabilem etiam relictâ probabiliore, & tam Iudicis, quàm cuiuſque privati reſpectu. *Gutier. l. 1. c. 13. Arragon. 2. 2. q. 93. art. 4. Salas tract. 8. Diſp. un. ſect. 6. Valent. 1. 2. Diſ. 5. q. 7. pun. 4. Sanchez l. 2. de matrim. Diſp. 41. nu. 30. & l. 3 D. 20. num. 4. Banner 2. 2dæ q. 10. art. 1. Cravet. conſil. 1. 5.*

§ 6. Quando dubium eſt non de lege, ſed legiſlatoris poteſtate, non ipſe, ſed viri docti conſulendi ſunt. Nam ſicut ad legiſlatorem pertinet condere leges, eaſque corrigere, cùm res exigit, ita ad viros doctos pertinet interpretari ipſius poteſtatem, ne relicto ipſi arbitrio, ultra quã oporteat, per ſententiam ſuis rebus commodam vires imperii & iuriſdictionis ſuæ extendere conetur; valeatque illud *In propria cauſa alienus Iudex eſto l. un. c. C. Ne quis in ſua cauſa. c. qualiter & quando de accuſ. Becan de lege huma. c. 6. q. 14. Menoch. l. 1. De arb. q. 76.*

Neque obſtat illud, Prætoris eſt æſtimare, an ſua ſit iuriſdictio *l. ſi quis alien. ff. De iud.* Hoc enim de cauſis & litibus particularibus coram prætore motis intelligitur, ut in 3. *Par. T. 2. §. 3.* latius explicabitur.

7. Facultas interpretandi legem magis amplianda, quam coarctanda eſt per ſe & loquendo, & abſtrahendo à caſibus particularibus. *l. Benignius ff. de leg. c. placuit. C. de iud. c. fin. de tranſact. Reg. 15. Iur. in 6. Odia reſtringi & favores convenit ampliari.* Vicißim, ſi in aliqua diſpoſitione concurrat favor & odium ea cenſenda ſimpliciter eſt favorabilis. *Bald. ad l. 1. qui non poſſ. ad libert. admitti Salas q. 97. D. 20. S. 11.* Et in dubio, non debet odium conſiderari, ſed favor. *Panorm. ad c. In literis de reſt. ſpoliat.* Nec in odioſis admittitur argumentum ſeu conſequentia identitatis.

In multis èconcra fallit, ut *Philippus Francus* multis in caſibus demonſtrat, eumque ſecutus *Pickius*. Quamobrem dixi per

xi per ſe loquendo, & ſummotis caſibus particularibus. Quod ex Regulis mox proponendis manifeſtius fiet.

REGVLÆ

Interpretandi Canones.

PRima. Verba legum, Canonum, & ſtatutorum, & privilegiorum, quoad fieri poteſt, propriè accipienda ſunt. *l.3. §.hac verba vbi.Bart.n.de neg.geſt.l.non aliter.n.de legatis* 111.

Ratio. aliàs nihil erit certum in legibus, cuilibet pro arbitrio ad metaphoras & tropos recurrendi conceſsâ licentiâ: quod in rebus fidem & mores concernentibus præcipuè obſervandum.

Quocirca ſi quis pium legatum reliquerit pro hominibus religioſis, de illis loqui dicemus, non qui religioſam, ideſt, piam vitam agunt, ſed: qui in Religioſo ordine ſub regulari obedientia vivunt.

Item, ſi pater filios ſuos inſtituerit hæredes, non de ſpuriis, ſed ſolis legitimis intelligemus. *Tuſchus in lit. V. Concl.* 91. *Decius in Reg. 6. Iur. non vult hæres eſſe. Dynus in Reg. 63. Iur. in 6. Salas de leg. q 97. diſp 21. ſect. 3. & 13. Carbo l. 11. diſp. 5.* ubi ſimul tradit, unde verborum proprietas deſumi queat, quem conſule.

Limita 1. ſi verba propriè accepta ineptum, aut falſum ſenſum redderent. Tunc enim impropriè acceptioni locus eſt. *Gemin. Conſil.* 122.

Limita 2. in pœnalibus Nam ut evitet pœna, verba non ſumuntur in proprio ſignificata. latè accipiendo vocabulum *Abb. Conſil.* 28.

Limita 3. quandò ſubiecta materia aliud ſuadet. Vt ſi Papa reſervet beneficia ad collationem Epiſcopi pertinentia, intelligitur de beneficiis, quæ Epiſcopus habet in ſua poſſesſione, quamvis alioqui verbum *pertinere*, proprietatem ſignificet. *Calder. Conſil* 244.

Limita 4. ſi diverſa legislatoris mens eſt, idque ſatis conſtat. Hæc enim præcipuè attendenda. *Tuſch. Concl.* 199. *Alex. Conſil.* 22. Et ſufficit, veroſimiliter conſtare. *Laym. l.1. Tr.4.c.18.*

Secunda. Quia legum & privilegiorum procœmia cauſam motivam & finalem continent *l. fin. De hæred. inſtit.* ex illis colligi legislatoris intentio poterit, quemadmodum ex præfationibus probatur intentio contrahentium. *c. ſecundo quæſiuiſti. de voto Barb. l. 2. Vot. deciſ. Voto* 47. *n.* 69. Idẽ colligi poteſt ex literis ſupplicantium: quia concedens præſumitur ſe conformare intentioni ſupplicantium. *c. Inter dilectos. de fid. inſtrum. Salas q. 97. diſp. 21. ſect. 3. Sanchez l. 2. De matrim. diſp. 37. n. 3.*

Tertia. Canonum & privilegiorum verba intelligi debent ſecundum id, ad quod principaliter proferuntur. *c. final. de verb. ſign. nam actus agentium non operantur ultra intentionem agentium*, ut DD. paſſim agnoſcunt. Et per eam veritatem *Rodericus* teſte doctiſſimi quidam Theologi defendunt, *Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 7.* non definire, quòd iuſtificemur per habitus ſupernaturales nobis infuſos, docendo, iuſtificari per gratiam, & charitatem à ſpiritu ſancto diffuſam in cordibus noſtris: cùm illa verba non ponantur ad hoc definiendum ſed principaliter ad definiendum adverſus Lutherum, nos non iuſtificari ab extrinſeco per meram non imputationem. *Roderic. tom. 1. q. 11, art. 6. V. Azor. tom. 1 l. 9 c. 3 q. 3. Suar. l. 6 De Gratia c. 8 6. n. 4.*

Digitized by Google

Quarta. Vna ſententia non tantum per aliam eiuſdem partem, ſed etiam per alias ab ea planè diverſas declarari poteſt. *S. Aug. l. 3. de doctr. Chriſt. c. 26 Cum verba ſcripturæ (legis aut decreti) apertius in uno loco ponuntur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris. Et Bald. in c: ſecundò requiris. de appell.* Per media declarantur extrema, & per unum extremum declaratur aliud. *Salas l. cit.*

Quinta, Legiſlatoris voluntatem licet ex veroſimili colligere. *l. Non eſt veroſimile. ff. de eo quod metus cauſa.* Nam qui à veroſimili arguit à ratione arguit, teſte *Eberh. in loco à Veroſimili.* Quod procedit, niſi contra veriſimilitudinem allegetur, & probetur tale aliquid, per quod eiuſmodi præſumptio veriſimilitudinis tollatur. Nam ubi duæ præſumptiones concurrunt, quarum una non præponderat alteri, ſe mutuo confundunt, ubi verò altera eſt fortior, tollit debiliorem *c. tranſmiſſæ. Qui fil. ſint legit.*

Sexta. Conſiderandum diligenter, an leges & decreta favorabilia ſint, an potius odioſa. Hæc enim reſtringenda ſunt, illa verò amplianda. *Reg. 15. Iur. in 6. Reg. 28. eod. l. 3. ff. de conſt. Princ.* Ratio ſumitur ex æquitate rei, conſideratâ utriuſque diverſitate. *Nav. c. 12. n. 19. & l. 5. Conſil. 13. Azor. 1. l. 5. c. 12. q. 2. Suar. l. 8. c. 27.* Quæ verò privilegia odioſa, quæque favorabilia ſint, accuratè Salas proſequitur *diſp. 17. ſect. 6.*

Hinc ſequitur ſtatuta & privilegia Religioſorum non ſecundum apices Iuris, ſed ex æquo & bono interpretanda eſſe; dubia verò in mitiorem partem flectanda. *Decius in Reg. 90. Roderic. 1. q. 11. art. 6.*

Septima. Omnis interpretatio ſic facienda eſt, ut Canon, aut lex non reddatur inutilis. *l. Non dubium. C. de legibus. c. In his. de privil.* Aliter qui faciunt, à mente legiſlatoris aberrant, cuius in omnibus potiſſimam eſſe rationem habendam, omnes clamant. Quod etiam in contractibus locum habere *ex Reg. Iur. 132.* patet ubi *Decius* notat, ut actus valeat, interdum verba impropriè accipienda eſſe. *l. ſi tibi ff. ſi certum petatur. c. ſi ſententia. de ſent. excom. v. Gaill. l. 2. obſ. 132. Card. Tuſchus. Concl. 99.*

Octava. Verba ſecundùm materiam ſubjectam accipienda, & accommodanda ſunt. *c. Intelligentia. de verb. ſignif. c. conſtitutus. de relig. dom. Decius in Reg. Quoties. 67. Tuſchus Concl. 95. & 96.*

Hinc 1. quamvis verba univerſalia ſint, pro naturâ rei, ut particularia ſumentur. *l. lex. Conſil 60.* ſi pluralia, quaſi ſingularia reſtringes. 2. in dubio an loquantur de præterito an futuro, res ſignificata determinabit. Nam promiſſio futurum, ſolutio præſens tempus requirit. 3. Cùm verbum *dare* aliquando tranſlationem dominii, aliquando ſolum uſum vel poſſeſſionem ſignificet: in venditione prius, in locatione poſterius appellabit. Idem de verbo *debitum*; & ſimilibus dicendum eſt. *v. Tuſchum l. cit.*

Nona. In pœnalibus legibus argumentum à ſimili non admittitur. Non ſunt enim exaſperandæ leges ſed mitigandæ. Nec proprium caſum excedere debent. *c. In pœnis. de Reg. Iur. in 6. ubi Dynus. & Barboſa. Decius in Reg. In contrahendâ. 132. Caſtro de lege pœn. l. 1. c. 17. Carbo l. 8. diſp. 10. Reginald. l. 13. c. 25. n. 263. Gaill. l. 2. Obſ. 138. num. 9.* ob eandem cauſa verba quæ poſ-

ſunt

Digitized by Google

ſunt importune delictum, & non delictum, ſic interpretamur, ut delictum excludant. *Crave. Conſil* 205.

Item, in odioſis verba non comprehendunt caſum improprium *Abb. Conſil* 111. Item verba determinata ad certum tempus, non comprehendunt aliud tempus. *Bald. Conſil.* 339.

In illis quæ animæ periculum minantur, durior eligenda interpretatio eſt. *Gloſſ. in c. 1. de ſcrutin. in ordin. fac. Franc. Marcus Par. 1. q.* 380.

Decima. Pontifex in Reſcriptis ſuis cum ratione, & Iure communi, quam fieri poteſt, proximè præſumitur convenire *c. Cum dilecta de confirm. & ibi Barb n.* 25. *Bald. in l. Ex facto. ff. de vulg. & pupil. inſt. Peckius in Reg.* 8. *Iur. in* 6. *Quæ à iure.* Nam correctio legum odioſa eſt, & quæ à jure communi deviant, aut contraria ſunt, reſtringere oportet. *l. In honorariis. ff. de act. & oblig.* Exemplum Dyni eſt. Impetravit illegitimè natus, ut non obſtante tali defectu valeat promoveri ad beneficium, etiamſi curam habeat animarum, non niſi ad beneficium ſimplex promoveri poterit. *v. Salaſ. q.* 97. *diſ.* 20. *ſect.* 10. *Sanch. l.* 8. *de Matrim. d.* 1. *n.* 3.

Vndecima. Statuta, quibus alicui conſuetudini vel privilegio derogatur, quia ad Ius commune propius accedunt, latiſſimam interpretationem admittunt. *l. Si unus. ff. de pactis. Glo. v. Numerandum in c. Statutum de præbend. in* 6. *Barb. in c. Porro. de privil.*

E contra ſtatuta correctoria legum ſtrictè interpretanda ſunt, ut quam minimum derogent. *l. ſi quando.* C. *de offic. teſtam. Alex. Conſ.* 107. *Tuſchus Concluſ.* 607. ubi multis ampliationibus illuſtrat.

Duodecima. Summatim loquendo pro interpretatione legum, Canonum, ſtatutorum, & privilegiorum benè inſtituendâ ad quatuor hæc capita reſpiciendum eſt, verba legis, mentem legiſlatoris, finem, & circumſtantias. Verborum ſignificatio & proprietas ex primævâ inſtitutione, & recepto uſu pendet. Alia eſt naturalis, alia civilis. Naturalis eſt, quam ex prima inſtitutione habent. Civilis fictione conſtat ſecundum quam exempli gratiâ, profeſſus in aliqua Religione approbata mortuus dicitur.

Mens legiſlatoris anima legum cenſetur, & verbis præfertur. *c. Humana aures* 22. *q.* 5. Finis ſeu ratio motiva ex prologuio Reſcriptorum, ex materiâ ſubiectâ adiunctis, & circumſtantiis quæ accuratè examinanda ſunt, colligitur. quemadmodum ex § *ſequ* manifeſtius apparebit.

Denique conſuetudo optima legum interpres eſt. *l. ſi interpretatione. ff. de leg. l. in obſcuris. ff. de Reg. Iur. Salas. q.* 97. *diſp.* 21. *ſect.* 3. Quid autem faciendum ſit in ambiguis, & obſcuris teſtamentorum, Contractuum, judiciorum, & ſimilium accurate tradit *Silveſter v. Interpretatio. num.* 5.

§. 7.

De extenſione Canonum.

INterpretatione fit, ut leges aliquando contrahantur, & reſtringantur, aliquando verò ultra verborum formam extendantur, & plura comprehendant, quàm prima fronte appareat. Quomodo id contingat, ex ſequentibus intellige, & prioribus elucidandis adjunge.

I. Lex

I. Lex, ſive Canon, qui favorem continet, extendi poteſt, & debet, ad omnem proprietatem verborum, non ſolum naturalem, ſed etiam civilem, hoc eſt, eam, quam habet ex primævâ inſtitutione ſua & uſu iuriſperitorum, ut apparet in voce *Mortis*, quæ propter communem ſignificationem interitus, denotat quoque profeſſionem regularem. Ita communiter utriuſque Iuris DD. ex receptâ *Reg. in ff. l. Non aliter de legatis* III. *Decius Reg. In contrahenda.* 132.

Exempla vide. 1. Loquitur aliqua lex in favorem filiorum, intelligi poteſt de adoptivis. 2. loquitur in favorem legitimorum, extendi poteſt ad legitimatos. 3. loquitur de ingenuis, nihil vetat accipere de illis quoque, qui aliquando ſervi fuerunt. *Bald. & alii apud Menoch. l. 4. de præſumpt. 89. Bartol. in l. ſi is, qui pro empto ff. nu. 30. Auth. Guill. mod. natur. efficiant ſui.*

II. Extenſio legis ultra proprietatem verborum facienda non eſt, niſi ſecutura putetur iniuſtitia aliqua vel abſurditas. *Navar. c. 27. n. 51. Gloſſ. in c. 2. de uſur. in 6. Abb. Decius, & alii*, qui probant *ex l. ſcire etiam. § aliud. ff. de excuſ. tutor. vel intra centum milliaria.* quod extenditur, ut etiam intra quater centum milliaria locum habeat. *Item ex l. Nam abſurdum. ff. de bonis libert. & l ſi ſtipulatio. de operis libert. Abb in c. 1. de Conſtit. n. 14. Felinus in c. Translato. eod. Covar. l. 3. var. c. 5. num. 9. Navar. c. 27. num. 51.*

III. Nulla lex quoad obligationem conſcientiæ extendi debet ad caſum non comprehenſum ſub ſignificatione verborum, propter ſolam paritatem rationis. Quod enim in verbis legis non continetur, in voluntate legislatoris non fuiſſe præſumitur, ideoque non poteſt obligare. Quocirca non ſequitur, qui pecuniam ſurripit alteri, ſuſpendium meretur, quia privando innoxium hominem bonis temporalibus contra iuſtitiam peccat. Ergo etiam, qui tractatione aut falſa accuſatione bono nomine privat. *Item.* Qui ſuadente diabolo clericum percuſſit, excommunicatus eſt. Ergo etiam, qui contumelia, aut calumnia affecerit. *Eberh. in Loco à ratione legis larga. n. 74. Imola. Gemm. Silv. apud Suarez. l. 6. de leg. c. 3. n 9. & ſeq.*

Ita in foro conſcientiæ procedimus: in externo ſubinde aliter fiet, & caſus non expreſſus expreſſo ſimilis iudicabitur. *V. Tiraquell. de Retractu conſangu. § 2. Decium in Reg. Pandect. 1.*

IV. Ad ea, quæ ſub verbis legum expreſſe non continentur, extendi poteſt diſpoſitio, quando omnimoda identitas eſt. Colligitur ex omnibus illis, quæ ſuadent, legislatoris mentem, ac voluntatem verbis præferendam eſſe. *c. Humanæ aures. 22. q. 5. l. non oportet. ff. ad exhibendum. & alia apud Vaſquium l. 1. illuſtrium controverſ. c. 30. Dynum in Reg. Certum eſt.* Decium in Reg. In contrahendâ venditione. *Salas q. 97. d. 21. ſect. 13.* Hinc *c. ſi poſtquam. § ſi verò. de elect. in 6.* lex præcipiens alicui, ut ad curiam veniat, cenſetur etiam præcipere, ut in eâ maneat, donec finita lis ſit. Item *c. Quia in inſulis. de Regular.* ſtatuitur, ut ante annum octavum decimum non admittantur monachi, intelligendum eſt de omnibus, qui inſulas inhabitant, propter eandem rationem in textu allegatam, quòd in eiuſmodi locis durior habitatio ſit. Hanc eſſe mentem

literæ

Digitized by Google

literæ Rubrica indicat. Neque enim verbis inhærendum ita, ut mentem legis perdamus *l. Non dubium. C. de leg. l. Scire. l. Contra. ff. eod. Salas q. 97. d. 21. ſect. 5.*

V. Colligitur autem legiſlatoris mens 1. ex eo, quòd præcipitur: illi enim potiſſimè accommodanda verba ſunt. ſic in *c. Inter corporalia. De translat. Epiſc.* exponitur, eccleſiam dici viduatam, licet habeat epiſcopum, ſed non conſecratum, vel inutilem. Item *in l. ſi verò. ff. Locati* verbum *donationis* per verbum tranſactionis declaratur materiâ ſic exigente. 2. ex fine legum intrinſeco, qui debet eſſe rationi conformis, & æquitati. Quod quia ſubinde in verbis non apparet, ad mentem, & voluntatem auctoris recurrendum eſt. 3. ex comparatione aliorum iurium, vel conſonantium, vel repugnantium. Denique ex motivis extrinſecis, & circumſtantiis temporum, locorum, neceſſitatis, poſtulationis, & ſimilibus. *v. Suar. l. 6 de leg. c. 1 num. 7 & ſeq. Silv. v. Interpretatio n. 6 Eberb. in Lo. A ratione legis. Larga. Laym. l. 1 Tract. 4. c. 18.*

§. 8.

De lege Pœnali.

I. LEgem pœnalem voco, non quacunque gravis & odioſa eſt, ſed quæ ex voluntate doctoris ſui pœnam annexam habet transgreſſoribus ſubeundam: qualis eſt hæc 12. Tabular. *ut ſi Iudex arbiterve jure datus pecuniam ob rem iudicandam accepiſſet, capite pœnas lueret.* Et illa. *Ut qui falſum teſtimonium dixiſſet, è ſaxo Tarpeio deiiceretur.* Item, *qui iniuriam alteri faxit, 25. æris pœnæ ſunto.* ſed quia non omnes eiuſdem generis ſunt, ſed aliæ civiles, aliæ eccleſiaſticæ; de his omninò certum eſt, aliquando ad culpam obligare, vel etiam ſupponere, puta, quæ ſub excommunicatione, aut ſuſpenſione incurrendâ feruntur; de illis Auctores diſſentiunt, an ſemper obligent conſcientiam, ita ut tranſgrediens præter pœnam etiam peccati reus fiat: *Azor 1 l. 6 c. 6 Diana par. 1 Tract. 10. Reſol. 17 Caſtro l. 1 de lege pœn. c. 8 Suar. de leg. l. 5. c. 3. Becanus c. 7. q. 2. Regin. l. 13. c. 26. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 15. num. 5.*

II. Probabile eſt, leges civiles, quæ ſub pœnâ præcipiunt, in dubio non obligare conſcientiam. Ita ex antiquis *Iaſon in L. 2. C. de iure Emphyt. n. 143 Lud. Gomez in c. 2 de Conſtit. in 6 n. 60. Imola in c. 2 de maior. & obed. Decius in c. Nam concupiſcentiam. lect. 1 Gerſon de vita Spirit. lect. 4 & alii apud Sanchez. l 6 Moral. c. 4 nu. 57. præcipuè Navar. c. 23 num. 55.* qui pro ratione adfert, *Primò*, convenit & humanæ leges ad peccatum mortale obligantes paucæ ſint, ne conſcientia gravetur, ſcrupuli augeantur, & timores. *Secundò*, multi DD. in quibus *Imola, Felinus, & Caietanus* tenuerunt, nullas leges, quamvis temporalem pœnam non ſtatuant, quatenus humanæ ſunt, ad peccatum mortale obligare, ſi ſcandalum, & contemptus abſit. *Tertiò*, quia ex duobus oppoſitis qui affirmat unum, alterum negare videtur: legiſlator itaque, qui ad æternam, & temporalem pœnam obligare poteſt, hanc irrogando illam videtur excludere. *Denique* conſuetudo antiqua non aliter interpretata eſt leges ſæculares, de quarum tranſgreſſione non ſolet ſcrupulus conſcientiæ doctis, vel indoctis fieri; nec confeſſarii,

aut cuiuſvis alterius ordinis homines aliter ſentiunt, quàm non peccari graviter, niſi cum humanâ lege ſimul divina violetur. Hanc Navarri opinionem præclarè tuetur, & corroborat *Ferdinandus Vaſquius l.2. Controvers illuſt. c.19.*

Quocirca minimè audiendus eſt *Soto, qui loc cit.* opinionem hanc vulgi errorem vocat, cùm ſit doctorum virorum, & probabilis etiam illorum judicio, qui priorem præferunt, & fatentur aliquas leges dari, quæ ad nullam culpam, ſed ſolam pœnam obligent, quod exempla Ordinum Religioſorum probant. *Salas lo. cit. Barn q.62 a.3. Suarez. l.5 c.4.*

Multi nihilominus improbabilem, aliqui ſimul periculoſam eſſe exiſtimant. *Soto l.1 q.6 ar.5 Carbo l.7 diſp. 5 & alii relati apud Dianam Tract. 10. de leg. Reſol.17. Villalobos in Sum Tom. 1. Tract.2 de 22 art. 18 Nicodem. de Florentia. ſpecul. Confeſſor. c.53 Miranda in Manuali Prelat. Tom.1 1 q. 25 art.18 Reginald. in Praxi l.15 c.6 ſect.5 Valentia 11 q.5 pun.6 Azor. 1 l.5. c. 6 q.4 Filliut; Tract. 21 c.11 num.420 Tanner. 11 diſ. 5. q.6 n.59 Salas de leg. q.96 ſect.5.*

III. Tria ſunt pœnarum genera, quæ legibus decerni ſolent. *Primum* earum, quæ nullam actionem rei, aut Iudicis requirunt, ut privatio beneficii, depoſitio, excommunicatio, irregularitas. *Secundum* illarum, in quibus actio, & paſſio miſcetur, cuiuſmodi eſt ſui ipſius flagellatio, exilium, & ſimilia. *Tertium* illarum, in quibus paſſio eſt delinquentis, exequentis verò actio, ut contingit in mutilatione, ſuſpendio, & ſimilibus. Nunc quæſtio eſt, 1. quando ad pœnam lex, aut Canon obliget? 2. quando obliget ad pœnam ultroneam, ante, vel poſt condemnationem aut declarationẽ Iudicis? *Oſtiens. l.5 Rubr. de pœn: Silv. v. Pœna. n.1 Tholos. l.31 c.3 Suar. l.5. de legib. c.5.* Reſolutio hæc eſt,

IV. Lex pœnalis non obligat ad pœnam ante ſententiam Iudicis in his tribus caſibus. *Primò*, cum verba futuri temporis ſint: *Excommunicetur, ſuſpendatur*, & ſimilia. *Secundò*, cùm minantur pœnam, dicendo; *ex cauſſa*. Sub pœna dupli, quadrupli. *Tertiò*, cùm loquuntur per modum imperativi, anceps ſermo eſt, & judicandum ex materiâ, circa quam mandatur aliquid: Nam ſi per alium exercenda actio ſit, puta, *Privetur, Deponatur*; ſententia Iudicis requiritur: ſi autem fuerit effectus aliquis, quem legiſlator per legem ſuam efficere poſſit, ſæpè ante omnem Iudicis ſententiam obligabit: v.g: *ſubiaceat, incurrat*, & ſimilia. Huius generis eſt privatio beneficii, inhabilitas &c. *Azor. 1 l. 5 c.7 q. 4 & c. 9 Reginald. l.13 c.26 n.276 Navar. c.23 num. 66 & ſeq. Filliut. Tract. 11 c.1 n.21 Bannez de iuſt. q.62 ar.3 con. 4.*

V. Leges Eccleſiaſticæ, quæ propter culpam *ipſo facto* privant aliquem omni titulo, aut dominio officii, vel beneficii, ſtatim obligant in conſcientia, nec e pectanda eſt ſententia condemnatoria, vel declaratio Iudicis. *c. Licet Canon. 14 de elect. in 6 c. Cupientes. eod. Extrav. Ambitioſæ. de reb. Eccl. non alien. Azor. 1 l.5 c.6 & 7 Suarez l.5 de leg. c.5 n.8 Roder. Tom.1 q.6 art.16 Laym. l.1 Tract.4 c.15.* Quod vel ex eo colligitur, quia eiuſmodi pœna poſt condemnationem Iudicis retro trahitur ad diem commiſſi criminis, puta, in confiſcatio-

cationе bonorum propter hæreſin impoſita *c. ſecundum leges. de haret. in 6 Bern. Diaz. c. 115.*

Contrarium multi docent apud Barboſam relatii in *in c. Qua in Eccleſiarum. de Conſtitut.* Quam opinionem præclarè *Leßius* explicat. *c. 29 dub.* 8. addens clauſulam, *abſque alia declaratione*, quando legi coniungitur, intelligendam eſſe de declaratione, quâ declaretur, pœnam incuſſam eſſe, non autem, qua declaretur crimen commiſſum eſſe. Quæ expoſitio ut ut videatur excogitata, & violenta, ipſo tamen uſu confirmatur. Ita enim ſunt receptæ eiuſmodi leges, ut ante declarationem criminis poſſeſſores non teneantur reſignare officium, aut beneficium. Imò uſus habet, ut niſi executio fiat per ſententiam, ita, ut per eam non ſolùm declaretur crimen, ſed etiam reus privetur beneficio, vel officio, non cenſeatur omninò privatus. Vnde leges illæ quæ ſtatuunt, ut beneficium ipſo iure vacet in *Extrav. Ambitioſa. de reb. eccl. non alien.* non videntur receptæ in illo rigore, ut ſponté teneatur ſe reus ſpoliare. *Ita ex Cavar. Leß. lo. cit.*

Si quæras, quam ergo vim habeant leges, & Canones, quæ ipſo jure, vel de facto privatos officio, vel beneficio denunciant? Reſpondet, efficere, ut poſſeſſor ſtatim amittat titulum, nec amplius ſit dominus beneficii, retinere tamen poſſeſſionem, qua privari nequeat, niſi cauſa cognita. ut *Glo. docet in c. Licet epiſcopus. 28. de prabend. in 6 & contra Alſ. à caſtro latius explicat Azor* Tom. 1. *l. 5 c. 75. Verùm contra. Fill.* Tract. 21 *n. 423. VVadingus diſp.* 8. *d.* 2 §. 3.

Multùm diverſa ratio eſt cenſurarum Eccleſiaſticarum, excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & Irregularitatis quia ſecum trahunt executionem, abſque omni cooperatione rei, privando illum bonis, quibus ſe indignum fecit. *c. Paſtoralis de appell. Navar. l. 5 Conſil. 2 de raptor. Suar. V. diſp. 6 ſect. 1 & 2 Item diſp. 15 ſect. 2 Tolet. l. 1 c. 11 n. 11 & ſeq. Em. Sa. v. Pœnan. 1. Et uberius tradetur in Par. 3 tit. Eſcobar. Tr. 1 Exam. 1 c. 6.*

VI. Damnatus ad corporalem pœnam, mortis v. g. aut mutilationis membrorum, non tenetur illam per ſe ipſe exequi: ſed eas tantùm, quæ ſine crudelitate fiunt. *Caiet. 2. 2. q. 62 art. 3 Soto l. 1 de iuſtit. q. 6 ar. 6 Roder. Tom. 1 q. 6 ar. 16 Carbo. l. 8 de leg. diſp. 9.*

Neque enim permiſſum eſt cuiquam, ſibi ipſi vitam adimere; neque humanitas patitur, ut à Iudice executoris vices reo committantur. In aliis verò pœnis, cuiuſmodi eſt moderata ſuiipſius flagellatio, exilium, & ſimilia, uſus obtinuit, ut abſque alterius miniſterio, & cooperatione exerceantur. Idem & multò magis de pecuniariâ pœnâ dicendum, quando iuſtè exigitur. *Covar. in Epit. par. 2 c. 6 §. 8 Azor 1 l. 5 c. 18 q. 6 Navar. c. 23 n. 66 Laym. l. 1* Tract. 4 *c. 15 Reginald. l. 13 num. 276 Card. Tuſchus lit. P. Concl. 236 & 238 Caſtro. l. 2 de lege pœn. c. 8. & 9. Sanchez. l. 2 Moral. c. 22 num. 7 Bannez. de iuſt. q. 69 ar. 4.*

VII. Quando lex cum additione pœnæ prohibet actum, qui nihilominus validè fieri poteſt, ſi invalidè fiat, non debetur pœna. *Exempli gratia.* Prohibita Titio eſt venditio agri vel domus, addita pœna, ſi vendat illam Titius: contractu quacunque ex cauſa irrito non incurrit

pœnam: quoniam eiuſmodi leges reſpiciunt ſubſtantiam actus, & propterea pœnam ſtatuunt. Sublatâ igitur ipſius ſubſtantiâ, & valore reliqua concidunt. *Limita* niſi lex non iuris effectum, ſed factum tantummodò, & animum operantis reſpiciat. Tunc enim pœna incurritur etiam ex invalido actu. Pari modo. Si Sacerdos excommunicatus, quamvis invalidè abſoluat aliquem irregularitatem contrahit, quia Eccleſiæ mens eſt, Irregularem fieri, quicunque in excommunicatione adminiſtrat aliquod Sacramentum. *Gloß. l. Quid ergò.* 13 §. *Cum autem. ff. de his, qui not. infam. Avila de Cenſuris. Par. 7 diſp 9 ſect. 2 dub. 3 Sanchez l. 3 de Matrim diſp. & l. 5 Moral. c. 4 n. 10 Suar. l. 5 de legib. c. 20 & Tom. V: diſp. 11. ſect. 2 nu, 12 & ſect. 3 n. 1 Toletus l. 1 c. 72.*

VIII. Quando lex eccleſiaſtica actum aliquem irritat, & transgreſſori pœnam irrogat, illam transgrediens incurrit, etiamſi actus irritus fuerit. Sic in *Conc. Trid. Seſſ. 14 c. 1.* Matrimonium clandeſtinum irritatur, addita pœnâ arbitrariâ à Iudice infligendâ omnibus illis, qui auſi fuerint contrahere. Similiter *in l. 1 C. de ſepulcr. violatoribus.* dicitur, eum, qui rem ſacram vendit, quamvis venditio non ſubſiſtat, læſæ religionis crimen incurrere. *Ratio eſt*, quoniam id genus pœna non irrogatur propter invaliditatem actus, ſed propter inobedientiam; & transgreſſionem ſubditi, qui idcircò reatum pœna contrahit, quandocunque legem temerè violat, *Suar. l. 5 de leg. c. 34 n. 6.*

IX. Dubium eſt, an quæcunque lex actum irritat, in conſcientia obliget ad non faciendum illum? Non obligare ſemper, exempla quædam docent, Nam 1 venditio fundi dotalis ab uxore factæ etiam conſentiente marito, invalida eſt, non tamen prohibita eatenus, ut conſcientiam liget. *Tholos. l. 9 Syntagm. c. 22 Mol. diſp 428.* 2. Irrita cenſetur renunciatio paternæ hæreditatis, quam filia, cùm nuptui datur, facit, quæ tamen renunciando nihil peccat, cùm cedere jure ſuo poſſit. *l. pactum dotat. C. de collat. Mynſin. Conſ. 10.* Vnde colligitur eiuſmodi leges propterea non obligare conſcientiam, quia legislatoris mens eſt, non imponere onus, ſed conferre beneficium illis, qui minus conſultò alienant bona ſua, quibus uti frui melius foret. *Laym. l. 1. Tract. 4 c. 16 Salas. q. 96 d. 15 ſect. 6.*

X. Quæritur etiam, an unquam lex civilis, vel eccleſiaſtica cum periculo vitæ amittendæ obliget? Communi ſenſu aſſerunt DD. obligare cum periculo vitæ in duobus caſibus. *Primò*, quando periculum intrinſecè connexum eſt legi, ut ſi mœnia tranſcendere vel pugnam ineundam militibus dux præcipiat. *Secundò*, cùm ab extrinſeco provenit, exempli gratiâ, ab hoſte, qui mortem minatur, niſi in contemptum Dei, aut Religionis violes ſabbatum. In his, & ſi qui ſimiles evenire caſus poſſunt, bonum commune privato anteferendum, & mors præeligenda potius eſt, quàm Deus & Religio violanda. Aliàs exiſtimandum non eſt, magis obligare leges humanas, quàm divinas, & naturales quarum multæ cum tanto incommodo non obligant. *Innoc. Panorm. in c. ſacris, de his, quæ vi metuſue cau. S. Tho. quod l. 11 art. 9. ad 3. Gabr. in 4. diſt. 18 q. 3 art. 3 dub. 4 Maior diſt. 14 q. 4 Dom. Soto l. 1 de iuſt. q. 6. art. 4 Greg. de Valent. q. 5 pun. 6 Medina. q. 96.*

Digitized by Google

q. 56. ar. 4. *Silv. v. Metus Azor* 1. l. 5. c. 11. q. 2. *Vaſq. diſp.* 161 c. 2 *Suarez* l 3 c. 30 *Carbo l.* 7 *Diſp.* 6 *Tanner. in* 1. 2 *Diſp.* 5 q. 6. *Roderic.* 1. q. 67 *art.* 4 *Laym. l.* 1 Tr. 4. c. 14 *Eman. Sa. v. Lex n.* 1 *Salas q.* 96 *Diſp.* 11 *ſect.* 1.

Hinc ſequitur 1. ſubditum in gravi & præter expectationem exotto periculo, ſi ad Principem non ſit aditus, tutò agere contra ipſius mandatum poſſe. *Ita Roder. lo. cit.*

2. Si parochis ab Epiſcopo præcipiatur, ut peſtis tempore non fugiant, ſed in eccleſiis ſuis perſiſtant, manendum illis etiam cum periculo vitæ eſſe. Ad hoc enim cura paſtoralis illos obligat. *Salas q.* 69. *diſp.* 11. *ſect.* 1. *Filliut tract.* 3 c. 5. n. 98. *Piaſec. P.* 2. c. 3. n. 24.

3. Si Epiſcopus mandet viſitatoribus, ut in munere ſuo exequendo conſtanter agãt, licet per diœceſin hæretici graſſentur, id ipſis contempto vitæ periculo faciendum eſſe.

4. Si Lutherani in odium Religionis Catholicæ, & monaſticæ, minarentur mortem monacho, niſi deponat habitum ſuum, ſubeundam potiùs illi mortẽ eſſe, quàm habitum deponendum, iuxta ſententiam *Arragonii in* 2. 2*da qu.* 62 §. *In quarto.*

5. Quæ hactenus de obligatione civilium, & Eccleſiaſticarum legum dicta ſunt, cum debitâ proportione accommodanda ſunt mandatis parentum erga liberos, mariti erga uxorem, domini erga ſervos, denique aliorum ſuperiorum erga ſubditos, in iis caſibus tantùm, quibus ratione ſtatus, & conditionis ſuæ ad patendum obligati ſunt. Nec excipiendi Regulares ſunt, quibus pro occurrente neceſſitate à ſuperioribus grave mandatum imponeretur. *Suar. l.* 3 c. 30 *Roder.* 1 q. 44 *art.* 1 *& Tom.* 11. q. 2. *art.* 8 *Vaſqu. diſp.* 191 *Tanner. lo. cit. Conimb.* 5 p. t. 2. *Diſp.* 13. *dub.* 12.

§. 9.

De Conſuetudine.

1. Conſuetudo propriè dicta, quæ nimirum legi æquivalet, eſt *Ius moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm lex deficit Iſidor. rela. diſt.* 1 *c. Conſuetudo.* Explico. Dicitur 1. *Ius*, ut diſtinguatur à conſuetudine facti, & eâ, quæ conſilium eſt. 2 *Moribus inſtitutum*, ideſt, acquiſitum frequentatis actibus. Nam neque una hirũdo ver, neque unus actus conſuetudinem facit. 3. *quod pro lege ſuſcipitur*. quâ nimirum populus, & communitas utatur, quemadmodum aliis legibus, quibus ſubditi obligantur. 4. *Cùm lex deficit.* Nam ſi de eadem re lex fuerit, non habet locum cõſuetudo, niſi fortè ad confirmandam, aut interpretandam legem ſerviat. *Sil. Armilla v. Conſuetudo Reginald. l* 15 *tr.* 241 *Vallenſis t.* 1 *paratit.* T. 4. *Barb. ad* T. *De Conſuetudine &c. Axiom.* 56.

2. Dividitur conſuetudo 1. in generalem, & particularem. 2 in eam, quæ verſatur circa res, & eam, quæ verſatur circa perſonas 3. in eam, quæ eſt ſecundùm legem, præter legem & contra legem. 4. in Canonicam, & civilem, eo modo, quo Ius ipſum dividitur. 5. in bonam & malã: rationabilem, & irrationabilem. 6. in permiſſam, & non permiſſam, probatam & reprobatam. 7. in præſcriptam, & non præſcriptam. Quæ enim bona eſt, in multis cum præſcriptione convenit. Differt autem

autem 1. in iure, quod in Conſuetudine omnes obligat. 2. in facto, quia ad conſuetudinem, requiritur ipſius populi uſus. 3. ex parte conſenſus. Nam conſuetudo non creſcit abſque conſenſu Principis. 4. ex parte tituli, qui in conſuetudine non eſt neceſſarius. 5. ex parte bonæ fidei, quæ ad conſuetudinem non requiritur. 6. ex parte temporis, quod non æquè in conſuetudine, ut in præſcriptione determinatum eſt. *c. ita nos 25 q. 2 Azor 1 l. 5 c. 17 Suar. l. 7 de leg. c. 1 Salas q. 97 diſp. 19 ſectio. 11 Laym. l. 1. Tr. 4. c. 24 Roderic. 1. q. 69 art. 1. Zerola v. Conſuetudo Em. Sa. eod. Carbo l. 9 diſp. 1.*

3. Ad novam conſuetudinem quatuor requiruntur, ut valida & legitima cenſeatur. 1. actus liberè frequentari, & publicè, ut in notitiam populi deveniant. 2. diuturnitas temporis, de quo poſtea. 3. Scientia & conſenſus Principis explicitus, vel implicitus. 4. Animus inducendi obligationem. Hinc piæ conſuetudines orandi, ieiunandi, & ſimiles, quantumvis aſſiduè frequentētur, impropriè conſuetudinis nomen ferunt. Quod actuum frequentationem attinet, ſufficere poteſt, bis vel ter contra legem actum eſſe, quemamodum docet *Leſſius cum Panorm. & aliis l. 2. c. 6 n. 45 Sanchez de matrim. l. 4 diſp. 1 n. 22 Roderic. l. q. 69 art. 1. Andreas Gail. l. 2 Obſ. 31* duos actus iudiciales ſufficere cenſet; nec plures extraiudiciales requiri, modò tales ſint, ut ex illis tacitus populi conſenſus colligi queat.

4. Effectus legitimæ conſuetudinis ſunt tres. *Primus*, obligare non minùs atque lex ſcripta: *c. Cum Venerabilis de Conſuet.* idque dupliciter 1 ut ſignum, aut teſtis 2 ut cauſa concurrens ad inducendā, & ſtabiliendam obligationem, vel interpretationem legis. *c. Cum dilectus eod. Secundus* interpretari legem, *Tertius* abrogare legem priorem, ſi humana, civilis, aut Canonica ſit. *l. de quibus ff. de leg. & c. ult. eod. Bellarm. l. 2 de conc. c. 18.* Non abrogat verò, niſi præſcripta ſit. *c. cùm tanto. De conſuet.* Ad quod requiritur in civilibus ſpatium annorum 10 in Eccleſiaſticis 40. iuxta communiorem opinionem, apud *Suarez l. 7. c. 3 Becan. c. 8 q. 3 Arragon. qu. 62 art. 3 Laym. l. 1. Tract. 4 c. 16 Em. Sa. n. 3 & 4 Piaſ. Par. 11. c. 5 n. 43 Soto l. 1 q. 7 a. 2.*

Fieri tamen aliquando poteſt, ut pauciores anni ſufficiant, puto, ſi conſuetudinem ſciat Princeps, ipſaq; talis, ac nota ſit, ut moraliter ſufficiat ad indicandū Principis conſenſum. *Covar. l. 1 c. 17 nu. 8. Barb. in c. Cum in tua de conſu. Vaſqu. d. 177. c. 5 Tanner 11 diſp. 5. q. 7 n. 6 & ſeq.*

Adde, quod Conſuetudo iuriſdictionem profanam, & ſacram, merum, & mixtum Imperium dare poteſt *c. quanto. de off. Iud. ordin. l. 1 C. de emancip. liber. Navar. c. 27 n. 261 Menoch. l. 1 de arbitr. q. 71. Franc. Leo Par. 2 c. 16 n. 4 Decianus l. 4. c. 27.*

5. Conſuetudo contra legem non valet, ſi reſiſtat Ius illam prohibendo, vel damnando, ut iniquam, & irrationabilē. Tunc enim conſenſus Principis requiſitus deeſt: & expreſſæ legis præponderat auctoritas. *c. Cum cauſa. De ſent. & re iudic.* Excipe conſuetudinem immemorialem, cuius inchoatæ nulla memoria extat. Si tamen lex, præſertim Eccleſiaſtica non tantùm prohibeat conſuetudinem, ſed etiam reprobet, ut irrationabilem, comprehendere cenſetur etiam immemorialem.

Digitized by Google

ſem. c. 1. *De conſuet. in 6 & c. Conſuetudinem De cler. non reſid. ubi Barb.* numerat caſus particulares, in quibus nulla conſuetudo valere poteſt. T. *Azor I l 5 c 19 Reginald. l. 13 c. 25 n. 254. Layman. l. 1. Tract. 4 c. 24 Roder. l. cit. Zerola v. conſuetudo Salas de leg. qu 97. D. 19 ſect. 7. Duen. in reg. 144.*

6. Iuſta, & rationabilis conſuetudo cenſetur, quæ nec naturali, nec divinæ legi repugnat, & bono communi utilis eſt. Ex adverſo iniuſta, & irrationabilis 1. cū obeſt bono communi, ut ſi ſandalum pariat, vel libertati Eccleſiaſticæ adverſetur. 2. quando repugnat legi divinæ qualis olim fuiſſe dicitur, ut ſimplex ſacerdos Confirmationis Sacramentum adminiſtraret. 3. quando legi naturali contrariatur, cujusmodi eſt uſura. *c. Quanto hoc T. Franc. Leo Par. 1. c. 3. Menoch. de arbitrar. caſu 82 Sanchez de matr. l. 7 diſp. 4 n 14 Reginal. l. cit. n. 255 Cotta in Memoralibus V. Conſuetudo Barb. ad T. de conſuet. Gaill. 1 Obſerv. 36 Tanner l. cit. n. 15. & ſeq.*

Nota. Exempla receptarum in Eccleſiâ conſuetudinum enumerat *Azor Parte 1 l. 5 c. 11. Non receptarum verò l. 5. c. 19.*

Conſuetudo iiſdem cum lege modis deſinere poteſt, 1. per ſolam ceſſationem mutatâ materiâ, circa quam, aut fine tum particulari, tum generali, 2. per abrogationem, ſeu legem contrariam, quæ vel toti, vel parti deroget. Diximus enim à Principis conſenſu pendere. Is proinde cum ratio & æquitas ſuaſerit, ſaltem ſuâ tolerantiâ conſuetudinem tollere, & extinguere poterit. *c. cum tanto hoc T. c. Omnis res de reg. Iur.* 3. Conſuetudo præſcripta tolli poteſt contrariâ conſuetudine ſimiliter præſcriptâ. Imperatorum quoque pragmaticâ ſanctione tolli poſſe certum eſt. *Gaill lib 2. obſerv. 31. n. 6.*

VIII. Ad conſuetudinem refertur *ſtylus, ritus & forus*, ut veteres loquuntur. *ſtylus* 1. ſignificat modum, & morem ſcribendi 2. uſum loquendi in iudiciis 3. modum, qui ſervari ſolet in ordine aliquo iudiciali. Vnde *Cynus* dixit, *ſtylum* eſſe practicam alicuius Curiæ: & *Felinus in c. 1. de reſcriptis ſtylum* loci ſervandum eſſe. & citationem non expeditam ſecundum *ſtyli*, & Curiæ nullam eſſe. Per Antonomaſiam ſic appellatur praxis Curiæ Romanæ. Propriſſimè ſignificat ordinem iudiciorum, his omnibus comprehendo etiam ſcripturas, Bullas, & reſponſa, aliaque his ſimilia ad eundē finem pertinentia. Qui ordo quamvis per ſe vim legis non habeat, ut benè animadvertit *Vaſquez & poſt illum Salas*: frequenti uſu tamen inducere conſuetudinem poteſt, quæ legis inſtar, poſt legitimam præſcriptionem obliget. Quo ſenſu *Anacharanus* dixit ſtylum Curiæ facere ius in caſibus à iure non deciſis. *Barb. in Praxi De penſionibus Par. 1 q 5. n. 16. Valenſ. l. 1. T. 4 §. 4 Zaſ. l. 1 Conſil. 12. Rauchbar Par. 1 q 3. inſignium q. 1 n. 24 Gaill. l 1 Obſerv. 65 n. ult. Vaſq. Diſp. 177 c. 1 Salas q. 97. D. 19 S. 19.*

Similiter ſtylum Principis ius facere, ad inſtar conſuetudinis tradit *Alexander Conſil. 39 Viſis, & conſideratis l. 3* intellige, cùm eo fine adhibetur à Principe, ut legis aut conſuetudinis loco ſit. Quo ſenſu accipienda ſunt etiam pronunciata, quæ *Cardin. Tuſchus* in unum congeſſit *lit. S. Concl. 695.* ut 1. quod ſtylus & longævus uſus cauſarum allegari poſſit pro iure. 2. quod ſtylus Curiæ attendi, & pro iure habe-

haberi debeat. 3. quod ſtylus pro formâ habeatur, à quâ non liceat recedere. Hæc & ſimilia, dico, locum habent in illo ſtylo, qui cum auctoritate Principis eo fine exercetur, ut pro lege, aut conſuetudine ſit.

Ritus eſt ſolennitas quædam, ſeu forma ſpecialiter in adminiſtratione ſacramentorum adhiberi ſolita. *Rochus Curtius* definit, eſſe conſuetudinem, quæ ſollennitatem præbet in aliquo actu exercendo; ita, ut ubi uſus diſponit, circa ſolennitatem actus *Ritus*, ſeu *obſervantia*, dici queat. Quod ſi per frequentationem continuatus, & roboratus fuerit, eandem cum legitimâ conſuetudine vim obtinebit. *v. Eberhard. in Lo à ſtylo Curiæ. Tuſchum l. cit. Duen. in Reg.* 587.

Forum aut *Forus* cum *ſtylo* ferè coincidit ſi reſtringas ad iudicialia, ut nomen ipſum fori exigere videtur. Hinc cuiuſque Iudicis territorium forum nuncupatur, & actiones ipſæ forenſes, inſtrumenta quoque eò pertinentia, aliqui morem & leges obſervari ſolitas in proceſſibus judicialibus eo nomine inſigniunt, ita, ut forum attendere, & ſequi actores debeant, non minus quàm alias conſuetudines legitimè inductas. *Suar. l. 7 c. 6*

IX. Differunt hæc quoque *Mos, Vſus, ſtylus, obſervantia*. *Mos* propriè eſt conſuetudo imperfecta. *Vſus* ſignificat actus illo quibus conſuetudo formatur. *Stylus* et Curiæ praxis, ut modò diximus. *Obſeruantia* propriè reſpicit factum, & concernit uſum alicuius judicii, aut tribunalis ut in *c. fin. de fer. & in l. præſidet. ff. eod.* in quibus feriæ incipiunt juxta obſervantiam illius judicii, cum in illis juribus nullum certum tempus requiratur. *Decius in Rubr. de Conſuet. Decianus l. 21. c. 31 Barb. ibid. Vaſq. diſp. 177. c. 1.*

§. 10.

De Reſcriptis.

I. RESCRIPTA vocamus ſummi Pontificis literas, ſive Reſponſa, quæ vel pro juſtitiâ adminiſtrandâ, vel beneficio conferendo, aliave de cauſa redduntur. Multa illorum mentio in Iure Canonico eſt, & *titulus peculiaris* extat in *l 1 Decretal. ordine tertius*. Facere jus, non generale, ſed ſpeciale inter perſonas, quarum intereſt, in materiâ particulari ex *Gotofredo tradit Silv. v. Reſcriptum. n 1.* In aliis conſtituere legem generalem liquet ex *c. 1 diſt. 19 & Glo. in c. Ex tua. V. Conſultationi. de fil. presb. v. Sanch. l. 2 de Matrim. diſp. 31 Laym. l. 1 Tract. 4 c. 6 §. 3. n. 13. Armilla. V. Reſcriptum. Zerola Par. 1 eod.*

II. Illorum tria ſunt genera. Quædam dantur contra Ius commune, & propriè dicuntur privilegia, vel diſpenſationes, ut cùm alicui plura beneficia incompatibilia conceduntur. Quædam verò dantur ad lites, & vocantur *Reſcripta juſtitiæ*, ut ſi Pontifex deſignet Iudicem, qui cauſam cognoſcat. Quædam denique *Gratiæ reſcripta* vocantur, quod per illa aliquid præter Ius concedatur, ut ſi idoneæ perſonæ præbenda aſſignetur. *Coninck de Sacram. d 33. dub. 6.* Quod duobus modis contingit, *primò* per literas, quibus illi jus tribuitur ad beneficium vacaturum: quæ conceſſio dicitur *Gratia expectativa*. *Secundò* per literas, quibus mandatur, vel ordinario, vel alicui executori

Digitized by Google

cutori, ut de beneficio vacante provideatur clerico, pro quo ſcribitur. Et hæc vocati ſolent *Mandata*. De variis illorum formis Coraſius in paraphraſi de benef. *Menoch. de arbitr. Caſu* 201 *Vallenſis l* 1 T. 3 §. 4 *Azor par.* 1 *l.* 5 *c.* 24.

III. Quemadmodum Papa, ſic Imperator, aliique ſupremi Principes Reſcripta edunt ad poſtulationes vel ſupplicationes ſubditorum *l. Reſcripta. C. de precib. Imp. offer.* Imperatorum ſubinde vocantur divinæ juſſiones, ſacri affatus, ſacra oracula, ſacræ formæ aut juſſiones, Imperiales conceſſiones, & ſacræ literæ. Eadem licentiâ utitur Cancellaria Pontificia, Imperatorum, & Regum quibus non niſi gravatè alii principes cedent. Legati pontificii quoque & ſenatus Cardinalium. His inferiorum conceſſiones tam grandi elogio non videntur prænotandæ. *Phil. Carols l.* 2 *Antiqu. Roman. c.* 10 *ubi modum quoque reperies. Tuſchus lit. R. Concl.* 210 *Azor Tom.* 1 *l.* 5 *c.* 24. *q.* 2.

IV. In omnibus Reſcriptis facienda eſt mentio de illis, quæ movere Pontificem poterunt ad reſcribendum, vel non reſcribendum, vel tam facilè reſpondendum. Quod generaliter obtinere putat *Garzias de benef. Par.* 8 *c.* 3. in reſcriptis juſtitiæ: in illis verò quæ Gratiæ vocantur, non niſi illorum facienda mentio, quæ ut exprimantur, jure & ſtylo Curiæ cautum eſt; quia collatio beneficii facta criminoſo, exceptis, quæ inhabilitatem cauſant, valida eſt: at ſi obreptitiè impetrata ſit juriſdictio, nullius momenti ac roboris erit proceſſus. *c. Ex tenore. c. ad audientiam. c. ſuper literis. c. ad aures. hoc T. Panorm. in c. Requiris. de appell. Tuſchus Concl. Menoch. l cit. n.* 24. & ſequentibus multa particularia ſcitu digna commemorans, quæ brevitatis ſtudio omittimus.

V. Clauſula. *Si preces veritate nitantur*, in Reſcriptis Pontificiis ſemper ſubintelligitur *c. Ex parte. c. Olim. hoc* T. In ſæcularibus niſi expreſſa fuerit, irrita cenſentur Reſcripta *l. fin. C. de diu. reſcr.*

Quamobrem omnis ſurreptio, & obreptio cavenda erit. Cæterum obreptio committitur exprimendo falſum; ſurreptio autem retinendo verum, quod ſecundum leges manifeſtandum eſt. *Innoc. in c. Cum dilecta hoc* T. *Menoch. de arbitr. Caſu* 10. *n.* 9 *Filliut. Tract.* 10 *c.* 10. *n.* 324.

Illi qui ſurreptionem obiicit, probatio incumbit. At qui falſum narravit, probare tenetur id, quod loco verè obtruſit. Vtrolibet modo falſum libello inſertum fuerit, beneficii conceſſionem ipſo iure nullam efficit. *c. ſuper his literis. c. ad aures. hoc* T. ſi factum ignorantia vel errore ſit, ut in dubio præſumendum, diſtingues. Si non obſtante falſitate, quaſi negotio probè cognito præſumi queat veroſimiliter Pontificem conceſſurum fuiſſe, Reſcriptum valebit, ſaltem in communi forma, ut Iudex delegatus cauſam definiat, non quidem ſecundum formam Reſcripti, ſed ſecundùm ordinem Iuris. *c. ſuper literis. c. Ex inſinuatione. hoc* T. Si verò Pontifex explicatâ veraciter rei qualitate, veroſimiliter præſumatur non conſenſurus, puta, quia contra Canones poſtulatur, non valebit Reſcriptum. *c. ſuper litteris cit.* Denique contra Reſcripta Gratiæ, quomodocunque ſuſpecta fuerint, remedium exceptionis cuilibet permiſſum eſt, quia habentur

Digitized by Google

pro ambitioſis. *c. Quamvis. de preben. in 6. Zerola Par. V Reſcriptum n. 4 Cucchus l. 1 Inſt T. 2 Staphil. de lit. grat. pag. 309 Tuſchus Concl. 217 Salas. de leg. q. 97. diſp. 20 ſect. 15.*

VI. Reſcripta omnia ſtricti juris ſunt, nec amplianda in dubio, ſed contrahenda potius ad Ius commune. *c. Cauſam quæ hoc* T. ubi citatis pluribus *Barboſa tradit*, Reſcriptum ad lites reſtringi debere ad jus commune, atque ita intelligi, ut quàm minimum lædatur. Interpretandum præterea ſecundum veriſimilitudinem concedentis, nec tam verba attendenda, quàm ſenſum. Nunquam enim cenſetur aliquid contra Ius commune ſtatuere Princeps, niſi diſertis verbis exprimat: multò minùs derogare cuiuſquam Iuri jam quæſito, ut innumera mala vitentur. Ac proinde omnes clauſulæ in Reſcriptis expreſſe vel tacitè ad Iuris communis terminos revocari ſolent. *Zypæus l. 1 Reſpon. 4 n. 8 Gaill. l. 1 obſ. 33. n. 6 Tuſchus* Concl. 212.

Vnde ſequitur, quod clauſula Reſcriptis de iuſtitiâ inſeri ſolitâ, *omneſque alias cauſas, quas habet orator, habereque vel movere intendit*, intelligenda tantùm ſit de cauſis, quæ pares ſunt expreſſis, vel minores non verò aliæ impertinentes, vel maioris momenti. Pari modo clauſula *Cum incidentibus, emergentibus &c.* ad ea reſtringitur, quæ ex cauſa principali manant, vel connexa ſunt. *c. Sedes Apoſtolica. hoc* T. *& c. 2 eod. in 6 Zypæus Conſultatione. 2 pag. 9 Menoch. de arb. l. 1 q. 45 & l. 2 Caſu. 95. Coninck diſp. 33. de impedim. matrim. d 6.*

VII. Ex duobus Reſcriptis ad eandem rem, vel litem obtentis poſterius obtinet, modo prioris in illo mentio fiat, & primum conſenſu partium non fuerit impetratum, Nam ab uno tantum ſi fuerit impetratum nullâ prioris factâ mentione, minimè valebit. *c. Cæterum. hoc* T.

Prævalet etiam ſpeciale, quamvis de generali ſileatur, quantum ad ea nimirum, quæ in ſpeciali ſpecialiter continentur. *c. Paſtoralis §. quoniam.* Obtinebit etiam ſi ſpeciale prius impetratum ſit. Generi enim per ſpeciem derogatur *c. Generi de Reg. Iur. in 6.* Utrumque ſi generale fuerit, illud quod minus videtur generale, præferetur. *Rebuff. in Tract. de Reſcript. n. 104 Dynus & Peckius in Reg. cit. Gener. Tuſchus* Concluſ. 223.

VIII. Non admittitur, ſed pro nullo habetur Reſcriptum 1. quod eſt contra Ius, niſi illi per Reſcriptum derogetur. Quod intellige, non tantùm de jure ſcripto & communi, ſed etiam municipali, particulari & conſuetudine, quando illius nulla mentio fit. Nam in eiuſmodi conceſſionibus Princeps im memor fuiſſe legum præſumitur, nolleque uno Reſcripto ſubvertere, quæ à maioribus ſuis magno ſtudio, & prudentia conſtituta ſunt. 2. ſi ſit contra ſtylum Curiæ: quia nemo tunc prudenter exiſtimare poteſt in Curiâ, & à Curia conſcripta eſſe. 3. ſi in Reſcripto jus tertii lædatur, vel clauſulas inſolitas habeat: ſi careat debita ſolennitate: ſi ratum ſit in loco ſuſpecto, ſi ſit contra utilitatem publicam. 4. ſi inhibeat cauſæ cognitionem. *c. Ex parte. hoc* T. Tunc enim ſuſpicari licet ab alio, vel juris ignaro, vel poteſtatis experte confectum eſſe. 5. ſi manifeſtè peccet in lingua latina. *c. ad audientiam. hoc* T. intellige de Reſcriptis eccleſiaſticis. Principum

cipum namque ſæcularium reſcripta quantumcunque in Grammaticam peccent, valida cenſentur *l. Imperator ff. De ſtatu hominū*. Limita, ut de illis tātū intelligatur quibus orationis ſēſus corrūpitur. Denique lite pendente neutri parti fas eſt reſcriptum impetrare. *c. Inter dilectos hoc T. Vallens.* §. 7. *Roman. Conſil.* 330. *Iaſ. in Rubr. C. ut lite pendente Tuſchus Concl.* 214. *& Concl.* 216. *Salas Q.* 97. *Diſp.* 20. *ſect.* 15.

IX. Qui contra eundem in eadem cauſa, vel lite ad diverſos Iudices impetravit reſcripta, nullâ invicem mentione factâ, omnibus uti non erubeſcens omnium commodo carere debet. *c. Ex tenore, hoc T.* ubi cauſa aſſignatur. *Quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent. l. Nec ex dolo. l.* 3. *ff. De tranſact. c. Audivimus De colluſ. detegendâ.* Notat verò *Barboſa ſecundum Oſtienſem, Panormitanum*, & alios quoſdam ad prædictam pœnam ſufficere, ſolam diverſorum reſcriptorum impetrationem, & in ea fraudis actionem ut colligitur ex illis. *Nos attendentes fraudē presbyteri memorati duas commiſſiones ſuper eodem negotio impetrantis.* Nihilominus tamen contraria opinio communior & in praxi uſitatior eſt, tunc ſolùm incurri pœnam illam, quando impetrans diverſa reſcripta iiſdem utitur, non verò cùm uno tantum, vel neutro. *Glo.* 1. *hic & clarius Glo.* 3. *in c. cæterum. De Reſcr.*

X. Reſcriptum ab excommunicato obtentum ipſo iure nullum eſſe ex *c.* 1. *De reſcr. in 6.* manifeſtum eſt. Sed an de reſcriptis non tantum Papæ, ſed ordinariorum quoque intelligendum ſit, dubitatur? affirmativæ opinioni textus favet, & Gloſſa. *Navarrus autem lib.* 5. *Conſil.* 44 *n.* 4. probabile cenſet, nunquam habuiſſe locum in reſcriptis ordinariorum, vel certè deſiiſſe locum habere in illis per deſuetudinē: tum *per clementinam* 2. *De eff. ordin.* quatenus habet, impetrationem beneficii factam à Papa, vel legato illius ſine mentione beneficii prius obtenti eſſe ſurreptitiam, & ipſo iure nullam; non autem collationem ab ordinario factam tum quia non videtur eadem ratio de impetratione reſcripti à Pontifice factâ, & impetratione factâ ab ordinario; quia facilius ſubrepitur Papæ & Principi pluribus occupato, quàm ordinario paucioribus intento: tum quia nec *Ioannes monachus*, nec alii commentantes in c. citatum faciunt mentionem de nullitate gratiæ, vel reſcripti ab ordinario obtenti propter excommunicationem: tum quia de ſtylo Curiæ inſeritur literis Apoſtolicis clauſula illa, per quam tollitur is effectus excommunicationis, & adeò quidem, ut ſi non ponatur, ſubintelligenda ſit: tum quod appellatione verbi *reſcripti* generaliter in iure prolati ſolum Apoſtol. Imperiale, aut regiū includitur, ut colligere eſt *ex T. De reſcriptis tam Decretalium, quàm ſexti, & Clement, & ex l. Reſcripta l. quoties C. de precib. Imp. & offer. & l. fin. C. ſi con. ius, vel utilitatem publicam*: tum quia reſcripta Principum faciunt ius, etiam quoad alios, quàm nominatos in ſimilibus caſibus non verò reſcripta inferiorum, ut poſt *Ioann. Andr. tradit Felinus in Rubr. De reſcr. n.* 1. Denique Archid. tenet valdè ſeriò, c. 1. de quo agitur, non comprehendi, excommunicatum occultum ſed tantummodò publicum, quamvis contrariū ibidem teneat communis, *Ita Nav.*

Quæ ſuperſunt de reſcriptis ad beneficia potiſſimum, quia penè nullius illorum in Germaniâ noſtrâ uſus eſt, omittimus, & lectorem remittimus ad *Menochium de arbitrar. Caſu* 201. *& ſeq. Azor. par.* 2. *l.* 7. *c.* 32. *& ſeq. Zypæum Conſultat. l. De reſcriptis.*

§. II.

De Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ.

I. INnocentius VIII. Anno ſalutis 1484. triceſimo die menſis Auguſti reſervationes quaſdam beneficiorum, & Dignitatum Eccleſiaſticarum, Conſtitutiones item, & regulas præſcripſit, publicavitque per Rodericum Epiſcopum Portuenſem S. R. E. Vice Cancellarium, quæ appellatæ ſunt regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, quia ſecundùm illas iudicandum eſt omnibus, ad quos eiuſmodi cauſæ & negotia pertinent in Curia, ſeu Cancellaria Pontificia. Temporales eſſe, & ad vitam Papæ, qui eas fecit, durare, monet *Gemin. Conſil.* 93. An autem reſervatio quoque expiret, inter DD. ambiguum eſt. *V. Tuſchum Concl.* 97.

II. Numero ſeptuaginta tres ſunt, quas olim interpretandas ſuſcepit Alphonſus Sotto; recens verò *Ioannes à Chokier Iuris C. Leodienſis.* Illis adduntur quædam *Iulii II. Clem. VII. Pauli III. & Pauli V.* auctoritate omnibus & SS. Theol. & utriuſque iuris candidatis apprimè commendat. *Sigiſ. Vorburg. in parat. ſuis.* Vſus tamen non magnus, nec fructus niſi apud illos eſt, qui in Cancellaria Romana acturi cauſas ſunt.

III. Quam auctoritatem habeant in dubio eſt. Sapere naturam legis, & obligare, dicent curiales, & affirmat *Zerola p.* 1. *V. Regula.* expirare tamen mortuo Papa. Idem de rotæ deciſionibus docet, facere opinionem communem, quod rerum, & Iurium peritis nemo facilè perſuadebit. Alii malunt vocare conſtitutiones generales derogatorias, quod non magni intereſt; ſi de re ipſa conſtet, quandam videlicet illis obligandi vim ineſſe. *Salas Q.* 92. *Diſp.* 12. *Tanner.* 11. *D.* 5. *Q.* 3. *n.* 106.

Nota. Quamvis mortuo Papa expirent, per ſucceſſores tamen cum eiſdē qualitatibus renovantur, & peraguntur. *Barb l.* 2. *vot. deciſ.* 43.

IV. Prædictas regulas non obligare ad peccatum in foro conſcientiæ ex *Baldello* tradit *Eſcobar in Theologia Morali pag.* 59. Ex quo infertur, donationem inter vivos ab Epiſcopo factam intra viginti dies ante obitum valere in foro conſcientiæ, quamvis per Regulam Cancellariæ nulla ſit in foro externo. Quod præter alios etiam *Diana fautur Par.* 1. *Tract.* 10. *Reſol.* 45.

§. 12.

De Canonibus Apoſtolorum.

I. AB Apoſtolis Canones aliquos ad morum diſciplinam conditos, & poſteris relictos eſſe communis DD. Catholicorum ſenſus eſt. De tempore non omninò liquet. Factum in Concilio Ieroſolymis habito *Actor.* 15. *ex Clementis Romani* verbis colligi videtur *l.* 6. *Conſtitut.*

Digitized by Google

tut.c.11.Remanſimus,inquit, pluribus diebus Ieroſolymis,conquirentes una,quæ ad commu nem utilitatem ac correctionem ſpectabant. *Sophronius* autem *in homilia de agone Petri & Pauli* conditos putat illis quindecim diebus, quibus apud Petrum manſiſſe ſe Paulus ſcribit *ad Galat.1.v.18.* Pamphilus martyr non Ieroſolymis, ſed Antiochiæ contigiſſe vult. A quâ opinione non abhorret *Innocentius I.epiſtola* 18. ſed quia nihil certius ſperare licet, admodũ probabile cenſeo, in eâ ſynodo, quæ *Act.15.* deſcribitur, plura in medium prolata eſſe, quæ poſtmodum in certa capita, ſeu Canones redacta ſint. *V.Lorin. in cit.c.15. ad Gualter. Chronolog. ſæculo 1. pag.12.*

II. De numero quoque magna Doctorum, & opinionum varietas eſt, ut videre licet apud *Gratianum diſt.16. Barboſam ibidem. Baronium Anno Chriſti 102.n.6. Bellarm.l.2.de Pontifice c.27.Turrianum l.1. Conſtitut.c.32. Barthol. Caranza ſumma ſub init. Franciſc. Longum à Coriolano in ſumma Conciliorum initio. Sigiſmund. Vorburg in Rudim. Iuris Canonici pag 79.* Ex quibus colligitur, Canones Apoſtolorum 85. ut paſſim numerantur, non eſſe ab ipſis Apoſtolis ſcripto traditos, & relictos, eaque propter inter apocrypha à *Gelaſio Papa numerantur diſt.15.c.ſancta Romana.* Imò illorum aliqui nullius Catholici auctoris videntur, ut ſexageſimus quintus & ultimus, ubi ieiunium diei ſabbathi prohibetur, & ſacrorum librorum Canon mutilus proponitur. *Bellarm.l.de ſcriptor. Eccleſ. de S.Clem.Romano.*

3. Leo IX. Papa *in c.3.diſt.16.apud Gratianum*, quinquaginta Canones tantùm agnoſcit, qui numerus etiam apud Dionyſium exiguum reperitur, à quo ex græco in latinum tranſlati ſunt. De illis, & reliquis ſupradditis excipiendo ſexageſimum quintum, ac poſtremum, *Baronius* ad annum Chriſti centeſimum ſecundũ affirmat ab Eccleſia probatos, & pro authenticis habendos eſſe: illorum doctrinam manaſſe ex traditione Apoſtolicâ, & in quinquaginta Dionyſii Canonibus nihil reperirii, quod Apoſtolicam traditionem non redoleat, quicquid de aliis ſit.

De iiſdem loqui *Iſidorum in c.4.diſt.16.* cenſeo, cùm iuxta Gloſſæ mentem tribus rationibus probat Canones Apoſtolorum recipiendos eſſe. *Primò*, quia plures eos receperunt. *Secundò*, quia SS. Patres eorum ſententias confirmaverunt, & eas inter Canonicas Conſtitutiones poſuerunt. *Tertiò*, quia poſiti ſunt, & inſerti in Breviario, in quo Decreta diverſorum Conciliorum poſita ſunt, quod factum fuit à Clemente uſque ad *Silveſtrum*. De aliis verò, ideſt, ſuppoſititiis, vel hæreticorum malitia corruptis, cum *c. l. eiuſd. diſt.* negat, SS. Patres aſſenſum illis præbuiſſe.

IV. Extant prædicti Canones apud *Zonaram*, quem latinitate donavit *Quintianus Hæduus* in Vniverſitate Pariſienſi profeſſor, & *Bartholomæus Caranza*, qui præfatus ſe octoginta quinque Canones numeraturum, ex græcis & latinis Codicibus, non niſi octoginta quatuor exhibet. Nec plures apud *Gentianum Heruæum* reperiuntur. Eſt autem omiſſus quadrageſimus nonus, qui ſic habet. *Si quis Epiſcopus, aut presbyter iuxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſed in tribus ſine initio principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paraclitis, abiiciatur.*

ciatur. V. tom. 1. Concil. Binii pag. 5. ſummam Conciliorum Coriolani pag. 123.

§. 13.

De Canonibus pœnitentialibus.

I. Canones pœnitentiales in fine Decreti leguntur quadraginta ſeptem ex variis iuribus collecti, quibus præcipuè tempus pœnitendi præfigitur, *exempli gratia. Si presbyter fornicatus fuerit, decem annis pœnitentiam agat.* Item, *qui uxorem duxerit adulterio pollutam, annis quinque. Qui votum ſimplex violaverit, totidem annis.*

II. Inſtruuntur ibidem Confeſſarii, quâ diſcretione prædictis Canonibus uti debeant, eorumque iudicio res tota committitur propter diſparem pœnitentiũ conditionem, virium imbecillitatem, aliaſque circumſtantias. Hodiè non eſſe pœnas ſecundùm iſtos Canones præſcribendas, utpote longo non uſu abolitos notat *Reginaldus & alii.* Nam ſi *exempli cauſa,* pro unâ fornicatione decem annis pœnitentia agenda ſit quod anni debentur illi, qui toto vitæ ſuæ tempore in concubinatu vixit? plures nimirum, quã curſus vitæ longiſſimus contineat. *Navar. in c. falſas de pœn. diſt 5. & Henriq. l. 2. c. 22.* pro foro externo conſtitutos fuiſſe arbitrantur, idque propter ſcandalum offenſionis publicæ, & periculum revelandæ confeſſionis.

III. Serviunt nihilominus 1. ut ſuſpiciamus maiorum noſtrorum zelum ac pietatem. 2. ut noſtræ nos pudeat ignaviæ, & accediæ. 3. ut ſubinde magni peccatores extimulentur propoſitis pœnis, quas commeruerunt, quæque meritò imponi poſſent, ſi Eccleſia iure ſuo uti vellet.

IV. Si cauſam quæris, cur ab antiquo rigore Eccleſia remiſerit, plures aſſignari poſſunt. *Primò* quidem, quia cum tempore, & fidelium numero crevit peccantiũ, & peccatorum numerus. *Secundò*, quia per Ordines Regularium obtenta ſunt multa privilegia, & relaxationes. *Tertiò* Varietas opinionum invaluit, aliis laxam manicam, aliis ſtrictam commendantibus. *Quartò* perſuaſio quorundam pœnitentiam non obligari ſe ad acceptandam pœnitentiam à Confeſſario iniunctam, modò paratus ſis in purgatorio luere. Quam opinionem ante hac etiam Theologi quidam profeſſi ſunt. *Scotus in 4. d. 18. q. 1. art. 1. Gabr. ibid. q. 1. a. 1. & diſt. 16 art. 3. dub. 5. Medina tract. 2. q. 45. Silv. v. Confeſſio q. 25. licet in q. 6. contrarium videatur ſẽtire. Arm. v. Confeſſio § 29. Nav c. 26. nu. 20. Oſtienſ. & Pan. in c. ſignificavit. De pœn. & remiſſ. Peltanus in tract. de ſatisfact.* Dixi antehac ita ſenſiſſe quoſdam, quod contrariũ hoc tempore tantùm non de fide creditur eſſe. *V. Suar. IV. D. 38. ſect. 7. De Sacram. Pœnit.* Denique ex Indulgentiis tam multis, leves, & improbi homines occaſionem ſumant omnem pœnam declinandi, & per iteratam confeſſionem ac communionem inane nomen ſanctitatis aucupandi. Serpit enim hodie, ut S. *Bernar. loquitur ſerm. 33. ſuper Cant.* putrida tabes hypocriſis per omne corpus Eccleſiæ, & quo tolerantiùs, eò deſperatiùs. *V. ſummam Raym. pag 552. Chapeaville de Caſ. reſer. c. 12. pag. 111. Reginald. de prud. Confeſſ. p. 376 Navar. in c. Falſis. De pœnit. Diſt. 5. & Manual. c. 26. n. 17.*

§. 14. De

Digitized by Google

§. 14.

De fictione Iuris.

I. FIctio Iuris eo fine inventa eſt, ut ſuppleat id, in quo deſideratur fa cti veritas: ac proinde definitur *Legis adverſus veritatem in re poßibili ex iuſtâ causâ diſpoſitio*. Vel, *eius, quod eſt poſſibile, contra veritatem pro veritate aſſumptio*. Exempli gratia. Titius nunquam malus fuiſſe cenſetur, quia ſeriò mores ſuos correxit. Item, Caius hæres à puncto mortis teſtatoris, dominus bonorum extitiſſe fingitur, quamvis nondum adierit hæreditatem. Item, cùm maior pars communitatis conſenſit, tota communitas conſenſiſſe reputatur. *Bartol. in l. ſi is, qui pro emptore ff. De Vſucap. Alciatus tract. præſumpt. P. 3 Oſtienſ. in Rubrica. De præſumpt.*

II. Inter Fictionem Iuris, & Præſumptionem differentia eſt 1. quia Fictio Iuris tantùm operatur, quantum veritas; præſumptio autem in dubio manet, tametſi eatenus habeatur Veritatis comes, quatenus in contrarium nulla apparet probatio. 2. Fictio Iuris eſt ſuper certo; præſumptio Iuris ſuper incerto. *Glo. in l. unic. §. accedit. De rei uxor. act.* 3. Contra fictionem Iuris non admittitur probatio; ſed contra præſumptionem admittitur. 4 Fictio tantùm operatur, quantum Veritas; quod præſumptioni per ſe, non convenit. Idcircò vigilantiâ opus eſt, ne quē ſub ſpecie veritatis Fictio decipiat. Nam circa idem duæ fictiones non admittuntur. *Bart. in l. ſi is qui ff. De ſolut. Decius in ff. ſi certum petatur. l. ſingularia n. 6. Weſenbec. l. 22. T. 3. cir. fin.*

III. Fictio ad ſolam legem pertinet, nec ſubiecta eſt arbitrio contrahentium. *l. ſi forte ff. De Caſtr. pecul. Imola Conſil. 149.* Neque enim privato cuiquam adhibere fictionem licet, niſi Ius permittat, & quaſi præeat, quemadmodum vides in ſtipulatione Aquiliana *l. 18. ff. De acceptilat.* & quibuſdam aliis caſibus, ubi lex ſtipulationem fingit, vel hypothecam. *l. un. §. 1 C. de rei ux. act.* Quomodo autem in Canonibus interdum Fictio uſurpetur, exempla ſuppeditat *Gloſſa in c. Ferrum. Diſt.* 50. ubi dicit, hominem converſum à vitâ improbâ fingi à Iure, & præſumi quaſi novum & recèns baptizatum, de quo amplius infra *n.* V.

IV. Fictio legis naturam imitatur, & eoſdem effectus habet. *l. Adoptio ff. De Adopt.* Quocirca ut naturaliter quis filium, ad tempus aut ſub conditione habere nequit, ita nec eundem emancipare, aut adoptare in diem poteſt ſed abſque omni limitatione temporis facienda emācipatio & adoptio eſt. *l. ſi tibi. eod. Barb. axiom.* 97.

Fieri tamen nequit, ut Ficti natura, & veritate potentior ſit. *l. filio quem ff. De lib. & poſth.* quin potius contra veritatem (re ipſa exiſtentem) nititur, ut ex data definitione liquet, quamvis, in caſu ficto tantum operetur, quantum veritas in vero, *Andr. Gall. l. 2. Obſerv. 127. nu. 6. Peck in Reg. Ratihabitionem. De Reg. Iur. in 6.* Limita, niſi ipſa veritas requiratur, per *Decium in Reg. Omnia ferè* 153.

V. Tum à Canone, quàm à lege Fictionem reperiri per omnia Prædicamēta Ariſtotelis, eleganter oſtendit *Nicolaus Eberhardus in loco. De vi fictionis*, ut patebit ſingula perluſtranti.

Primo:

Digitized by Google

Primo, de ſubſtantia exemplum eſt *Matth.* 11. *v.* 14. Ipſe (*Ioannes Baptiſta*) eſt Elias, qui venturus eſt *c. Quæritur* 22. *q.* 2. Item in *l. Titius teſtamento ff. De lib. & poſth.* fingitur non natus, qui natus eſt.

Secundo de quantitate *Marci* 10. *v.* 43. *Quicunque voluerit eſſe maior, erit Miniſter. c. Diaconi diſt.* 93 ſecundùm leges autem fingunt ſubinde, aliquid eſſe plus ratione tẽporis. *Inſtit. de action.* §. *plus autem.* Fingunt etiam plus ſolvi. cùm nihil debetur; & minus ſolvi, cum nihil ſolvitur. *l. minus ſolutum. ff. De verb. ſignif.*

Tertio de qualitate exemplum habes in *c. ferrum diſt* 50. ubi poſt peractam pœnitentiam, & in melius mutatis moribus criminoſus fingitur non criminoſus. Iure Civili autem ſubinde lex fingit eſſe purum, quod eſt conditionatum & è converſo, quod conditionatum eſt, purum eſſe. § *Impoſſibilitas Inſtit. de hæred. inſtituendis.*

Quarto de relatione *Lucæ* 2. *v.* 48. *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Vbi Ioſephus qui pater non erat, fingitur eſſe pater, & habetur tranſſumptivè in *c. Inſtitutum* 27. *q.* 2 ſecundùm leges autem interdum fingitur eſſe filius, qui non eſt, & econtra, cùm talis per ſententiam declaratur. *l.* 1. § *fin. & l. ſequ. ff. de liberis exhibendis & l. Ingenuum. ff. De ſtatu Iudicum.*

Quinto de Categoria *ubi*, quod locum ſignificat, exemplum eſt in *c. Mutationes* 7 *q.* 1. ubi ad alium Epiſcopatum translatus fingitur adhuc in priore loco eſſe, in quo revera tamen non eſt, Iure Civili non rarò fingitur eſſe præſens quoad commodum ſuum, vel incommodum, ut patet in exemplo abſentis Reipub. cauſa, & contumacis: ſed pleniſſimè in fictione poſtliminii, & legis Corneliæ. Nam iuxta priorem qui captus ab hoſte in civitatem revertitur, nunquam abfuiſſe fingitur: iuxta poſteriorem verò, mortuus in captivitate apud hoſtes in civitate mortem obiiſſe fingitur *l. Cornelia. ff. De teſtam. Inſtit. Quib. mod. ius patria poteſt.* § *ſi ab hoſtibus. Dynus in Reg ſine poſſeſſione De Reg. Iur. in 6. n.* 14.

Sexto de quando, ſeù tempore non rarò fingitur aliquid eo tempore eſſe, quo non eſt *c. periculoſè. De pænit. diſt.* 1. ubi homicidio cùm patratur, præſens eſſe fingitur, qui conſulit illud, vel mandavit. In Iure Civili exemplum habes in actu conditionali, qui ſortitur effectum ex tanta conditione, & tamen quia conditio retrotrahitur fingitur dudum antea fuiſſe *l. ſi quod pendente ff. De peric. & comm. rei vendita.*

Septimo de actione exemplum extat in *c. Quanta. De ſent. excom.* ubi violentas manus in clericum finguntur inicere, qui conſentiunt in percuſſionem, nec obviare laborant, cùm poſſunt. In legibus autẽ ſæpè illi tribuitur actio, qui procul diſtãs procuratorem conſtituit. *l. licet ff. de iud.* Item aliquando fingunt eum, qui tacet loqui, ut in tacitis ſtipulationibus: & viciſſim non loqui, qui loquitur, ut cùm aliud dixit, quàm voluit. *l. In ambiguo. ff. De reb. dub.*

Octavo de paſſione fictio interdum dicit illum pati, qui nihil patitur: & ecõtra non pati, qui revera patitur. *c. propoſito. & ſeq.* 32. *q.* 5. leges autem fingunt patri illatam iniuriam eſſe cùm filio illata eſt. §. *patitur. Inſtit. de iniur.* ſimiliter domino iniuria facta cenſetur, quando ſervis facta eſt.

Nono

Digitized by Google

Nono, quod prædicamentum *Situs* attinet, in *c. Nervi teſticulorum & c. duo mala diſt. 13.* fingitur perplexitas eſſe, ubi non eſt. Secundùm leges verò in præſcriptione non currente adverſus minores. Nam fingitur ſtare, & eſſe in pendenti. *l. fin. C. quib. ex cauſis maiores in integ. reſt.* Similiter præſcriptio aliquando currere; aliquando dormire fingitur. *c. Cum non liceat. ex transmiſſa de præſcriptionibus.*

Decimo, denique de habitu exemplum eſt in *c. lex continentiæ D. 31. & in c. vxoratus. De converſ. coniug.* Vbi coniugatus fingitur non habere vxorem. Leges autem ſubinde interpretantur eum habere qui non habet. *l. Qui actionum. ff. De Reg. Iur.* item habere poſſeſſionem, qui caret illa, ut cùm ab ea avocari poteſt. *l. nemo iun. Glo. C. de acquir poſſ.* Præterea non habere dominium, aut rem, cui pretium deeſt, vel qui tantundem eſt præſtaturus. *l. plane ff. De leg. v. Azor. in ſumma.*

§. 15.

De præſumptione.

1. PRæſumptio eſt *cognitio ex circumſtantiis reſultans. c. ex ſtudiis de præſumptione.* vbi converſatio in adoleſcentia dicitur facere præſumptionem pro ſenectute. Melius ita definies. *Eſt coniectura probabilis ex certo aliquo ſigno proveniens ad aſtruendam rei dubiæ fidem.* Dicitur 1. *Coniectura probabilis*, ut diſtinguatur à ſuſpicione levi, & iudicio temerario, de qua accuratè agit *Domin. Soto lib. 3. de iuſt Q. 4 art. 3.* Dicitur 2. *ex certo ſigno proveniens*, non quòd in omni eventu veritatis reſpondeat, ſed quia ut plurimum, iuxta materiam & qualitatem rei, de qua præſumitur vel ſuper certo, intellige determinato. Dicitur 3. *ad aſtruendam rei dubiæ fidem*, quia ſemper pro obiecto habet veritatem dubiam in quo à fictione differt, ut *§. præc. n. 2.* diximus.

Illuſtre & ſingulare exemplum in facto Salomonis cernitur, qui ex verbis affectu materno prolatis colligit mulierem illa proferentem infantis, de quo litigabatur, matrem eſſe. *l 3. Reg. c. 3. c. afferre mihi De præſumpt. Rubr. ff. De probat. & præſump. Panormit. in c. is qui de ſponſal. Angel. V. Præſumptio & alii ſumm. Caniſius l. 4. T. 13. Vallenſ. l. 2. T. 23 Tuſchus Concl 109.*

II. Dividitur *primo* acti ſuſpicio, in levem, ſeu temerariam, & probabilem. Temeraria eſt iudicium mentis ex coniectura, ſeu ſigno parum probabili natũ: ideoque à nobis & à Iure reiicitur. *c. Inquiſitionis De ſentent. excomm.* Nec quenquam ex tali præſumptione iudicandum eſſe, ſtatuit Pontifex *c. primo ſemper 2. Q. 1.* Probabilis præſumptio è contra probabili fundamento, ſeu coniectura nititur, in quo tamen ſecundùm magis, & minus varietas ſit. Vnde aliqui dividunt in vehementem, ſeu violentam, & non violentam. *Tholos l. 48. c. 11. Tuſch. Concl. 615.*

Dividitur *ſecundo* in eam quæ hominis & eam quæ Iuris eſt, de illa modo diximus, hæc in ipſo iure invenitur, & duplex aſſignatur, alia iuris tantum, alia Iuris & de iure. Præſumptio Iuris tantum dicitur, quando ius in re dubia aliquid præſumit, nihil conſtituendo quod pro iure habeatur: eiuſmodi eſt præſumptio factæ ſolutionis ex chirographo cancellato. *l. ſi chirographum 24. ff. De probat.* illa item, qua præſumitur, eum in adoleſcentia probis fuit moribus, etiam in ſenectute probum eſſe, & è contra *c. ex ſtudiis c.*

mandata. c. Cum in iuventute hoc T. Præſumptio Iuris & de jure eſt, cùm lex, aut Canon ita aliquid præſumit, ut ſuper tali præſumptione jus firmum ſtatuat, eamque pro veritate habeat. Iuris vocatur, quoniam à jure introducta eſt; de jure, quia ſuper tali præſumptione lex inducit firmum jus, & pro ipſa veritate habet, ita ut non admittat contrariam probationem, quemadmodum admittit præſumptio Iuris tantum. Tales ſunt, quæ extant in *l. antiqua. C. ad S. C. Velleianum. in l. fin. C. ad Macedonianum. l. fin. circa initium. C. arbitrium tutela Panorm. in c. Quanto. hoc* T. *Guido Papa de præſumpt. n. 6 VVeſenbec. l. 22 Dig. T. 3 n. 15 Eberb. in* Loco *à Veroſimil. n.* 8 *Silv. V. Præſumpt. Carbo L.* 6 *de legib. c.* 14 *Salas eod. diſp.* 1 *o ſect.* 4.

III. Præſumptionum cauſæ variæ ac multiplices ſunt, à Naturâ rerum perſonarum, qualitate negotiorum, pretio, famâ, facto. Item loco, tempore, ætate, ſtatu, conditione, ac ſimilibus. Quarum cauſæ naturales ſunt, plus virium habét, quoniam maior illarum cum eiuſmodi origine connexio. *§. ſed naturalia π. de Iure natur.* Accedunt propiùs, quæ ex innatis affectibus manant, qualis eſt amor parentum erga filios. Nam pro certo habetur filios à parentibus amari, ita, ut nihil contra eos mali exequi velint. *l. conſilio π. de curator. furioſis dand. l. nec in ea lege π. ad l. Iuliam. de adult.* ſed quia per veritatem elidi poſſunt, cum non repugnet contrarium fieri, inventique ſint, qui naturalis, & innatæ benevolentiæ obliti liberos trucidarint. *C. ad l. Pomp. de parric. l.* 3. *&* 4. idcirco tam diu creditur prædictis præſumptionibus, donec contrarium appareat: quo obtento quemadmodum orto ſole tenebræ; ſic luce veritatis accenſa dubiæ mentis coniecturæ & præſumptiones occidunt. *Card. Tuſchus Concluſ.* 610. *&* 617.

A famâ profectas iudex accurate examinabit, neque ut ſufficientem ad probandum admittet, *c. ſi teſtes omnes §. ſed etiam* 4 *q.* 3 niſi fama publica, & aliis adminiculis fulta fuerit. *c. Tertio loco de præſumpt, Roderic. Tom. IV. T.* 17 *c.* 5 *& ſeq.*

Violenta præſumptio plenam fidem facere poteſt, qualis eſt, mulierem gravidam deprehendere, à qua maritus integro anno abſfuit, de quare alibi prolixius. *Alciatus Guido Papa.*

Iam verò præſumptio, quæ Iuris dicitur, liquidiſſima probatio cenſetur. *l. licet. Imperator. π. de legat. c. Cum dilecti. De donat.* niſi contrarium exorta veritas doceat. Hæc enim, undecunque allata, uti diximus, præſumptio cadit *l pen. §. mulier. π. de probat. Menoch. de præſumpt. c.* 40 *ſpecul. in Rubr. eod. VVeſenb. l.* 2 *π. T.* 3 Carbo *l. cit.* qui etiam in decem prædicamentis locum eſſe præſumptionibus per inductionem probat, eo fere modo, quo nos de fictione in *prac §.*

IV. Præſumptio Iuris, & de jure regulariter non admittit probationem in contrarium *c. Is qui fidem. de ſponſal. Card. Tuſchus concl.* 614 *Quod Azor. l.* 4 *Cod. §.* 19 exemplis declarat. Nam *primò* ſi tutor in Inventario confiteatur de ſubſtantia pupilli, poſtea non audietur, nec licet illi contrarium probare. *Secundò* ſi filiusfamilias miles acceperit pecuniam mutuò, præſumitur in caſtrenſes cauſas accepiſſe, adeoque ceſſat Macedonianum. *Tertiò* ſi mulier in inſtrumento publicè confecto & tribus teſtibus ſignato confeſſa ſit, ſe

ob pec-

Digitized by Google

ob pecuniam interceſſiſſe, præſumitur accepiſſe pecuniam, & negatur ill. Velleianum. *Quartò* in ultima voluntate ſi mulier in puerperio obeat, quæ inſtituerat iam natos filios hæredes, præſumitur etiam inſtituiſſe illum, in cuius partu mortua eſt: ac proinde non admittitur actio contra ipſius teſtamentum.

His tamen non obſtantibus probatio in contrarium admittitur, *Primò* per confeſſionem illius, pro quo militat præſumptio, ſive ea confeſſio ſit iudicialis, ſive extraiudicialis, modò teſtibus roboretur, vel iam ſit probata, quoniam de ea ſcriptum extat. *Glo. ſing in §. aliud quoque Auth. de æqual. dot.* v. *Cottam in Memoral. p. 165.* *Secundò*, præſumptio Iuris & de iure eſt pro ſententia, quæ tranſivit in rem judicatam, confeſſio tamen illius, qui eam obtinuit, prævalet, & extinguit illam. *Innoc. in c. Quia plerumq. de imm. Eccl.* *Tertiò*, admittit contrariam probationem non ſolum per quinque teſtes, ſed etiam per duos, aut tres legales. *Quartò*, cum certæ qualitates, & circumſtantiæ requirantur ad præſumptionem Iuris, & de Iure, deficientibus illis licet excipere adverſum eas. *Quinto*, contra tales præſumptiones prævalet notorium, & evidentia facti, modò permanens ſit, & allegetur. Plura *Socinus in Reg. 314 Panorm. in c. Quia veroſimile hab. T. Alciatus par. 2 de præſumptionib. num 5 Carbo l. 6 de leg. diſp. 14 Vallenſ. l. 2 T. 23 §. 4 Tabiena V. præſumptio.*

V. Præſumptio Iuris, quam lex pro veritate acceptat, donec contrarium probetur, probandi laborem & onus in adverſarium reiicit. *c. Ex inſinuatione. de procurat.* eumque gravat durioribus probationibus. Nam qui præſumptionem ſibi contrariam patitur, ut validiſſimis illam rationibus repellere debet. *l. ult. iun. Glo. ff. quod metus cauſa. Abb. in c. cit. Quia veriſimile hoc T. Notabili 2* unde colligimus præſumptionem, de quâ loquimur fortiorem cenſeri quam ſit ſemiplena probatio, quæ probandi onus non imponit adverſario. Adde, quia uſque ad contrarii probationem pro veritate habetur nulla iuramentum ſuppletorium exigendi neceſſitas eſt, quamvis illam pro ſe habens ad maiorem cautelam & ſecuritatem deferre queat. *V. Veſenbec. l. cit. num. 15 Tholos. l. 48 c. 11 Myſing. Centur. 5 obſ. 68 Vall. l. cit. n. 21.* admonens, de levi præſumptione, non eſſe idem affirmandum, nec ab ea onus probandi in adverſarium conijci poſſe. *Menoch. l. 1 de præſumpt. q. 82.*

VI. In eventu, quo plures præſumptiones concurrunt, debilior à fortiori eliditur. *l. Divus. ff. de in integr. reſt.* quemadmodum coniectura potentior infirmiorem opprimit. Nec intereſt, ſi utraque Iuris ſit, vel una tantùm, cui ſocietur altera, quæ ſit ab homine, ſemper enim prævalebit fortior. *arg l. Lucius 93 §. quæſitum. ff. de legatis.* ubi maſculinum ex legis diſpoſitione concipit femininum, & tamen ea diſpoſitio non attenditur, quando de contraria teſtatoris voluntate certitudo habetur. *Bald. Conſil. 398 Surd. Conſil. 80 Caſtr. conſ. 26 l. 2 Alex. conſ. 54 l. 7 Dec. conſ 470 Tuſchus Concl. 513.*

Pari iure præſumptio ſpecialis generalem extinguit, & præponderat. Quæ autem in particulari cenſenda ſit validior, aut potentior præſumptio, difficile eſt generalibus regulis decidere; ſed pru-

F 2 denti

Digitized by Google

denti iudicio determinandum relinquitur. *Panorm. in c. Cum inter. de elect. Surd. conſ. 112 Tuſchus lo cit.* ubi notat præſumptionem quæ ineſt à naturâ, cenſeri fortiorem illâ quæ ineſt à caſu, vel accidente. Ideò bona fama prævalet malæ, quando in concurſu æqualiter ſunt factæ probationes. *Bald. Conſil. 398. n. 4.*

Item fortiores eſſe præſumptiones, quæ habent pro ſe prohibitionem Iuris vel pœnam. Ideo ſi concurrant promiſſio & prohibitio, prævalebit præſumptio, quæ nocet, *Ang. Aret. Conſil. 15.* Similiter eas, quæ tendunt ad tollendam donationem, fraudem ac dolum. *Alex. Conſil. 18. l. 3.*

VII. Alias regulas *Alciatus tradit in Tract. de præſumpt.* quas operæ pretium iudico plenioris doctrinæ cauſa adiungere.

Prima eſt, mutatio non præſumitur, quæ mutare eſt quid contingens, qualia non præſumuntur. *Gloſſ in l. ſi vero. §. qui pro rei qualitate ff. qui ſatiſdare cog.* Hinc natum eſt illud vulgò notum, *ſemel malus, ſemper malus*, intellige in eodem genere mali. Imò de aliis quoque præſumi ſubinde poteſt propter connexionem, quam inter ſe vitia habent: & ſic in *Can. ſi gens Anglorum diſt. 56.* ex unâ ſpecie delicti paterni præſumitur, filios & poſteros quoque corruptos fore. Hoc tamen non procedit in delictis, quæ vel emendatione tolluntur, vel per ætatem & naturam alterantur, cuius generis amor, & libido cenſetur. *V. Roderic.* Tom. 11 *q. 13 ar. 3.*

Secunda Regula. Semper facienda eſt præſumptio in meliorem partem. *c. Eſtote miſericordes de Reg. Iur.* ubi *Beda* nihil aliud præcipi dicit, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Vnde ſequitur eum, qui ſemel bonus fuit, ſemper præſumi bonum. Quod tamen limitatur quinque modis per *Felinum in c. Cum in iure. de off. deleg.* 1. quando agitur de præiudicio tertii. 2. cùm de ſalute animæ agitur. 3. ſi ex actibus præcedentibus coniectura doli emergat. 4. ſi aliquando malus fuerit. 5. ſi agatur de aliquo promovendo. Nam vitæ integritas & requiſita ad dignitates & officia non præſumenda ſed probanda ſunt. *Cardin. in Clem. 1 de conceſſ. preben.*

Tertia, ex præteritis præſumitur circa futura. *c. Mandata de præſumpt.* & converſatio in adoleſcentia facit præſumptionem de ſenectute. *c. Ex ſtudiis eod.* Nec incongruè cognati Ioan. Bapt. de eodem admirantes interrogabant *Lucæ 1. v. 66.* Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo, intellige in ſignis & portentis inſolitis.

Ex his ita generaliter allatis plurima eliciuntur particularia, quæ diligens Lector apud eundem Alciatum inveniet. Nobis enim non licet eſſe plus nimio verboſis. *V. ſumm. in v. Iudicium, Coniectura, ſuſpicio, Indicia, Præſumptio. Barboſ. in* T. *de Præſumpt.*

VIII. Quærunt aliqui, ob quas cauſas in iure admittantur præſumptiones, quæ propter incertitudinem, & periculum errandi potius excludendæ & damnandæ, quàm admittendæ videntur? Quæ potiſſimum aſſignari cauſæ poſſunt. Vna eſt iudicii puritas, quæ non admittendo præſumptionem periclitaretur. *verbi gratia.* Duo ſponſi in copula deprehenſi ſunt, iure antiquo præſumitur affectu mari-

Digitized by Google

maritali factum eſſe, adeoque illos in matrimonium conſenſiſſe. *c. Is. qui fidem. de deſponſat.* Vos enim hoc præſumendum, vel illos graviter peccaſſe. In hoc autem periculum eſt, ne prædictis ſponſis iniuria fiat, cùm fieri poſſit, ut ſe maritali affectu cognoverint. Et hæc vocatur præſumptio facti. Altera cauſa eſt, tam iudicii, quam ſcientiæ ſecuritas. Cuius, *exempl gratia*, ante legitimam ætatem in ordine Religioſo profeſſionem edidit; valid. eſt (ex natura rei) ſi in plena deliberatione voventis, aliiſque requiſitis præter ætatem nullus defectus erat. Irritat nihilominus lex Canonica *Conc. Tr. Seſſ. 25 c. 15.* præſumens ex iis, quæ frequentius accidunt, defuiſſe plenam deliberationem: quia hoc conducit ad tranquillitatem ipſius voventis, tum ad certitudinem iudiciorum, ut unam eamque certam regulam in eiuſmodi caſibus ſequi poſſint. Hæc præſumptio ſecuritatis vocari poteſt: alii malunt appellare moralis periculi. *Barb. in Prætermiſſ. in c. Is. qui fidem, de deſponat.*

IX. Quæ præſumptio & quando allegari poſſit in iudicio, *Menochius de præſumpt. l. 1. q. 48 & ex illo Vallenſis tradit* §. 6 Equidem, quæ iuris, & de iure eſt, nunquam allegatur, quia Iudex illam velit, nolit, ſequi debet. Quæ juris tantum eſt, & ex facto proprio nata allegatur: quæ autem ex facto adverſarii oritur, vel circa eius factum verſatur, non niſi inde fructus ſperetur, alleganda eſt. Denique hominis præſumptio, cum planè ignota Iudici ſit, neceſſariò proferri & allegari debet. *Card. Tuſchus Concl. 635.* ubi etiam monet, ex ſolis præſumptionibus neminem ad ordinaria pœnam condemnandum eſſe, niſi in criminibus atrocioribus qualia cenſentur Aſſaſinii, læſæ maieſtatis, Simoniæ, & ſimilia.

§. 16.

De æquitate Iuris.

I. ÆQuitas, ſeu ἐπιείκεια vocatur moderatio Iuris, mitigatio legum Ius temperatum, æquitas, quæ ex Iure multum remittat, ut apparet in edictis Prætorum. Quid enim aliud eſt, reſtituere in integrum, quàm laxare ſcripti Iuris rigorem? Laxare dico, non per diſpenſationem, ſed benignam interpretationem *A Iodoco Dambaudero cap. ult. Practica crimin.* ita definitur, *Æquitas eſt temperata iuſtitia cum dulcedine & miſericordia. facta conſideratione diligenti, & diſcretione circumſtantiarum*, de qua Salomon, *Noli eſſe iuſtus multum. Eccl. 7 v. 17* quod ſi *Epheſi. π. de eo, quod certo loco. c. Diſciplina. c. Omnis. diſt. 45. Et melius eſt de miſericordia, quàm ſeveritate reddere rationem. c. allegant 26 q. 7* Panorm. *in c. Iurgantium. de ſent. & re iud. n. 1 Decius in π. Si certum petatur: ſi tibi pecuniam. num. 6.*

Quamobrem ſuprema tribunalia quoque, teſte *Budæo, in Pand. init.* interdum non modo iuris præſcriptum, ſed ne ſuarum quidem ſententiarum præiudicia ſequuntur, prægravante æqui bonique lance, in perpendendis temporum, perſonarum, locorum, & aliis qualitatibus: Proinde Ariſtoteles uno verbo ἐπιεικὲς appellat, quod noſtri æquum, & bonum dicunt. *A Navarro in Rubr. de iudic.* definitur, *Iuſtitia reddens ius, contra vel præter verba legis.* Vnde ſequitur, Iudicibus qui-

dem plurimum eſſe neceſſariam & propriam in caſibus dubiis, privatis tamen permiſſam eſſe, ſi non in quibuslibet, ſaltem iis, quæ manifeſta videntur, & morã non patiuntur. Nam qui iudicio & prudentia valet, iudicare & interpretari poterit legem in hoc illove caſu non obligare, vel propter intentionem legislatoris, vel damnum inde ſecuturum, aliaſque circumſtantias, cum quibus non conſiſtit obligatio. ἐπιείκεια enim ſpecies eſt, ſeu pars interpretationis, quæ veluti commune quid latius patet. Omnis enim æquitas interpretatio eſt, ſed non omnis interpretatio æquitas, ſeu epyeikia *Caiet. 2.2.q 120.ar.1. Arragon.q.58.art.5.Dom. Soto l.1.de iuſt.q.7.art.3.Carbo l.2.Diſp.6.& 7 Suar.de leg.l.1.c 2.& l.2.c 16.Silv.V.æquitas & V.Iudicium §. 1. Sayrus l.12.c.9 Vaſq.D. 167.c. 5.Comitol. De contract. Par. 1. c. 10. Weſenbec.l.1.v. T.1.n.18.*

II. Sitne virtus aliqua peculiaris ab omnibus aliis diſtincta, an potiùs quælibet in ſuâ materiâ rigorem Iuris ſcripti operâ communi prudentiæ moderetur, ac temperet, noſtra quidem parum intereſt, qui non de ſubtilitate, ſed benignitate ſolliciti ſumus. Attamen abſque neceſſitate non videntur multiplicandi habitus: adeoque *Leon. Leſſii* opinio tenẽda, cui etiam *Suarius aſſentitur l. 6. de leg. c. 6.* Singulæ igitur virtutes rationem æquitatis habent, quatenus contra legum verba ex affectu propriæ honeſtatis moderationem ac benignitatem ſequuntur, intuitu nimirum altioris virtutis, verbi gratiâ, charitatis, quæ non recedendo à literâ & rigore præcepti læderetur: quamadmodum in lege ieiunii apparet, à cuius obligatione alias communi eximitur infirmus, & imbecillis per æquitatem, quia ieiunando læderet charitatem, quam ſibi ipſi ad conſervandam vitam propriam debet. *Leſſ l.2.c.ult.n.69. Tanner. Tom.III. Q.6.D.2.n.56 Hallus de conſcientia l. 3.c.22. Carbo lo.cit. Reginald.l. 13 n.115. & ſeq. Bannez de iuſt q.58.*

III. Æquitatem, ſeu ἐπιείκειαν in poſitivis & humanis legibus potiſſimè exerceri manifeſtum eſt & magis in obligantibus, quam infirmantibus *Laym. l. 1.Tr. 4.c.19.* de naturali lege non eadem omnium *Doctorum* opinio circumfertur. *Navarrus poſt Caietanum in Rubr. de iudic. n. 75. & Conſil. 4 de diſponſat. impub. n. 16. & ſeq.* non minus in lege naturali, quam poſitivâ neceſſariam eſſe interpretationem ſeu ἐπιείκειαν contendit. Nam multæ, *inquit*, leges Decalogi indigent tali moderatione, quale eſt de neminem occidendo, quod per humana verba generaliter conceptum contra mentem auctoris includit homicidam morte dignum *c. Ille gladium 25. q. 5.* Tale eſt præceptum de honorando parentes, quos patriam oppugnantes licet filiis occidere. *l. minimè ff. de relig & ſumpt. funer. Ita Navar. cui ſubſcribit Salas Tract de leg. q. 94. D. 5. ſect. 10.* cum aliis quibuſdam minùs propriè & diſtinctè loquentibus.

Etenim ſeparando ἐπιείκειαν ab interpretatione ſimplici & diſpenſatione dicendum ſimpliciter eſt, in nulla lege naturali, ſecundùm ſe ſpectata epykiæ propriè dictæ locum eſſe. *Ratio*, quia legis naturalis præcepta ſunt propoſitiones quædam neceſſariæ & mutabiles, à nulla cuiuſcunque hominis voluntate vel intentione pendentes: nec includunt ſuperfluum aliquid, nec excludunt, quod neceſſa-

ceſſarium eſt. Vnde omnis interpretatio & moderatio circa illas fruſtra adhiberetur. Quod etiam in exemplis ſupra poſitis patet. Nam lex de non occidendo in ſe ſpectata non includit homicidã morte dignum ſed illos tantùm, quibus iniuria fieret per occiſionem. Includit tamen ſi univerſaliter more humano proponatur. *Verbi gratia.* Nullum hominem occides. Similiter præceptum de parentibus honorandis nõ eſt ita univerſale, ut quẽlibet caſum comprehendat, ſed idem ſonat, quod honore debito patrem & matrem afficite: à nobis autem iis verbis proponi ſolet, ut nihil excipere videatur. Nec aliud Navarrum velle hæc illius verba indicant *præceptum de non occidendo per humana verba generaliter conceptum includit homicidam morte dignum.*

Verùm de qualibet lege etiam civili & Canonica dici videtur poſſe, continere in ſe & reſpicere ea tantùm, quæ repugnant honeſtati oppoſitæ, & excipere caſus impertinentes. Etenim inter hominẽ legis poſitivæ auctorem, & naturæ auctorem Deum magna differentia eſt. Deus enim, cuius oculis nihil abſconditum, omnes circumſtantias & caſus quocunque modo poſſibiles intuetur, & ſecundùm eiuſmodi præſcientiam format leges, quod de humano legiſlatore dici nõ poteſt. Neceſſariò enim ipſum latent futura, quæ ſi cognoſceret, legem ſuam mutaret, vel corrigeret. Hoc autem quia nõ facit, aliis cenſetur permittere, quibus in particulari occurrunt incommoda. Fac, mandaſſe regem, ut nemo armatus noctu in publicum prodeat. At mihi nunc prodeundum neceſſariò eſt, nec aliter contra invadentes tueri vitam, quàm armis poſſum, hunc caſum à Rege exceptum eſſe interpretabor. Aliter ſi qui DD. locuti ſunt, aliter uſi ſunt terminis interpretationis & epykiæ, ut benè advertit *Suar. l. cit. Vaſq. in 1. 2. Diſp. 176. cap. 1.*

IV. Quæritur etiam, an ἐπιείκεια tam in affirmativis, quàm negativis præceptis locum habeat? R. ſi æquitas, ut ex *S. Thoma Silv.* declarat, *eſt virtus, qua quis ſervata legis intentione legis verba non ſervat*, reſpiciendo videlicet ad altiorem virtutẽ, & bonum commune, nulla ratio excogitari poteſt, cur non in utroque genere præceptorum adhiberi ἐπιείκεια poſſit, ac debeat. In omnibus enim contingit occurrere caſus, in quibus ſervare legem abſque moderatione nihil aliud eſſet, quã lædere iuſtitiam, aut charitatem, ut patet communibus & vulgò notis exemplis, de reddendo depoſito, excludendo cives tempore obſidionis & ſimilibus, quæ toties inculcare ſuperfluum cenſeo.

V. Sed occurrit dubium, an pro benigna legis interpretatione, ſeu epykia ſufficiat etiam boni privati noxa, ſeu dãnum? Vbi conſiderandum duplex privato homini accidere damnum poſſe, unũ, quod immediatè illum afficit, & illo mediante communitatem, ſeu Remp. cuius intereſt, cives, & illorum bona illæſa permanere: alterum, quod ita proprium illi, ut vel nullo modo communitatem concernat, vel ita remotè, ut merito contemni queat. De priori minor, quam poſteriori dubitatio eſt. Nihilominus tamen fieri poteſt, ut in tali caſu propter nocumentum particulare lex aliqua negligatur iudicio æquitatis, quoniam præſumi poteſt, intentionem legiſlatoris nõ eſſe cum notabili damno ſubditos obligare

Quo-

Digitized by Google

Quocirca conceditur etiam, ut propter lucri alicuius neceſſarii acquiſitionem præcepta Eccleſiaſtica omittantur, quẽadmodum diebus feſtis paſſim fieri cernimus à mercatoribus, qui ne lucro vitæ commodis neceſſario fraudentur, Miſſam omittunt, neque ab Eccleſiaſtico magiſtratu puniuntur.

VI. Igitur non ſecundùm verba legis, ſed æquitatem ſeu ἐπιείκειαν iudicandum eſt in his quinque caſibus. *Primus eſt*, quãdo lex, aut ſimpliciter aut ſecundum aliquid ratione loci, temporis, aut perſonæ redditur iniqua. *Secundus*, quando obſervatio legis obeſſet bono communi *Tertius* cum præſumere prudenter licet, ipsũ legislatorem, ſi adeſſet, contra tenorem legis ſuæ acturum, vel quod petitur, conceſſurũ eſſe. *Quartus*, cum apparet, aliam extitiſſe auctoris mentem. *Quintus* denique quando de diſpenſatione Principis conſtat. Exemplo horum ſuggerit *Sayrus l.12.c.9. Henriq.l.10.c.15.n.66. Tanner* T.D 5.*q.7.dub.2.& 111. D. 6. q.2. dub.2. Anton. Par.1.T.3.c.10.* § 10. *Reginald.l.13.numer. 115.& ſeq.*

Conſilii eſt, in caſibus particularibus, quando occurrunt, & nihil obſtat, conſulere viros doctos, & prudentes, ſeque illorum arbitrio conformare. Nam ſua cuique cupiditas meritò ſuſpecta eſſe debet, ne per illam eò trahatur, unde nõ poſſit ſine damno mergere. Quodſi ad ſuperiorem aditus patet, is quantocyus pro capienda reſolutione adeundus erit. His verò omnibus deſperatis, conſcientia, & ratione magiſtra utetur.

In particulari illis, qui ſcrupuloſa conſcientia anguntur, *Navarrus c.27.nu.247.* ſuadet uſum epykiæ, ſeu æquitatis, ut perſuadeant ſibi, non peccare, qui implet legem ſecundum mentem auctoris, licet in verba offendat, neque qui eam in ſenſu benigniore ſervat, quamvis in duriore violat. *V. Reginald.l cit.*

Regulas æquitatis ex Iure Can. & Civili ſelectas invenies apud *Comitolum De Contract. Par.1.c.10.*

§. 17.

De Permiſſione.

I. INter effectus legis numerari permiſſionem ex Iſidoro liquet, relato in *c. fin. Diſt.3.* Omnis enim lex aut permittit aliquid, ut, vir fortis præmium petat: aut vetat, ut ſacrarum Virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, ut, qui cædem fecerit, capite plectatur. Eius enim præmio, & pœna vita moderatur humana. Hanc legis ſeu definitionem ſeu deſcriptionem enucleans *Franc. Suar. l.1. de legib. c. 15.* illam tantùm permiſſionem eſſe effectum legis docet, quæ per aliquam poſitivam præceptionem proponitur: qualis eſt, v. gr. illa in *Dig. l. 20. ad l. Iul. de adult.* Patri datur ius occidendi adulterũ cũ filia, quam in poteſtate habet *& 24 eod.* Marito quoq; adulterum uxoris ſuæ occidere permittitur, ſed non quemlibet. Quod repetitur & probatur in *C. l. Gracchus eod.* Igitur quo modo, & iure tam in Rep. civili, quã Eccleſiaſtica impunè liceat contra leges præſcriptas delinquere, paucis indicabimus, ne adhunc offẽſionis lapidem imperiti tyrones impingant.

II. Eſt autem Permiſſio non unius generis, ſed in multas partes dividitur. *Gl. in c. Omnis autem. Diſt.3,* triplicem facit ſe-

cundum

Digitized by Google

cundùm tres modos,quibus aliquid permitti dicitur *Primò* quidem,quia nullo iure prohibetur, ut nuptias ſecundas contrahere.*c. hac ratione* 31.*q*.1.Secundò,quia contra humanas leges indulgetur,ut cõtrahere matrimonium in quinto(melius hodie in quarto)gradu.Hanc permiſſionem non malè dixeris diſpenſativam. *Tertiò*,ut vitetur aliquid magis illicitum, adulterium ſcilicet,ne fiat homicidium. *c.ſi quod verius* 33.*q*.2.

Nota exemplum allegatum ex S. *Aug. l.2.de adult.coniug.c.*15 decerptum eſt, & minùs aptè proſertur,quaſi unquam unius peccati loco aliud facere liceat.Nec S.Aug.ea mens,cum maniſeſtè dicat,utrumque illicitum eſſe, ſive adulteram occidere,ſive illa vivente alteram ducere,ac proinde ab utroque abſtinendum, nec illicitum pro illicito faciendum. Subdit verò,ſi enim facturus eſt, quod non licet,iam faciat adulterium, & non faciat homicidium,ut vivente uxore ſua alteram ducat,& non humanum ſanguinem fundat. hoc eſt, ſi liceret illicitum pro illicito facere (quod nemo dixerit) ex duobus id quod minus videtur eligendum eſſet,puta adulterium præ homicidio.

Paulò aliter *Angelus in V. Vſura.§. 2.nu.*14.tres aſſignat permiſſionis ſpecies. Prima eſt ſimplex, indulgens pœnam tantùm,quo modo Eccleſia permittit lupanaria propter maius malum evitandum. *c. denique iun. Glo. in V.venia diſt.*4 *& c.Veniens iun Glo.fin.Qui Clerici vel voventes.* Secunda permiſſio removet impedimentum.Sic Eccleſia tolerat ritus Iudæorum, prohibens Chriſtianis, ne illos impediant.*c. Quia ſincera.& c.ſicut. De Iudæis diſt.*45. Tertia permiſſio auxiliatur ſecundũ quam Eccleſia permittit Clericum à magiſtratu ſæculari occidi, degradatum illi tradens.*c. Degradatio.De Pœn.in 6* Ita *Angel.l.cit.* ſubdens à nullo magiſtratu permitti uſuram poſſe, ne quidem primo modo,quo alia peccata permittuntur,eò quod maior in uſura,quam alio quocunque flagitio malitia ſit,de quo paradoxo nu. ſeq.

Iam quia nec id, quod per ſe bonum, nec quod indifferens eſt, permitti propriè dicitur,ſed quæ iure aliquo prohibētur, duplicem rectè dixeris permiſſionem eſſe, unam facti, aliam verò Iuris, ſive laici,ſive Eccleſiaſtici.Facti appello, quæ ab homine procedit,qualis *in c denique Diſt.*4.S.*Gregorii* eſt,dicentis,cum venia ingenio ſuo relinquendos eſſe laicos, qui à conſuetudine epulandi largius, & ingurgitandi ſe diebus dominicis averti non poſſunt.

S.Thom in 4.Sent.diſt.33 q.2.art 2. & 2. 2. q.92.art.3. Panorm.in c. ut clericorum. De vi & hon.Cler.V.Prælati.

*Angel. Silv. Armilla Tabiena.in V.Permiſſio.Graſſ.Par.2.l.3.c.29. Suarez l.1.de l g.c.15.& l.9.c.6.Salas de leg.q.92.Diſp.3.ſect.6. Franc.Marcus Par.1.Deciſ.*154. *Navar.c.*17. *num.*195.

III. Multa peccata vulgò creduntur legibus Imperatorum permitti,imo palam iactantur etiam in ſcholis:qui error declaratione veri tollendus eſt.*Primò* concubinatum inter non ſacros, & ſolutos Iure civili permitti dicunt in *D.& C.T.de Concubinis,& §.ult.Inſtit. De Nuptiis.* Sed legem illam ſuſtuliſſe videtur *Leo Imp. in Novel.*91.ubi cum vocaſſet errorem legislatoris,ſubdit.Itaque lex illa(permittens

concubinam) in æternum ſileto. V. Gotofredi Annot. ibid. Non eſt ergò damnandum deinceps, Imperatorum legibus concubinatum permitti. *V. Clarum.* §. *Fornicatio n.*7.

Ius Canonicum quod attinet, extra controverſiam eſt, nunquam non prohibuiſſe, & condemnaſſe. *c. Nemo.* 32. *q.* 4. & *c. Meretrices Con. Tract. S.* 24. *c.* 8. ut mirari ſatis nequeam imperitiam, vel impudentiam *Valentini Forſteri*, qui in *Tr. de Succeſſ. ab inteſtato* garrit, omnibus notum eſſe, & conſpicuum, quod focariis Clerici utantur pluribus, vel etiam infinitis, eumque morem hodie crimen non eſſe. Vnde amabo? ex *c. obiciuntur. Diſt.* 32. *q* 4. obiciũtur Iacob quatuor uxores, quod quando mos erat, crimen non erat. Multum probas *Valentine*, à more licito ad illicitum ſumpro argumento. *V. Franc. Leon. in Theſ. fori Eccleſ. l.* 2. *Par.* 1. *c.* 10 §. *Hodie.*

Iul. Clarum. §. *Fornicatio num.* 6 Neque obſtat, quod *n.* 7. addit exiſtimare ſe concubinatum Iure civili prohibitum non eſſe, quod ex conſuetudine notum fit. Aliud namque eſt de permiſſione facti (quod hîc allegatur) aliud de permiſſione Iurisloqui. Facto contingit, facto Ius reſiſtit.

Secundo, quaſdam uſuras olim permiſſas, imò quorundam iudicio approbatas docet *l. eos qui C. de uſur. Covar. l.* 3. *var. c.* 1. *Sotus l.* 6 *q.* 1. *Valent. D.* 5. *q.* 21 *pu.* 1. *Tholos. l.* 22, *c.* 3 inter illuſtres viros ad rationem quatuor pro centũ, inter negotiatores ad rationẽ octo pro cẽtũ: inter mercatores, qui traiciebãt mare, ad rationẽ duodecim pro centum; inter alios nonniſi ad rationem ſex pro centum. Vſurarum uſuræ nunquam toleratæ ſunt, Iure Canonico etiam reprobatæ leges, quæ uſuram approbant. Permitti nihilominus, contra quam *Angel.* velit poſſe etiam ab Eccleſiaſticis prælatis conſtans *Bonac. Tom.* 1. *pag.* 518. Theologorum doctrina eſt. *Mol. D.* 204. *Leſſ. l* 2. *c* 20. *n* 179 *Laym. l* 3. *Tr.* 4. *c.* 16. *n.* 7. admonens graviter peccaturum, qui uſuræ licentiam daret cum pacto magni tributi ſolvendi, quoniam inde uſurarii anſam ſumerent augendi uſuram, & gravandi inopes. Præterea cavendum Iudicibus, ne ad uſurarum ſolutionem cogant debitores, vel impediant, ne ſolutæ repetantur, propter *Clem. un. de uſur.* ubi excommunicatio latæ ſententiæ pro cogentibus, & ne repetantur, impedientibus decernitur. *Caietan. in ſum. V. Vſura* §. *ad uſuram accipere Fillint.* Tract. 34. *c.* 1. *n.* 17. *Card. Lugo Diſput.* 25 *ſect.* 11. *à num.* 218. *Tanner. t.* 11. *D.* 4 *Q.* 7. *Dub.* 3. *n.* 101.

Tertio, in adulterio deprehenſos quomodo patri, & marito permittatur occidere *n.* 1. indicatum eſt. Nimirum iuſto dolori tribuendum aliquid, & pudori conſulere legiſlator ethnicus voluit. Docendus ideò, & corrigendus, ut ſupremi Iudicis ſententiam ſuæ credat præferendam eſſe. Non perimat corpus, cum quo ſimul intereat animus. Certa & Catholica doctrina eſt non licere patri aut marito uxorem vel filiam in adulterio deprehenſam occidere: quæque id Imperatorum leges permittunt, ab Eccleſiâ reprobantur. *c. Inter hæc* 33. *q.* 2. *c. Quicunque ibid.* ubi *Gloſſ. Abb. Anan. Felin. & alii DD. apud Covarr. De Matrim. Par.* 2. *c.* 7. §. 7. Neque obſtat quod *c. ſi vero alicuius. De ſent. excom.* excuſari videtur, qui clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filiâ propriâ turpiter inventum manus iniecerit violentas.

tas.

Digitized by Google

tas. Non enim permittitur cædes cuiquam, ſed à ſententiâ excommunicationis in clerici percuſſorem lata liberatur, qui iuſto dolore commotus clerici turpitudinem verberibus caſtigat. *V. Azor. Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 20. §. *Dubitatur igitur.*

Quarto, duellis veterum ævo frequentius. Imperatores, Reges, Principes olim certis conditionibus permiſerunt, malitia hominum id exigente, quemadmodũ fusè *Tholoſanus perſequitur l.* 48. *c.* 16. Infami laniena innocentiæ defenſio, & veritatis oſtenſio quærebatur. *Bald. in l. ex hoc iure.* ff *De iuſt. & iure. Decius conſil.* 487.

Hoc tempore nec civili, nec Canonico iure ſpontaneum, & temerarium duellum permittitur: *c.* 1. *&* 2 *De cler. pugn. in duello c ult. de purg vulg. c. Monomachiam* 2. *q.* 3 adeò, ut nec conſuetudo in contrarium valeat, *teſte Decianol.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

Ad de Concilii Trid. graviſſimam prohibitionem *c.* 19. *ſeſſ.* 25. cum Bulla *Clem. VIII*, quæ incipit *illius vices.* Item *Deteſtabilis duellorum*: nec non *Pii IV. & Greg. XIII. in Declarat. ad cit. c. Conc. Trid.*

Dixi ſpontaneum, & temerarium, ut maneat neceſſariæ, & imperatæ defenſioni locus: de qua materia conſulendi ſunt Theol. apud. *Azor. Tom.* III *l.* 2 *c.* 5. *Sanchez l.* 2. *Moral. c.* 39. *Reginald. l.* 21. *Mart. Delrio l.* 4. *c.* 4. *Diſquiſ. Mag. Q.* 4. *Henriq. l.* 13. *c.* 39. *Bannez* 2 2*a q* 64 *art.* 7. *dub.* 3. *Valent. ibid. Diſp.* 3 *q.* 17. *pun.* 1. *Sayr. in clavi reg l.* 7. *c.* 13. *& de Cenſur. l* 3 *c.* 31. *Mol. Tract.* 3. *D.* 17. *Aroagon l* 3 *c.* 1. *Gratian Diſceptat. forens. Tom.* 3. *diſp.* 410. *Conin. l.* 6 *q.* 16. *n.* 14. *Zerola V. Duellum. Silveſt & alii ſum miſta eod.*

Quinto Eum, qui ad inſtantiam adverſæ partis falſo iurat apud Iudicem non puniri legibus aſſerit *Decian. l.* 2. *c.* 19. Allegans *l.* 2. *C. de reb. cred.* ubi *Alexand. Imp. Iuriſiurandi* (per Deum concepti) *Religio Deum ultorem habet*, quaſi dicat ab hominibus non puniri. Verum longè alio ſenſu prædicta verba nonnulli accipiunt, ut *Decianus ipſe fatetur l.* 6 *c.* 13. *ſex diverſas* interpretationes in medium adducens. *Menochius præclarè Caſu* 319. de eo loqui tradit, qui calore quodam iracundiæ (qui eſt inconſultæ mentis motus) iurauit ſive contra Principem, ſive contra Deum: hunc vi citatæ legis non ordinaria, ſed extraordinaria pœna plectendũ eſſe. *V. Gaill. l.* 2. *obſ.* 59. ubi contra Felinum in iuris Principibus fidem verbo ſimplici datam, & iuramentum eodem paſſu incedere tradit. Sicut enim in iuramento nullam convenit eſſe perfidiam, ita in verbis noſtris nullum debet eſſe mendacium. *c. Iuramenti* 22 *q.* 5 *Fran. Marcus Deciſ.* 456. *n.* 45 *Gloſſ in c. Pervenit. De fide iuſſ. & c. penult. De iure iur.*

Sexto, Sortes iure civili in multis caſibus admitti in nullo autem à iure Canonico idem Decianus affirmat ex *l. Cum prætor l. cum ambo* ff. *De iudic* addere poterat *l. ſi duob. C. communia de legat.* ubi loquens *Iuſtin. Imp.* de variis caſibus inter hæredes, vel legatarios. Sancimus *inquit*, in huiuſmodi caſibus iudicem fortunam eſſe, & ſortem inter altercantes adhibendam, ut quem ſors prætulerit, is qui habeat poteſtatem eligendi. Verum hic *Decianus*, & quicunque idem cum illo ſentientes in manifeſto errore cæcutiunt. Nullibi enim reperitur lex Canoni-

Digitized by Google

ra quæ generaliter omnes ſortes prohibeat: nec in civili jure permittitur ſortilegium per ſe malum, ſed approbat ſortes, quarum in commercio humano licitus uſus eſt, in cauſis dubiis bonorum communium. Nam quando æquale jus eſt, nec dividi poteſt, nec omnibus æqualiter tribui ex conventione partium quâ iure ſuo quilibet cedit, abſque iniuria in illius poteſtatem cadit, cui ſors propitia eſt. *v. Suarez. l.1 de ſuperſt. c. 12. n* 4. Nullus igitur in his ſortibus diviſoriis locus permiſſioni relinquitur, ſed quia nullam iniquitatem continent, abſolutè laudantur, & approbantur, quemadmodum fuſius à Theologis explicatur apud *Sanc. l.2 Moral. c.* 38. *à num.* 56. *Layman. l.*4 *Tract.* 10 *c.* 3. *Leſſ. c.* 43 *Dub.* 9. *Filliut.* *Tract.* 24. *c.* 4.

Septimò denique contrahentibus invicem licere deceptionem infra dimidium pretii communis ferè vox eſt, iuxta §.4 *l. in cauſa cognitione. ff. de minorib.* Pomponius ait, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter (jure gentium) licere contrahentibus ſe circumvenire. Licere ideo creditur, quia ad vitandam litium ſementem non datur actio deceptis. Vnde non benè inferes dolum ac fraudem approbari vel tolerari, cum pro irrito contractu habeatur, cui dolus cauſam dedit. *l. Ex empto.* §. *Is. qui ff. de act. emp. & l. eleganter, ff. de donat.* Quæ deceptio aut reipſa, aut ſolertia quadam contrahentium efficitur, dum quilibet lucro ſuo intentus eſt, diſſimulatur. *l. ſi voluntate.* C. *de contrah. empt. Mynſing. Centur.* 6 *obſ.* 38. *VVeſenb. l.* 18 *ff.* T. 1 *n.* 15 *Franc. Marcus deciſ.* 540.

Quod conſcientiam attinet peccati reus eſt, quicunque in contractu, aut negotio quolibet circumvenit fratrem, & reſtituere tenetur, quod ultra iuſtum pretium lucratus eſt. Optimè *Doctor Angelicus in* 2. 2 *q.* 77 *art.* 1. Fraudem adhibere ad hoc, ut aliquid plus iuſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius. Vnde & *Tullius* dicit. *l.* 3. *de off.* Tollendum eſt ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra ſe licitetur, emptor opponet. *Infra.* Secundum æqualitatem rei contractus inſtitui debet. Ideò ſi vel prætium excedat quantitatem valoris rei, vel è converſo res excedat pretium, tolletur iuſtitiæ æqualitas Et ideò charius vendere, vel vilius emere rem, quàm valeat, eſt ſecundum ſe illicitum, & iniuſtum. Ita *S. Thom.* mox ad permiſſionem *legis cita. In cauſa cognitione* reſpondet. Lex humana populo datur in quo ſunt multi à virtute deficientes, non autem datur ſolis virtuoſis.

Et ideò lex humana non potuit prohibere, quicquid eſt contra virtutem: ſed ei ſufficiat prohibere ea, quæ deſtruunt hominum convictu; alia verò habet quaſi licita, non quod ea approbet, ſed quia ea non punit. Sic ergo habet quaſi licitam pœnam non inducens, ſi abſque fraude venditor rem ſuam ſupervendat aut emptor vilius emat, niſi ſit nimius exceſſus; quia tunc etiam lex humana cogit ad reſtituendum: puta ſi aliquis ſit deceptus ultra dimidiam iuſti precii quantitatem.

Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod ſit virtuti contrarium. Vnde ſecundum divinam legem illicitum reputatur

Digitized by Google

putatur, ſi in emptione, & venditione non ſit obſervata juſtitiæ æqualitas: & tenetur ille, qui plus habet, recompenſare ei, qui damnificatus eſt, ſi ſit notabile damnum. Quod ideò dico, quia iuſtum pretium rerum non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtet, ita ut modica additio, vel diminutio non videatur tollere æqualitatem iuſtitiæ.

Hæc de permiſſivo Iure legum civilium ex multis pauca, & potiſſima pro inſtructione iuniorum ſufficiunt.

IV. Iuris Canonici exempla, quibus peccata fidelium cœtui prohibita, conſtitutione aliqua, vel decreto directè permittantur, vix reperies: facti verò permiſſio maior & frequentior eſt. Blaſphemias, uſuras, libidines, ebrietatem, fraudes, inſidias, rapinas, & ſimilia quis Eccleſiæ prælatus pro merito caſtigat? Multa nimirum diriguntur lege divinâ, quæ dirigi non poſſunt humanâ, & plura cauſæ ſuperiori, quàm inferiori ſubduntur. *S. Thom. 1. 2. q. 93 art. ad 3.* Multa item per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium exigente iuſtitiâ non debeant tolerari. *c. Cum iam dudum. de prabend.* Ad hoc probandum *Ludov. de Graff. Par. 2 l. 3 c. 29 a. nu. 36.* inducit exempla nonnulla, quæ neſcio an ſatis efficaciter probent, quod intendunt.

Primò, ait, licet votum caſtitatis de præſenti impediat matrimonium contrahendum, Eccleſia tamen ex cauſa matrimonium contrahi quandoque permittit, *c. Veniens. qui cler. vel vov.* & talis eſt comparativa permiſſio, ut dicit ibi *Gloſſa*, ac ſi dicat, quod mulier (de quâ agitur in *cit. c.*) contrahendo non evitat peccatum, quia agit contra votum, ſed Eccleſia permittit ex causâ, ut evitet maius malum, & periculum, quia apparebat, quod mulier eſſet iuvenis, & continere non poterat. *Secundò* ob eandem cauſam, ut evitetur maius malum, Eccleſia vetat iniungi iuramentum de cuius transgreſſione veroſimiliter timetur *arg. text. in c. clericos de cohab. mul.* ubi clerici ſuſpecti, & iuvenes non ſunt compellendi fornicarias abiurare. Simile 22 *q.* 1 *c. Ita ergo. de præſumpt. c. literas. §. fin.* Hæc etiam ratione non imponitur penitentia gravis iuvenibus. *c. pænitentes. diſt.* 50. *Tertio* Pari ratione quamvis omnes de præcepto teneantur ad correctionem. *c. Tua. de cognat. ſpir.* tamen illa fieri debet, quando eſt opportunitas temporis, & quando credit peccanti prodeſſe. *Ita S. Thom. 2 2 q. 33 & in 4 diſt. 19 q. 1.* Nam ſi vellet hominem recenti vulnere affectum corripere; nihil aliud faceret, quam igni adhiberi ligna. *Sic Graff* minus aptè ad probandam permiſſionem allegando caſum, in quo nulla obligatio eſt. Neque enim Eccleſia tolerat omiſſionem correctionis, ad quam nemo obligatur. Non obligare autem correctionis præceptum, quando opportunitas, & ſpes emendationis non apparet, DD. conſtans opinio eſt. Non diffiteor tamen aliquos vocare diſſimulationem, ſeu toleramiam malorum, cùm non adhibetur correptio, ſed minus propriè loquuntur.

V. Cæterùm ut permiſſionis de quâ hucuſque, æquitas & honeſtas manifeſta

 fiat.

fiat. *Primò* conſideranda eſt Chriſti doctrina *Matth* 13. *v.* 30. ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem. Suſtinet Deus, *teſte S. Cyrillo Catech.* 8 *§. Imperium.* homicidas, & latrones, & fornicatores propter longanimitatem præfiniens tempus retributionis, quo reddat unicuique ut qui longo tempore acceperunt dilationem, & impœnitens cor habuerunt gravius condemnentur. Præterea, ut *Auguſtinus* ait, tolerandi ſunt improbi quia ſæpè in probos; toleranda Zizania, quia in triticum ſæpè tranſmutantur. *V. S. Auguſt. ſerm.* 46 *de diverſ. Secundò* Sanctorum Patrum & Doctorum auctoritas, qui unanimi conſenſu ſuadent impunita quædam mala relinquere *V. S. Thom.* 2. 2 *q.* 91 *art.* 4 *Mol. diſp.* 304. *Leſſ. c.* 20 *num.* 79 *Graff. l. cit. n.* 60. *Tanner.* 111 *diſ.* 5 *q.* 1 *Dub.* 3. *nu.* 42 *Layman. l.* 3 *Tract.* 4 *c.* 16 *Comitol. l.* 3 *q* 5 *n.* 13 *Ferdin. ab Effren. in Manuali polit l.* 2 *Punct.* 9. *Tertiò* ponderanda eſt ratio, quæ duplex. Vna, ut evitetur maius malum, quod citata Chriſti parabola inſinuat; ne fortè ſimul eradicetis triticum. Notum eſt illud *Auguſtini.* Tolle meretrices de mundo, & ſodomiâ totus erit repletus. Altera, ut obtineatur aliquod bonum, quod prudentium virorum iudicio longè magis commodum ſit reip. quàm incommodum ſit eidem malum, quod permittitur. *Iul. Mazz trin. in pſal.* 50. *Concione* 9. *§. neque amplius.*

Sed quia malorum omnium radix cupiditas eſt, præſertim auri, argentique, ſummopere cavendum eſt magiſtratui, ne augendæ rei ſuæ cauſa permittat lupas, & uſuras, pactum explicitum, vel tacitum ineundo cum infamibus perſonis, ut participet de mercede iniquitatis. Neque enim parcet ſcelerum ultro Deus, qui odit & perſequitur tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari. *Numer. c.* 24 *&* 25 *Apocalypſ. S. Ioann. c.* 2. *v.* 14.

§. 18.

Modus argumentandi in Iure.

I. Svmptâ à dialecticis, & probè cognita diſſerendi, probandi, ac reprobandi formâ, ſive per ſyllogiſmum, ſivè per enthymema, exemplum, aut Inductionem, primaria cura erit, ſcopum, & thema propoſitum attendere, ne quod ſubinde cum auditorum riſu accidit, aliud pro alio impugnes, veliſque evincere quod adverſarius ultrò concedit.

II. Subtilitates Philoſophis, & Theologis relinquendæ ſunt, quorum controverſiæ nullo humani arbitrii placito, ſed momentis rationum definiuntur. E contra iuris Canonici & Civilis materia, tota quanta eſt, legibus & præceptis continetur, quorum rationes & cauſas anxiè rimari nihil aliud eſt, quàm in moribus humanis materiam primam quærere, hoc eſt, nihil agere.

Definitiones quoque non ſunt ad libellam Dialecticæ ponderandæ, quandoquidem ex innumeris perpaucas reperies, quæ genere & differentia conſtent. Nam exempli gratiâ, *Lex à Papiniano definitur commune præceptum. l.* 1. *ff. de leg.* Contractum *Labeo definit ultrò citroque in-*

quæ inter duos, pluresve obligationem. In hac genus, in priori differentia expreſſa non eſt.

Idem patet in definitione furti, quam Theologi paſſim reiiciunt. Quamobrem in *Reg. iur.* 202. dicitur, difficile eſt explicare quidditatem & eſſentiam rei definitæ, ſecundum quod Philoſophi veram definitionem perſcrutantur. *V. Arragon. n.22 q 66 art. 3 Spinæus de praeminentia Theolog. c.10.*

III. Modus arguendi triplex eſt, à *lege, Ratione, & Exemplo.* Ad quæ reduci poſſe omnes probationes *Nicol. Eberh.* tradit in *Praambulu n.15* à *lege* Iudæi arguebant *Ioann. 19 Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* à *Ratione Christus Ioann. 8. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ab exemplo Angelus Luca. 1 Ecce Eliſabeth. cognata tua concepit filium in ſenectute ſua.*

In qualibet lege, ut *Baldus notat. §. ſed & leges π. de legibus* tria notari poſſunt, *verba, res, Auctoritas.* & triplex inde argumentatio ſumi, nimirum materialis, in quâ verba attenduntur. *l.1 §. ſi is qui navem. π. de exercit. act. Subtilis & intellectualis,* quæ conſiſtit in vi ſermonis: uti, quod verbum *exigere* ſignificat, *ab invito petere. l.11. § ſi rem. π. de leg* denique *ſubtiliſſimus, & conjecturalis,* ut cum plus ſignificamus quam dicimus. *l. Cum acutiſſimi. de fidei comm. & l.3 C. de inoff. teſtamento.*

Præterea à lege dupliciter arguitur, affirmativè, & negativè. *affirmativè,* cum pro caſu, de quo litigatur, lex expreſſa & authentica adducitur. *Negative,* à diſpoſitione legis ceſſante. *à Ratione* argumentum ducitur, quando lege deficiente ratio naturalis, quid faciendum, fugiendumque ſit, indicat. Quemadmodum *Labeo in l. Fluminum. § adnuitur. π. de damno infecto ſi hoc, inquiens, non admittatur, iniquum erit. Quod enim tam firmum ædificium eſt, ut fluminis, aut maris aut tempeſtatis, aut incendii, aut terræ motus vim ſuſtinere poſſit? Item l. Nam hoc π. de condict. indeb. Nam hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius damno fieri locupletiorem. Ab exemplo & auctoritate,* quomodo arguendum ſit, *Eberhard.* docet in *Loco, ab auctoritate,* monens ſigillatim à negativa non valere conſequentiam: ut neque iſtam. Talis Doctor eſt Canonizatus, vel inter ſanctos relatus. Ergò prohibitum eſt aliter opinari. Talis non eſt Canonizatus, Ergò dicta illius non ſunt recipienda. De hoc plura. *v. ap. Melch. Canum de loc. Theol. l.7. c.3.*

IV. Optimus modus convincendi adverſarium eſt *Retorſio,* quando telum ab alio projectum in caput ipſius retorquetur. *Exempli gratia* Iudæis reſpondit Chriſtus. *Ioann. 8 in lege veſtra ſcriptum eſt. Duorum hominum teſtimonium verum eſt: vosque hoc agnoſcitis. At ego teſtimonium de me, & pater meus, duo nimirum, dicunt. Ergo teſtimonium hoc verum eſt.* Celebre eſt exemplum de Protagora, & Evatlo apud *Gell. l. 5 c. 10.* ubi eiuſmodi argumenta *ἀντιστρέφοντα* appellat.

Alius modus convincendi per interrogationem fit, ut ex reſponſione adverſarii contra ipſum argumentum ſumatur. *c. Quo iure. diſp. 8 quo iure defendis villas Eccleſiæ, divino an humano? Divinum in ſcripturis habemus, humanum in legibus Regum.* Hanc evidentiſſimam victoriam Præpoſitus vocat. *v. Glo. & DD. in c. ſuper ver-*

per. verbo. Malignantium. de elect. & *Silveſtrum V. Argumentatio iuridica. n.* 6.

V. Omnia argumenta facilè ſolvi poſſe *Eberh. l. citato* tradit, ſi attendas, quæ in ſequentibus verſiculis continentur.

Cauſſa, locus, tempus, perſona, rigor novitaſque,
Antiquum, bonitas, tempus, veto, conſulo, præcipioque,
His ſi iungatur permiſſio, ius variatur.

Quos verſus declarat *Speculator l.* 2 *T. de Diſput. & allegat. in v. Generaliter.* addens ferè omnia contraria in Iure per tres fallacias ſolvi ſcilicet per fallaciam æquivocationis, accidentis, ſecundum quid, & ſimpliciter.

Hucuſque *Prolegomena*, quæ ſacri Iuris penetralia ſubire volentibus veſtibuli loco futura præfati ſumus. E multis pauca ſelegimus, multa ſemovimus, non ſubtraximus. Ingreſſi, & progreſſi, quæ videntur deeſſe, videbunt ſupereſſe.

* * *

PARS PRIMA

Digitized by Google

57

PARS PRIMA
SUMMÆ
IVRIS CANONICI
De
PERSONIS ECCLESIASTICIS,
Earumque ſtatu, Dignitate, munere, & Immunitate.

Auctore
R. P. IOANNE STREINIO Societatis IESV,
SS. Theologiæ Doctore, Sacrorum Canonum Profeſſore & Academiæ Bambergenſis Cancellario.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IODOCI KALCOVII Bibliopolæ
M.DC.LVIII.
Cum Privilegio S. C. M.

Digitized by Google

PRÆFATIO

Ad benevolum Lectorem.

IUris Canonici prima initia, qui maiore curâ, & ſtudio inveſtigarunt, per ante acti temporis memoriam retrò flectentes greſſum ad ipſum Evangelicæ prædicationis ortum penetraſſe comperti ſunt. Vixdum novæ, & ſaluificæ doctrinæ audita vox, inque unum collecta fidelium multitudo erat, cùm repentè de obſervatione legalium, circumciſione, abſtinentiâ immolatorum, & ſimilibus exorta dubitatio ſollicitos Eccleſiæ præpoſitos ad iudicandum, decernendumque coëgit. Iam quid cuique ad conciliandam fovendamque ſupremi Numinis amicitiam, & vitæ æternæ promerendam coronam creditu, factuque neceſſarium foret, omnibus æquè notum erat: ſed earum rerum, quæ boni inter, & mali certos fines mediæ videntur, expoſitio deſiderabatur. Cùm ergò Apoſtolorum, & ſeniorum cœtus conveniſſet, diſquiſitio inſtituta eſt, auditaque Petri imprimis, & Iacobi ſententiâ præſcriptum iis, qui Chriſti recens fidem complexi erant ex gentibus, ut abſtinerent à contaminationibus ſimulacrorum, fornicatione, ſanguine, & ſuffocato. Ecce tibi prima Iuris Eccleſiaſtici Decreta: idem mox poſteris placuit, inque ambiguis controverſiis, vel ſynodi alicuius, vel ſummi Pontificis poſtulata, & acceptata definitio eſt: crevitque non modicè Conſtitutionum, ac Canonum numerus. Cuncta autem quæ ſic legitime deciſa eſſent, ne poſteris oblivio ſubtraheret, in Eccleſiis, præſertim Romanâ aſſervabantur, non alio, quàm temporis ordine annotato. Mox uſui publico prodiit *Collectio illa*, quam *Nicolaus Papa in c. Si Romanorum. Diſt.* 19. *Codicem Canonum vocat, & Regula illa, quas Leo IV. recenſet in c. de libellis. diſt.* 20.

Ex his à *Creſconio* conflatus eſt ille ad Liberinum Epiſcopum *Nomoranon*, in quo pluribus cauſarum titulis propoſitis explicatur, quibus ſynodorum, & Decretalium Epiſtolarum locis illæ cauſæ tractentur. Quæ *Creſconii* ſolertia poſtmodum excitavit alios ad incepti operis conſummationem. *Iſidorus igitur* (ſive Hiſpalenſis, ſive alius quicunque) á Canonibus Apoſtolorum facto initio uſque ad *Conſil. Hiſpalenſe ſecundum*, quod ſub *Bonifacio V.* celebratum eſt, *Anno Chriſt.* 657. Conciliorum, & Pontificum Decreta in unum collegit, hodieque in editionibus Conciliorum leguntur.

Iſidorum ſecutus eſt *Burchardus Epiſcopus VVormatienſis Ottonis* III. *& Henrici* II.

Impera-

Imperatorum ævo circa Annum Chriſt. M.XX. Poſt illum *Ivo Carnotenſis Epiſcopus* circa *Annum M.XC.* multa ex Pandectis & Codice Iuſtiniani admiſcuit. Duo illius extant volumina, *Pannomia, & Decretum.* quanquam *Bellarm. in l. de ſcript. Eccl.* monet, *Pannomia* alium auctorem fuiſſe, & tributam *Ivoni*, quia ex eius *Decreto* magnâ ex parte deſumpta erat. Noviſſimus, & notiſſimus eſt *Gratianus*, monachus *S. Benedicti* in cœnobio *S. Felicis Bononiæ* illud, quod hodie in manibus Doctorum eſt. & paſſim allegatur, *Decretum* compilavit, ab ipſa *Concordia diſcordantium Canonum* inſcriptum.

In eo, (quod imperiti notant) quæ ad fidem faciendam allegantur decreta, vel teſtimonia, non unius fidei, & auctoritatis ſunt. Vt omittam S. Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum definitiones, de quibus nemo Catholicus dubitat: multa ex SS. Patrum monumentis deprompta, & variè ad præfixum ſcopum applicata ſunt, quos neque voluiſſe neque potuiſſe aliquid definire, cum obligatione credendi luce clarius eſt; Multò minus, ergò cogitandū de legibus Imperatorū, & Iuris Cōſultorū placitis, quorum non infrequens mentio, quaſi ullam vim habeant in Eccleſiæ rebus quicquam ſtatuendi, jubendi, aut dijudicandi, ſicubi inſuper ſuam *Gratianus* ſententiam depromit, boni Magiſtri vices agere, nihil verò cum poteſtate decidere exiſtimes. Denique ſunt nonnulla *Palea* titulo notata, de quo ſi quiſquam homo fuit, idem judicium eſto: ſi verò aliunde decerpta teſtimonia, cùm ad Auctorem ſuum relata fuerint, de pretio æſtimabitur. Vnde liquet non immeritò à nonnullis accuſari *Gratianum*, qui confusè, & perplexè ſcripſerit, in unum quaſi Chaos, quicquid uſpiam ſervire poſſet, abſque delectu & diſcretione congerendo. Quamobrem *Gregorio* XIII. prudentiſſimo, & magnificentiſſimo Pontifici plurimùm Scholæ, & tribunalia debent, qui *Decretum Gratiani* ab innumeris mendis, & teſtimoniorum depravationibus repurgavit, & recentibus typis correctum propoſuit *Anno Chriſti M.D.LXXXII.*

Quod *Decretales* attinet, tam eas, quas *Gratianus* omiſit quàm quæ ſuperadditæ fuerunt, *Bernardus* tunc *Præpoſitus*, poſtea autem Epiſcopus Papienſis in unum Corpus redigit, libris & titulis diſtinxit, illaque vocata eſt *Compilatio prima*, à privato homine, abſque mandato ullius Pontificis facta. *Compilationem ſecundam à Gilberto, & Alano* tentatam *Magiſter Ioannes Galenſis* perfecit: atque hæ duæ Compilationes uſque ad Innocentii III. tempora extenduntur. *Tertia Compilatio à Bernardo Diacono Compoſtellano* privatâ auctoritate tentata, & *Romana* dicta, quod eam Romæ elaboraſſet, à *Petro Beneventano Subdiacono Innocentii* III. *Notario* ipſius *Innocentii* mandato abſoluta eſt, ut ex Præfatione colligitur.

In prædictas Compilationes ſcripſère Gloſſas *Laurentius Vincentius, Alanus, Rogerius Iacobus Tancredus, & Bononienſis Archidiaconus, qui ſub Honorio* III. *floruit.* Quarta Compilatio ſub eodem *Innocentio* III. *à Tancredo*, auctoritate prædicti Pontificis emanavit. *Quinta* demùm acceſſit ſub Honorio III. mandato ipſius confecta ex ipſiuſmet Honorii diverſis Conſtitutionibus, ut Epiſtola eiuſdem Pontificis ad Tancredum ſuperius memoratum indicat.

Noviſſimè *Gregorius* IX. Compilationes prædictas in unum Volumen quinque libris diſtinctum redegit per *Raymundum Sacellanum ſuum*, addiditque à ſe publicatas Conſtitutiones, appoſito mandato, ut hac tantum Compilatione uniuerſi utantur in judiciis, & in Scholis: nec quiſquam præſumat aliam facere abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Data fuit Epiſtola hæc *Anno Chriſt.* 1230.

Bonifacius deinde VIII. anteceſſorum ſuorum Decretales epiſtolas per *Guilielmum Archiepiſcopum Ebrudonenſem, & Berengarium Epiſcopum Biterrenſem, ac Magiſtrum Richardum de ſenis* S. R. E. *Vice-Cancellarium* recenſuit, & quibuſdam à ſe additis Decretis in unum volumen redegit, & quinque aliis *Gregorii* IX. annecti, *ſextumque librum* nuncupari juſſit. In quem *Ioann. Andrea Bononienſis* continuas Gloſſas ſcripſit. *Bonifacius* autem Pontificatum adeptus eſt *A. Chr.* 1294.

Clementinæ à Clemente V. nomen habent, qui eas ante, & poſt *Concilium Viennenſe* collectas in unum evulgare decreverat, ſed morte præventus ſucceſſori ſuo *Ioanni* XXII. reliquit, qui Bononienſi Vniverſitati illas tranſmiſit, cupiens, ut eis ſic manifeſtatis, & cognitis tam in judiciis, quàm in Scholis uterentur. Bulla tranſmiſſionis data eſt Avenione *Anno Chriſt.* 1317. ab eodem *Extravagantes* 20. editæ ſunt, quæ poſtremum vi Corpore Iuris Canonici locum obtinent.

Quod de epiſtolis, ſeu Reſponſis Decretalibus Gratianus ſub initium Diſtinctionis vigeſimæ ait, Canonibus Conciliorum pari jure exæquari, à nonnullis ut imperitè, vel etiam falsò dictum reprehenditur. Verùm Didacus *Covarr. l. 4. Variar. c. 16.* veram eſſe probat *Gratiani* opinionem in cauſarum, & litium definitionibus, quibus dijudicandis non minor eſt poteſtas Pontificis, quàm Conciliorum Vniverſalium, imò maior, ut tradidere Gloſſa, Innocentius, imo, & alii multi. Vnde ſi Papa per epiſtolam Decretalem maturo conſilio, & prævià deliberatione aliquid reſponderit eo animo, ut ea reſponſio ſit Apoſtolicæ Sedis de fide definitio, recipiendum omninò, & tenendum eſt ut de fide. Non enim poteſt ſummus Eccleſiæ paſtor errare in illis, quæ ad fidem pertinent, niſi falſis promiſſionibus circumventam à ſponſo & capite ſuo Eccleſiam fateri iubeat, quod impium eſt. *Diſtin.* 17. & ſequentibus.

Quia legibus Imperatorum, ubi Canones non ſuppetunt, utimur ſubinde, illæ autem SS. Patrum doctrinæ non ſemper conſonant, quæſitum à multis eſt, in dubio utri partium deferre oporteat. Vbi conſiderandum arbitror, non unius generis omnes controverſias eſſe: aliæ enim Eccleſiaſticæ prorſus, aliæ civiles, ac temporales ſunt. In his nihil incommodi erit, ſi Imperatorum præſcripto vivas, puta, cùm de hæreditate, ſucceſſione, teſtamentis & ſimilibus litigatur. Nam eiuſmodi leges per ora Principum divinitùs promulgatæ dicuntur *c. ult.* 16. *q.* 3. In illis minimè convenit S. Scripturæ & Sanctorum Patrum, quibus Eccleſiarum cura à DEO credita fuit, definitiones ſpernere, aut poſt habere: non quòd infallibili auctoritate fulciantur in materia qualibet ſed, quia ut in foro proprio rerum ad ſalutem animæ ſpectan-

Digitized by Google

ſpectantium certiorem habere notitiam præſumere licent. *Melch. Canus De loc. Th. l.7.c.2.Barb.l.cit.*

Pro pleniori inſtructione ſequentes Regulæ deſerviunt, communi D D. calculo approbatæ.

Prima. Quoties res obſcura aut dubia eſt in Iure civili, jure autem Canonico clarè definita, Canonibus deferendum eſt, in utroque foro: quia per deciſionem Pontificis cenſetur ſopita varietas Legiſtarum. *Mynſing. Deca.9. Reſp.85. Par. Conſil 27.n.10.11.Volum.3. Caniſius in Append. de different. utriuſque Iuris.*

Secunda. Quando aliquid jure Civili definitum eſt, & non à Iure Canonico in materia non ſpirituali, & Eccleſiaſtica, nec differentiæ ſignum apparet, Iure civili utendum eſt etiam in foro Eccleſiæ. *c.1.& 2. de novi oper. nunc. Menoch. l.2.arb. Caſu 185.n.11. VVeſenbec. Conſil.l.n.20. Zypæus de Iuriſd.l.1.c.63.§.2.n.35.*

Tertia. Cùm Ius civile & Canonicum inter ſe pugnant, Ius Civile ſervari debet in foro Imperii, Ius verò Canonicum in terris Eccleſiæ. Ita *Phil. Dec. in c. Clerici. de iudic. & Conſil.452.n.6.* Sed limitari debet 1. ut non niſi de rebus civilibus, ac temporalibus, quæ animæ ſalutem non concernunt, intelligatur. 2. ut Imperatoris lex per ſe rationabilis ac iuſta ſit, quales non paucæ ſunt de Contractibus teſtamentis, Iudiciis, donatione, dote, ac ſimilibus. *c. Cum ad verum. c. ſi Imperator. Diſtinct.96.*

Quarta. Cùm de peccato, & conſcientiâ agitur, & Ius civile ab Eccleſiaſtico diverſum eſt, huius, non illius præcepta ſervanda ſunt. Nam Pontifici, non verò Imperatori animarum cura commiſſa eſt. Vnde non tantùm huic fini congruas leges ponere, ſed etiam abrogare & damnare contrarias poteſt: uti factum in multis legimus apud *Silv. V. Lex.n.13. & Azor. To.1. l.5. c.20. Zypæus de iuriſdict. Eccl. l.1. c.62. §.2.*

Quinta. Ius Canonicum (ut particularia nominemus) ſequendum eſt neglecto civili. 1. in iis, quæ ad ordinem Iudiciorum pertinent, puta, in Iudicibus, teſtibus, appellationibus, & ſimilibus. 2. in juramentis. 3. in præſcriptionibus. 4. in fidei commiſſis, & detractione quartarum. 5. in teſtamentis. 6. in cauſis piis. 7. in decimis. 8. in bonis Eccleſiaſticis. 9. in uſuris, & Antichriſi. 10. in pactis, ſtipulationibus, & Emphyteuſi. 11. in matrimonialibus, & quæcunque ad matrimonii impedimenta gradus, prohibitiones, diſpenſationes, cauſas, iudicia, & ſimilia pertinent. *Con. Tr. Seſſ.24.c.20. de Reform.*

Sexta. In criminibus mixti fori, uterque Iudex ſui Iuris pœnas irrogat, varias utique pro diverſitate finis, legum, & modo procedendi. Nec iniquum eſt ab uno Iudice condemnatum ad pœnam, trahi ad alium pro ſufficiente vindictâ, ut pluribus explicat *Maranta Par.6. de ordine Iudiciorum n.88. & ſequentibus. Navar. Conſil.l. de foro compet. ubi allegat Panorm. & Felinum.*

Ex quibus manifeſtò liquet, quàm iniqui rerum æſtimatores ſint, qui quod de

Digitized by Google

ſuis *Arnoldus Corvinus* licet heterodoxus, fatetur, & arguit, Iuris Pontificii cognitionem non tantum non eſſe neceſſariam, ſed inutilem, imò noxiam eſſe cavillantur. Audacius Saxones, vel impudentius, qui combuſtum appellitant. Eſt illud combuſtum utique ab apoſtata illo, cuius ante præcordia iræ ac vindictæ flammis in gregem, & Paſtorem Dominicum ardebant: ſed inde proſiliens fumus ſectariorum oculos non ſine fuligine opplevit, ut in propinquo poſitam veritatis lucem intueri non poſſint. Aliqui tamen poſt tot annorum cumulata certamina, demonſtrationes, & remonſtrationes tum de Eccleſiâ quam deſeruêre, tum illius regimine, & legibus ſentire rectius cœperunt, adeò, ut Canonici Iuris notitiam, & uſum ſuis quoque cœtibus perutilem, & neceſſarium eſſe publicè fateantur.

Quocirca omnes orthodoxæ fidei, & Eccleſiaſtici Iuris amatores præſertim iuniores, & Candidatos etiam atque etiam adhortari non deſinam, ut ſpretis ſectariorum pudendis convitiis, Semicatholicorum verò, quocunque vel dignitatis, vel ſcientiæ titulo glorientur, probris & ſannis conculcatis, ad Sacrorum Canonum intelligentiam omne ſuum ſtudium conferant, non opinionibus hominum, ſed rationum momentis inſiſtant: rem ipſam attendant, in radice ſuâ veritatem quærant. Invenient profectè quantum homo homini, veritati opinio diſtet. Quem in finem Sacrorum Canonum notitiam brevi ſummâ complexi ſumus. Ea quid ferat, periculum facere unicuique conceſſum eſt.

Ipſa ſibi pretium eſt, pretio fiducia maior.

Inſtitutiones Iuris Pontificii *Antonius Cucchus in Gallia, Ioan. Paulus Lancellotus in Italia, Henricus Caniſius in Germania* magno diſcentium commodo nobis reliquerunt. Brevitas illarum grata eſt, ſed plura appetentes deſtituit. Quapropter anguſtiis egreſſi uberiore tractatu campum latius aliquantò patentem aperuimus, etiam diſcutiendo quæſtiones, quæ Inſtitutionum lectores remorari ſolent. Fructus inde, & profectus ſi quis ad quempiam pergitur, bonorum omnium largitori Deo acceptum ferat, ſacræ ſcientiæ cultores foveat, oſores contemnat.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS
Titulorum, & Paragraphorum.

TITULUS I.

De Clericis generatim.

§.1. *Nomen clerici,& inſtitutio.*
§.2. *De obligatione clericorum.*
§.3. *De cœlibatu clericorum.*
§.4. *Obiectiones.*
§.5. *Privilegia clericorum.*
§.6. *Satisfit Dubiis.*

TITULUS II.

De beneficiatis.

§.1. *Quid beneficium,& quotuplex.*
§.2. *Requiſita ad beneficium Eccleſiaſticum.*
§.2. *De obligatione beneficiatorum.*
§.4. *De fructibus beneficiorum.*
§.5. *De unione,& pluralitate.*
§.6. *De vacatione beneficiorum.*
§.7. *De permutatione beneficiorum.*
§.8. *De reſervatione,& devolutione.*
§.9. *De annatis.*

TITULUS III.

De Parochis, & Curatis.

§.1. *De Eccleſia parochiali.*
§.2. *Dignitas,& officium Parochi.*
§.3. *De officio Parochi.*
§.4. *De Coadiutore Parochi.*
§.5. *De juribus Parochi.*

TITULUS IV.

De Canonicis.

§.1. *Origo,& Varietas Canonicorum.*
§.2. *Inſtitutio Eccleſiarum Collegiatarum.*
§.3. *De Canonico ſupernumerario.*
§.4. *De Canonia,& præbenda.*
§.5. *De dignitate Canonicorum.*
§.6. *De Canonico pœnitentiario.*
§.7. *De Canonico Lectore.*

TITULUS V.

De Dignitatibus.

§.1. *De Archidiacono.*
§.2. *De Vicario Generali.*
§.3. *De Archipresbytero.*
§.4. *De Præpoſito.*
§.5. *De Decano.*
§.6. *De Primicerio.*
§.7. *De Cuſtode.*
§.8. *De Scholaſtico.*
§.9. *De Prioribus.*
§.10. *De Capitulo.*

TITULUS VI.

De modo conferendi beneficia.

§.1. *De Iure Patronatus.*
§.2. *De electione.*
§.3. *De poſtulatione.*
§.4. *De Confirmatione.*
§.5. *De appellatione contra electionem.*

TITULUS VII.

De Epiſcopis.

§.1. *Nomen & Dignitas.*
§.2. *Electio Epiſcopi.*
§.3. *De confirmatione.*
§.4. *De Conſecratione.*
§.5. *De Abdicatione Epiſcoporum.*
§.6. *De poteſtate Ordinis.*
§.7. *De Iuriſdictione Epiſcopi.*
§.8. *Satisfit dubiis.*
§.9. *De Chorepiſcopis,& titularibus.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS VIII.

De Archiepiſcopis.

TITULUS IX.

De Patriarchis, & primatibus.

TITULUS X.

De Cardinalibus.

§.1. *Nomen, & origo.*
§.2. *Dignitas, & officium.*
§.3. *Privilegia Cardinalium.*
§.4. *De veſtitu Cardinalium.*

TITULUS XI.

De Legatis Apoſtolicis.

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

TITULUS XIII.

De Rotâ Romanâ.

TITULUS XIV.

De Summo Pontifice.

§.1. *De electione Pontificis.*
§.2. *De poteſtate Spirituali.*
§.3. *De poteſtate Temporali.*
§.4. *Satisfit Dubiis.*

TITULUS XV.

De Regularibus.

§.1. *Origo, & varietas Regularium.*
§.2. *De aſpirantibus ad Ordinem Regularem.*
§.3. *De Novitiis.*
§.4. *De Profeſſione.*
§.5. *De paupertate Religioſa.*
§.6. *Satisfit Dubiis.*
§.7. *De Caſtitate Religioſa.*
§.8. *De Obedientia.*
§.9. *Satisfit Dubiis.*
§.10. *De tranſitu in alium Ordinem.*
§.11. *De electis, & fugitivis.*
§.12. *De Apoſtatis.*
§.13. *De bonis temporalibus.*
§.14. *De Privilegiis.*
§.15. *Satisfit Dubiis.*

TITULUS XVI.

De Abbate.

§.1. *De electione Abbatis.*
§.2. *De Confirmatione.*
§.3. *De poteſtate Abbatis.*
§.4. *Quid non poſſit facere.*
§.5. *De Obligatione.*

TITULUS XVII.

De Monialibus.

§.1. *De receptione, & profeſſione Monialium.*
§.2. *De obligationibus.*
§.3. *De Clauſura.*
§.4. *De Abbatiſſa. &c.*

TITV-

Digitized by Google

A2 61

TITULUS I.

De Clericis in genere.

Eorum, qui ad Eccleſiam & ovile Chriſti pertinent, duo potiſſimùm genera eſſe liquet, Clericorum videlicet, & Laicorum *c. Duo ſunt* 12. *Q.* 1. Quāvis enim à Chriſtianis omnibus agnitionem veri DEI & cultum Apoſtolus exigat, ad id tamen peculiari quodam ritu ordinantur, quos Clericos appellamus. His atria domus Domini, vaſa miniſterij & ſacrificia commendantur: Laicis verò minor obligatio incumbit, curam domus ſuæ habere, liberos educare, inter virum & virum iudicare, cauſas agere, oblationes ſuper altare apponere, decimas exhibere: atq; ita ſalvati, ſi vitia tamen benefaciendo evitârint. Jam verò Clericorum non una diſtinctio eſt, ſed multiplex, ut in progreſſu patebit. Nunc quæ generalia & communia omnib. ſunt, primò expediamus, ut facilior ad particularia tranſitus fiat. Multa enim clericis communia, ſpecialia multa ſunt, propter varios gradus, officia, ordines & dignitates, de quibus infra erit dicendi locus.

§. I.

De nomine & inſtitutione Clericorum.

I. GRatianus *Diſt.* 21. *ex Iſidori l.* 7. *Etymol. c.* 12. Clericos ait, hinc appellatos credimus, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. χλῆρος enim græcè, latinè ſors vel hæreditas dicitur. Propterea ergò dicti ſunt clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent. Generaliter autem clerici dicuntur quicunque in Eccleſiâ Chriſti ſerviunt. Confirmat hæc *S. Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum*. Clericus, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretatur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolatâ, nitatur eſſe id, quod dicitur. Si enim χλῆρος græcè, latinè ſors appellatur propterea vocantur clerici, vel quia de ſorte Domini ſunt, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. *c. Clericus* 5. 12. *Q.* 1. *c. Cui portio.* 16. *Caniſius l.* 1. *H.* 4. *Tholoſanus l.* 16. *Syntagm c.* 1. *n.* 7. *Anto. Caniſius l.* 1. *Valentia To. IV. D.* 9. *Q.* 5 *pun.* 2 *Graff. Par.* 2. *l* 3. *c.* 1.

II. A clericatu excluduntur I. feminæ. *Glo fin. ad c. Diaconiſſam* 27. *x* 1. *S. Tho. n* 4 *D.* 25. *x.* 2. *c.* 1 *Suar. V. De Cenſuris Diſp.* 52. *init.* II. Hermaphroditi, niſi virilis ſexus multùm prævaleret. *Glo. in V. teſtimonium c. teſtis.* Idem de Eunuchis dicendum. *Silv. V. Hermaphroditus.* III. Illegitimi. *c. presbyterorum & c. ſeq. Diſt.* 56. *c. cum in cunctis. De elect. c. pervenerabi-*

 lem

Digitized by Google

lem in fine Qui filii ſint legitimi IV. Qui non attigerunt ætatem ſeptem annorum completorum. *c. Nullus de temp. ordin. in 6. Barb. de poteſt. Epiſc. Par. 2. alleg.* 11. V. Qui Sacramentum confirmationis nondum ſuſceperunt. *Con. Tr. Seſſ. 23. c. 4.* VI. Qui fidei rudimenta nondum edocti ſunt. *Ibid.* VII. Qui legere & ſcribere neſciant. *Ibid.* Saltem vernacula lingua. *v. Barb. De poteſt. Epi. Pa. 2. all.* 11. VIII. De quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed ut DEO fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe. *Con. Tr. l. cit.* IX. Servi & mancipia, intellige, ex utroquè parente. Nam ex patre ſervo, ſed matre libera natus ordinari poteſt. *Barb. l. cit. allegat. 10. n. 45.* X. Infames infamia juris vel facti. *c. Omnipotens Deus. De accuſ. c. fin. de teſtib. c. Tantis Diſt 81 Barb. ibid n.* 40. XI. quilibet criminoſus, qui permanet in peccato mortali. *c. Ex tuarum. c. ad aures. de temp Ordin. Barb. ib.* XII. Solenniter pœnitentes *c Ex pœnitentibus. c. Illud. Diſt. 33.* XIII. Bigami, qui nimirum plures habuerunt uxores, ſive eodem tempore ſive diverſo. Si contrarium fiat, & initientur, non poſſunt tonſuram & habitum clericalem deferre. *c. Acutius d. 26. Barb. l. cit. n. 43.* XIV. Coniugati quãvis initiati contrahere Matrimonium poſsint *c. fin. de temp. Ord. c ſi. quis eorum c. Lectores Diſt. 32. c. à multis de ata & qual. Ord.* XV. Homicidæ, qui per ſe, vel alium etiam conſilio tantum vel auxilio aut quovis modo voluntariè, præter neceſſariam defenſionẽ mortis alienæ cauſa fuerunt. *Glo. in Clẽ. nu. de homic.* XVI. Obligati ad rationes administrationis publicæ, niſi prius expeditis rationibus *c. non ſidat. D. 50. c. legẽ, 5. d. 53. Henricus. l. 14. c. 5. Barb. l. cit. n.* 47. XVII. Corpore vitiati vel mutili, ita ut cũ magna deformitate nulli muneri exequẽdo utiles puretur eſſe *1. & 2. de corpore vitiatis. c. Illiteratos d 36. v Barb. l. cit. n. 48. ſ. 238. & c. illatteratos Diſt. 36.*

III. Clericus per primam tonſuram initiatur, detonſis ab Epiſcopo pauculis capillis, qui ritus reiectionem vitiorum, ſeparationem, & contemptum rerum temporalium ſignificat, ut ex Hieronymo Gratianus notat *c. Duo ſunt. 12. q. 1.* & largius explicatur ab *Iſidoro l. 2. de off. eccl. c. 4.* Catech. Rom. Par. 2. c. 7. Hinc quaſi à prævià diſpoſitione ad minores ordines fit tranſitus, quibus initiati vocantur *Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ & Acolyti.* Hi ordines quia ſacri non cenſentur, permittunt nubere. Vnde clerici duplices exiſtunt, alii cœlibes, alii coniugati: qui omnes, modo habitum & tonſuram ferant, & alicui eccleſiæ mandato epiſcopi ſeruiant privilegio Canonis & fori gaudent *Co. Tr. 5. 23. c. 6. Tholoſan. l. 16. c. 1. n. 28. & 33. Ign. Lopez in Practica Crim. Canonica c. 80. & Bellar. l. 2. de Monachis c. 40.*

IV. In materia favorabili clericorum appellatione comprehenduntur Epiſcopi Religioſi, & Canonici: in odioſa verò nec Epiſcopi, neq; Religioſi, neq; Canonici, aut alii in dignitate conſtituti. Colligitur ex *c. Quia periculoſum de ſent. exc. in 6.* ubi dicitur Epiſcopos & alios Prælatos interdicti, aut ſuſpenſionis ſententiã non teneri, niſi cùm de ipſis expreſſa mentio fit. Allegatur etiam *c. Statutum de elect. in 6. & Glo. in Clem. 1. de ſupplendâ negl. Prælat.* Rationem dant, quia in eiuſmodi perſonis eſt qualitas eminentiæ & dignitatis, quæ in clericis minoribus non reperitur. Pari modo Eccleſiarum parochialium nomine non intelliguntur Cathedrales, quia qualitatem Collegij habent. Idem de Monaſteriis dicendum

quæ

quæ tamen Eccleſiæ nomine continentur in favorabilibus. *Angelus verb. Clericus. n. 1. Silveſt. Armilla. Roſella Zerola eod.* Adde quod etiam Monachi & Clerici in favorab populi nomine qui continentur, ut citati authores aut tradunt.

V. Per tonſuram à Clericis geſtandam hodie Corona intelligitur quæ in raſo vertice apparet. Olim crines circulariter tondebantur. *c. Duo ſunt 12. Q. 1. ubi de Clericis.* Hi namq; reges ſunt, id eſt, ſe, & alios in virtutibus regentes & ita in Deo regnum habent. Et hoc deſignat Corona in capite. Hanc Coronam habent ab inſtitutione Eccleſiæ Romanæ, in ſignum regni, quod à Chriſto expectatur. Raſio verò capitis eſt temporalium omnium depoſitio, & memoriam ſpineæ Coronæ ſalvatoris noſtri excitat; quam ob cauſam à Petro Apoſtolo adhibitam *Beda teſtatur l. 5. de geſtis Anglor.* perfectionis etiam nos monet, quia circularis figuræ eſt. Coronam hanc in hac vitâ qui negligunt, eam, quæ futuræ eſt, non mœrentur. *Alb. Trotius l. 2. de perfecto Clerico c. 39. Lopez l. cit.*

VI. Quod habitum attinet, loci attendenda honeſtas & conſuetudo eſt Toga talaris maximè decens creditur, quæ minimum infra poplites dependeat. Color aut niger, aut nigro proximus apud nos laudatur. Aliud ſi locus & mos ſuadeat, excuſamus, eos qui ſequuntur. *c. Clericus D. 31. Co T. 5. 23. c. 6.* De pileo, quia nihil certi legibus conſtitutum eſt, conſuetudo, quid eligendum, indicabit. *Innoc. III. in c. clerici De vi. & hon. cler. Moſconius l. 1. P. 2. Lopez c. 79. Baſ. De ſtatu clericor. 2. Zerola v. clericus n. 14 Regin. l. 30. Tr. 3. aliiq; multi citati ad Conc. Trid. Seſſ. 23 c. 6. De Reformat. & Barb. De poteſt. Epiſcopi Par. 2. allegat. 9. Diaz in Praxi c. 77. Az. 11. l. 7. c. 14 Q. 4. qui legendus. Barb. in c. Parſimoniam Diſt. 41.*

VII. Si quæris, quàm graviter peccet Clericus præſertim in minorib. & beneficio conſtitutus tonſuram & habitum Clericalem non ferens, reſpondet *Panorm. in c. ſi quis. De vi. & hon. Cler. & Nau. c. 25. n. 110.* mortaliter peccare quod etiã *Sanch. l. 7. conſ. c. 7 d. 49. n. 11. probat, allegans Conſtitutionẽ Pii IV. Pii V. & Sixti V. Motu proprio apud Piaſeciũ Par. 2. c. 3. n. 13.* Hoc tamen Silveſtro & aliis durũ videtur, ac proinde limitat I. ſi exceſſus ſit notabilis ultra conſuetum. II. Si clericus in ſacris conſtitutus, vel beneficiatus ſit. Addit mortaliter peccare omnes, qui geſtant veſtem partitam, id eſt, diverſi coloris aut tabardum (id eſt penulam ſeu viatorium amictum) modò beneficium habeant, quãvis ſolâ tonſurâ initiati eſſent. Excuſantur tamen, qui ſecretò, vel ob timorem, aliamq; rationabilem cauſam eiuſmodi habitu utuntur. *v. Azor & Lopez ſu cit. in Pract. Crim. c. 79: Nau. c. 25. Avila P. 3. Diſp. 5. d. 8. Caſu XI. Layman l. 5. tr. 9. c. 12. Armilla v. Clericus n. II. Roſella n. 2. Em. ſa. n. 33. Tuſchu. Concl. 395. Eſcobar Tract. 6. Exam. 1. c. 1.*

VIII. Obſervatione dignum eſt, quod *Conc. Trid Seſſ. 14 c. 6. De reform.* ſtatuit. In ſacris, inquit conſtituti & beneficiati, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem illorum ordini & dignitati congruum & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus ac proventibus ipſorum beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & benefici-

Digitized by Google

neficiorum huiuſmodi coërceri poſſint, ac debeant; Secundùm Conſtitutionem *Clem.V.* in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit *Quoniam innovando & ampliando l. 3. Clement. de Vi. & hon. cler. c. 2. Conſtit. Sixti V. cum ſacro ſanctam.*

Deniq; Clericatus probatur per literas primò, deinde per publicam famam: deniq; concurrentibus aliis indiciis per iuramentum. Ea enim, in quibus non agitur de præjudicio, juramento probari poſſunt. *Piaſecius Par. 1. c. 1. n. 54. Barb. in c. ſi iudex laicus de ſenten. excomm. in Præterm. Tuſchus Concl. 378.*

§. II.

De Clericorum Obligationibus.

I. Clericorum obligationes ex triplici capite manant, nimirum ſubiectione ad Magiſtratum ſuum, poſſeſſione beneficiorum, & Ordinibus ſacris.

Primò igitur Clericus obedire debet epiſcopo ſuo, & cuicunq; ſuperiori in ijs, quæ pertinent ad ſtatum clericalem. Si noluerit, fieri poteſt, in re gravi, ut mortaliter peccet *c. Omnes 4. de Maior. & Obed. Barb. ibi* Obligatio hæc fũdata eſt in 4. Decalogi præcepto *Honora patrem &c.* In particulari obedire debet I. Si Epiſcopus præcipiat, ut Rōmam eat pro negotijs Eccleſiæ: nec proderit excuſatio, quod alij ſint magis idonej, quia Epiſcopus non tenetur magis idoneos mittere, nec ſubditi ſuo iudicio ſtare II. ſi præcipiat reſignationem beneficij quo indignus eſt, ut alteri conferatur. III. ſi præcipiat denuntiare aliquem excommunicatum, quem tamen ipſe noverit innocentem eſſe. Licebit tamen aliis probationibus illius innocentiam tueri. Hoc autem ubi præſtare non poteſt, præcipienti obediet. IV. Si juſtis ex cauſis ſubſidium charitatiuum exigat Epiſcopus, tenetur pro viribus contribuere *c. Conquerente 16. de off. Iud. Ord. Abb. Iun. Panorm. Felin. Ximen. Barboſa. Eſcobar Theol. Mor. Tr. 1. Exam. 6. c. 4.* De obligatione quam Beneficia adferunt, commodius in Tit. ſequenti agemus. II. Quod Ordinem ſeu ſtatum clericatus attinet, quamvis nullum ex Sacris Ordinibus neceſſariò exigat juxta §. *praced* tenetur tamen quilibet Clericus coronam & habitum clericalem deferre. *c. clerici, de Vi. & hon. cler. Co. Tr. ſ. 14. c. 6. de ref.* Præterea vitam, moresq; ſuos ita componere, ut habitu, inceſſu, geſtu, ſermone, aliiſq; rebus omnibus nihil niſi grave, moderatum ac religione plenum appareat. *c. Hu igitur Diſt. 23.* Nihil enim eſt, ut *Conc Trid. Seſſ. 22 c. 1.* loquitur, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicârunt. Cùm enim à rebus ſæculi ad altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquàm ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſq; ſumunt, quod imitentur. Singulis convenire meminerimus, quod Apoſtolus Timotheo præcipit *1. Tim. 4. Exemplum eſſe fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Moſconius de maii Eccleſ. l. 1. Par. 2. c. 2. 25. n 110. Buſaus c. 4. Henriq. l. 13 c. 39:* De varietate formæ clericalis *v. Stengelium l. 4. Variar. c. 9.* Clericos non deferentes habitum clericalem, & tonſuram, quivis in minoribus tantùm cum beneficio conſtituti ſunt peccare mortaliter graviſsim; Auctores ſentiunt, quibus ſubſcribens *Sanchez l. 7. Conſil. c. 7. Dub. 49. n. 11.* e

oppoſitâ gravi prohibitione probat. *Clem. Quoniam de Vi. & hon. cler. Co. Tr. S.14.c.6. Bulla. Pii IV. Pii V. & noviſsimè Sixti V.* Motuproprio apud *Piaſecium Par.7.c.3.n* 13. In confirmationem allegantur *Angel. V. Clericus IV. n.* 1. *Silu.* §. 2. *n.* 2. *Tabiena.* §. 2. *Q.* 6. *Armillan. XI. Lel. Zecbus Caſu* 4. *n.* 2.

Quis verò clericalis habitus propriè ſit, hactenus nemo determinavit. Laudatur niger, & in talos uſq; protenſus, argutiæ, & ſordes pariter damnantur. A loci conſuetudine, à viris prudentibus & piis probatâ multum pendet. Ego quidem ut peccati mortalis reum non facilè dixerim, qui abſq; habitu conveniente procedit; ita graviter delinquere exiſtimo, illos qui extra conſuetudinem & neceſſitatem habitu induuntur, ut ex eo clerici, an laici ſint, dignoſci non poſſit. *v. Bonac. Tom.1.p.* 231. *Domin. Soto.l.* 10. *de iuſtit. Q.5.ar.6. Zerola. par.1.v.clericus n.*14. *Bann in* 2. 2. *Q.*12. *ar.*1. *Synodum Bamberg. Anno* Chr 1491. habitum, ubi in § *de Vi. & hon. cler.* excommunicatio decernitur illis, qui indecentem habitum ferunt.

III. Clericos, præſertim majores Canones volunt abſtinere à negotiis ſæcularibus quæ hominem à divino obſequio avocant, maximè, quæ irregularitatem adferunt. Quo pertinet I. vilium & ſordidarum artiũ uſus. Nam clericum minimè decet lanionem, aut macellarium agere: multò minùs ludionem, aut hiſtrionem. *Clem.* 1. *De Vi & hon. cler. Pius. V. in Conſtit. Anni* 1566. *Nau. c.* 25. *n.* 110. II. Medendi ars, ubi uſtio & ſectio neceſſaria, multò magis armorum uſus, *c.*3. *& ult. Ne Clerici vel Monachi.* Poſſunt tamen intereſſe bello ob bonum finem: Item animare ad pugnam, non tamen ad occiſionem aliquam in particulari *c. ſententiam Ne clerici vel Monachi c. Tua nos* I) *homic. voluntar. Graff. l.* 2. *c.*6. III. Judicium ſanguinis omneſq; actiones eo pertinentes. *Lopez in Pract. c* 102. IV. Venatio, quæ fit cum clamore & ſtrepitu. Aliæ quar. finis eſt honeſta recreatio, vel valetudinis conſervatio, permittuntur etiam Prælatis & Epiſcopis, modò non fiant frequenter & cum detrimento aliorum negotiorum, quæ magis neceſſaria ſunt. *Glo. in c. Epiſcopum De clerico Venat. Barb. in c. Eſau. diſ.* 86. *Silu. V. Venatio. Graff. l.* 2. *c.*3. *n.* 9. ſi homicidium ſequatur, ex prohibitâ Venatione, irregularis erit. IV. Deniq; omne officium, ex quo ius dicitur ſæcularibus: cujuſmodi eſt Vice-Comitis, Vice-regis, & ſimilis denominationis *Diaz c.* 63. Nec clericus in maioribus conſtitutus poteſt Procuratoris aut tabellionis munere fungi. *c. ſicut ne clerici vel Monachi. Lopez. c.* 60. *&* 61. *Vallens l.* 30. *II* 50. *Moſconius in Par.* 2. *cap.* 2. *ſ.*410. *&* 412. *Bonac.* 40 *tt.* 2. *p.*336. *Card. Tuſchus Concl.* 381. *Iacop. de Graſſis l.* 2. *c* 2. *n.* 17.

IV. Singulari prohibitione vetita Clericis eſt negotiatio. *c. Negotiationem & ſeq. Diſt.* 88. *& c. fin. de Vi. & hon. cler. Item c. Secundùm inſtituta ne Clerici vel Monachi.* Eſt autem negotiatio, cùm quis rem aliquam comparat eo animo, ut integram & non mutatam vendendo lucretur. Vox illa *Vendendo* accipitur generaliter ut etiam permutationem comprehendat, Nam apud nonnullos negotiatio tio permutione conficitur. De hac igitur ſequentia notanda ſicut. 1. Negotiaonem Clericis ita prohibitam eſſe, ut in ſacris conſtituti mortaliter peccent ſi diu multúq; inhæreant. *Medina C. de reſtitut. Q.*30. *Leſſ. l.* 2 *c.* 21. *n.* 4. II. Poſſe nihilominus comparare rem aliquam, ut ſit

Digitized by Google

materia ex quâ aliam conficiant & vendant quemadmodum Eremitæ olim corbes ac ſtoreas. Negotiari item poſſe modo aliquo honeſto, ad ſuam ſuorumq; ſuſtentationem tradit *Navar. c. 25. n 34.* quod multi alii confirmant á *Barboſa* citati in *Prætermiſsis ad c. Multa ſunt. Ne Clerici vel Monachi.* Excuſat ergò inopia & neceſſitas *Glo. in c. Negotiationem D. 88. Filliuc. Tract. 35. c. 2. n. 19. Manrique Par. 1. q. 66.* III. Non peccare, ſi per alios negotientur, qui totam induſtriam præſtent. v. g. dando pecuniam in ſocietatem mercatorum, indeque ſuam quotam recipiendo *Medina ſupr. cit. Leſsius c. 21. n. 6.* IV. Licere Monachis quoque conducere aliena prædia, cum ſua ad alimoniam non ſufficiunt, indeq; fructus percipere, abſumere, vel vendere. *Medina C. De reſt. q. 30. Molina Diſp. 342 Layman l. 3. tr. 4. n. 39.* V. Qui clericus negotiationem vel mercaturam exercet, vectigal ſolvere tenetur quemadmodum alii negotiatores: & quibuſdam locis, maximè in galliâ, cùm in commercio delinq[illegible]nt, coram ſæculari Judice conveniri, & puniri poſſunt; quamvis ſecundùm Canones Judici eccleſiaſtico foret dimittendus. *Bern. Diaz in Pract. c. 57. Azor. III. l. 5. c. 19. q. 4. Layman l. 3. tr. 4 n. 39. Diana Par. 1. tr. 2. Reſol. 47. Mol. Diſp. 339. Fill. l. cit n. 27. Suar. V. Diſp. 22. Sect. 1. Tuſchus Concl. 381 Graff. lo. cit.*

V. Clerici obligantur etiam quoad vim directivam communibus ſæcularium Magiſtratuum legibus, quæ non repugnant ſtatui eccleſiaſtico, & pertinent ad bonam gubernationem, ac quietem reip. cuiuſmodi ſunt, quæ pretia rerum vendibilium conſtituunt, modum ædificandi præſcribunt, & ſimiles. Colligitur ex c. *Quia nonnulli de ſtatu Regularium, ubi Barboſa in Prætermiſſis. c. Eccleſia De Conſtitut. & c. 1. De novi operis nunciatione* Ratio. quia clerici in civitate communiter viventes eiuſdem cenſentur eſſe membra, & cives, æquum eſt igitur, ea, quæ ad communem gubernationem ſunt neceſſaria præſtare, quandoquidem *Turpis eſt omnis pars ſuo toti non congruens S. Aug. l 3. Conf. c. 8. Et qui ſentit commodum, idem & onus ſentire debet. Reg. Iur. 55. in 6. Tanner. II. d. 5. q. 6. n. 29. Palao tr. 32. d. 5. pun. 4.* Hinc ſequitur realia onera quoq; ab iiſdem ferenda eſſe, puta, quibus affecta bona temporalia erant antequam acquirerentur. *Glo. in c. ſancitum. de Cenſibus. Abb. Felinus Imola. Præſecius Par. 2. c. 4. n. 56.* Dixi *Quoad vim directivam.* eò quòd clerus Magiſtratui ſæculari quoad coactionem minimè ſubſit, nec ad illum leges ſpectant, quibus infirmantur contractus, aut perſonæ redduntur inhabiles in pœnam commiſsi criminis: at verò quæ formam præſcribunt contractibus, aut teſtamentis conficiendis, ex communi Juris Canonici approbatione etiam Clericos comprehendunt. *Diana P. 1. tr. 2. Reſol. 16. & 77. Barb. in Prætermiſ. c. Quia nonnulli de immunitate eccl.*

VI. Quærunt aliqui, an clericorum obligatio ad obediendum politicis legibus quæ ſtatui eccleſiaſtico non repugnant, oriatur directè ex poteſtate legislativâ civili, an potius indirectè tantùm. Verior ſententia eſt indirectè tantùm inde oriri, directè verò ex æquitate naturali, quæ ſuadet illa media, ſine quibus reip. pax & unitas conſervari nequit. Sunt enim Clerici ab omni omnino laicâ poteſtate exempti, *iux. Conc. Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 9. in Conſtitutione ſupernæ diſpoſitionis & Innoc. III. in c. Eccleſia De Conſtitut.* Quia tamen inter cives & cum civibus vivendum

dum eſt, eorumq; privilegiis utuntur Clerici, ſummi Pontifices iuſtas alioqui Principum leges approbârunt, & ſervandas omnibus præceperunt, imò ſecundùm illas in foro Eccleſiaſtico, ubi Canones deficerent iudicari voluerunt. *c. Innotuit. de arb. & c.1. de novi operis nunciatione. Glo. ibid. v. adiuvantur. Azor. 1. l. 5. c. 12. q. 3. Vaſqu. Diſp. 176. c. 4. Suar. l. 3. de leg. c. 34. n. 12. & contra Bellarm. err. Angl l. 4 c. 16 in Apol. con. regem Angl. Tannerus in Diſp. de legibus: & privilegiis aſſert. 15. Laym. l. 1 tr. 5. c. 13. n. 6. & 7. Manrique. par. 2. q. 67.*

VII. Armorũ geſtatio & uſus nulli Clerico licitus eſt. *c. Nimium 23. Q. 8 c. Non pilâ. l. clerici. c. Quicunq; ead. Causâ, & q. Az. II. l. 7, c. 15.* Excuſare tamen poteſt neceſſitas, conſuetudo, & diſpenſatio, quam tamen Epiſcopis impertiri non licet. Aliàs meminerint Clericorum arma lacrymas, & preces eſſe *c. Convenior. 23. q. 8. Azor. II. l. 7. c. 15.* An autem ferentibus arma contra prohibitionem auferre liceat Judicib. laici, *V: Covarr. l. 2. Var c. fin. & Pract. c. 33. Farinac. Par. 1. Q. 8. Diana P. 1. c. 2.* Facti potius, quam iuris eſſe *Manrique pronunciat in par. 1. qq moral. c. 12.*

§ III.

De Cælibatu Clericorum

HIC eſt lapis offenſionis ſectariorum noſtri temporis primò, deinde quorundam etiam Catholicorum, qui continentiæ jugum intolerabile, impoſsibile, & tyrannicum proclamant. *conſ. Aug. & Apol. H. de coniug. Sac. Calvinus l. 4. Inſtitut. c. 2.* Nec altius exurgunt, quia animales ſunt. Igitur quàm pium Eccleſiæ & conveniens ſit cœlibatus præceptum in ſequentibus declarabimus.

I. Clerici minores Matrimonium licitè ineunt, eoq; utuntur. Conſtat ex Eccleſiæ praxi, *& l. 3. Decret. H. 3. ubi Alex. III. c. 1. ſic ait. Si qui clericorum infra ſubdiaconatum acceperint uxores ipſos ad relinquenda beneficia eccleſiaſtica; & retinẽdas uxores diſtrictione eccleſiaſticâ compellatis.* Uxores igitur retinent, beneficia verò amittunt idq; licet matrimonium nondum conſummatum ſit: nec recipient beneficia, quamvis religionem ſponſa profiteatur *c. 1. de cler. coniug. Abb. Imola. & alii apud Barb. in c. clerici un. de cler. coniuga.* Perdunt ſimiliter quælibet iura, ut regreſſus, acceſſus, ingreſſus ad beneficium eccleſiaſticum. Idem de penſionibus multi affirmant *ap. Az. 1. l. 13. c. 13. q. 8.* Nec proderit, ſi matrimonium ratione impedimenti alicuius canonici irritum ſit, ut ſi conſanguineam duxerit. Contrariũ tamẽ de ſponſalibus dicendum eſt, & matrimonio cum impubere contracto, quia hoc ſponſaliorum vim, & naturam jure Canonico ſortitur. *c. Tua nobis. de deſpenſat. impuberum. Navar. c. 25. n. 120.* Iidem minores Clerici uxores ducere poſſunt etiam viduas, & corruptas abſq; omni peccato. Patet *ex Canon. Apoſt. c. 25.* Ex his qui cælibes in clerum pervenerunt &c. Neq; obſtat *c. Seriatim Diſt. 32.* ubi dicitur, Clericos tantùm Oſtiarios, lectores, exorciſtas, acolytos, ſi extra votum & habitum Monachi inveniuntur & continentiam profiteri noluerint, uxorem accipere poſſe cum benedictione ſacerdotali, non autem viduam aut repudiatam. Non obſtat, dico, quia mox ſubiungitur, eos, qui duxerint viduam aut corruptam, ad ſuperiores ordines aſcendere non poſſe, etiam poſt mortem uxoris, nec ad Clericorum miniſteria redire, eorumq; privilegiis frui.

frui. Non poſſunt ergò ſimul viduam, & corruptam ducere, & privilegia ſua retinere. *Azor* 1. l. 13. c. 14 Q. 14. *Sanchez l. 7. de Matrim. Diſp.* 31. *Fill.* 1. *tr.* 9. c. 3. *piaſecius Par.* 1. c. 1. n. 53. *Vallens. l.* 3. *H.* 3. §. 2. *Silu. V. Clericus* §. 3. n. 7. *Zero Par.* 2. *eod. n. ult. Toletus l.* 1. c. 67. *Laym. l.* 1. *Tract.* 5. *par.* 1. c. 3. n. 2. & *l.* 4. *Tr.* 2. c. 14. n. 7.

II. Clericis maioribus, quales ſunt epiſcopi Sacerdotes, Diaconi & ſubdiaconi interdictum eſt iure eccleſiaſtico matrimonium. Hanc propoſitionem ſectariorum noſtri temporis contradictiones & calumniæ illuſtrarunt. His enim excitati doctiſſimi viri accuratiſsimè explicârunt, & confirmârunt. Præ aliis Cardin. *Bellarminus l.* 1. *de cler. c.* 19. ex multor. Conciliorum authoritate & SS. Patrum teſtimoniis confirmat, quem ſecutus *Becanus in Manuali ſuo cap* 13. probat. I. Apoſtolos ſervaſſe perpetuam continentiam partim conſilio Chriſti, partim ſponte. II. eoſdem ſuaſiſſe, & conſtituiſſe, ut alii deinceps miniſtri Eccleſiæ continentiam ſervarent. III. Continentiam, quam Apoſtoli præſcripſerunt, ſtatim in Eccleſiâ ſervatam eſſe & poſtmodùm lege eccleſiſticâ non ſemel, ſed ſæpius præſcriptam & quidem dupliciter, *Primò* ut non liceat illis uxores ducere poſt ſuſceptos ordines. *Secundò*, ut ſi ante ſuſceptos ordines duxerint uxores, & poſtea ſuſceperint ordines, nō licet uti illis, ſed debeant perpetuā ſervare continentiam. Eiuſmodi ſunt leges 1. *Concilii Elibertini Anno Chriſti* 313. *aut* 315. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis & Subdiaconis poſitis in miniſterio abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios Quod quicunq; fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* 2. *Concilii Carthag.* II. *circa Annum* 396 *Can.* 2. *Omnibus placet, ut epiſcopi, presbyteri, & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoq; cuſtodiamus.* Alludere videtur Concilium ad Canonem Apoſtolorum 25. *Ex his qui cœlibes in clerum venerint, iubemus, ut lectores tantùm & cantores, ſi velint, nuptias contrahant.* 3. *Concilii Agathenſis Anno* 506. *Can.* 9. *Placuit etiam, ut ſi presbyteri, vel Diaconi coniugati ad thorum uxorum ſuarum redire voluerint, Papa Innocentii vel Siricii epiſcopi, auctoritas, quæ eſt his Canonibus inſerta, ſervetur.* 4. *Concilii Aurelianenſis* III. *Anno Chriſti* 573. *Can.* 7. Clerici verò, qui cùm uxores non haberent, benedictione ſuſceptâ coniugia crediderint eligenda, qui volentes abſq; ullâ reclamatione fuerint ordinati, cum ipſis mulieribus quas acceperint, excommunicatione percellantur. 5. *Concilii Aurelian.* IV, *Anno Chriſti* 347. *Can.* 17. Ut Sacerdotes ſive Diaconi cum coniugibus ſuis non habeant communem lectulum, & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortii religio maculetur. Quod ſi fecerint, iuxta priſcos Canones ab officio degradentur. Adde *Concilium Aquisgranenſe tempore Ludovici I circa Annum* 828. *celebratum c.* 6. & *VVormatienſe c* 9. Placuit ut Epiſcopi & Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abſtineant ſe ab uxoribus & non generent filios. Deniq; *Concilium Moguntinum ſub Arnulpho Imp. circa Annum* 895. c. 10. Statuit ut nulla penitus mulier ne ſoror quidem aut mater cum eccleſiaſticis habitare permittatur. His ſimilia S. Bonifacii tempore circa Annum Chriſti 740. conſtituta ſunt in duabus ſynodis, de quibus *Serarius in Hiſt. Mog. l.* 3. c. 42. & *Valentia To.* IV. *Diſp.* 9. Q. 5. *pun.* 5. §. 2. *item lib. ſing. de Cœlib.* 3. & 4. Jam quod ſummos Pōtifices attinet,

Digitized by Google

attinet. *Calixti II. in c. Presbyteris diſt.* 27. verba ſunt. Presbyteris Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus. Sub idem tempus *Siricius Papa* (electus eſt anno 385) *in epiſt. ad Himericum c.* 7. ait, Sacerdotes omnes atq; Levitæ inſolubili lege conſtringimur, ut à die ordinationis noſtræ ſobrietati ac pudicitiæ & corda noſtra mancipemus & corpora: *Innocentius* 1. *circa annum Chriſti* 400. *epiſtolâ ad Exuperantium c.* 1. ſcribit Propoſuiſti, quid de his obſervari debeat, quos in Diaconii miniſterio aut in officio presbyterii poſitos incontinentes eſſe aut fuiſſe generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifeſta eſt diſciplina & beatæ memoriæ viri Siricii epiſcopi monita evidentia commeârunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti omni eccleſiaſtico honore privarentur, nec admitterentur accedere ad miniſterium, quod ſolâ continentiâ oportet impleri *v. Barb. in diſt.* 28 *cap.* 1. *&* 2. *Maxim. Sandæum in Hyperbole p.* 310.

III. Ex his manifeſta ſunt noſtri temporis Sectariorum mendacia multa, & enormia, videlicet I. Non à Synodis, ſed contra auctoritatem Synodorum à Pontifice legem cœlibatus invectam eſſe. *Apolog. Conf. Aug. tit. de coniug. Sacerdotum.* Propria, ait *Melanthon* eſt hæc lex de perpetuo cœlibatu huius novæ Pontificiæ dominationis. Cautior paulò *Calvinus l.* 4. *Inſt. c.* 12. quia prædictos Canones negare non poterat, explodendos & abjiciendos dixit. II. Ante annos quadringentos primùm impoſitam eſſe Cœlibatus legem in Germaniâ. *In Germaniâ, ait Melanthon primum ante annos* 400. *Sacerdotes vi coacti ſunt ad cœlibatũ.* III. Eam legem latam eſſe non religionis cauſâ, ſed dominationis. Calumnia hæc immaniſſima eſt, quæ iudicium fert de intimis animi ſecretis, cum gravi iniuria ſummorum Præſulum Conciliorum, adeoq; ipſorum Apoſtolorum, à quibus ſacrorum hominum & Eccleſiæ miniſtrorum cœlibatus exordium habet. IV. Joviniani hæretici, S. Hieronymi tempore nondum fuiſſe cognitam cœlibatus & continentiæ legem. V. Falſum eſſe, quod *Calvinus ſcribit l.* 4. *c.* 12. *Eu,* quæ de continentiâ Sacerdotum à Conciliis & Pontificibus Sancita leguntur, conſilii eſſe, non præcepti. Nam comminationes & pœnæ adiunctæ contrarium indicant. VI. *Gregorium VII.* matrimonio Sacerdotibus ſeveriſsimè interdicto diſſoluiſſe iam contracta. *Funccius in Chronolog. l.* 10. *§ Cæterùm.* Nemo enim Sacerdotum in Occidentali Eccleſiâ aliquando verum Matrimonium contraxit, & ſi contraxit ullus, à nemine diſſolutum, ſed pro nullo habitum eſt.

IV. Præter legem eccleſiaſticam Votum continentiæ in ipsâ maiorum ordinũ ſuſceptione nuncupatur ab iis qui ſcientes volentes initiantur. Patet ex *Conc. Tri. ſeſſ.* 24. *c.* 9. ubi anathema declaratur, qui dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſticâ, vel voto. Ibidem antiqui Canones indicantur *c. presbyteris d.* 27. *& tota* 17, *q.* 1. *Item Extra tit. Qui clerici vel voventes. Conc. Carth. IV. c.* 104. *Conc. Matiſconenſe c.* 4. *&c.* Dixi *Qui ſcientes, volentes initiantur.* Hi enim ſoli explicitè vel implicitè Votum caſtitatis emittunt. Qui verò per vim aut metum gravem, vel abſq; intentione vovendi ordinantur, nullius voti vinculo ligantur: ſed tamẽ caſtitatẽ profiteri coguntur ſecũdùm legẽ Eccleſiæ, vel perpetuò altaris ab mini-

Digitized by Google

miniſterio abſtinere. Similiter pueri ante rationis uſum, vel annos pubertatis temerè ordinati nec voto nec lege tenentur, niſi ſponte quod factum eſt, approbent, & exequi poteſtatem acceptam velint. *Sanchez de Matrim. l.7.d.27. Emm. Sa. V. Ordo n.22.*

V. Continentiæ Votum, de quo hîc, ſolenne eſt,& iure divino Matrimonium contrahendum impedit: contractum verò dirimit, non iure divino,ſed eccleſiaſtico tantùm,quandoquidem ex naturâ rei inter promiſſionem Caſtitatis quamcumque & vinculum Matrimonii nulla repugnantia eſt,ſicuti neq; inter Sacerdotium & coniugium,ut ex conſuetudine Græcorum liquet, qui uxores ante ſacerdotium nuptas retinent, nec propterea ab Eccleſiâ damnantur *S. Th.4. diſt. 37. q. 1. a. 1. Bonau. art. 1. q. 2. Alb. Dur. Paludan. & innumeri alii apud Sanch. de Matrim. l. 7. d. 28. n. 11. & ſeq. Filliuc. tract. 10. c. 4. n. 120. Toletus l. 7. 1. c. n. 3. Em. Sa. V. Impedim. Matrim. dirim. n. 3.*

VI. Si invitâ uxore maritus ordinetur, eum repetendi ius habet uxor: & ipſe quidem petere debitum non poterit, reddere verò tenetur. *Abb. in c. Quidam de conn. coniug.* ubi redire ad uxorem iubetur, qui illâ invitâ monaſterium intravit. Idem iuris manet, ſi uxor vel metu gravi impulſa, vel dolo capta, vel ex ignorantiâ conſenſit. Idem dicendum videtur, ſi cùm ſciret, neq; apertè contradixit, neq; conſenſit, ſed diſsimulavit. *S. Thom. addit. ad 3. p. q. 43. art. 4. Fillue. tr. 10. c. 4. n. 147. Azor 1 l 13. c. 14. q. 1. Barb. in c. Quidam intravit. de converſ. coniug. Item c. coniugatus eod.*

VII. Divortio per legitimam auctoritatem facto propter ſolius uxoris adulterium, ipſâ invitâ poteſt maritus ſacros ordines ſuſcipere. *Abb. in c. Conſtitutus. de conv. coniug. contra Innocentium, Oſtienſ.* & quoſdam alios, quia eidem adulteræ, quamvis non ordinaretur, poſſet negare debitum. Dixi. *Propter ſolius uxoris adulterium.* Nam ſi maritus quoque adulter ſit, compenſata iniuria creditur, nec uxorem deſerere, ſed de reconciliandâ cogitare debet. *Soto in 4. diſt. 36. q. 1. art. 5. Az. l cit. q. 13. & Sanch. l. 10. de matrim. d. 11. n. 16.* ubi hanc regulam præſcribit. *Quoties licet viro ad religionem tranſire, uxore adulterâ renitente, licet ſimiliter ſacris ordin. initiari.*

VIII. Qui poſt matrimonium ratum non conſummatum ſacros ordines recipit, ſi invita uxor fuerit, religionem aliquã intrare debet ſecundùm quoſdam ut voto ſatisfaciat. *Oſtienſ Archidiac. Aſtens. Antonin. 3. p. tr. 1. c. 8. ſolus verò cum nonnullis in 4. diſt. 38. Q. 2 art. 1. putat, iure non cogi.* Sed tutâ conſcientiâ conſummare Matrimoniú poſſe non quidẽpetendo, ſed reddendo debitũ. Verùm prior opinio præferenda videtur. Quod ſi conſenſerit uxor, nihil iuris in maritum retinet, ſed eo ipſo quòd annuit, caſtitatis Votum ſuſcipere compellitur. *Fill. l. cit. n. 148. Palud. in 4. diſt. 38. q 3. ar. 3 Aſtenſis. Oſtienſis. Silv. V. Matrimoniũ 7. q. 1. Azor. 1. l. 13. c. 14. q. 2. Sanch. l. 7. de Matr. d. 39. Bonacina to. 3. pag. 331, Barb in c. ſignificavit. de converſ. coniug.*

XI. Clericus voti caſtitatis transgreſſor, quocunq; luxuriæ actu duplex peccatum committit; nimirum contra temperantiam,& contra virtutem religionis In fornicatione aliàs ſimplici incontinentia cum ſacrilegio coniuncta eſt: in adulterio etiam iniuſtitia reperitur. Vitia enim & malitiæ multiplicantur ſecundùm diverſitatem virtutum, ſeu honeſtatis cui adverſantur

Digitized by Google

verſantur ex recepta Theologorum doctrina. *Vaſq.1.2.d.98.c.2.Leſſ.l.4.c.3.d.12 Sanch. de Matrim. l.7.d 27.n.20. Filliuc. Tr.24.c.10.n.266. & tr.30.c.2.n.54. Bonac.to.2.p.117.*

X. Neq; una clericum in ſacris conſtitutum, ſi incontinens fuerit, pœna manet. Propter fornicationem aliàs ſimplicem, olim deponebatur. *c.presbyter d.82.* Propter ſtuprum ſimiliter, additâ quoq; ſi ita videatur, pœna pecuniaria, vel graviore *V. Panor. in c. Non debet de conſ. & affin.* Notorius fornicator ſecundum antiquos Canones ipſo iure ſuſpenſus eſt. Si vis adhibita eſt, depoſitus in Monaſterium vel arctum carcerem detrudi poteſt. Quin verò dotaret oppreſſam debeat, extra controverſiam eſt. Adulterii reus ab officio deiectus in Monaſterium toto vitæ ſuæ tempore detruditur. *Trid. ſeſſ.24.c.8. c ſi quis clericus d.81. Glo. in c. Lator 2.q7* Præterea infamis efficitur. *Abb. in c. at ſi clerici § de adulteriis. de Concubinariis V. Conc* Deniq; clericum Sodomitam degradandum & Judici ſæculari tradendum eſſe *Pius V. conſtituit Anno* 1568. ut videre eſt apud *Navarrum c.27.n.249.* cuius moderationem ſeu limitationem de eo, qui quaſi uſu quotidiano flagitiũ illud exercet, meritò rejicit *Lopez in annot. cap. 88* Bern. Diaz. Comitolus *l.1.q.57. & 58. item l.6.q.42 Menoch. caſu 288.* Clarus *§ Fornicatio n. 3. Barboſa in c. cit Eſpencaus l. 2. de continent. c.6. Lop. c.82. & ſeq. Tholoſ. l.36.c.7. Zerola v.* Concubinarii. *Filliuc. tr.30.c.8.n.160. Azor par.1.l 7.c.18. Tolet.1.c.47.*

XI. Cauſæ prohibiti ſacris hominibus coniugii, Sacerdotibus nimirum, Diaconis & Subdiaconis plures ſunt. *Prima* Ne Sacerdotes à laicis vilipendantur, utpote non multò maiores & excellentiores, ſed eodem miſeræ ſervitutis iugo alligati. *Secunda*, ut poſsint hoſpitalitati vacare, quod ab Apoſtolo commendatur 1. *Tim.3.v.2. ad Titum 1.v.7.* *Tertia*, ne reditus & bona eccleſiaſtica alienentur & transferantur in filios Sacerdotum, quos aliter dotare non poſſunt. *Quarta* & potiſsima, quia valde indecens eſt, uxoriæ ſimul & divinæ rei vacare: quod ipſo naturæ lumine videtur notum.

At *inquiunt*, matrimonium ſanctum eſt, & ipſius uſus Deo gratus. Nemo id Catholicorum negat: illud tamen omnes agnoſcere debent, quod mentem ab oratione, ſacrificio, aliiſq; piis operibus avocet iuxta *illud 1. Cor 7. Qui habet uxorem diviſus eſt, & ſollicitus quæ ſunt mundi, quomodo placet uxori.*

Plura *Bellarm. l.1. de clericis c.19. Valentia l. de Cœlibatu c.5. Hoſius in confeſſ. fidei c.88. Eſpencaus l.4. de continentia c.10. Harmonia auguſta. confeſſ. Fabricii ad art. de coniug. Sacerd. pag 359. Coſterus de cœlibatu c.19. Barb. in c. cùm olim. de cleric. coniug. & in c. aliter. diſt.31.*

§. IV.

Satisfit Obiectionibus

OBI. I. Subdiaconi non videntur voto aliquo, vel lege obligati, quia de ſolis Presbyteris & Diaconis loquuntur iura ut patet ex *citatis n.11. & c.6. diſt.60.* ubi dicitur. Nullus in Epiſcopum eligatur niſi in ſacris ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. R. Aliqui putant Subdiaconatum primis Eccleſiæ annis inter ſacros ordines, non fuiſſe numeratum, ut verba

verba citata *Vrbani Papæ* indicant. Sed illis adverſatur *canon. 26. Apoſtolorum.* ubi Matrimonium permittitur iis tantùm qui conſtituti in minorib. ordinibus ſunt: Alij igitur dicendum cenſent, fuiſſe quidem ab initio Eccleſiæ ſacrum ordinem, ſed pro tali non ſemper agnitum, idq; propterea, quia Subdiaconi non ordinantur per impoſitionem manuum, ut Presbyteri, & Diaconi. *c. presbyter de ſacram. non iterandis.* Presbyter, & Diaconus, cùm ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali recipiunt. Hic nulla Subdiaconorum mentio fit. Igitur uſq; ad ætatem *Vrbani II. qui electus eſt Anno* 1088. Subdiaconis licuiſſe matrimonium veriſimile eſt, & exinde prohibitum *c. Erubeſcant. d. 32. Vrbanus II. Dominico patriarchæ Gradenſi. Azor 1. l. 13. c. 12, q. 4. Vaſq. de ord. d. 248. c. 3. Moſconius parte 2. c. 1. Barb. in c. nullus d. 61.*

Obj. II. *Conc. Nicænum Anno Chriſti* 330. *cælibatum Sacerdotibus liberum reliquit, teſte Socrate l. 1. c. 8. & Sozomeno l. 1. c. 22. cùm enim de illo præcipiendo ageretur*, *Paphnutius confeſſor ſanctitate vitæ, & miraculis clarus ſurrexit in medium, dixitq; nuptias honorabiles & caſtas eſſe, nec offerendam cuiquam fornicandi occaſionem; quam ſententiam tota ſynodus approbavit.* R. *Paphnutii* teſtimonium Lutheranis nihil prodeſſe, quia ſuaſit non permittendum Sacerdotibus, ut poſt ordinationem ſuam nubant, quod tamen Lutherani omnibus permittunt. Deinde credendum non eſt *Socrati & Sozomeno*, ut mendacibus. *Certè S. Greg. l. 6. ep. 31.* Sozomeni hiſtoriam reprobat, quia, inquit, *Multa mentitur. Socrates autem l. 5. c. 21.* tria mendacia manifeſta habet. Inſuper ſuſpectum *Sozomeni* de Paphnutio narrationem facit, quod *Conc. Nicænum can. 3.* prohibet Epiſcopis Presbyteris & Diaconis, ne ullam domi mulierem habeant, præter matrem, ſororem, & amitam. Si uxores permiſſæ ſunt, cur nulla illarum mentio fit? Hoc argumento convictus *Lutherus in l. de Concil. parte 1.* fatetur Patres noluiſſe Paphnutii ſententiā approbare. Alibi tamē cōtrariū affirmat. Verùm ſint iſta, ut feruntur, aliud nihil probant, quā Paphnutium alterius & minoris ſententiæ fuiſſe, idq; apud Græcos, ubi hodièq; Sacerdotes mariti tolerantur *Barb. in c. Nicæna ſynodus diſt. 31.* Eccleſia Occidentalis, & Romana aliud ſemper docuit & ſervavit, non quod nuptiæ impuræ, & abominandæ ſint, ſed quia à muneribus eccleſiaſticis retrahunt, & minùs idoneos reddunt ad miniſtrandum Domino. Nam qui habet uxorem diviſus eſt & ſollicitus quomodo placeat illi.

Obj. III. Centuriatores Magdeburgenſes non uno loco repetunt hiſtoriam quandā de ſex millibus infantum capitibus in piſcinā quadam repertis qui omnes ex occultis ſacerdotum fornicationibus nati, & ſuffocati fuerint. Allegatur in eū finem S. Vdalrici epiſtola, quam ad Nicolaum I. Pontificem ſcripſerit. R. Si epiſtola illa falſa & fictitia eſt, ut benè monſtrat *Card. Bellarminus l. 1. de Cler. c. 22. Alanus Copus in Dial. 1. c. 22. Valent. tr. IV. d. 9. q. 5. p. 5. Gretſer. l. 2. Apol. con. Miſenum pag. 391. Franc. Coſterus c. 19. de Cælibatu Gretſerus, & alii.* nihil ad nos pertinet. Si autem vera, multùm prodeſt, quia fatetur *Primò* à Pontifice cogendos eſſe Presbyteros & Monachos, ne uxores ducant, & ſi poſt continentiæ votum duxerint, ſeparandas eſſe. *Secundò*, Pontificē omniū fideliū caput eſſe, cui obedientiā, & ſubiectionē debeāt. Pudeat novi Evāgelii præcones carnis ſuæ deſideria & inſulſas opiniones eiuſmodi ſomniis ac deliramentis ſtabilire velle.

Obj. IV.

Obj. IV. Multi ſunt ad miniſteria eccleſiaſtica idonei, qui tamen non habent continentiæ donum: unde ſequitur, aut eccleſiã privari bonis miniſtris, aut laqueũ conſcientiæ injici illis qui quia continere non poſſunt, per luxuriã diffluunt. R. Ut Eccleſia neceſſariis miniſtris abundet, curæ erit Chriſto ipſius ſponſo, & protectori: nec defuerunt hactenus, quamvis nulli indultum ſit matrimonium. Falſum præterea eſt quod paſſim inculcant evangelici buccinatores cœlibatum ſeu continentiam eſſe ſpeciale Dei donum quale eſt, linguarum & miraculorum, quod ne quidẽ ſeriò & multùm petentibus detur. *At inquiunt*, non omnes capiunt verbũ hoc *Matth.* 19. Ideò non omnes vocantur ad ſacerdotalẽ munus Quos verò Deus vocat, eos confirmat, & caſtos reddit, modò velint, ut SS. Patres magno conſenſu docent. Sed negligenda non ſunt media, Orationis ſtudium, ieiunia, periculorum & occaſionum fuga. Hæc quoniam parvi æſtimant Novatores, mirum non eſt, carnalibus deſideriis æſtuare, & difficilem à Venereis voluptatibus abſtinentiam experiri. *Bellarm. l. 1. de cler, c. 21. §. ſed dices. Lorich. Specul. Hæres. v. continentia.*

Obj. V. Eccleſia non habet poteſtatem prohibendi matrimonium, quia Deus id vel mandat, vel ſaltem permittit. R. Eccleſia nulli volenti nubere, continentiæ legem præſcribit. Nubat qui nupturus eſt, modò in Domino: ſed in miniſtris ſuis, qui altari ſervire volunt, hanc conditionem requirit, ut cœlibes ſint. Si quis autẽ continere non poteſt, aut non vult continere, aliud vitæ genus, in quo ſe exerceat, deligendi poteſtatem habet. An non milites alicubi ea lege ſcribuntur, ut abſq; uxoribus, quas domi relinquunt in campum prodeant, & aliis, ne quas militiæ alant, aſſocient ſibi?

Obj. VI. Teſtimonia quædam S. Scripturæ allegantur, & exaggerantur, quorum depravata expoſitio riſum potiùs, quàm reſponſum meretur, cuiuſmodi eſt Apoſtoli 1. *Tim.* 3. ubi vult epiſcopum unius uxoris virum eſſe; quaſi verò ulli unquam Chriſtianorum duas habere licuerit, & aliis imperârit *Paulus*, quod nec ipſe ſervavit, nec Timotheo aut Tito epiſcopis, ut ſervarent, iniunxit. Nullum in tota antiquitate epiſcopum legimus uxoratũ fuiſſe. Quis credat ab illis voluntatem, vel mandatum Pauli Apoſtoli in re tam facili & appellibili non intellectum aut neglectum fuiſſe? Mens igitur Apoſtoli eſt, ut nemo ſacerdos initietur, qui ſecundas nuptias expertus eſt. *Extra de bigamis non ordinan. per totum & diſt. 33. tota & aliis locis.* Plura invenies apud *Valentiam l. de cœlibatu c. 4. Bellarm. l. 1. de cler. c. 20. & ſequentib. Franc. Coſterum. c. 19. de cœlibatu. & Barboſ. in c. Nicana ſynodus diſt. 31.* Qui addit, multos eorum, qui de Græcorum Sacerdotũ coniugio ſcripſerunt, ſummorum Pontificum nimiam benignitatem notaſſe, qui morem illum tamdiu tolerarint. Quod verò *Caſſander* in conſultatione ſua ad Maximilianum Imperatorem, à quo de diſsidio Religionis conſultus fuerat, his temporibus expedire ſcribit, continentiæ legem pro ſacerdotibus tollere, quaſi alia huius, & veteris ævi neceſsitas ſit, nihil aliud eſt, quàm os ſuum in cœlum ponere, & prudentiæ carnis ſpiritum ſubjicere velle, quod impium eſt.

§. V.

De Privilegiis Clericorum.

ABb. *Panorm. in c.1. Epiſcopus. de praebendis.* generaliter affirmat omnia militum privilegia clericis congruentia habere illos, quia ut illi milites Imperatoris ſic iſti milites ſunt DEI. Alii apud Silveſtrum 14. privilegia numerant. Ut evitemus confuſionem, adhibenda diſtinctio eſt.

I. Clericorum privilegia ad duo genera revocantur. Alia enim ſunt ſpiritualia, alia temporalia. Illa quia ad jus Canonicum ſpectant *Canonis* dicuntur. Hæc comprehendunt immunitates & exceptiones à judiciis, muneribus & oneribus civilibus, & quia forum externum reſpiciunt *Fori* appellantur. Eorum, quæ primi generis ſunt, quædam conſiſtunt in bonorum acquiſitione, cuiuſmodi ſunt beneficia & officia eccleſiaſtica: quædam actò in depulſione malorum, quale eſt illud *cap. ſi quis ſuadente diabolo 17. q. 4*, ubi excommunicatur, quicunq; violentas manus in clericum iniecerit. Poſterioris generis cenſentur, quibus illi cenſuris & pœnis eccleſiaſticis ſubjiciuntur, qui immunitates & privilegia clericorum violare præſumpſerint. *Reginald. l. 9. c 24. n. 368*

II. Privilegium Canonis notiſsimum, & accuratè explicatum eſt à *Coninck de Sacram. diſp. 14. de Excom. dub.* 15. ut qui videntes manus in clericum, ſuadente diabolo iniecerit, excommunicatus ſit excommunicatione ſummo Pontifici reſervatâ. Sic *Innoc. II.* in Synodo Lateran. ſanxit 17. *q. 4. c. ſi quis* & confirmavit *Alex. III. relatus in c. 5. de ſent. excomm.* Non dubium eſt, ne par, quin hi qui violentas manus in clericos vel canonicos aut cujusvis religionis converſos injiciunt, ex conſtitutione Concilii Lateran. ſententiam excommunicationis incurrunt, nec niſi in articulo mortis ſine Romano Pontifice abſolutionis poſſunt beneficium impetrare. *Piaſec. in Praxi par. 2. cap. 5 pag. 85. Silv. v. clericus §. 1. n. 5.*

III. Hoc Canonis privilegio gaudent omnes clerici, quamvis prima tantùm tonſura initiati dummodo Conc. Trid. decretum ſervent, ut n. 6. dicemus: prætereà. Monachi, Moniales, Converſi, & Novitii. *c. cùm contingat de ætat. & qual. c. un. de cler. conjug. in 6.* ubi in clericis requiritur, ut habitum, & coronam ferant: cum unica & virgine matrimonium contrahant. E contra non gaudent I. Realiter degradati II. Incorrigibiles *c. Cùm non ab homine de iud.* poſt trinam ſcilicet monitionem prælati, in duobus potiſsimùm caſibus, ſi nimirum clam arma geſtent, vel abſq; habitu eccleſiaſtico incedant. III. Qui per annum ſunt hiſtriones, aut ioculatores. IV. Qui neglectis divinis officiis negotiis ſæcularibus occupantur, ſi ter moniti non abſiſtant V. Qui publicè & per ſe exercent officium macellarii aut tabernarii. ſi poſt trinam monitionem non ceſſent. Et bigami quidem privantur omninò, ſive habitum ferant, ſive non. *Covar. l. pract. qq. c. 31. Bellarm. l. 1. de cler. c. ult. Buſæus q. 7. Coninck de ſacram. diſp. 14. de excom. d. 15. n. 156. Comitol. l. 6. q. 20.*

*IV. In cauſis merè eccleſiaſticis liberi ſũt cleirci à poteſtate Magiſtratus ſæcularis, idq; iure divino. *Glo. in c. Tributum 23. q. 8. & c. quamvis de cenſib. in 6.* Gloſſæ multi Canoniſtæ adhærent: alii cum Theologis

Digitized by Google

logis quibuſdam aliter ſentiunt apud *Bell. l. 1. de Cler. c. ult. & Covar. l. pract. quæſt. c. 31.* At noſtræ aſſertionis fundamentum eſt in diſpoſitione Chriſti, qui oves ſuas, id eſt, fideles, adeoq; totam eccleſiam S. Petro tradidit & ſubiecit, à quo paſcendi, & iudicandi ſunt. *Hinc 1. ad* Cor. 6. Paulus iubet lites etiam civiles Chriſtianorum non deferri ad tribunal gentilium, & Concil. Milevitanum can. 19. ſtatuit, ut quicunq; ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur. *Concilium Matiſconenſe primũ cano. 5. vult.* ut nullus clericus ad Judicem ſæcularem quemcunq; alium fratrem de clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocunq; loco præſumat, ſed omne negotium clericorum aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præſentia finiatur. Non mirum igitur, ſi quod *Sulpitius l. 2. ſacra hiſtoria* commemorat, S. *Martinus* exclamavit, novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ iudex ſæculi decernat, *S. Ambroſ. quoq; ep. 78. & Auguſt. ep. 162.* illos reprehendunt qui cauſas Eccleſiæ terrenis iudicibus dijudicandas exponunt. *v. Bozium l. 1. de iure ſtatus. c. 9. & l. 6 c. 2.* Dixi, *in cauſis merè eccleſiaſticis.* Nam ſubeſſe legibus civilibus, quæ non repugnant eccleſiaſtico ſtatui ſupra diximus, *§. 2. n. 5.* & nemo nõ agnoſcit. *Bellarm. l. 1. de cler. c. 28. Adamus Cõtzen l. 6. Politicor. c. 8. Becan. in Manualic. 19. q. 3. Bannez q. 67. art. 1. pag. 268*

V. Neq; in cauſis civilibus neq; criminalibus, & capitalibus clerici à judice ſæculari judicari & puniri poſſunt. Ita ſanxit *Concil. Chalcedon. primum can. 9.* Si clericus adverſus clericum habet negotium, non relinquat epiſcopum ſuum, & ad ſæcularia iudicia non recurrat. *Concil. Agathenſe can. 32.* Clericum nullus præſumat apud ſæcularem iudicem epiſcopo non permittente pulſare. Idem reperies in *Concil. Carthag. III. Toletano III can. 13. Matiſconenſi c. 8.* Adde Pontificum decreta. *Caius Papa ep. ad Felicem epiſcopum* nemo, *ait*, epiſcopum, aut reliquos clericos apud judicem ſæcularem accuſare præſumat. *Marcellinus in ep. 2.* Clericum cuiusl. ordinis abſq; Pontificis ſui permiſſu nullus præſumat ad ſæcularem judicem trahere. *S. Greg. l. 11. ep. 14. ad Ioannem Defenſorem* De perſona presbyteri hoc attendendum eſt, ſi quam cauſam habuit, non ab alio teneri, ſed epiſcopum ipſius adire debuit. Idem inculcatur totâ *q. 5. cauſa 21.* ubi inſuper excommunicatio fertur in illos, qui confugiunt ad iudicem ſæcularem, & in hunc ſi receperit ad ſe confugientes. *Idem in Bullâ c. d. repetitur. can. 19. de quo V. Comitol. l. 6. q. 21.* Imperatores deneq; ſuis conſtitutionibus declarârunt immunes clericos & Monachos ab inquiſitione & punitione ſæcularium iudicum ſaltem in cauſis civilibus. Viderunt enim parùm conveniens eſſe, ut ab ovibus paſtores iudicentur *V. Iuſtin. Novell. 79. 83. & 123. Bozium de iure ſtatus lo. cit. Farinacium l. 1. q. 8. n. 1. & ſeq. Tanner l. 1. de libert. eccleſiaſticâ 7. Covarr. l. pract. qq. c. 31. n. 3.*

VI. Fori privilegio non gaudet, minorum ordinum clericus, niſi qui beneficium eccleſiaſticum habet, aut clericalem habitum ac tonſuram deferens alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi ſervit: vel in Seminario Clericorum aut in aliquâ ſcholâ, vel univerſitate de licentiâ epiſcopi quaſi in viâ ad maiores ordines ſuſcipiendos verſatur. In clericis veró coniugatis ſervanda eſt *Conſtitutio* Boniſa*cii VIII.* quæ incipit *clerici qui cum unicis c. 1.*

de cler

de cler. coniug. in 6. ut fori privilegio gaudeant, ſi alicuius eccleſiæ ſervitio vel miniſterio ab epiſcopo deputati eidem eccleſiæ ſerviant, & clericali habitu ac tonſura utantur. *Co. Tr. ſ. 23. c. 6.* Declaravit autem *Congregatio* ut clericus fori privilegio gaudeat requiri & ſufficere ea, quæ ex prædictis ſigillatim ſunt annotata. Si verò quæ in aliquo ex iſtis capitulis cõprehenſa ſunt in clerico concurrãt, ſed aliquâ occaſione habitum à ſe geſtari ſolitũ ad breve tempus depoſuerit, nõ ideò fori privilegiũ amittere. An verò habitus ſit clericalis, ad iudicis eccleſiaſtici cognitionem pertinere. Quibus autem caſibus clericus ex Decreto Concilij fori privilegio non gaudet, nullam requirit monitionem, ut illud amittat. *Congreg. Card. declarat. n. 4. Zerola Par. 1. v. clericus. Piaſec. par. 2. c. 3. n. 14.*

VII. Clericorum bona omnia tam temporalia, quàm ſpiritualia, ſeu eccleſiaſtica libera ſunt à tributis Principum ſæcularium. *Ita Conc. Lateran. ſub Alex. III.* excommunicationis ſententiam pronuncians in omnes laicos, qui poſt Canonicam monitionem non ceſſant à clericis tributum exigere. Alterum *Lateranenſe Concilium ſub Innoc. III.* omnes Conſtitutiones Laicorum contra hanc libertatem eccleſiaſticam inanes, & irritas eſſe decernit. *Idem à Clemente V. in concil. Vienn. & demùm Tridentino factum eſt Seſſ. 25. c. 20.* Quin etiam Imperatorum legibus ita ſancitum legimus *l. 16. C. Theodoſ. t. . . & Cod. Iuſtiniani l. Sancimus de ſacroſanctis eccleſiis.* Æquum ſanè eſt hominibus Deo conſecratis eiuſmodi immunitatem largiri, cùm in Ægypto legamus, eandem gratiam Sacerdotibus à Ioſepho indultam fuiſſe. Sed quæri poteſt de bonis, quæ antea laicorum fuerunt, an poſtquam eccleſiæ aut eccleſiaſticis perſonis ceſſerunt, libera & immunia cenſeantur. Diſtinguunt meliores Theologi & Canoniſtæ inter onera, quæ debentur ratione contractus, & conventione dominorum ipſis rebus inhærentia, & inter illa quæ ex vi legis, & regiæ iuriſdictionis generaliter bonis imponuntur, veluti gabellæ. In his valere ſententiam eorum, qui liberam pronunciant eccleſiam; in illis verò minimè. Verùm ſi uſum & paxin attendas, in Imperio Rom. videbis prævalere illam civilis fori maximã, *Res cum onere tranſit ad novum dominum: l. ſi convenerit ff. de pignor. act.* quod minimum intelligi debet de onere perpetuo, & invariabili iuxta mentem *Panormitani in c. 12. de vi & hon. cler. Tholoſ de Rep. l. 3 c. 7. n. 43. & c. non minus de immun. eccl. Azor Tomo III. l. 5. c. 19. Suar. l. 4. cont. error. angl. c. 19 Barb. in c. Tributum 23. q. 8. Tanner l 2. de libert eccleſ. c. 13. Comitoli l. 1. q. 94 Reginaldi l. 9. c. 25. n. 380. Piaſecii par. 2. c. 4.*

VIII. Clerici coniugati, quamvis unicam & virginem ſibi matrimonio iunxerint, ferantq; coronam & habitum clericalem, & alicui eccleſiæ ſerviant non gaudent immunitate rerum, & bonorũ ſuorũ neq; ab onere tributi eximuntur. *Abb. in c. Ex parte de cler. coniug. & c. ex litteris de vi & hon. cleric Bald. in marg. Innoc. in v. clerici coniugati. Dynus in c. nemo n. 4. de Reg. iur. in 6. Glo. in c. Cum audiſſ. de reſt. ſpol. Azor l. citato q. 4. Zerola v. clericus Ad nonum. Leſſ. c. 33. dub. 5. n. 40.* Cùm enim eiuſmodi Clerici vitam ſæcularem amplexi ſint, meritò privantur illis bonis, & privilegiis, quæ clericorum ſtatui continentium conceſſa debeãtur *Silv. V. clericus 1. n. 6.* & alii communiter. *V. Barb. in c. cit. clerici.* Iidem neq; ad ſacros ordines, & adminiſtratio-

nes ec-

nes eccleſiaſticas admittuntur, neq; iuriſdictionis eccleſiaſticæ capaces ſunt. *Glo. in c. un. de cler. coniug. in 6. Laym. l. 1. tr. 5. c. 3. n. 2.*

IX. Exemptio clericorum in rebus civilibus, tam quoad bona, quàm quoad perſonas, non eſt divini, ſed humani iuris. Colligitur ex illo *ad Rom. c. 13. v. 1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et infra. Ideo tributa præſtatis. Sub *omni animâ* includi clericos etiam teſtatur *S. Chryſ.* Vnde ſequitur illa ſimul de iiſdem dici. *Ideo tributa præſtatis.* Vt ergo non præſtent, liberandi ſunt privilegio Regū & principum. conſentit *Vrbanus Papa relatus 23. q. 8. ubi cap. 22. Tributum inquit* in ore piſcis inventum eſt, quia de exterioribus ſuis, quæ palàm cunctis apparent, Eccleſia tributum reddit. *Et paulò poſt.* De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitututum antiquitùs eſt, pro pace & quiete, quâ nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt. Idem agnoſcit S. *Ambr. in Orat. de traden. baſilicis ſi tributum petit Imperator non negatur Agri eccleſiæ ſolvunt tributum. S. Greg. l. 11. ep. 54.* nō aliter probat, ad tribunal Iudicis ſæcularis non eſſe trahendos Sacerdotes, quàm quia ſic ordinavit Iuſtinianus Imperator. Aliter argumentandum erat, ſi Iuris divini eſt exemptio, & pro eâ allegandâ S. Scripturæ teſtimonia, quæ huc uſq; deſiderantur. *Decianus l. 4. c. 9. Covar. l. pract. qq. c. 31. Sigiſm. Staccia de iud. cauſ. civil. l. 7. c. 11. Sanch. l. 2. conſil. c. 4. d. 55. Suar. l. 4. con. err. Angl. c. 20.*

Neq; obſtat illud, ſi Principum gratiâ, & privilegio liberi ſunt clerici, per eoſdem privari iterum poſſe, ſublatis privilegiis: quia non à ſolis illis profecta ſunt, ſed Concilia & Pontifices idem ſanxerunt. Orbis quoq; totus qua Catholicam fidem profitetur acceptavit, & approbavit. Ac proinde non licet uni alicui Magiſtratui tollere, quod communiter indultum eſſe conſtat. *Valentia To. IV. diſp. 9. q. 5. puncto 4.*

At, *inquis*, multis in locis, non ſæculares tantùm Principes, ſed Eccleſiaſtici quoq; & Epiſcopi vectigal & tributum à clericis exigunt. Id enim verò tribuendum conſuetudini, vel neceſsitati, vel quia alias communis per ſe omnium immunitas nunquam recepta & uſurpata, vel tacito conſenſu abolita eſt. Interdum ſummi Pontificis indulto decimæ & collectæ à Regibus indicuntur & exiguntur. *v. Sanchez lo. cit.*

Quod verò *Bonifacii VIII. in c. quanquā de Cenſibus* dicit jure humano & divino liberos eſſe clericos ab exactionibus, contrariam opinionem multis perſuaſit, quos allegat Barboſa in prædicto capite. Sed ita accipiendum eſt ut ly divino ſumatur largiùs, quaſi dicat, exemplo divino, quod nimirum *Geneſ. cap. 47.* extat. Vel certè ea opinione imbutus fuit Bonifacius, quam hodieq; multi Canoniſtæ ſequuntur. *v. Bellarm. l. 1 de cler. c. 28.* ubi cùm in *Propoſit. 5* dixiſſet, exceptionem clericorum quoad bona introductum eſſe iure divino, ſubiungit, per jus divinum à ſe non intelligi præceptum divinum propriè dictum, ſed quod ab exemptis, vel teſtimoniis teſtamēti Veteris, aut novi per quandam ſimilitudinem deduci poſsit. Indeq; putat conciliari poſſe Theologorum & Iuriſperitorum diverſas ſententias. *Reginald. l. 9. c. 25. n. 380. Medina de reſtit. q. 15. Comitolus l. 1. q. 93.*

Sotus in 4. d. 25. q. 2. Ar. III. l. 5. c. 19. ubi alios quoq; reperies. Leſſ c. 33. dub. 4.

X. Prædictis addi poſſunt alia privilegia, quæ Angelus, & Silveſter enumerant. I Clericus vendicare poteſt rem conceſſam eccleſiæ ante traditionem *l. fin. C. de ſacroſan. eccleſ. c. ex litteris de Conſuetudine.* II. Facientes ſtatuta contra clericos ſunt excommunicati *c. eos. de immun. in 6.* III. Soli clerici obtinere poſſunt beneficium eccleſiaſticum, *c. ex litteris de tranſact.* IV. Per literas contra laicum impetratas cum clauſula generali, conveniri non poteſt. *c. ſedes. de reſcriptis in Gloſſ.* V. Non tenetur ſportulas dare *c. cùm ab omni de vi. & hon. clericor.* VI. De acquiſitis etiam ſub patria poteſtate liberè diſponit. *Auth. Presbyteros C. de Ep* VII. De rebus ſuis recuperandis agere poteſt ſine conſenſu patris. *Auth. Presbyteros C. de ep. & cler.* VIII. Clerici facere poſſunt Collegium, quod laicis non licet *argum. c. fin. De relig. domib. Card. Tuſchus concluſ.* 456. IX. Familia clerici eodem fori privilegio gaudet *c. clericum 11 q. 1.* ubi *Gloſſa* referens ſe ad *c. indicatum eſt. d. 89. Maranta par. 4 diſt.* II. *pag.* 98. *Rodriq. To.* III. *q.* 41. *ar.* 7. X. Clericus inops non tenetur bonis cedere propter debita, neq; propterea in carcerem mittendus eſt. *Abb. Imola. Ancharanus & alii in c. Odoardus 3. de ſolutionibus.* Non poteſt enim conveniri, niſi quatenus facere poſſit, deductis neceſſariis alimentis, ut *ex cit. c. DD. communiter docent. Tuſchus concl. 376. Barb. in C. Odoardus de ſolutionibus. Maranta par. 6. §. tertius actus n. 56*

XI. Renunciare privilegiis ſuis clerici non poſſunt *Innoc. III. c. ſi diligenti de ſo. comp* Manifeſtè patet, quod non ſolum inviti, ſed etiam voluntarii paciſci non poſſunt, ut ſæcularia judicia ſubeant: cùm non ſit hoc beneficium perſonale, cui renunciari valeat, ſed potiùs toti Collegio eccleſiaſtico ſit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non poteſt. Nec juramentum licitè ſervari potuit, quod contra ſtatuta Canonica illicitis pactionibus informatur. Ex hoc cap. & aliis apud *Laymannum citatis tr. de legib. c. 23. n. 20. ſumitur generalis regula* Privilegium in unius tantùm perſonam collatum eiuſdẽ renunciatione extingui: illa verò minimè, quæ principaliter in favorem Eccleſiæ, vel alicuius communitatis data ſunt. *Ita Innoc.* Hinc neq; Capitulum, neq; Conventus renunciare poteſt juri acquiſito per conſuetudinem, Statutum, aut Privilegium, ſi tale jus Eccleſiæ ſit utile, aut honorificum. His adde, quòd exempti privilegio exemptionis renunciare non poſſunt, quia id cederet in præjudicium Papæ, vel Principis, qui liberos ab alterius juriſdictione ſuæ protectioni & poteſtati immediatè ſubeſſe voluit. Vnde colligitur. I. Si in percuſſionem ſuam clericus conſentiat, non propterea excommunicationem vitari ab eo, qui percuſsit, quia ut vidimus, *ex Innocentii III. verbis canon iſte in gratiam totius ordinis eccleſiaſtici conditus eſt, cui nullius privati hominis temeritas obeſſe poteſt.* Colligitur II. Si Iudicis laici ſententiæ contra ſe latæ Clericus conſenſerit, non ideò privilegium fori amittere: imò, quod ſummè notandum monet *Bern. Diaz. c. 74.* ſi coram ſæculari Iudice, ne repellatur à lite, finxerit ſe laicum eſſe, re comperta judex eccleſiaſticus illum eripere è manibus judicis laici poterit, ne eiuſmodi technis juriſdictio eccleſiaſtica lædatur, Hinc meritò improbatur

Digitized by Google

batur illud Galliæ arreſtu n. cujus Rebuſfus meminit, quòd clericus à ſæculari judice damnatus ad honorabilem emendam non poſsit executioni opponere primæ tonſuræ exceptionem. *Zerola V. clericus ad 12. Piaſec. par. 2. c. 4. n. 24. §. neq; ipſemet.*

§. VI.

Satisfit Dubiis.

DUb. I. An ſummi Pontificis permiſſu Laici poſsint eſſe judices Clericorum, eoſq; punire? R. *Segura Davalos in Directorio Iudicum eccleſiaſt. par. 1. c. 11.* Summum Pontificem ſpirituales cauſas Laico committere poſſe. *Glo. in c. 1. diſt. 94 c. clericū nullus 11. q. 1. c. plures 16. q. 1 c. decernimus de iudiciis, ubi Barb. plures DD numerat.* Habet enim Papa abſolutam poteſtatem in omnibus cauſis eccleſiaſticis: ac proinde cùm res & ratio exigit, Laico dare facultatem poteſt de clericis iudicandi. Non poteſt tamen juriſdictionem ordinariam principibus ſæcularibus dare adverſùm clericos. *Menoch l. 3. de teſtib. §. 22. n. 61.* Illud enim non in ædificationem, ſed deſtructionem cederet eccleſiaſticæ diſciplinæ. *Alu. Pelag. l. ar. 1. 44. Farinac. l. 1. q. 8. Salas de legib. q. 96. diſp. 14. n. 103.*

Dub. II. An Laici per conſuetudinem acquirere poſsint iuriſdictionem in clericos? Cauſarum aliæ ſunt merè ſpirituales, aliæ merè temporales, aliæ mixtæ ſeu quaſi ſpirituales, qualis eſt, cùm agitur de recuperanda poſſeſsione beneficii eccleſiaſtici, qua per Laicum injuſtè ſpoliatus es. *Hoc poſito.* R. Fieri poteſt, ut alicubi conſuetudo vigeat eiuſmodi mixtas cauſas apud judicem ſæcularē agendi & definiendi. Nam ad Magiſtratum & Principes laicos pertinet cura conſervandi pacem & tranquillitatem reip. Ac proinde ſi quis civium clerico injuriam faciat, in ſimili materia iudicare & vindicare poſſunt. Quod ſi ſummi Pontificis conſenſum requiris, dicent adeſſe virtualem ſeu tacitam. Sic eſſe morem in regno Neapolitano teſtatur. *Covarr. l. qq. pract. c. 35.* In Gallia quoq; judicari de eiuſmodi cauſis etiam cùm inter ſolos clericos agitur, teſtes ſunt *Guido Papa, Aufrerius & alii apud Covar. lo. cit.* Contrarium tamen plures aſſerunt, prædictam conſuetudinem omninò reprobantes ex communi ſententia Doctorum *in c. Clerici de Iud.* eò quòd poteſtas judicandi clericos juris divini ſit; & nulla conſuetudo vim habeat contra libertatem eccleſiaſticam. *c. Noverunt. de ſent. excomm. c. clerici. Auth. Caſſa C. de ſacroſan. eccleſiis Iul. clarus l. 5. §. ult. q. 36. n. 3. Azor 1. l. 5. c. 12. Tuſchus. concl. 9. Baldus in c. clerici de iudic. Butrius Decius. Panormitanus Filliuc. tract. 16. c. 10. n. 263 Felinus in c. 2. de maj. & obed.* Nam laicus, *aiunt*, incapax eſt juriſdictionis ſpiritualis, ac proinde nullo tempore eam præſcribère poteſt. *c. cauſam de præſcriptionibus.* Adde, quod in Rota & Curia Romana, *Azorio teſte*, quotidie contradicitur, præfatæ conſuetudini, quam in Hiſpaniâ & Galliâ prætendunt.

Dub. III. An familia epiſcopi laica fori privilegio exempta ſit à ju-

Digitized by Google

dicio ſæculari? R. eſſe, ut DD. magno numero allegati apud *Barb.* colligunt ex *c. Dilecto. de off. Archidiac.* Et confirmatur auctoritate congregationis ſuper negotiis epiſcoporum & regularium. Cùm enim Epiſcopi Sorani capitaneus in carcerem à magiſtratu ſæculari conjectus eſſet, cenſuit prædicta congregatio non iure factum eſſe, actaq; irrita declaravit. Eadem congregatio epiſcopo Vaſonenſ, An Camerarius ſuus fiſcalis, eiuſq; familiares privilegio fori & immunitate ab oneribus perſonalibus gauderent, reſpondit gaudere & ad ſubeunda perſonalia civitatis munera minimè teneri. Et hòc extendi debet ad familiam epiſcopi titularis tantùm, ita tamen, ut illorum famuli ac familiares ab epiſcopo loci ordinario puniantur. Idem de familia Vicarii epiſcopi, imò cuiuſcunq; eccleſiaſtici, ac clerici ſaltem quoad ſervos perpetuos etiam Mauros &c. dicendum, modò non obſtent ſtatuta particularia, vel conſuetudo loci.

Porrò ad familiam epiſcopi non tantùm maiores illi Præfectus Cancellarius, Camerarius, fiſcalis, ſecretarius, & ſimiles, ſed etiam Notarii, Carcerarii, lictores aliiq; miniſtri pertinent *Barb. lo. cit. Dianam v. Eccleſ. Privileg. fori. n. 31. Zerolam par. 1. v. Epiſcopus n. 11.*

Dub. IV: An clericorum coniugatorum uxores privilegio fori gaudeant cum maritis ſuis. R. *Ex c. clericis qui cum de cler. coniug. in 6.* ubi privilegium illud clericis conceditur, adeoq; colligunt, etiã ad illorum uxores extendi. *Diana tr. 1. de immun. eccl. reſol. 41. Aviles, Perez. Barb. l. cit.* repugnante *Sanchez l. 7. de Matr. d. 47.* ſed ad civiles cauſas extẽdi non debet propter manifeſta illa textus citati verba *pro illorum exceſſibus vel delictis*, quæ indicant, cauſas contractuum & negotiorum civilium excludi. Quo etiam pertinet illud. *In cæteris autem* quemadmodum *Barb.* notat.

Unde ſequitur, prædictos clericos coram ſæculari judice de debitis pecuniariis, pactis, & ſimilibus conveniri poſſe, & ab eodem pro merito puniri. Quod verò aliqui de concubinis clericorum, quaſi eodẽ favore fruãtur, apud *Zypæũ c. 13.* dicunt, evanidũ eſt, niſi de punitione intelligatur. Nam quia cum perſonis Deo conſecratis peccant, ratione delicti eccleſiaſtico judici ſubjiciuntur; quemadmodum *Iac. de Graff. q. 2. c. 10. n. 17. & Barboſa in c. eos qui diſt. 32.* fuſius declarat. de filiis autem clericorum nemo dubitat, ut nec de iis, qui ſub obedientia in monaſteriis, & cœnobiis ſerviunt. *V. Conc. Tr. ſeſſ. 24. c. 11. Sanchez loc. citat.*

Dub. V: An Magiſtratus laicus cognoſcere & iudicare poſſit de cauſis clericorum, quando eccleſiaſtici Prælati negligentes ſunt?

Affirmant ex recentioribus aliqui Covarruviam ſecuti, his rationibus inducti. I. Quia aliter reip. ſaluti & incolumitati parum conſulitur, dum Magiſtratus eccleſiaſticus dormit, & ſæcularis non poteſt punire delicta, quæ leges impunita eſſe non permittunt. II. *Ex c. filiis vel nepotib. 16. q. 7.* conſtat Archiepiſcopis & epiſcopis negligentibus punitionem eorum rectorum, qui bonis eccleſiaſticis abutuntur, licere patronis eccleſiarum Regem adire, ut illi malo medeatur. III. *in c. Principes 23. q. 5.* inſinuatur, ſæculi Principes eam poteſtatem habere; ut

ſuper-

Digitized by Google

ſuperborum cervices comprimant, & quod fieri non poteſt per eccleſiaſticam diſciplinam, ab ipſis iuxta diſciplinam reip utilem executioni mandetur IV. Non eſt maior ratio, cur negligente judice civili eccleſiaſticus locum illius ſuppleat, quàm è contrario: Sed Canones prius illud admittunt *c. Licet. 1. & c. ex tenore c. ex transmiſſa de fo. com.* ergò etiam poſterius permitti debet. *Deniq; in c. Principes & c. filiis, & nepotibus. Item c. administratores 23. q. 5.* ſancitum eſt, adminiſtratores ſæcularium dignitatum, qui ad eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem rapaciumq; refrenationem conſtituti eſſe procul dubio debent, quoties ab epiſcopis & eccleſiaſticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentè audiant, & examinent, ac diligenti ſtudio corrigant. *Item in c. ſi quis cum clerico 11. q. 1. Auth. & clerici.* ut apud proprios epiſcopos primùm conveniantur. *Collat. 6.* planè habetur, epiſcopo negligente, aut recuſante, quia non vult, aut quia non poteſt, ad civilem iudicem veniendum eſſe. *Ita illi non abs re.* Non paucis tamen videtur probabilius eam licentiam laico Magiſtratui non competere. *Ita Gofr. Archid. Ioan. Andr. & Abb. in c. Qualiter, & quando de Iudiciis,* ubi manifeſtè *Innoc. III. definit,* Ne pro defectu juſtitiæ clerici trahantur à laicis ad judicium ſæculare: quod omnino fieri prohibemus. Neq; ideò impunitas ſcelerum creſcet, quia ſi inferior Magiſtratus indormiat, adeundus ſuperior eſt, uſq; dum ipſe Pontifex conſulatur. Inter non Catholicos & infideles autem quid, *inquis* fiet? Id nimirũ, quod recta ſuadet ratio, quia neceſſitas legem non agnoſcit. Ad Canones in contrarium allatos, dicendum, abrogatos eſſe illos, qui mitigationem non recipiunt. Neq; id mirum videri debet, quia dies poſterior magiſter eſt præcedentium: & non pauca olim permiſſa fuerunt, quæ certis & iuſtis de cauſis poſtmodùm immutata fuerunt. *V. Az. 1. l. 5. c. 14. q. 2. Reginald. l. 9. c. 26.*

Dub. VI. Vtrum à Laicis, capi, includi ac detineri aliquando poſſint clerici, & in quibus cauſis, vel caſibus? R. *Menochius in caſu* 186. ex Phil. Decio tres aſſignat, quorum *Primus eſt.* Si Laicus videat neceſſarium hîc & nunc detineri, ut Judici eccleaſtico ſiſtatur puniendus. *Abb in c cum non ab homine de Iudic. Secundus.* Quando neceſſarium videtur ad obviandum alicui delicto, vel damno, quod timetur. *Decius in c. cum non ab homine. Tertius.* Si poſt commiſſum facinus ſuſpectus ſit de fugâ *Bart in l. 1. ſi quis in ſervit. ff. de furtis. Zypæus de iuriſd. eccl. l. 1 c. 16. Navarrus c. 27. n. 82,* Caſus exemptos ab excommunicatione numerat 8. I. repellere & verberare clericum invaſorem II. Detinere fugientem propter debita, ut Prælato ſuo præſentetur. III. Capere deprehenſũ in flagranti IV. Inventũ noctu, cùm præſumptio eſt, aliquod ſcelus meditarit. V. Arcere & impedire volentem delinquere VI. Auferre enſem parato ad nocendum, aut cogere, ut equo deſcendat. VII Lædere vel mutilare repertum inhoneſtè agentem cum uxore, matre, vel ſorore. VIII. Detinere inventum domi, & colloquentem cum uxore quãvis honeſtè, ſi monitus non abſtineat. Licebit autem detinere non amplius, quàm 20. horarum ſpatio, ut Magiſtratui ſuo ſiſtatur. *V. Armillam. V. excommunic.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

municatio? Pari modo excommunicationem non incurrit I. percutiens clericum, qui miles factus eſt, vel ſe immiſcet enormitatibus. II. eum, qui publicè exercet officium cauponis, vel lanii. III. Eum, qui mimicam exercet. IV. Eum, qui bigamus eſt. V. Si turbam ſummovendo ſimul impellat aut tangat clericũ multitudini immixtum, modò abſit animus offendendi. *Bonac in ſſ. tr. Eccleſiaſtica libertas. Riginaldus l. 9. c. 26. Sayrus l. 3. c. 28. Toletus l. 1. c. 24. Piaſecius par. 2. c. 4. num. 25. Tuſchus concl. 386. & alii apud Barb. in c. cùm non ab homine. de ſent. excomm. & c. ſi. quis. ſuadente 17. q. 4.*

Dub. VII. Antonius à judice laico captus clericum ſe eſſe clamat, & remitti ad judicem eccleſiaſticum flagitat, at laicus iudex non eſſe clericum putat, quid facto opus? R. Si Antonius captus habitum defert, aliaſq; qualitates clerico neceſſarias exhibet, in dubio ad judicem eccleſiaſticum pro deciſione litis remittendus eſt. *Iul. Clarus §. fin. q. 36. n. 21. Covarr. practicar. c. 33. Rebuff. in tract. except. n. 200. Menoch. de præſumpt. l. 6. de præſumpt. 76. Zerola par. 1 v. clericus Farinac. in praxi q. 8. n. 33. Diana p. 1 tr. 2. reſol. 27. Ratio,* quia ſtatus alicuius videtur eſſe, in quo deprehenditur, donec de contrario habeatur cognitio. Sic enim pro ingenuo habemus, qui talis apparet, donec aliud exploretur. Nihilominus aliam opinionem & praxin tuentur Luſitani & Galli, ut ſupra ex Covarr. indicavimus Dubio III. Ajunt namque quæſtionem facti eſſe, cuius cognitio non ſit à foro ſæculari aliena, & conſuetudine iam diu obtentum, ut Magiſtratus ſæcularis de quæſtionibus facti etiam circa materiam aliàs ſpiritualem cognoſcat, ut ſi de matrimonii contractu, an unquam celebratus ſit, controverſia incidat, vel de legitimatione filiorum, & aliis multis ſimilibus, quæ explicat *Bart. in l. Omni novatione C. de ſacroſan. eccl. Menoch. concl. 366. & alii.* Verùm illis omnibus reſiſtit textus *in c. ſi iudex laicus de ſent. exc. in 6.* cuius auctoritate communem eſſe priorem opinionem agnoſcit *Covarr. pract. q. 33. Maranta. Iul. Clarus & alii in Remiſſionib. allegati Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 6.* An verò conſuetudo aut privilegium aliquod ſerviat Hiſpanorum, & Gallorum praxi alterius conſiderationis eſt. *V. Cardin. Tuſchum. v. clericus concluſ. 385. & 386.*

Dub. VIII. An ſtatutum Magiſtratus vel reip. civilis & laicæ, ne immobilia bona vendantur aut alienentur cuiquam extra familiam, &c. Clericos liget? *Andr. Gail l. 2. Obſent 32. n. 5.* in quibuſdam Germaniæ locis eſſe ſtatuta affirmat, quibus eiuſmodi alienatio prohibeatur etiam clericis qui patrimonialia poſſident: Item alia ſtatuta, quibus prohibentur ſubditi in ſpecie alienare res immobiles in eccleſiaſticas perſonas: eaq; ſtatuta, ſi rectè conſiderentur, non eſſe adeo exorbitantia, neque contra libertatem eccleſiaſticam, ſed magis ad publicam utilitatem & conſervationem familiæ, atque agnationis ſpectare: *text. in l. 1. § fin. C. de caduciat. tollendis l. Vtilitas C. de Pri-*

Digitized by Google

de Primipilo. Ita ſentire etiam per multas rationes *Signorolum de Homodeis conſil.* 21. quod nimirum diſpoſitio illa non ſit cenſenda contra libertatem eccleſiaſticam, cuius auctoritate aggravatur perſona eccleſiaſtica, publica utilitate hoc exigente: imò non gravatur perſona eccleſiaſtica, ſed potius ſubditorum poteſtas limitatur *l. ad inſtructiones. C. de ſacroſan. eccl. c. Peryenit. extra de immun. eccl. Baldus in c. Eccleſia S. Mariæ n. 8.* ubi dicit valere ſtatutum factum in ſavorem reip. etiamſi ſit contra clericos. Multa enim favore reip. conceduntur, quæ aliàs non concederentur *l. utilitas l. ita veneratus v. multa autem ff. ad leg. Aquil.* Ita *Gail,* addens in Camera Spirenſi quoque approbari eiuſmodi ſtatuta, quibus clericis in acquirendo prohibetur alienatio bonorum extra familiam. R. Eiuſmodi ſtatuta clericos non ligare, propter defectum poteſtatis in Magiſtratu ſæculari. Cùm enim clerici Magiſtratui eccleſiaſtico tantùm ſubſint, & propterea immunes ſint ab omni onere, quo vel perſonæ vel bona illorum gravantur, ceſſat omnis Quæſtio an ſtatutum de non alienandis bonis, eo modo, qui damnoſus eſt eccleſiaſticis, reſpectu illorum vim ullam habeat, *Boet. Epo. l. 1. de iu. ſacro c. 2. n. 178. Martinez in 12. S. Tho. q. 96. a. 5. noviſſimè Tho. del bene de comitiis ſect. 16. dub. 4. & alii apud Barb. citati in Prætermiſſis ad c. Eccleſia S. Mariæ de conſtitut.* Vnde ſequitur *Andr. Gaill* cum ſuis in ſavorem reip. magis quàm Eccleſiæ propenſos ſcripſiſſe, quod politicis, non verò, eccleſiaſticis doctoribus convenit: quia in dubio cauſa Eccleſiæ fovorabilior cenſeri debet. Nec rationes illorum aliud probant, quàm conveniens rationi & æquitati eſſe, ut clerici, quia in eadem reip. aut civitate continentur, ut cives communium onerum participes fiant: quod minimè negamus. Magna reip. utilitas aut neceſsitas facere poteſt, ut ſine reſpectu omnibus imponatur, ſtatutum vel onus aliquod: quamvis conſultum eſt, in eiuſmodi eventibus abſque Summi Pontificis conſenſu nihil decernere. *V. Covarr. in relect. c. poſſeſſor. par. 2. §. 4. cir. finem. Layman l. 1. tr. 4. c. 13. numer. 4. & Azor I. l. 5. c. 13. ubi plures in particulari quæſtiones movet.*

Dub. IX. Quando amittat privilegia ſua Clericus. R. Præterea, quæ §. 5, *n.* 3. diximus amittere I Quando ſe enormitatibus miſcet, cuiuſmodi eſt profeſſio lenonum, proditio patriæ, Societas latronum, parricidia, & his ſimilia. II. Cùm deprehenditur in crimine flagranti, vel periculo proximo. III. Cùm neque tonſura; neque habitu ſtatum clericalem profitetur, quaſi nolit, vel pudeat: niſi poſt trinam monitionem reſipiſcat. IV. Cùm impunè graſſatur, in cædem laicorum, & Magiſtratus eccleſiaſticus non adhibet remedium. V. Si per Aſſaſinos quenquam occiderit, quo eventu capi à quolibet, verberari & occidi poteſt. VI. Si Sodomita fuerit, non tantùm amittit privilegia ſua, ſed

Digitized by Google

voto,& regula ſoluti. Hinc Regulare beneficium habet Abbas & Prior: ſæculare verò Canonici, Vicarii Parohi & ſimiles. II. Sæculare beneficium aliud eſt ſimplex, id eſt, nulla iuris qualitate affectum, quemadmodum, promiſsio, pactū, aut votum ſimplex appellatur, quod nulla juris ſolenni forma afficitur. Aliud non ſimplex quod contrario modo aliqua juris ſpeciali ac ſolenni forma decoratur, Eiuſcemodi forma ſeu qualitas eſt *Dignitas. Gubernatio, Parochia, Cura animarū, Iurisdictio, Adminiſtratio rerū eccleſiaſticarum, gradus honorabilis in choro, ſe Collegio clericorū.* III. Aliud beneficium eſt *Curatū. Aliud non curatum.* Cura animarum habet in foro externo quidem, cui jurisdictio in alios competit In interno autem, cui poteſtas data eſt adminiſtrandi Sacramenta. Hiſce qui caret, ſimplex & non curatū beneficiū obtinet. IV. Dividitur in *Dignitatem. Perſonatum, & Officiū. ſive Adminiſtrationem.* Dignitas eſt illius, qui habet adminiſtrationem rerum eccleſiæ, & ſimul jurisdictionem in clericos. *Perſonatum* habere dicitur, qui in Eccleſia, cui aſſcriptus eſt, gradum honorificum tenet, quo aliis clericis ſupereminet, v. g. in choro Sedem altiorem, vel locum ante alios, aut in ferenda ſententia præfertur, ita tamen, ut omni adminiſtratione & jurisdictione careat. *Officium* in illis cernitur, qui rerū eccleſiaſticarum adminiſtrationem aliquā habent. *Tholoſ. l. 1 loc. 1 c. 27. c. 2.* V. Aliud beneficium eſt *Manuale*, quia ad nutum collatoris revocari poteſt: aliud non Manuale, ſed *Titulare*, quia non niſi certis ex cauſis in jure permiſsis adimi ſolet *Rodriq. to. 1. q. 34. art. 2.* VI. Aliud beneficium *Electivum*, aliud *Collativum eſt.* Electiva per electionē. cōcedētur Collectiva per ſimplicem, & liberā voluntatē. Quamobrem *mixta* appellare licet, quæ nominante patrono, & epiſcopo inſtituente conferuntur *Layman tr. 2. c. 10.* VII. Alia ſunt *Patronata*, alia *non Patronata.* Hæc ſine cuiuſquam præſentatione conferuntur: illa præſentationem patroni requirunt cum inſtitutione epiſcopi *c. cum laicis c. nullus de iure patronatus.* VIII. Alia ſunt *Collegiata*, eorum videlicet, qui Collegium conſtituunt, alia *non Collegiata*, quæ conferuntur illis qui non conſtituunt Collegium. Collegii nomine intelligo Cœtum clericorum habentium Sigillum, & arcam communem, vel qui habet Capitulum, & prælatum Capituli caput *Tuſchus concluſ. 458.* IX Alia ſunt *Patrimonialia*, quæ ex patrimonio fundātur, & in eadem familia manent. Alia *non Patrimonialia*, quæ aliunde fundationem habent. X. An beneficia ſint *Penſio, Portio, & præſtimonia*, dubitatur. Pro reſolutione inſpicienda ſingulorum qualitas eſt. *Penſio* definitur *Ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.* Ex ſuo enim ut nemo uſumfructum, ſic penſionem nemo habere poteſt. Dividitur variè. Alia eſt temporalis, alia ſpiritualis, alia mixta, Temporalis datur propter miniſterium aliquod temporale præſtitum, ut viro illuſtri, aut Principi Spiritualis è diverſo propter miniſterium ſpirituale datur v. g. Concionatori, Adjutori Epiſcopi, aut Parocho. Media ſeu mixta fundatur in ſolo ſtatu ſpirituali, non tamen in præſtando officio ſpirituali, qualis eſt, quæ tribuitur parocho ſeni, aut clerico pauperi, ut inde alatur. II. Alia datur cum clauſula transferendi, alia non. Clauſula transferendi

D

Digitized by Google

rendi eſt poteſtas penſionem relinquendi alteri auctoritate alicuius perſonæ conſtitutæ in eccleſiaſtica dignitate. III. Alia datur cum regreſſu ad beneficium; alia ſine illo. Regreſſus illius propriè eſt, cui poſt reſignationem, beneficii penſio tributa fuit. *Portio* removendo latiorem ſignificationem, propriè dicitur ſtipendium, quod illis datur, qui Canonici & Vicarii non ſunt, choro tamen ſerviunt cantando, aut adminiſtrando. Olim congiarii vocabantur, quibus Imperatores in alimoniam Congiarium, id eſt, munus aliquod donabant. His portionarii ſimiles videntur, clerici nimirum annuè percipientes aliquam redditnum partẽ unde vivant *Præſtimonia* quoq; non unius generis ſunt. Aliquando enim clericis in ſubſidium dantur, ut commodius vivant: aliquando ſtudioſis pauperibus, ut inchoatum literaturæ curſum faciliùs abſolvant, cum obligatione recitandi quotidie aliquas preces. Ex his facilè eſt diſcernere num prædictũ jus, & reditus propriè beneficia ſint, examinando ſecundùm definitionem n. 1. datam. Nam ſi vel perpetua non ſunt, vel propter temporale obſequium dantur, vel abſq; Eccleſiæ auctoritate cõſtituta ſunt nõ niſi impropriè beneficia appellantur. *Azor II. l. 8. c. 5. Zerola par. 1. v. beneficium n. 1. & ſeq. Navarr. to. 1. conſil. 52. Barb. praxis. exig. penſiones. Reginaldus l. 30. tr. 3. c. 8.* inter beneficia impropriè dicta numerat *commendam non perpetuam, Coadiutoriam, Hoſpitale, & prabendas inſtabiles. Garciæ par. 4. c. 4. n. 6. Navarr. l. 3. conſil. 9. & Man. c. 25. n. 103. Laym. c. 1. n. 2. & c. 5. q 6. Leſſ. c. 34. d. 30. Arragon. 22. q. 100. ar. 4. Rebuffus de pacificis poſſeſſ. n. 105. Staphileus de litt. expectativ. t. t. de qualitate beneficior. §. 1. n. 5. Franc. Leopar. 2. c. 27. Tholoſ. l. 1. t. t. 26. c. 6. Fagundez de prac Eccl. par. 1. l. 2. c. 4. ubi recitat motum Pii V. Anno* 1571. præcipientis, ut clericus cui præſtimonialis portio datur *Offic. parvum B M. V.* recitet. Quam conſtitutionem hodiè in viridi obſervantia eſſe apud Hiſpanos idem Auctor affirmat. *V. Valenſ. de benefic. l. 1. t. t. 1.*

§ II.

De requiſitis ad Beneficium.

I. A Beneficiis eccleſiaſticis jure naturali & divino I. Fæminæ excluduntur. II. Nondum baptizati. III. Infantes & amentes. IV. Surdi, muti, aut aliquo aliorum membrorum, ſeu potentiarum deſtituti, quia ad obeundum munus, propter quod beneficium datur, inhabiles ſunt. V. Hermaphroditi, niſi fortè virilis ſexus multùm prævaleat *c. ſacratas d. 25. Azor II. l. 6. c. 2. Valenſ. l. 1. tt. 14. n. 1. 2. 3. & l. 3. tt. 7. §. 3. Leſſ. c. 34. d. 17. Zerola V. beneficia. Silv. V. beneficium III. n. 1.* Attamen debilitas, aut vitium corporis ſuperveniens, ex quo ad officium præſtandum fias invalidus, non privat beneficio obtento. Verùm ſi cura animarum conjuncta ſit, Vicarius ſubſtituendus erit. *c. 1. c. 13. & c. 17. cauſa. 7. q. 1. Silv. V. Vicarius Armilla eod. v. tt. 111. §. 4. de Coadiutore Parochi.*

II. Jure eccleſiaſtico à beneficiis excluduntur I. Qui nondum primâ tonſurâ initiati ſunt. II. Illegitimè nati, niſi in aliquâ Religione profeſſi ſint, vel ab habente poteſtatem legitimati. Poteſt autem Epiſcopus promovere ſpurios ad primã tonſu-

Digitized by Google

conſuram, minores Ordines, & beneficia ſimplicia tantùm. III. Filii hæreticorum, vel credentium hæreticis, fautorum, receptatorum, ac defenſorum: nepotes item qui hîc filiorum nomine comprehenduntur IV. Qui matrimonium contraxerunt licet nondum ſit conſummatum. V. Bigami. quia Ordinum incapaces ſunt. Diſpenſare tamen epiſcopi poſſunt quoad minores ordines, & beneficia ſimplicia. VI. Qui carent legitimâ ætate. Pro beneficiis omnino ſimplicibus, maximè ſi pro minoribus fundata ſint, anni ſeptem ſufficiebant olim, nunc verò, quemadmodum pro quocunq; etiam Canonicatu neceſſarii ſunt *14.* anni, ſaltem inchoati, *Conc. Tr. ſeſſ. 23. c. 6.* Pro beneficiis, quæ maturitatem judicii, & prudentiam deposcunt, vel curam animarum annexam habent, anni viginti quinq, minimùm inchoati. Ad dignitates & perſonatus, quibus non adjecet animarum cura, requiritur ætas annorum viginti dûum h. e. ut completi ſint. Deniq; pro epiſcopatu triginta anni completi exiguntur. In his tamen & ſimilibus multis non raró diſpenſatur cum filiis Regum & Principum. *Azor II. l. 6. c. 5. Silv. V. benefic. III* Deniq; ad beneficium *regulare* requiritur, ut ſit eiuſdem Ordinis profeſtus, vel certè promittat, ſe intra præfixum tempus ſuſcepto habitu profeſsionem editurum. *Armilla 1. n. 80. Silv. n. III. Azor II. l. 6. c. 4. Leſſ. c. 34. d. 17. Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. Zerola par. 1. v. beneficium ad octavum* ubi ſic præfatur. Habeantur pro non dictis, quia non obſervantur.

III. Nemo beneficium validè acquirit, qui vel conjugatus eſt, vel excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, irregularis, filius hæretici intruſus, ſimoniacus, vel qui ad preces hæretici alicuius præſentatur. *c. Poſtulaſti de clerico excomm. c. dilectus de conſuet. c. 1. de poſtulat. Prælat. c. quicunq. 2. c. ſtatutum 15. de hæret. in 6.* Ad pleniorem doctrinam ſpectant ea, quæ à DD. annotantur, videl. I. Non tantùm collatio beneficii, ſed etiam præſentatio, poſtulatio, & reſignatio in favorem excommunicati, ſuſpenſi & interdicti irrita eſt. *Covarr. in c. alma 1. p. §. 7. n. 1. & 2. Glo. in c. poſtquam 3. de elect. Rebuffus §. formula dimiſſoriarum. V. par. III. tt. 16. §. 2. n. 7.* II. Quorundam opinio non omnino rejicienda eſt, ſuſpenſione vel interdicto non ita reddi indignos, ut collatio ſit ipſo iure irrita, ſed quod irritanda ſit, & antequam hoc fiat, retineri beneficium poſſe, *Silv. V Epiſcopus IV. n. 4. Suar. V. diſp. 26. ſect. 3. & diſp. 27. ſect. 5. n. 25. Tanner. 2. 2. d. IV. q. 6. 175.* III. Si alicui ante excommunicationem facta ſit collatio, in excommunicatione verò acceptet, valida erit. *Covarr. l. 3. Var. c. 16. n. 4.* IV. Idem dicendum, ſi quis in excommunicatione electus aut præſentatus ſit, & acceptet, poſt abſolutionem *Innoc. Oſtienſ. Felinus. & alii apud Sanſchez l. 8. de diſpenſationib. diſp. 7. n. 12.* V. Si quis ignorantia probabili ignoret, ſe excommunicatũ eſſe, & beneficiũ acceptet, talis acceptatio valida erit: quod etiam de electione & præſentatione dicendum eſt. *Navarr. in c. fratres de pœnitentia diſt. 5. n. 45. Glo. in c. Apoſtolica. 9. de clerico excomm. Felinus. Cardin. Leſſ. c. 34. n. 117. Azor II. l. 6. c. 7. Zerola par. 1. V. beneficium tertium dubium.* De penſione eccleſiaſtica quid dicendum *V. par. III. tt. 16. §. n. 7.*

IV. Ad beneficii conſecutionem ſcientia requiritur juxta uniuſcuiuſq; qualita-

tem & exigentiam. *c. cùm in cunctis de elect.* *Co Tr. ſeſſ. 22. c. 2.* in aſſumendis ad cathedr. eccleſias exigit, ut ſit Doctor, aut Licentatus in Theologia vel jure Canonico, vel ſaltem publico alicuius Academiæ teſtimonio ad alios docendos idoneus oſtendatur. Eadem doctrina requiritur in Archidiaconis, & multò magis in Cardinalibus, qui ſunt velut oculi in myſtico Eccleſiæ corpore. *V. Co. Tr. ſ. 24. c. 12.* ubi non verbo præcipiendi, ſed hortandi utitur *V Vallens. l. 1. de beneſ. tt. 16.* Præter hæc examine prævio opus eſt, exceptis quos ad beneficia non parochialia Vniverſitas aliqua præſentat, ſine quo irrita poteſt eſſe inſtitutio. Hæc autem in ipſa electione & inſtitutione quo modo ſerventur, viderint illi, quorum intereſt. *Azor II. l. 6. c. 6. Zerola par. 1. v. beneficium ad quintum Vallens. l. 1.*

V. Non minus neceſſaria eſt intentio, ſeu certa voluntas accleſiaſtici ſtatus, vel ordinis muneri ſuo neceſſarii. Ac *Primò* quidem Beneficium curatum, cuiuſmodi eſt Parochai eo animo ſuſcipere debet unuſquiſque, ut intra annum Sacerdotio initietur, aliter qui faciunt, mortali peccato obſtringunt ſe, & reſtituere fru ctus tenentur. niſi per idoneam ſubſtitutum munus ſuum obierit *Secundò*, qui beneficium curatum ita ſuſcipit, ut dubitet, an Sacerdotio intra annum initiari velit, ſi non initietur poſtea, fructuũ reſtituendorum reus eſt. *c. Commiſſa de ele. in 6. Silv. V. beneficium III. q. 23. Tertiò* Ad beneficium ſimplex ſufficit intentio conditionata ſacrũ ordinem ſuo tempore aſſumendi, inq; eo ſtatu permanendi, donec mutatio aliqua, vel circumſtantia vel circumſtantia aliud ſuadeat. Nam in hoc modo procedendi nulla apparet fraus vel iniquitas *Navarr. c. 25. n. 118. & ſeq. Quartò* Si beneficio ſimplici, ſeu non curato annexa eſt ordinis ſacri obligatio, tu verò intra tempus præſcriptũ non vis te habilẽ efficere, mortaliter peccas, non tamen ad reſtitutionẽ fructuum obligaris quia Canones in curatis tantùm, eiuſmodi reſtitutionẽ exigunt. *Quintò* Cùm nulla eſt ſacri ordinis ſuſcipiendi obligatio, nõ peccat ſuſcipiẽs animo quidẽ in clericali ſtatu vivendi, ſed abſq; ſacro ordine. *Sextò* Beneficiũ ſimplex abſq; onere ſacrũ ordinem ſuſcipiendi, qui eo animo obtinet, ut fructus lucretur ſuo tempore dimiſſurus, & ad ſæcularẽ ſtatum reverſurus, ſi interea muneri ſuo ſatisfaciat, non cenſetur peccare ſaltem mortaliter, quia Canones eiuſmodi beneficiatis permittunt liberũ reditum ad priorẽ ſtatũ, imò nuptias quoque, ut colligitur *ex c. Ioannes, & c. diverſis. de cler. coniug.* Dixi *Non peccare ſaltem mortaliter*, quia non omnino laudari poſſunt, qui retrò reſpiciunt, contra quàm beneficiorum inſtitutio & natura exigit: quamobrem ab omni omnino culpa non videntur eſſe liberi. *c. commiſſa de elect. in 6. ubi Barboſa plures. Doctores allegat. v. Leſſium c. 34. dub. 26.*

VI. Opus eſt deniq; Canonica inſtitutione. *Reg Iu. 1. in 6.* ad quam teſte *Cacetano* tria requiruntur I. ut conferatur ab eo, qui poteſtatẽ habet, videlicet Magiſtratu eccleſiaſtico. Nam recipiens à laico ipſo iure inhabilis eſt, II. Vt modo debito cõferatur, non per ſimoniam, fraudem &c. III. Vt habilis ſit accipiens, non irregularis, ſuſpenſus. *iuxta n. 3.* ſupra poſitum. *c. ex frequentibus de inſtitutionibus.* ubi multa per Barboſam cumulantur. *Vallenſis l. 3. tt. 7. §. 1. Franc.*

Digitized by Google

§ 1. *Franc. Leo par. 4. c. 22. n. 1. Layman c. 1. n. 3. & c. 14. Silv. l. cit.* Non obſtat quorundam Regnm conſuetudo, qui beneficia quædã eccleſiaſtica ſuo arbitratu conferunt. In eo enim quaſi Papæ deligati operantur *Az. II. l. 6. c. 25. Tholoſ. l. 17. Syntagm. c. 9.*

VII. Cæterùm Canonicã inſtitutionẽ vocamus eam, quæ ſecundùm Canones & formam ab ipſis præſcriptam fit. Eſtq; triplex. Nam aliquando ipſa beneficii collatio liberè facta, inſtitutio nuncupatur, ut ferè *in t. t. 7. de inſtitutionibus l. 3. Decretal.* Aliquando immiſsio, ſeu deductio in poſſeſsionem beneficii collati, quæ jure communi ad Archidiaconum ſpectat, quando nimirũ collatio, vel inſtitutio collativa, ſeu auctoriſabilis præceſsit. *c. 7. de officio Archid.* Hodiè verò & in noſtra Germania, ubi vix auditur nomen Archidiaconi, à Capitulis ferè, Decanis, aliiſq; Eccleſiæ præfectis fieri ſolet & in multis ab Epiſcopo. Deniq; inſtitutio pro collatione nõ libera ſumitur, qualis eſt, quæ fit ad præſentationem patroni, & ſpecialiter inſtitutio appellatur, eiq; ſimilis eſt ea, quæ fit ad nominationem vel mandatum alterius, puta Principis, aut Pontificis. Similiter illa, quæ non ſine opprobrio Religionis Catholicæ exigitur ab hæreticis Collatoribus, à quibus nominatus & præſentatus Verbi Miniſter pro eccleſia, aliàs Catholica ab Epiſcopo vel Vicario generali approbatur, & confirmatur *c. ex frequentib. de inſtitutionib.* ex cuius textu *(vel officialiũ ſuorum)* Doctores multi colligunt apud Barb. Vicarios Generales ex vi muneris ſui, abſq; alia ſpeciali commiſsione poſſe inſtituere ad præſentationem patroni, ſicut etiam confirmare electos, quia non liberalitatẽ exercere, ſed ex neceſsitate facere dicuntur *Abb. in c. ex Ꝺo- ritate de inſtitut. Az. II. l. 22. Reginald. l. 30. tr. 3. n. 239. Cucchus l. 1. inſtit. ... p. 16. Barb. de poteſt. epiſcopi parte 3. allegat. 72. Zerola 1. v. beneficiũ § ad ſecundum. Lancelotus l. 1. t. t. 28. Caniſius l. 2. t. t. 29. de Reg. iur. in 6. Dynus in reg. beneficiũ eccl. Vallẽſ. l. 1. de benef. t. t. 6. & 9*

VIII. Quia inſtitutio beneficii à collatione & præſentatione eiuſdem diſtincta eſt, ſi contingat à Pontifice mandari, ut de beneficio ad Petri collationem pertinente provideatur Paulo, nõ poterit providere Petrus de beneficio ad inſtitutionem vel præſentationem ſuam ſpectante, nec è converſo. Nam uno aliquo expreſſo mandatum ad alia extendi non debet. Inſtitutio enim de beneficio ab epiſcopo fit, cùm juris patronatus eſt præſentatio à patrono, collatio à quocunq;, qui conferendi poteſtatem habet. *Ant. Cucchus l. 2. inſtit. t. t. 6. §. alii ſimiles caſus f. 191. Plura v. apud Az. l. cit.*

IX. Beneficium, legitimè obtentum nõ tollit ſuperveniens excommunicatio, vel alia inhabilitas. *Henriq. l. 13. c. 56. Suarez v. diſp. 33. ſect. 1. n. 1. Em. Sa. v. beneficium n. 13. Navarr. c. 27. n. 251. Lopez par. 2. c. 93. cir fin Tannerus. diſp.* IV. *q. 6. n 177. Zerola par. 1. v, beneficium §. ad tertium dubium.* Cuius rei ſufficiens ratio datur, ſi nullibi in jure exprimitur eiuſmodi privatio. Non cõvenit enim ea nos ampliare, quæ odioſa ſunt. *Reg. 15. iur. in 6. odia reſtringi, favores convenit ampliari.*

X. Quamvis in jure conſtitutum ſit, aliquem beneficio ſuo legitimè adepto privatum eſſe ipſo facto, abſq; alia monitione aut declaratione: ante ſententiam judicis tamen poſſeſsione & adminiſtratione beneficii non privatur, niſi fortè peculiariter in lege exprimatur.

Molina I. *tr.* 2. *diſp.*96. *Azor.*1.*l.*5.*c.*8.*Soto* 1.*de iuſt.q.*6 *n.*6.*Leſſ.c.*29.*d.*8.*Zerola par.* 2. *v. clericus Tanner.lo.cit.* quamvis alii contradicant cum *Nav. c.* 25.*n.*118. *& Carbo qu.*61. *de reſtitutione.* Patet 1. Ex communiore illâ ſententiâ, de quâ in *Prolegom.noſtris* §. 8. Quòd leges pœnam ſancientes non obligent ante ſententiam judicis declaratoriam, niſi aliud in ipſa lege exprimatur. *V. Tolet. l.* 8. *c.* 20. II. Repugnat aliter facta executio juſtitiæ Chriſtianæ, quæ lenimento Charitatis & manſuetudinis temperanda eſt, iuxta illud *Matth.* 18. *v.* 33. *nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut ego tui miſertus ſum?*

XI Idem dicendum eſt, de his, & ſimilibus. Fructus non faciat ſuos, ipſo facto fructibus aut proventibus privatus ſit, careat, amittat, &c. *Navarr.c.*25.*n.*121. *Henr. l.* 13. *c.* 56. *n.*2. *&* 3. *Azor & Leſſ.ſup. citati Zerola par.*1.*v. Privatio.* Nam eiuſmodi verba non neceſſariò inferunt obligationem dimittendi jam perceptos fructus, eſto dominium amittat. Neq; enim repugnat aliquem fructus etiam non ſuos conſervare, iis uti, & frui, quemadmodum Vſuarii ſolent. Addit *Tann. l.cit.n.*183. probabile videri, nec poſt ſententiam criminis declaratoriam beneficium relinquendum, & fructus reſtituendos eſſe, ante peculiare mandatum, & executionem judicis. *Covar. de matrim. par.* 2. *c* 6. §. 8. *Azor & Leſſ.citati.V.par.*III.*tt.*16.§. 2.

§ III.

De Reſidentiâ, & Horis Canonicis.

QVicunq; habent beneficium curatum, jure divino reſidere debent, & per ſe obire munus ſuum. Colligitur ex *c.*12. *Ierem.c* 3. *Ezech. c.*10. *&* 21. *S. Ioann. & c.*20. *Act. Apoſt.* quibus conſonat *c. adhac.c.extirpanda.de praben.c.quia nonnulli de cler. non reſidentib. & c. licet de elect.in* 6. Quos Canones *Conc.Trid ſeſſ.*23. *c.*1. acceptat, & confirmat. Cum, inquit, præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, &c. declarat ſacroſancta Synodus omnes patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus eccleſiis quibuſcunq;, quæcunq; nomine aut titulo præfectos, etiamſi S.R.E. Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel diœceſi reſidentiâ, ubi iniuncto ſibi officio defungi teneantur, neq; abeſſe poſſe, niſi ex cauſa & modis infra ſcriptis. *Et poſt aliqua.* Quoniam autem, qui tantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, qui ſtatim reverſuri ſunt, ſacroſancta Synodus vult illud abſentiæ ſpacium ſingulis annis ſive continuū, ſive interruptum extra prædictas cauſas nullo pacto debere duos aut tres menſes excedere, & haberi rationē, ut id ex cauſa fiat. *Ita Conc. Trid.Nav.c.*25.*n.*121.*Silv. V. reſidentia. Catharin.in tract. de reſid. Tanner* III. *d.*IV.*q.*6.*n.*187.

II. Idem de iis dicendum qui beneficium non curatum, ſed ſimplex obtinent, quodvis tenue, requiri videlicet, ſi jus cōmune ſpectes, aſsiduam commorationem ſeu reſidentiam. *Abb.in c.conquerente, & toto ferè titulo de cler. non reſidentibus, ubi Barboſa.* Verùm id ex jure Canonico & humano tantùm provenire probabile eſt, & horum temporum conſuetudo obtinuit, ut abeſſe liceat ſaltem in quibuſdam.

Imò

Digitized by Google

Imò quoad Curata, & Dignitates maiores, nec non Canonicatus eccleſiarum Cathedralium in Germaniâ noſtrâ juris rigorem temperavit uſus. *V. declar. Co. Tr. n. 27.* Quamobrem uniuſcuiuſq; regionis, ac diœceſis ſtatuta, & uſu probabili recepti mores attendendi ſunt. *Innoc. in c. fi. de cler. non reſid. Glo. in extrav. Ionn. XXII. ſuſcepti de electione in v. reſidentia. Oſt. Io. Andr. Panorm. Navarr. c. 25. n. 121. Barb. in c. pervenit de appell. Azor. II. l. 7. c. 7. Comitolus l. 1. q. 61. qui n. 4.* addit, peccatum eſſe mortiferū canonicis, ſi non conveniant in templo ad canendas divinas laudes; idq; ex gravitate pœnæ collegi, quæ ſit depoſitio *c. ult. diſt. 92.* Præterea nondum conſuetudine impetratum eſſe, ut Canonici per aliū inſervire poſsint. Quod maiori diſquiſitione & declaratione indiget.

III. Qui abſq; legitimâ causâ abſunt, fructus beneficii non faciūt ſuos, iiſq; privādi ſunt causâ prius examinatâ *c. ex parte 1. & ſeq. de cler. non reſidentib. Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 1.* ubi indicatur, curatos, qui non reſident, tutâ conſcientiâ uſurpare & retinere fructus non poſſe: quod aliqui putant in eo rigore receptum non eſſe, dummodò per Vicarium, abſque damno adminiſtretur officium, quod curandum utiq; ſemper ab iis, qui quacumq; ex causâ à loco reſidentiæ ſuæ recedunt. *Lancelotus tit. 19. Moſconius l. 1. c. 21. ci. fin. Franc. Leo parte 3. Theſauri eccleſ. c. 132. Laym. l. 4. tr. 2. c. 6. Ign Lopez in pract. c. 54. Lud. Lopez par. 2. inſtructorii c. 98. Silv. V. reſidētia n. 6. Armilla eod. n. 3.*

IV. Cauſæ excuſantes à continua reſidentia generatim quatuor ſunt, puta, Charitas, Neceſsitas, Obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel reip Utilitas. Ad Charitatem ſpectat amor ſublevandi proximū in rebus adverſis, componendi lites, & reparandi amicitias, ſublevando inopes, afflictos & opreſſos. Ad Neceſsitatem aër, infectus, ægritudo, inimicitiæ capitales, lis de beneficio mota: quin etiam pro peregrinatione aliqua ab epiſcopo impetrari licentia poteſt. Obedientiæ causâ abeſſe poteſt Beneficiatus mandato Papæ, vel occupatus ſervitio Curiæ Apoſtolicæ. Verùm maior aliquanto in Curatis causa requiritur. Deniq; Eccleſiæ utilitati ſerviunt negotia expedienda, Synodus eccleſiaſtica, vel Imperatoria: docere vel addiſcere Theologiam, Philoſophiam, & jus Canonicum, Qui Theologiæ aut juri Canonico ſtudent, abeſſe poſſunt etiam ſine ſpeciali licentia annis quinque ſecundùm jura: alii tamdiu, donec curſum abſolverint. Illis verò, qui docent ac profitentur, nullum tempus definitum eſt. Excuſantur quoque duo Canonici, & inter præſentes numerantur, qui epiſcopo adſunt, & inſerviunt, ac multò magis qui ſummo Pontifici, modò id fiat principaliter ad ſerviendum, non verò ad procuranda beneficia ſecundùm Angelum. *v. clericus 7. ſ. 2. Navarr. c. 25. n. 121. Barb. l. 3. vot. deciſ. dub. 2. Lud. Lopez p. 2. inſtruct. c. 98.* No. 1. Quod de Canonicis epiſcopo aſsiſtentibus dicitur, non de ſolis Cathedralibus intelligendū eſſe ex *c. de catero de cler. non reſidentibus,* ſed etiam eccleſiarum Collegiatarum, quia nullum inibi verbum eſt, quo excludantur. No. II. Licet eiuſmodi abſentes non percipiant diſtributiones quotidianas ordinariè, ſi tamen in his ſolis reditus contineantur, earum participes fore ne privilegium juris inutile reddadatur.

datur. *Garcia c. 2. Monet. q.* 8. *Barb. in c. de cætero l. 6. annotationes ad c 1. ſeſſ. 23. Conc. Trid. de neceſsitate reſidendi.*

V. Beneficiarius, cuius reditus ad vitæ ſuſtentationem quocunq; modo ſufficiunt, ad legendum Horas Canonicas tenetur. Sic enim ex *c. Eleutherius c. Presbyter manè & c. clericus victum diſt. 91.* colligimus, & ſupponitur *à Concilio Lateran. ſub Leone X. ubi ſeſſ 9.* privantur fructibus ſuis, qui Horas Cano. non legunt, *v. Bellarm. l. 1. de bonis operib. c. ult. Bonart. l. 2. de Hor. Can. c. 4.* Dixi. Cuius reditus ſufficiunt. Nam ſi adeò tenues fuerint, ut non niſi tertiam partem neceſſariæ ſuſtentationis, adferant, non videntur obligati quibus obveniunt, ſaltem ad omnimodam & plenam recitationem. Octo aureos non ſufficere putant aliqui, *ut Sotus l. 10. q. 5. art. 3.* alii *16. ut Sanchez & alii apud Fagund. de præc. Eccl. pag. 92.* alii 20. *ut Ledeſma*: nec quiſquam, niſi in pacifica poſſeſſione ſit, obligari videtur. *Silv. n. 3. Armilla n 1. Leſſ. c. 34. d. 31. Bonacina to. 1. pag. 51. Reginaldus l. 30. tr. 3. c. 4. Toletus l. 2. c. 12. Sanch. l. 2. Conſ. d. 62. pag. 246. Diana p 2. tr. 12. reſ. 9. & p 5. tr. 5. reſol. 25. Layman l. 4. tr. 2. c. 5.* Cæterùm valdè conveniens eſt tum Eccleſiæ, & fundatorum intentioni, tum ipſius beneficiarii conditioni & tacitæ promiſsioni ut ſi, tenues reditus percipiat, ſaltem aliquoties per annum, puta, feſtis diebus, prout pia ratio dictaverit, preces horarias perſolvat.

No. Prædictam exceptionem de tenui beneficio, maior Theologorum pars, & ſi *Fagundez pag. 93.* credimus, communis juris Canonici interpretum ſchola nô admittit, à qua ſibi ipſe putat non eſſe recedendum: quia in *c. clericus diſt. 91.* ſtatuitur, ut clericus, qui ab eccleſia ſua commodè non ali ur, quærat artificiolum aliquod, ex quo victum & veſtitum paret, vel ex agricultura poſt ſui muneris & officii penſum perſolutum. Adde, quod acceſſorium ſequitur principale, hoc autem eſt ſpirituale jus ad colligendos fructus, quamvis tenues: ergò obligatio recitandi horas, tanquam acceſſorium debet ſequi. Præterea qui ſciens ac prudens pauperem uxorem duxit, alere tenetur & ſubire omnia matrimonii onera: Item qui militiæ nomen dedit pro exiguo ſtipêdio tenetur militare pro illo. Deniq; hic non intervenit propria commulatio unius rei æqualis pro alia, ut in cæteris contractibus: ac proinde non licet ita argumentari: Beneficium eſt tenue, & quod percipio parum eſt, ergò vel nihil, vel parum pro eo orandum eſt. *Ita ferè Fagundez*, qui non facilè perſuadebit, niſi manifeſtè doceat, mentem eccleſiæ eſſe, ut pro parvo & magno proventu idem onus portetur. Deinde quid fiet nobilibus, an quia non ſufficiunt reditus, artificium vel agriculturam exercebunt? Maneat igitur prior opinio probabilis, etſi poſteriorem ut magis piam ſuadeamus.

VI. Qui horarum lectionem abſq; iuſta cauſa negligit, duplicem reatum contrahit, nimirum peccati mortalis, & reſtituendi fructus perceptos. Eſt communis opinio, ſupponendo Decreta ſummor. Pontificum recepta eſſe. Equidem de peccato ſic intelligi debet, ut aliis in rebus, peccatum fore mortiferum, ſi notabilis pars omittatur, qualis eſt Veſperarum v. g. aut Completorii: nec adſit alia

ulla cauſa, quæ excuſare queat.

De reſtitutione fructuum extat *Decretum Conci. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ 9. Can. 9.* ut nemo beneficium habens, qui elapſis 6. menſibus ab eius conſecutione, ſine legitimo impedimento officium divinum recitare omiſerit pro tempore, quo non recitavit, fructus ſuos faciat: imò teneatur eos, tanquam rem injuſtè captam impendere in fabricam beneficij, aut in eleemoſynas pauperum. Idem ſtatuit *Pius V. in bullâ relatâ à Navar. c. 25. nu.* 121. Vbi DD. duo notanda monent. *Primum eſt*, non requiri ſententiam declaratoriam Iudicis, ſed ipſo facto reſtituendos fructus eſſe: quòd dicat, *ut iniuſtè perceptos* retineri non poſſe. *Alterum*, reſtitutionem faciendam pro ratâ omiſſionis, hoc eſt, ut quanta fuerit omiſſio, tanta ſit reſtitutio pro neglectu omniũ horarum unius diei, reditus illi tempori reſpondentes, pro dimidio die dimidiam partem, & ſic conſequenter. Verùm, quod aliqui urgent, contra iuſtitiam peccare omittentem, adeoque ex naturâ rei & jure naturali ad reſtitutionem teneri, nondum ſatis exploratum eſt. De reſtitutione quoad proportionem, ſeu *pro ratâ* verum eſt, ſi Canones cum iſto rigore recepti ſunt. Certè uſus, & praxis horum locorũ aliud indicare videtur: cum videamus ab epiſcopis neminem conveniri, aut puniri propter neglectum horar. Canonicarum, licet, multos eſſe reos planè manifeſtum, & notorium ſit.

Quod verò *Reginaldus n. 44. cum Suario* dicit ab hominibus doctis, & piis non dubitari, quin Bulla Pii V. ita ſit uſu recepta, ut obliget, vel ſupponit ubique promulgatam & notam eſſe, vel ſufficere promulgationem Romæ factam: quod utrumque incertum eſt, cum multi Religioſi, adeoque publici profeſſores ignorarent citatam Bullam, niſi in libris aliorum editis legiſſent. Probabile igitur eſt, quod etiam *Hermannus Buſenbaum* noviſſimè ſcripſit in *Medulla Theologiæ moralis*, ubi Bulla Pii V. non eſt recepta, beneficiatum ad dictam reſtitutionem non teneri. Vnde ulterius ſequitur, non committere duplex peccatum, videlicet contra Iuſtitiam, & contra Religionem ſimul: ſed contra Religionem tantùm. *Diana p. 2. tr. 12. Reſol. 22. Silv. V. Clericus IV. §. 23. Zerola Par. 1. v. Beneficia. pag. 93. Eſcobar Tr. 5. Exam. 6. c. 13.*

Non deerunt, ſcio, qui hanc opinionem laxitatis accuſent, quibus, quæ *Sanchez tradit l. 2. Conſil. D. 82. à n. 2.* oppono. Decretum hoc (: *Concilii Lateran.*) quidam dicunt non eſſe uſu receptum, & ſic ex vi illius non obligari beneficiarios non recitantes reſtituere fructus. Ita nonnulli valdè docti recentiores Magiſtri in ſuis ſcriptis *Et Simancas l. 1. Inſt. Cath. tt. 9. nu. 208.* dicit, dubitari probabiliter poſſe, an hæc pœna obliget omnino in foro conſcientiæ, quia hoc decretum uſu non eſt receptum, & paucis innotuit. *Et Sotus l. 6. q. 1. a. 6. ad 1.* dicit nondum planè ſciri, an fuerit uſu receptum. Alij verò dicunt, ſtatutam in hoc Decreto magis videri pœnam, quæ iuſtè à Prælatis imponi poteſt, quàm ut quis ad eam per ſe teneatur. Sic *Petrus Soto l. de inſtit. Sacerd. Tr. De Vitâ Sacerdotum lect. 4. V. Nec illud. Et nõ abhorret ab hoc Metina L. 1. inſtr Conſ. c. 14. §. 11.* Nam inter ſolutiones quas adhibet ad motum proprium *Pii V.* qui eſt confirmatio Concil. Lateran. altera eſt, quod ſit pœnalis, & obliget poſt Iudicis ſententiam. Alii verò dicunt decretum Concilij Lateran. obligare, ſed non eo rigore,

Digitized by Google

gore, quo ſonat. Non enim tam rigidè uſu receptum eſt. Vnde beneficiarius qui unâ vel duabus diebus non recitat, non eſt cogendus ad fructuum reſtitutionem, qui correſpondent illi diei, quia beneficium non tantùm datur pro horis recitandis, ſed etiam pro aliis officiis &c. *Ita Sanchez.*

VII. Iuſta cauſa & legitimum impedimentum excuſans omittentem Horas à culpâ & pœnâ reſtitutionis ex communi ſenſu DD. cenſetur I. Oblivio involuntaria II. Inculpabilis inadvertentia III. Ignorantia inculpabilis, ut ſi quis à viro docto vel Confeſſario audierit, ſe non teneri ad recitandum primo anno obtenti beneficij, cùm deceſſori ſuo fructus perſoluuntur, aut quid ſimile IV. Impotentia loquẽdi, cæcitas, carentia libri. Nam *Concilii Lateranenſis* mens, ut ex verbis *Decreti* ſatis apparet, non punit niſi culpabiliter omittentem, & fructus beneficij ob id iniuſtè percipientem. Vnde etiam requiritur culpa mortalis. Sic ferè *Bonartius De obligat. horar. Canonic. l. 2. c. xi. pag.* 387. addens, dictam Concilij legem non videri tam ſtrictè, ut ſonat, ubique obligare. Nam *Sotus* pro omiſſione totius diei nihil putat reſtituendum: *Medina* verò pro diebus octo nihil reſtituendum: quin etiam ſi toto anno omittatur, non eſſe totum integrè & exactè ſolvendum, ſed mediocrem partem fructuum poſſe reſervari. Quæ opinio ut non recipiatur, recipi tamen alia aliorum poteſt, qui exiſtimant Epiſcopum vel parochum Horas Cano. omittentem uno die, tantum obligari ad reſtituendam quintam partem fructuum, retentis quatuor pro aliis oneribus: Canonicum verò ſatisfacere, ſi quartam partem reſtituat; alios ſi tertiam, quia nimirum præter officij horarij obligationem alii labores ſubeundi, ut in Curatis & Parochis manifeſtum eſt. *Bonar. loc. cit. Bonacina tom. 1. pag.* 540. *Zecchus De beneficiis cap.* 3. *Conradus Q.* 240. *in add. Tol l. 2. c. 12. Henr. l 3. c. 13. Sa. V. Beneficium. n. 58. Leſſ. D. 32 n. 177. Rodriq. in ſum. c. 146. n. 4. Layman. c. 5. n. 1. Eſcobar Tr. 5. Exam. 6. c. 10.*

VIII. Canonici, & alii omnes Choro addicti divinum officium per ſe in Eccleſiâ iuxtà receptam & approbatam conſuetudinem perſoluere debent, niſi aliud poſtulet neceſſitas; conſuetudo, vel fundatio. Hinc *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 12. loquens de Canonicis & aliis Beneficiariis Choro deputatis. Omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere & inſervire: atque in choro ad pſallendum inſtituto hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare. Ita Conc. Atque hæc videtur prima & radicalis cauſa chori inſtituendi fuiſſe, à quâ, immane quantũ, hoc ævo defecimus. *Caiet. V. Hora Can. Silv. eod* §. 3. *Nau. De horis Can. c. 16. n. 5. Et de orat. c. 10. nu. 47. Roder. in ſum. p. 1. c. 145. Zecch. de rep. Chriſtiana c. 24. Az. I. l. 10. c. 11. q. 11. Leſſ. c. 34. n 184. Suarez 11. de Relig. l. 4. c. 12. Laym. l. 4. tr 2 c. 7 Arragonus Q. 83. art. 13. pag. 641. Barb. De Canonicis c. 34.*

§. IV.

De fructibus beneficiorum, & aliis bonis.

I. FRuctuum nomine continetur, quicquid ex re percipitur, deductis expenſis. Nam quicquid percipitur ex re, eſt in fructu, ſeu reditu *Abb. in c. Paſtoralis*

Digitized by Google

ſtoralis. De Decimis n. 9. l. ſi à Domino §. fructus 1. De hæred. inſt. Non omnia tamen, quæ ex bonis eccleſiæ proveniunt, fructus appellantur, uti diſtributiones quotidianæ; eò quòd id nominis propriè vendicent ſibi quæ domum reducuntur etiam abſente Domino. *Glo. in c. cùm olim. de mai. & ob. Franc. in c Generaliter de ele. in 6. n. 8. Oldrad. Conſil. 118. n. 39. Mend. in Reg. 32. q. 2. Vivius in Opin.* 114.

Fructuum duo genera ſunt, alii naturales, alii Civiles nuncupantur. Civiles ſunt penſiones domorum, navium, & ſimilium, quia ex proviſione hominum proveniunt. Naturalium alij ſunt purè tales, ubi nulla induſtria cernitur, uti arborum, vitium, & ſimil. *l. fructus ff. de uſuris Glo. in l. ſequitur §. fructus ff. de Vſucap.* Alij induſtriales ſimul, circa quos operatur humana induſtria, ut ſegetes, frumenta & ſimiles qui niſi ſeminentur, vix proveniunt. *Abb. in c. Gravis de reſt. Spol n. 3. Menoch. Caſu* 210. Iam quia præter beneficiorum ſuorum proventus, alia quoque bona poſſidere ſolent Beneficiati ab his primùm ordiamur.

II. Eccleſiaſticorum bona triplicia ſunt, Patrimonialia, Quaſi patrimonialia, & eccleſiaſtica. *Navar. in Apol. de redit. beneficior. Q. 1. Monito 21. & ante illum Felinus in c. Eccleſia S. Mariæ n. 7. Patrimonialia* cenſentur, quæ aliunde, quàm ex beneficijs proveniunt, vel eorum intuitu, ut quæ per ſucceſſionem, aut induſtriam, aut ex teſtamento, vel contractu ſunt acquiſita. *Quaſi patrimonialia* quæ acquiruntur ratione officij ſeu ordinis clericalis ex ſalario, aut honeſta eleemoſynâ oblatâ. *Eccleſiaſtica*, quæ ad ſervitium Eccleſiæ, & eius rectoris ſunt deputata, & ad ſuſtentanda Sacra ex *S. Thom. 22. Q. 99 a. 3.* Vel aliter. *Merè eccleſiaſtica bona ſunt*, quæ titulo alicuius beneficij eccleſiaſtici ſive majoris ſive minoris acquiruntur. Hæc iterum triplicia ſunt. Alia enim divino ſacrificio deputantur: Alia ſunt immobilia, ex quibus naſcitur tertia ſpecies fructuum, ſeu redituum annuorum. Quid juris in iſta bona habeant eccleſiaſtici, magnis viribus, & opinionibus diſputatur. *Fill. Tr. 31. c. 40. n. 100. Azor 11. l. 7. c. 8. Dom. Bannez in 22. Q. 32. a. 6. pag.* 1159.

III. Eccleſiaſtici & beneficiarij bonorum ſuorum patrimonialium domini ſunt, habentque liberam poteſtatem ſuo nomine & auctoritate de iis diſponendi, quod voluerint. Eſt communis opinio, & manifeſta Ratio, quia beneficiorum poſſeſſio, & ſtatus eccleſiaſticus non privat quemquam illis, quæ iure naturali aut civili debentur: alioqui deterioris conditionis eſſent, quàm ſæculares. Quocirca leges, quæ alienationem bonorum eccleſiaſticorum prohibent, ad propria & patrimonialia non ſunt extendenda. *Leſſ. l. 2. cap. 4. Dub. 6. Valentia* III. *Diſp. 5. Q. 10. pun. 2.*

IV. Beneficiati redituum ſuorum, quos ex beneficio eccleſiaſtico capiunt, nō ſunt domini abſolutè & ſimpliciter, ſed uſufructuarii tantùm, ita ut tuta cōſcientiâ nō poſſint retinere aliquid aut diſponere de eo, quod ipſis ad commodam ſuſtentationem non eſt neceſſarium. Pro hac opinione allegantur triginta quatuor Auctores, inter quos præcipuus *Navarrus*, qui eam multis rationibus confirmat. *Tract. de redd. eccleſ. Q. 1. Monito 21.* Ex recentioribus plerique fatentur eſſe admodum conformem. Iuri Canonico. Nam *Clemens I. 2.*

Digitized by Google

Apoſt. Conſt. manifeſtè teſtatur, eſſe decimas ad clericos & pauperes alendos ab eccleſiâ inſtitutas, ac proinde vocat patrimonium clericorum, & pauperum. Addit, Epiſcopos bonorum eccleſiæ diſpenſatores & adminiſtratores eſſe. In eundem ſenſum loquitur *Vrbanus l. ti. 1. Concil. & c. Res eccleſia 10. q. 1.* Res eccleſiæ, *inquit*, non quaſi propriæ ſed ut communes & Domino oblatæ cum ſummo timore non in alios quā in præfatos uſus ſunt fideliter diſpenſandæ. Idem alij Patres & Concilia dicunt: *Cauſa 12. per tot. Adde Diſt. 68. c. Quorum vices.* ubi Epiſcopi patres vocantur. *Et 16. q 1. c. 63.* mandatur epiſcopis, ut in quatuor partes diviſis eccleſiæ bonis, ex his quartam clericis aſſignent, ſecundùm Dei timorem & diſcretionem. Ex quibus omnibus colligitur, fideles olim non alio fine bona ſua eccleſijs donaſſe, quàm ut inde clerici alerentur ſuâ parte contenti, ita ut ſupereſſet pro ſartis tectis ſacrarum ædiū, & ſuſtentatione pauperum. *Parm. c. Cùm ſecundùm de prabend. Archid. & Dom. c. Statutum §. aſſeſſorem de reſer. Felinus c. Poſtulati de reſer. Covarr. in c. Cùm in officiis de teſt. n. 2. Molina l. 2 de primog. c. 10. n. 52. Bonac. tom. 1. pag 750. ad. Tannerum l. 2. de libertate eccleſ. c. 10.* Atque hæc opinio haud dubiè melior, & ſecurior eſt, adeoquè omnibus ſuadenda, qui de patrimonio clericorum, & pauperum vivunt. Sed metuendum, ne aures multorum cupiditas & præiudicium occluſerit.

V. Probabile eſt nihilominùs, poſt certam unicuique beneficiario portionem aſſignatam, & conſtitutos diverſos titulos, quemlibet acquirere dominium omnium fructuum ſuorum, ita ut contra iuſtitiam non peccet. neque ad reſtitutionem teneatur, ſi malè conſumpſerit, aut expenderit. Ita ferè huius ævi *DD. apud Molinam Tract. 2. Diſp. 144.* Fieri abſolutè dominos, colligitur. *ex c. un. de Cler. non reſid. in 6.* ubi dicitur. Qui divinis officiis non interſunt (abſque iuſta causâ nimirum) non ſunt domini quotidianarum diſtributionum, neque faciunt eas ſuas, ſed ad reſtitutionem ſic perceptorum obligantur. Si diſtributionum quotidianarum Domini fiunt, & non fiunt, quid ni aliorum quoque redituum? cùm etiam iſti propter divinum officium dentur. *Dicunt aliqui* dominos vocari, quoad fidelem adminiſtrationem. Sed hæc gloſſa peregrina eſt, ex quâ ſequitur, Abbates quoque ſuorum proventuū dominos eſſe. Colligitur 2. ex *Conc. Trid.* quod *Seſſ. 22. c 3. & Seſſ. 23. cap. 1.* privando clericos abſentes dominio fructuum, qui tempori abſentiæ reſpondent, ſatis indicat, beneficiarios, qui officio ſuo ſatisfaciunt, dominos fieri omnium redituum ſuorum. Deinde contra iuſtitiam non peccare, qui malè expendunt bona ſuorum beneficiorum, ſequitur ex dictis. Nam ſi domini ſunt redituum ſuorum malè utendo illis nulli iniuriam faciunt, neque ad reſtituendum obligantur. Vnde *S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7.* De his, *inquit*, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ de proprijs bonis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum, & uſum peccet quidem, ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum charitatis. Hîc deeſſe videntur iſta verba *Non tamen ad reſtitutionem tenetur*: ut oratio compleatur. *Dom. Soto l. 10. q. 4. ar. 3. Turrecr. c. ſi privatum. 12. q. 1. Bellamera. c. cum venerabilis de except. Silv. Reſtitutio III. q. 5 Covar. in c. cum in offic. Sarment. in*

par. 4.

par.4. Binſfeldius. Malderus. Bonacino Azor. 12.l.7.c.8.q.2. Bañez 2.2.q 32.fol.1165. Layman.l.4.tr.2.c.3. Leſſ.l.2.c.4.D 6. Lugo Diſp. 4.Sect.1.& 2.Buſenbaũ pag.442.Fillicit Trac. 31.c.4.nu. 101. Hinc ſequitur, eos, qui à beneficiatis aliquid acceperunt etiam contra honeſtatem, & bonos mores, dummodò ipſi ab iniuriâ aliter ſint, ad nullam reſtitutionem teneri vel eccleſiæ prælatis, vel pauperibus: cùm nulla his iniuria fiat per alienationem quamcunquè aut diſſipationem redituum eccleſiaſticorum.

VI. Beneficiati ex præcepto Charitatis, & Eccleſiæ tenentur de ſuperfluis fructibus ſubvenire pauperum inopiæ magis, quàm ſæculares, & non beneficiati ſuperflua poſſidentes. Nam ut ex *c. Conceſſo. c. quatuor. 12. q. 2.* conſtat, ex bonis eccleſiæ quarta pars pauperibus debetur, quam obligationem diviſio portionum, quæ nunc obtinet, minimè extinxit. Quocirca Beneficiati omnes, ex iis, quæ commode ſuſtentationi ſuperflua manent, ſuccurrere pauperibus tenentur non tantùm in ſummâ & gravi, ſed etiam communi neceſſitate. Vnde fieri poteſt, ut aliquando ſæculares vel minùs, vel omnino non peccent, non elargiendo eleemoſynas, beneficiati verò peccent, eò quòd cum onere ſubveniendi beneficiorum ſuorum fructus percipiunt. *Navarr Q.1. de redd. eccl. à Monito 19. Molina Tr. 2 D. 144. Bannez. 2.2. Q.32. art 6 pag. 1165. Valen. pu 4. Azor 11. l. 7. c 8. Reginald. l. 33 Tract. 3 c 7 n. 79. Soto l 10. q. 4. 22 4. Leſſ. l. 2. c. 4. Dub 6 n. 47 Em Sa. V. Eleemoſyna n. 3. Filliuci. Tract 28. c. 3. n. 64. Sanch. l. 2. Conſil. c. 2. D 38. & ſeqq.*

VII. Cùm pauperes deſunt, in alia pia opera expendendi ſunt ſuperflui reditus, ut ex *citatis n. 4.* Canonibus colligitur, & inſuper *Ratione.* Imprudenter enim, & minus providè Eccleſia faceret, tam amplos reditus concedendo, ſi pro libitu ſuo quiſque illos inſumere poſſet. Sic enim ſuperbia luxus & luxuria aleretur, fundatores & benefactores intētione & exſpectatione ſua fraudarentur: qui eiuſmodi abuſum ſi prævidere potuiſſent, bonorum ſuorum alios hæredes nominaſſent. Addit Domin. *Bannez loc. cit.* inter Beneficiatos ad exemplum epiſcoporum (qui nimirum maximè obligantur) magis teneri Sacerdotes Parochiales. Hi namque ſi pinguiores habent annuos reditus, tenentur ex charitate pauperibus parochiæ ſuæ ſpecialiores eleemoſynas diſtribuere. Quod autē nominatus Auctor de epiſcopis, mihi de eccleſiaſticis curatis & non Curatis multis dici poſſe videtur, doctrinam hanc de benigna eleemoſynarum largitione ab eorum oculis abſconditam eſſe. *V. Aluar. Pelag. de planctu Eccleſ. l. 2. Artic. 28.*

VIII. Vt autem cognoſcatur & definiatur, quænam ſit ſufficiens & congrua pars ſuſtentationi neceſſaria, conſiderandæ quoad fieri poteſt, omnes circumſtantiæ erunt: puta dignitas perſonæ, conditio loci, conſuetudo, labores, induſtria, & merita. Ubi neceſſariò reperitur magna diverſitas & latitudo inter ſummos, medios, & infimos Ad praxin ſervire poſſunt ſequentia.

1. Dignius & pinguius beneficium obtinens maiorem familiam alere poteſt, ita ut communiter Canonici; quia maiores reditus habent, quam Vicarij nihil peccent, ſi lautiorem menſam inſtruant.

2 Ad congruam & decentem ſuſtentationem pertinent etiam convivia moderata, vel amicis vel hoſpitibus exhibenda,

Digitized by Google

prout ratio, benevolentia, & charitas poſtulat. Neque ſolius hic neceſſitatis, ſed urbanitatis quoque ratio habenda erit ſecundùm loci probatam conſuetudinem.

3. Permittuntur etiam munera & donationes, non ſolùm remuneratoriæ, ſed merè gratuitæ, & liberales. Hoc enim exigere videtur conditio & ſtatus. Qui contrarium ſentiunt, ut Navarrus, de immodicis loquuntur.

4. In his omnibus attendenda eſt doctrina *Conc. Tr. Seſſ. 25. c. 8.* ubi commendatur hoſpitalitas. *Et Seſſ. 22. c. 1. Item ſeſſ. 25. c. 1.* ubi modeſtia præſcribitur, luxus & oſtentatio vituperatur *V. Remiſſ ibid.*

Denique ſi magnus ſit pauperum numerus, qui præter ſolitum egeant, vel Eccleſiæ fabrica ſubſidium poſtulet, de his omnium primò cogitandum erit. *Zerola V. Fabrica Bonac. to. 1. pag. 358. & ſeq. Torres Inſtit. Sacerdot. Par. 2. §. 11. Reginald l. 20. nu. 69. Tymp. in ſpeculo clericor. ſigno 71. & 96.* Quod Parochos attinet, in congruam illorum ſuſtentationem *Pieſecius par. 2. n. 22.* centum ducatos aſſignat; ita ut neque penſio imponi poſſit, ſuper Parochiali, niſi remaneant centum pro rectore. Pro Vicarijs perpetuis non minorem 50. ſcutis, nec majorem 100. exigit. *Franc. Leo in Theſ. eccleſ.* Melius fortè ſit totum hoc arbitrio virorũ prudentium relinquere. *V. Cardin Lugo. de iuſtit. Diſp. IV. Sect. 4 Az. II. l 6. cap. 10. tr. 8. Zypaum in Enarr. analyt. l. 3. q. De præbend. n. 3.*

IX. Si Beneficiarius ex neceſſariâ ſibi alimoniâ, & ſuſtentatione parciùs vivendo aliquid ſepoſuerit, de illo ad libitum, modò excipias illicita, diſponere poteſt, iuvare, & augere conſanguineos ſuos. Nam *Conc. Trid.* quod obſtare aliqui putant, nõ prohibet aliud, quàm ſtudium augendi, & locupletandi conſanguineos, ac familiares ſuos de reditibus eccleſiaſticis. *Studium* verò ſignificat cupiditatem iuſto maiorem. Adde quòd quæ per parſimoniam ſervantur, deſinunt habere rationem fructuum, & bonorum eccleſiaſticorum, quia per induſtriam appropriantur. *Sanch. l. 2. Conſil. cap. 2. D. 43. Navar. de rédit. eccleſ. Monito 26. & 43. Zerola Par. I. V. Diſtributiones. §. ad quintum. Item Par. II. V. ſpolium. §. ſecundò.*

X. Qui beneficiatus filios habet legitimos vel illegitimos, indigentibus illis poteſt alimenta tribuere ex reditibus beneficij ſui non minùs, quàm alijs pauperibus, vel etiam conſanguines. Ita ex iure communi DD. omnes tradere videntur, nominatim *Abb. in c. Pervenit. de arb. Barb. in c. Per tuas Qui filii ſint legit.* Alij colligunt ex *c. Cùm haberet. de eo, qui duxit in ux. quã polluit.* Ius Civile quidem in deteſtationem criminis alimenta ſpurijs non concedit. *Tholoſ. l. 41. c. xi. nu. 7. Andr. Gaill. l. 2. Obſervat. 88. n. 6. & ſequ.* Canonicum verò, quod juri naturali conformius eſt, ne graviora mala ſequantur, permittit. Vnde ſequitur, dotem quoque ſorori, & filiæ ſpuriæ dari poſſe, ſi aliunde obtineri nequeat. *Lud. Lopez Par. 2. Inſtructorii c. 12.* Nec obſtat *Pii V. Extra. Quæ ordini eccleſiaſtico &c.* ubi videntur irritari omnis licentiæ privilegia, & indulta condendi teſtamenta, & donationes illegitimis factæ: quia non cenſetur tollere ea, quæ iuris communis ſunt, ſed facultates, & privilegia ſpecialiter conceſſa ut contextus indicat, & fuſiùs explicat. *Azorius II l. 2. c. 4 Reginal. l. 33. Tract. 3. nu. 102. Bonac. To. I. pag. 725. quib. favet. & Deciſio Rotæ 505. Par. I.*

XI. Be-

Digitized by Google

XI. Beneficiariis non licet teſtari de iis, quæ ex fructibus beneficiorum ſuorum congruæ ſuſtentationi ſuperſunt ne quidem ad pias cauſas. Patet *ex c. Quia nos. c. Relatum 2. & c. cùm in officiis de teſtam.* ubi ex *Con. Later.* dicitur, antiquis Canonibus inhibitum eſſe, ne de bonis per eccleſiam acquiſitis clerici teſtentur *Tholoſ. l. 42. c. 7.* At *Covarr.* in expoſitione dictorum capitum *n 23.* moribus receptum eſſe dicit, ut ſolis epiſcopis teſtandi licentia ſit neceſſaria: & omnes alios clericos liberè teſtari de iis, quæ ex reditibus eccleſiaſticis adepti ſunt, & in iiſdem parentes, fratres, cognatos ſuccedere inteſtatis. Vnde colligitur antiquo iuri derogatum eſſe per legitimam conſuetudinem, quæ tamen non ubique eadem, ſed alibi alia, & certis limitibus definita. *Nau. de redit. eccleſ. Q. 1. Monito 53. Em. Sa. V. clericus num. 25.* Monendi autem ſunt Beneficiati omnes, non licere cuiquam in cauſas profanas relinquere fructus beneficiorum ſuorum, & ſecùs agentes mortaliter delinquere, niſi fortè materiæ paruitas excuſet. An verò diſpoſitio in profanas cauſas nihilominus valida ſit, quæri poteſt? Vt validam admittunt *Covar. Valentia, Fachineus Azor. Tom. II. l. 7. c. 9. Leſſ. c. 19. Dub. 4. Regin. l. 33. tr. 3. num. 112.* quia redituum ſuorum dominus eſt Beneficiatus ut *n. 5.* probavimus. Mirum ſanè eſt conſuetudinem illam liberè teſtandi de bonis eccleſiaſticis tamdiu aſſiduè & impunè exerceri, ſi iniqua eſt, cùm ex multâ delinquentium Fiſcus non modicè augeri & locupletari poſſet. *V. Par. II tt. 4. §. 2. nu. 2. Sanchez l. 2. Conſil. c. 12. Dub. 50. & ſequentib. Tolet l. 4. c. 5.*

XII. De fructibus, qui pendent tempore mortis controverſia eſt, num ad hæredes, vel ſucceſſorem aut creditores ſpectent? Dividendos cenſeo inter hæredes & ſucceſſorem defuncti pro ratâ anni parte, ita ut ſi Beneficiarius initio anni mortuus eſt, parum hæredes, aut Creditores accipiant, multum verò ſucceſſor. E converſo ſi circa finem anni expirârit, ſucceſſor minus accipiat, reliqui plus. Ita colligitur ex *l. Divortio ff. ſoluto matrimo.* Sunt autem ante omnia expenſæ deducendæ & attendenda particularium locorum conſuetudo. Nam ubi annum gratiæ habent defuncti, ex integro pertinent ad hæredes: ubi verò non habent, & ſtatuta volunt, ad eccleſiam omnia pertinebunt. Denique in his & ſimilibus ambiguis controverſiis ſi ſuam quiſque conſulere conſcientiam ſincerè voluerit, abſque Doctoribus extraneis inveniet reſolutionem.

XIII. Spolia Clericorum vocantur bona ab inteſtatis Clericis relicta, ſive licitè, ſive illicitè acquiſita fuerint. Hæc ad Cameram Apoſtolicam devoluuntur, in Italiâ potiſſimùm, ubi non permittuntur teſtari. Alias iure antiquo penes eccleſiam propriam manere debent. *c. Cum in officiis de teſtam. & c. Quicunque 12. q. 5. Auth. de eccleſiis § Interdiximus c. 1. de ſucceſſor. ab inteſtato Innoc. in c. cit. cum in off. Az. II. l. 7. c 9.* De his quia nos parum contingunt, conſule. *Frãc. Leonem in Theſ eccleſ. Parte 2. c. 34. Zerolam Par. 2. V. ſpolium & Azor Tom. II. l. 8. c. 1. & ſequentib.*

XIV. De præſentiis & Diſtributionibus quotidianis libera poteſtas eſt diſponendi in Vſus aliàs non prohibitos. Dantur enim, & percipiuntur propter ſervitia perſonalia, nec facilè excedunt proportionem debitæ mercedis, nec in valore beneficii computantur. Vnd. Cardin. Bellarm.

Digitized by Google

(*Vi.l* 4. *c.* 1. 30. aureorum pecuniâ, quam ſingulis menſibus in choro lucrabatur, ſuam eſſe dicebat, & ab aliis ſeparatam pauperibus elargiebatur: alios reditus non tam ſponte, quàm ex obligatione dari in eleemoſynam exiſtimans. *Covar. l.* 3. *Var. c.* 13. *Em. Rod. III. Q.* 74. *ar.* 4. *Barb in c. Licet. De præb.* Idem juris eſt de iis quæ Beneficiati acquirunt ex Capellaniis, quæ ſunt ad nutum revocabiles. Idem de diſtributionibus, quæ ex anniverſariis exequiis defunctorum acquiruntur. *Zerola Par. I. V. Diſtributiones. Azor. To II. l.* 7. *c.* 7. *& c* 9 *p.* 10. *Gutier Conſil.* 8. *n.* 2. Nec obſtat, quòd Diſtributiones quædam ſumuntur ex decimis aut primitiis frugum, quia non dantur ut fructus, ſed ut ſtipendium pro labore vel miniſterio eccleſiaſtico, adeoquè mercede Operarijs debitæ comparantur.

Nota. Quamvis Diſtributiones propriè debeantur iis, qui corporaliter in eccleſiâ præſentes ſunt dantur nihilominus aliis quibuſdam, quos excuſat vel infirmitas etiam per propriam culpam contracta, vel abſentia propter evidentem eccleſiæ utilitatem. *Piaſec. Par.* 2. *cap.* 3. *pag.* 135. *Navar. Conſil.* 10. *de Reſid. Barb. in c. Ex parte. de cler. non reſid.*

XV. De penſionibus, quæ ex alterius beneficio quotannis proveniunt, *Navarrus de redd. eccl. Monito* 32. exiſtimat iudicandum, ut de fructibus beneficiorum, quia loco beneficii tribuuntur. Alii meliùs cenſent, eiuſdem generis eſſe cum Diſtributionibus, ac proinde in arbitrio poſitum, quomodo eas impendere velit Penſionarius, modò in uſus licitos, ita ut non teneatur reſtituere, ſi malè impẽderit, nec inter ſpolia computentur, quando ſuperfuerint. *Covarr. de teſtam. c. cum in officiis.* Quæ opinio huius ævi moribus, ſi non legibus, magis accommodata videtur; tùm aliter neminem ſentire, aut loqui videamus.

XVI. Si Regularium quiſquam ſæculare beneficium habeat, puta Parochi, vel Epiſcopi, non fiet quidem dominus redituum, ut nec alij regulares, ſed eorum plenam adminiſtrationem ſibi vendicat, adeoque ad libitum in uſus permiſſos diſponere poteſt. Quod ſi parcius vivendo ſepoſuerit aliquid, in quaſcunque cauſas donare & abſumere licebit: *teſtari* autem non poterit, niſi Pontifex indulſerit. *Barb. in c. Quorundam. de teſtam. nu.* 7. Addit *Navar. Tract. de reditib. eccleſ. Monito* 8. *&* 33. Regularem beneficiatum omnium quoque aliorum ex quibuſcunquè cauſis acquiſitorum liberam, quamdiu vivit, adminiſtrationem habere & abſque licentiâ Prælati de illis liberè diſponere poſſe. Verùm hîc attendenda conſuetudo eſt, & pacta ſpecialia inter Prælatos, & ſubditos inita de modo vivendi & fruendi reditibus beneficiorum alii enim, ut animadverti, nullam fructuum adminiſtrationem & uſum permittunt, ſed ex ærario monaſterij victum, & amictum præbent, alij eam partem relinquunt, quæ neceſſaria videtur: alii denique contenti ſunt, ſi quot annis Eccleſiæ, vel monaſterio alicuius momenti ac pretii monimentum attribuant, puta veſtitum ſacerdotalem, imaginem, vel ſtatuam. *V. Leſſ. c.* 41. *dub.* XI. *Suar. IV. de Relig. l.* 3. *c.* 19. *n.* 12. *& ult.*

* * *

§ 5 De

Digitized by Google

§. 5.

De unione & pluralitate beneficiorum.

I. Unio beneficiorum vel eccleſiarum fieri dicitur, cum duo beneficia vel eccleſiæ uniuntur in perpetuum, vel ad tempus exigente aliquâ neceſſitate, vel manifeſta utilitate. Fit autem tribus potiſſimum modis. 1. vt non coaleſcant, ſed una maneat ſuperior, alia inferior & ſubjecta. Et tunc in inferiore cõſtitui poteſt Vicarius, qui munus conſuetũ obeat. c. *Extirpandæ §. Qui verò De præbend.* 2. Cum duæ eccleſiæ quaſi in unam coaleſcunt, ita vt una potius, quam duæ vocari queant *Gloſſ. in c. Decimas 16. q. 1.* 3. Cum ita conjunguntur, vt neutra alteri ſubijciatur nec ambæ in unum quaſi corpus coëant, ſed titulum proprium & gradum retinent & propterea idem utrique miniſter præficitur. *c. 1. Ne ſede vacante &c. Et temporis 16. q. 1.* Vnde efficitur, ut ſingulis ſua iura & conſuetudines ſeparatæ maneant: quod etiam in Epiſcopatibus, quando uni plures committuntur, fieri ſolet. *Rebuff in praxi de union. Laym l. 4. tract. 2. c. 9.*

II. Poteſtas uniendi beneficia & eccleſias primariò eſt in ſũmo Pontifice, cui in omnia beneficia plena ex munere adminiſtratio competit *c. 2. de præbendis in 6. & clem. 1. Lite pendente.* Deinde Epiſcopi eccleſias, & beneficia ſuæ diœceſis ex jure communi unire poſſunt *c. ſicut unire de exceſſ. Prælati.* ubi ſimul indicatur, nõ licere Metropolitano & Archiepiſcopo coniungere beneficia Suffraganeis Epiſcopis ſubiecta. An verò Legatus à latere eam poteſtatem habeat intra provinciam ſibi commiſſam, in dubio eſt? crediderim poſſe ne minorem epiſcopis auctoritatem habere videatur. Vicario Generali omnino negatur: Collegio Canonicorum ſede vacante permittitur. Neq; obſtat, quod beneficia conferre nequeat quia conferre beneficia ad liberalitatem pertinet, unire verò ad neceſſitatem. *Az. 2. l 6. c. 28. q. 7. & ſeq. Tamb. De off legati. l. 5. Barb. in c ſicut unire De exceſſ. Prælat. Zypæus in Enar. anal. 3. tt. De præb.*

III. Vt duo beneficia, vel eccleſias uniat epiſcopus, Collegij Canonicorum Cathedralium conſẽſus requiritur. *Clement. ſi una eccleſia de reb. eccl. non al.* Cenſetur autem adeſſe conſenſus, quando non apparet contrarium. Quod ſi cauſa juſta fuerit & Canonici nolint conſentire, ad id compelli poſſunt, & ipſis invitis unio perfici. Quin etiam ſufficit conſenſus, qui unione iam factâ impetratur. *Reginald.* l. 30. *Tract 3. n. 299.*

IV. Irrita eſt beneficiorum & eccleſiarum unio *Primo*, ſi fiat non vocatis illis quorum intereſt, & qui jure vocari debent, ut colligitur ex *Reg. Cancell. Rom.* 21. *Secundo*, Cum inferiores papæ uniunt Beneficia vel Eccleſias cauſis non expreſſis, quemadmodum in citata Regula præſcribitur. *Rebuff. in praxi Benefic. par. 1. n. 43. Clem. ſi una. De reb ec. n. 43. al. Clem. ne in agro § ad hæc de ſtatu* Monach. *Laym. l. 4. tract. 3. c. 9. n. 9. Azor.* n *l. 6. c. 28 q. 13. & 14.*

V. non licet Epiſcopis beneficia eccleſiaſtica unire menſæ ſuæ, hoc eſt, adiungere illis unde ſuſtentatur familia ſine expreſſa ſummi Pontificis licentia *Clem: ſi una, de reb. eccl. non alien.* Quod ſi Epiſcopus ſui etiam Capituli accedente conſenſu, menſæ ſuæ, vel ipſi Capitulo aliquam duxerit eccleſiam uniendam, hoc irritum eſſe decernimus & inane.

Digitized by Google

contraria quavis conſuetudine non obſtante. *Reginald. lib cit. Laym. l. 4. tr 2. c. 9. n. 6, Garz. part. 2. c. 12. n. 68. & 169.*

VI. Iure novo *Concilii Trid. ſeſſ. 7. c. 6.* Vniones perpetuæ ab annis quadraginta citra factæ examinari ab Ordinariis tanquam ſedis Apoſt. Legatis poſſunt, & quæ per ſurreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarantur. Illæ verò, quæ à dicto tempore citra conceſſæ nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cuiuſvis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis aut alias rationabilibus cauſis corã loci Ordinario vocatis, quorum intereſt, verificandis factas fuiſſe conſtiterit, per ſurreptionem obtentæ præſumantur: ac proinde niſi aliter à Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omninò careant. *Sanch. l. 7. Mor. c. 29. n. 178. V. Barb. in Clem. 2 de reb. eccl. non alien. Laym. lo. cit.*

VII Quod attinet pluralitatem beneficiorum nullo jure licet duo ſimul poſſidere, ſi utrumque continuam reſidentiam exigat, uti ſunt Parochiæ, Abbatiæ, & Epiſcopatus: Dignitates quoq; & Canonicatus: quæ beneficia ob eam cauſam vocantur *Incompatibilia.* Idem dico de beneficiis quibuſcunque ſi unius reditus ad ſuſtentationem vitæ ſufficiant. Eſt doctrina hæc per ſe nota. Quis enim non videat & agnoſcat tum piæ voluntati benefactorum, tum naturali æquitati repugnare, ut ſine cauſa & emolumento bona Deo & Eccleſiæ conſecrata ſuperfluè & improvidè diſtribuantur, & diſſipentur? Quamobrem ne ſummus quidem Pontifex diſpenſare, niſi in gravi neceſſitate poteſt, ut mox dicemus. Nec immeritò beneficiorum pluralitas omni tempore, & bonis omnibus odioſa fuit *c. Sanctorum D. 70.* ubi hæc multis ignota, & inviſa legimus. Omnino in duabus eccleſiis aliquem titulari non liceat, ſed unuſquiſque in qua titulatus eſt, in eâ tantum Canonicus habeatur. Licet enim Epiſcopi diſpoſitione unus diverſis præeſſe poſſit eccleſiis, canonicus tamen præbendarius, niſi unius eccleſiæ, in qua conſcriptus eſt, eſſe non debet. *Idem ſtatuit Conc. Lateran. ſub Alex. III. c. 13. Greg. IX. in c. Dudum de elect. Innoc. III c. De multa. de praeben. Io. an. XXII. in. Extrav. Execrabilis X. de praeb. Con. Tr. ſeſſ. 7. c. 4. Abb. in cap. ad haec. de praeb. Silv. IV. Benefic. q. 1. & al.*

VIII. Tribus ex cauſis aliquãdo diſpẽſari & permitti poteſt, ut uni plura beneficia dignitates, vel epiſcopatus conferantur. *Prima* eſt Eccleſiarum neceſſitas, ſi deſint idonei, ſi periculum ſit, ne Hæretici manus injiciant: quod nimium quantum experta Germania, & vicinæ provinciæ ſunt. Cuius rei cauſſa hodie plures epiſcopatus uni alicui Principi etiam nullis ſacris initiato in manus dantur, non tam regendi, quam protegendi. *Secunda cauſa* eſt utilitas Eccleſiæ; ut ſi unus aliquis, (quod rarum) doctrinâ & prudentiâ alios omnes longo intervallo ſuperet. Quis autem hic, & laudabimus eum? *Rari nantes in gurgite vaſto.*

Tertia cauſa inſignis meritorũ prærogativa: quod in Archiepiſcopatu Colonienſi accidiſſe cernimus. Cum enim in manifeſto periculo eſſet, ne capite iam infecto in hæreticorũ poteſtatem totus redigeretur â Bavariæ Ducibus ſtrenuè & feliciter conſervatus eſt circa *Annum ſal.* 1583. à quo tempore ex ſolâ illâ familiâ Electores & Archiepiſcopi præfuerunt.

Digitized by Google

tunt. *Abb. in c: cit. Multa. Lal. Zecchus de rep. eccl. c. de beneſic. n.* 4. *Garcia p. 11. c. 5. Manrique pa. 2. q 4. n. 3. Leſſ c. 34. dub. 28. Azor. 11. l. 6. c. 10. q. 10. Tol. l. 5. c. 81, Armilla n. 46. Zypaus in Enar. analyt. l. 3. tt. de cler. non reſidentibus.*

IX. Qui beneficium curatum, dignitatem, vel perſonatum habet quamvis ſine animarum cura, ſi alterum ſimile recipiat, primum ipſo jure amittit: quod ſi retinere contendit privandus eſt etiam poſteriori *c. Cum ſingula de prabendis in 6. & Extrau. Execrabilis.* Quæ omnia confirmat *Conc. Trident. ſeſſ.* 7. *c.* 4 Felix enim cenſendus ille eſt cui unam eccleſiam bene ac fructuoſè & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. *V. Ferdin. ab Iſſeren in Manuali polit. l.* 4. *pun.*:8. No. Cum in citatis juribus mentio tantum fiat beneficiorum curatorum, Dignitatum, & Perſonatuum, non extenduntur ad alia beneficia V. G. ad Curatum cum Canonicatu ſimplici, vel duo ſimplicia, quorum utrumque reſidentiam exigit. Hæc enim quamvis ſimul obtineri abſque diſpenſatione nequeant, non tamen ipſo iure vacat primum quando ſecundum additur. Satis eſt dimittere ex duobus, quod volueris. *Zerola par. 1. V. Beneſ. Conc.* 8. *Armilla n.* 44. *Tuſchus Concl.* 69. *Ancharan. Conſil.* 59. *Oldrad. Conſil.* 155.

X. Non licet Epiſcopo ullum beneficiũ ſuſcipere quamvis omnino ſimplex irritaque erit collatio *c. Cum noſtris de cõceſſ. prab. & c. Cum in cunctis. de elect.* ubi dicitur vacare omnia beneficia electi in epiſcopum poſt illius confirmationem, & pacificam poſſeſſionem. *c. Cum noſtris de conceſſ. prab. & c. Cùm in cunctis. De elect.* ubi dicitur vacare omnia beneficia electi in epiſcopum poſt illius confirmationẽ, & pacificam poſſeſſionem. *c. Cùm noſtris. de conceſſ. prab.* Excipe 1. niſi epiſcopus pauper, & ære alieno gravatus ſit: Tunc enim obtinere poterit ex compatibilibus unũ vel alterũ. Excipe 2. Epiſcopos titulares, qui non amittunt priora beneficia ſua, nec prohibentur alia ſuſcipere, ut quotidiana experiẽtia docet & notatur à *Navarro l. 1. Conſil. 14. AZ. 11. l. 6. c. 16. Garcia par. 11. n. 24. Abb. in c. cit n. 15. Layman. l. 4. Tr. 2. c 8. n. 4.* Non enim per illos ſtat, quo minus poſſeſſionẽ adeant dignitatum, ad quas electi ſunt. *Barb. in Praterm. c. Cum in cunctis de elect.*

XI. Nemini licet ſub eodem tecto, i.e. eâdẽ eccleſiâ duo beneficia uniformia V. G. duos Canonicatus poſſidere: & adeptione ſecũdi ſtatim vacat primũ *c. literas de cõceſſ. prab & Clẽ ult. de. prab.* ubi dicitur, quod adeptus pacificè dignitatẽ v.g. Archidiaconatum, cui præbenda annexa eſt, eam amittat ipſo facto: at vero qui beneficium curatũm, puta, perſonatum cum cura habeat, non prohibetur ſimplex beneficium v.g. Canonicatum accipere, cui coniuncta eſt eccleſia parochialis, quam deinde per Vicarium adminiſtret *c. ſuper eo de prab. in 6.* No. Vniformia beneficia dicuntur, quæ ſunt inſtituta ad unum eundemque finem, ad eadem munera, & ad faciendum unam congregationem, puta duo Canonicatus ſimplices in eadem eccleſia. *Navar. Conſ.* 16 *de prab. Zerola pa* 2. *pag.* 48.

XII. Nec duo beneficia regularia eiuſdem ordinis aut Monaſterii idem obtinere aut poſſidere poteſt. *c. Cum ſingula 32. de prab. in 6.* Addunt Interpretes, nec Capellam pẽſionem aut portionem mo-

 nachalem

Digitized by Google

nachalem una cum beneficio eidem tribui poſſe, quia in regulari incompatibilia cenſentur. Nec ſummus Pontifex diſpenſare ſolet, ut habeat duo in titulum, ſed unum in titulum, alterum vero in commendam: niſi unum beneficium alteri unitum ſit, ita ut pro uno reputetur. Si autem beneficia compatibilia ſint, & unius reditus non ſufficiant ad ſuſtentationem, duo vel plura eidem conferri poterunt. *Roderic. com. 1. q. 34. art. 8. Vivianus in Ration. l. 3. pag. 91. Alagon. Compend. pag 394. Barb. in c. cit. Cum ſingula. de præb. in 6. Tuſchus concluſ. conc. 66.*

XIII. Dubium eſt, an conſuetudine obtineri queat, ut plura beneficia jure communi incompatibilia, fiant compatibilia, & eidem homini conferantur. pro negativâ parte facit *c. 1. de cõſuet.* in 6. ubi talis conſuetudo reprobatur etiam immemorialis, eò quod minuat cultum divinum, & numerum clericorum eccleſiæ ſervientium, quod in eadem eccleſia haud dubie magnum incommodum eſt. Nihilominus affirmant aliqui cum *Navar in Man. c. 25. n. 125 glo. in c. dudu. de cle.* per conſuetudinem immemorialem obtineri poſſe, ut obligatio reſidendi tollatur aut minuatur, ſubſtituto Vicario, & ſic abſque diſpenſatione plura beneficia per ſe incompatibilia, niſi jus naturale reſiſtat, poſſideri poſſe. Certè in Germania noſtra id paſſim videmus, & nullo ſcrupulo practicari: imo vidiſſe memini, qui tredecim ſimul poſſidere dicebatur. Exceſſum hic nemo non agnoſcit. *Azor. 11. l. 6. c. 12 q 8. Regin. l. 30 c. 19. n. 287. Card. Tuſchus concl. 574.*

XIV. Alias jure cõmuni ſolus pontifex diſpenſat in pluralitate beneficiorum, quæ per ſe incompatibilia ſunt, ut colligitur ex *Clem. 1 vt lite pendente*, quæ aſſirmat, ſummum Pontificem omnium benefiorum plenam ac liberam poteſtatem habere. Item *c. de multa extra de præbend.* ubi poſt explicatam prohibitionem plurium beneficiorum circa finem additur. Circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ maioribus beneficiis honorandæ ſunt, cum ratio poſtulaverit, per ſedem Apoſt. diſpenſari poterit. *V. Fr. Leon p. 1. c. 12 n. 26.* ubi Papam vocat omnium beneficiorum dominum, deque illis arbitrio ſuo diſponere. *Nota.* Quamvis ad diſpenſationem etiam à ſummo Pontifice impetrandam legitima cauſa requiratur, ſi tamen eâ poſthabitâ diſpenſaverit, validam diſpenſationem fore proviſus tamen in conſcientiâ obligatus eſt, ea quæ ſtatui ſuo neceſſaria non ſunt, vel in quibus juſta diſpenſationis cauſa defuit, reſignare. Quod ſi interea temporis officio ſuo ſatisfecit per ſe, vel per alium, perceptos fructus retinebit *In. cit. in c. Cum ad monaſt. de ſtatu. Monach. Silu. IV. n. 5. Bonac. to. 2. pag. 58 Regin. l. 3. n 289.*

XV. Habens beneficium ſufficiens ad vitæ ſuſtentationem, ſi impetravit aliud per diſpenſationem Papæ, non eſt in conſcientia tutus, ſed graviter peccat, niſi forte non ſuam, ſed eccleſiæ utilitatem intendat. *Panorm. in c. dudum 54. de electione. Valleſ. de ben. l. 3. tt. 1.* Eſt enim cõtra jus naturale in quo Papa non diſpenſat; neque patrimonium Chriſti ita diſſipandum eſt: nulla quoque conſuetudo in contrarium valet, quia à jure naturali & divino reprobatur. *Barb. in c. cit. cum aliis multis.*

XVI. In quinque caſibus plura beneficia, vel eccleſias etiam abſque diſpenſatione

ſatione per conceſſionem ſcilicet juris naturalis & poſitivi habere licet, quemadmodum ex *ſumma Piſana Sylv. colligit. V.Beneficium.* §.4.*n.*3.1.eſt cũ eccleſiæ, vel beneficiat tam macileta ſũt, ut neutrũ per ſe ſufficiat ad ſuſtentationem, intellige ſi utrumque ſimplex eſt, nec exigit reſidentiam. *Co. Tr.* 5.24 *c.* 17: 2. Si una eccleſia ab alia pendeat. 3. propter raritatem & defectum clericorum. 4. ſi eccleſia eſt annexa præbendæ vel dignitati, quo in caſu proviſus tenetur maiori eccleſiæ perſonaliter inſervire, & in eccleſia parochiali conſtituere Vicarium cum congruâ portione. 5. Si una intitulata, alia commendata ſit, quanquam Archid. intelligi velit de eccleſiis non haber tibus curam animarum, & de præbendis in eccleſiis diverſis. *V. Regin.l.*30. *c.*19. *n.*275. *Valenſ. de beneſi. l.* 3. *tt.* 8. *Zypaum. in enarr. analyt. tt. de Clericis non reſidentibus Eſcobar. Tr.*6.*exam.*1.*c.*9 8. *Leſſ.* 6. 34. *du.*27. *n.* 147.

XVII. In quæſtionem trahunt aliqui, an tutus in conſcientia ſit, cui iam habenti beneficium ſufficiens Pontifex aliud proprio motu concedit. *Glo.* affirmativè reſpondet *ex Clem. ſi Romanus de præb.* ubi legimus. Si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio providcat, de beneficiis, quæ obtinet, non habitâ mentione, proviſionem ſeu gratiam hujuſmodi fore validam declaramus, qualiacunque fuerint beneficia dignitates aut perſonatus cũ curâ vel ſine cura & in numero, quantũcunque habebat, cũ ſibi proviſio facta fuit. Hæc tam larga declaratio non habet locũ in ijs, qui priorum beneficiorum incapaces ſunt, aut propter quemcunque defectum illa malè poſſident, quia eiuſmodi defectus præcedens per gratiam ſubſequentem nõ corrigitur. *c. ſi motu de præb. in.* 6. *Azor.* 11. *l.*6.*c.*10. *Quæres* 5 *Tabien. V. Beneficiũ n.*28. *Armilla n.*50. *Leſſ. lo. cit dub.*28.*n.*151.

XVIII. Non eſt valida collatio ſecundi beneficii, quod Titius dolo malo impetrat, tacendo videlicet prius, quod actu habet. *c. Proponente c. ſi motu proprio de præb. in* 6. *ubi Bonif. VIII.* Si motu proprio alicui obtinenti aliquod beneficium conferamus aliud, de illo nõ habita mẽtione, nõ ob hoc gratia hujuſmodi, quæ de noſtra mera liberalitate proceſſit, invalidã volimus reputari; ſecus, ſi ad petitionẽ illius vel alterius pro eodẽ oblatã gratiam hujuſmodi facimus, Tunc enim quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea, ipſam velut ſurreptitiam vires nolumus obtinere. Motu quoque proprio tunc ſolũ gratia fieri cenſeatur cũ hoc expreſſe cautũ fuerit in eadẽ. *Barb. in c. Cũ de reſcript. & c Beneficia de præb. Caniſius l.* 2. *tt.* 28. *Tabien, V. Beneficiũ. n.* 28.

XIX. De commendis ſpeciale dubium eſt, an quemadmodum alia beneficia ſimul cum titularibus obtineri nequeant? pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt, olim moris fuiſſe, ut quando eccleſiæ vel monaſteria ſuo capite viduatæ eſſent, & differretur electio, alicui gubernanda ad ſex menſes commendarentur. Inde neque illi jus tribuebatur quaſi proprio prælato, neque ſibi fructus acquirebat ultra neceſſariam alimoniam pro cura, & labore ſuo *c. Nemo deinceps de el in.*6. ſucceſſu temporis autem invaluit conſuetudo, quam hodieque multi incuſant, ut epiſcopatum, vel monaſterium, cum aliis ſimul prælaturis in commendam habe-

nachalem una cum beneficio eidem tribui poſſe, quia in regulari incompatibilia cenſentur. Nec ſummus Pontifex diſpenſare ſolet, ut habeat duo in titulum, ſed unum in titulum, alterum vero in commendam: niſi unum beneficium alteri unitum ſit, ita ut pro uno reputetur. Si autem beneficia compatibilia ſint, & unius reditus non ſufficiant ad ſuſtentationem, duo vel plura eidem conferri poterunt. *Roderic. com. 1. q. 34. art. 8. Vivianus in Ration. l. 3. pag. 91. Alagon. Compend. pag 394. Barb. in c. cit. Cum ſingula. de præb. in 6. Tuſchus concluſ. conc. 66.*

XIII. Dubium eſt, an conſuetudine obtineri queat, ut plura beneficia jure communi incompatibilia, fiant compatibilia, & eidem homini conferantur. pro negativâ parte facit *c. 1. de cõſuet.* in 6. ubi talis conſuetudo reprobatur etiam immemorialis, eò quod minuat cultum divinum, & numerum clericorum eccleſiæ ſervientium, quod in eadem eccleſia haud dubie magnum incommodum eſt. Nihilominus affirmant aliqui cum *Navar in Man. c. 25. n. 125 glo. in c. dudu. de cle.* per conſuetudinem immemorialem obtineri poſſe, ut obligatio reſidendi tollatur aut minuatur, ſubſtituto Vicario, & ſic abſque diſpenſatione plura beneficia per ſe incompatibilia, niſi jus naturale reſiſtat, poſſideri poſſe. Certè in Germania noſtra id paſſim videmus, & nullo ſcrupulo practicari: imo vidiſſe memini, qui tredecim ſimul poſſidere dicebatur. Exceſſum hic nemo non agnoſcit. *Azor. 11. l. 6. c. 12 q 8. Regin. l. 30. c. 19. n. 287. Card. Tuſchus concl. 574.*

XIV. Alias jure cõmuni ſolus pontifex diſpenſat in pluralitate beneficiorum, quæ per ſe incompatibilia ſunt, ut colligitur ex *Clem. 1 vt lite pendente*, quæ affirmat, ſummum Pontificem omnium benefiorum plenam ac liberam poteſtatem habere. Item *c. de multa extra de præbend.* ubi poſt explicatam prohibitionem plurium beneficiorum circa finem additur. Circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ maioribus beneficiis honorandæ ſunt, cum ratio poſtulaverit, per ſedem Apoſt. diſpenſari poterit. *V. Fr. ã Leon p. 1. c. 12 n. 26.* ubi Papam vocat omnium beneficiorum dominum, deque illis arbitrio ſuo diſponere. *Nota.* Quamvis ad diſpenſationem etiam à ſummo Pontifice impetrandam legitima cauſa requiratur, ſi tamen eà poſthabitâ diſpenſaverit, validam diſpenſationem fore proviſus tamen in conſcientiâ obligatus eſt, ea quæ ſtatui ſuo neceſſaria non ſunt, vel in quibus juſta diſpenſationis cauſa defuit, reſignare. Quod ſi interea temporis officio ſuo ſatisfecit per ſe, vel per alium, perceptos fructus retinebit *Innoc. in c. Cum ad monaſt. de ſtatu. Monach. Silu. IV. n. 5. Bonac. to. 2. pag. 58. Regin. l. 3. n 289.*

XV. Habens beneficium ſufficiens ad vitæ ſuſtentationem, ſi impetravit aliud per diſpenſationem Papæ, non eſt in conſcientia tutus, ſed graviter peccat, niſi forte non ſuam, ſed eccleſiæ utilitatem intendat. *Panorm. in c. dudum 54. de electione. Vallẽſ. de ben. l. 3. tt. 1.* Eſt enim cõtra jus naturale in quo Papa non diſpenſat: neque patrimonium Chriſti ita diſſipandum eſt: nulla quoque conſuetudo in contrarium valet, quia à jure naturali & divino reprobatur. *Barb. in c. cit. cum aliis multis.*

XVI. In quinque caſibus plura beneficia, vel eccleſias etiam abſque diſpen-

ſatione

ſatione per conceſſionem ſcilicet juris naturalis & poſitivi habere licet, quemadmodum ex *ſumma Piſana Sylv. colligit. V. Beneficium.* §.4.*n*.3.1.eſt cũ eccleſiæ, vel beneficiat tam macilẽta ſũt, ut neutrũ per ſe ſufficiat ad ſuſtentationem, intellige ſi utrumque ſimplex eſt, nec exigit reſidentiam. *Co. Tr.* 5.24 *c.* 17: 2. Si una eccleſia ab alia pendeat. 3. propter raritatem & defectum clericorum. 4. ſi eccleſia eſt annexa præbendæ vel dignitati, quo in caſu proviſus tenetur maiori eccleſiæ perſonaliter inſervire, & in eccleſia parochiali conſtituere Vicarium cum congruâ portione. 5. Si una intitulata, alia commendata ſit, quanquam Archid. intelligi velit de eccleſiis non habentibus curam animarum, & de præbendis in eccleſiis diverſis. *V. Regin.l.*30. *c.*19.*n.*275. *Valenſ. de beneſ. l.* 3. *tt.* 8. *Zypæum.in enarr.analyt.tt.de Clericis non reſidentibus Eſcobar.Tr.6.exam.*1.*c.*5 8. *Leſ.c.* 34. *du.*27. *n.* 147.

XVII. In quæſtionem trahunt aliqui, an tutus in conſcientia ſit, cui iam habenti beneficium ſufficiens Pontifex aliud proprio motu concedit. *Glo.* affirmativè reſpondet *ex Clem. ſi Romanus de præb.* ubi legimus. Si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio providerat, de beneficiis, quæ obtinet, non habitâ mentione, proviſionem ſeu gratiam hujuſmodi fore validam declaramus, qualiacunque fuerint beneficia dignitates aut perſonatus cũ curâ vel ſine cura & in numero, quantũcunque habebat, cũ ſibi proviſio facta fuit. Hæc tam larga declaratio non habet locũ in ijs, qui priorum beneficiorum incapaces ſunt, aut propter quemcunque defectum illa malè poſſident, quia eiuſmodi defectus præcedens per gratiam ſubſequentem nõ corrigitur. *c. ſi motu de præb. in.* 6. *Azor.* II. *l.*6.*c.*10.*Quæſt.*5 *Tabien. V. Beneficiũ n.*28. *Armilla n.*50. *Leſ. lo. cit dub.*28.*n.*151.

XVIII. Non eſt valida collatio ſecundi beneficii, quod Titius dolo malo impetrat, tacendo videlicet prius, quod actu habet. *c. Proponente c. ſi motu proprio de præb. in* 6. *ubi Bonif. VIII.* Si motu proprio alicui obtinenti aliquod beneficium conferamus aliud, de illo nõ habita mẽtione, nõ ob hoc gratia hujuſmodi, quæ de noſtra mera liberalitate proceſſit, invalidã volimus reputari: ſecus, ſi ad petitionẽ illius vel alterius pro eodẽ oblatã gratiam hujuſmodi facimus, Tunc enim quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea, ipſam velut ſurreptitiam vires nolumus obtinere. Motu quoque proprio tunc ſolũ gratia fieri cenſeatur cũ hoc expreſſe cautũ fuerit in eadẽ. *Barb. in c. Cũ de reſcript. & c Beneficia de præb. Caniſius l.* 2. *tt.* 28. *Tabien, V. Beneficiũ. n.* 28.

XIX. De commendis ſpeciale dubium eſt, an quemadmodum alia beneficia ſimul cum titularibus obtineri nequeant? pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt, olim moris fuiſſe, ut quando eccleſiæ vel monaſteria ſuo capite viduatæ eſſent, & differretur electio, alicui gubernanda ad ſex menſes commendarentur. Inde neque illi jus tribuebatur quaſi proprio prælato, neque ſibi fructus acquirebat ultra neceſſariam alimoniam pro cura, & labore ſuo *c. Nemo deinceps de el in.* 6. ſucceſſu temporis autem invaluit conſuetudo, quam hodieque multi inſuſant, ut epiſcopatum, vel monaſterium, cum aliis ſimul prælaturis in commendam habe-

Digitized by Google

ant, fructus inde ampliſsimos percipiant, adeoque monaſteria capite ſuo, & bonâ gubernatione perpetuò careant. Quæritur itaque, an modus iſte Sacris canonibus conformis ſit? R. non eſſe quod in *c. Nemo deinceps de el. in 6.* prohibetur, ne quis commendam quamvis ritè factam ultra Semeſtris temporis ſpatium obtineat, idque evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius eccleſiæ ſuadente. Quod ſaluberrimum decretum renovans, & confirmans *Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 4.* ita loquitur quicunque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia eccleſiaſtica ſive per viam unionis ad vitam, ſeu commendæ perpepetuæ, aut alio quocunquè nomine & titulo contra formam ſacrorum Canonum, & præſertim Conſtitutionis *Innocentii III.* recipere, ac ſimul tenere præſumpſerit, beneficijs ipſis ipſo jure, etiam præſentis Canonis vigore privatus exiſtat. *Item Seſſ 24. c. 17.* ſtatuit, ut qui plures Parochiales eccleſias, vel unam Cathedralem, & Parochialem obtinent, cogantur omnino quibuſcunquè diſpenſationibus, ac unionibus ad vitam non obſtantibus unâ tantùm parochiali, vel ſolâ parochiali retentâ alias parochiales intra ſpatium ſex menſium dimittere. Hæc aliqui ita interpretari nituntur, ut liceat nihilominus duo ſimul beneficia obtinere, quamvis incompatibilia, titulare unum, & commendatum alterum: quos redarguit manifeſta ratio, quod tituli & commendæ nomen naturam beneficij non mutant, ita ut cum omni obligatione ſuâ veniant in manus beneficiati. Vnde manifeſtè ſequitur, contra jus naturale ac divinũ facere, qui duo beneficia ſimul obtinet, quorũ utrumquè perſonalem reſidentiam exigit. Rectè igitur *Mandoſius in Reg. 32. Cancell. Apoſt. q. 7.* Commendæ perpetuæ inducunt incompatibilitatem, vel inter ſe, vel quoad alia beneficia in titulum.

Huic contrarium qui faciunt, ut non ſine piorum admiratione multi faciunt, vel aliâ ſententiâ, quam ſibi probabilem imaginantur, vel diſpenſatione, aut juris divini interpretatione ſe tuentur. *Card. Tuſchus Concl. 475. Zerola P. 1. V. Beneficium n. XI. Azor. 11. l. 6. cap. 10. Q. 11. Sylv. V. Commenda. n. 7.* ubi multis modis in hac materiâ peccari demonſtrat.

§. VI.

De Vacatione Beneficiorum.

I. Beneficium vacare dicitur, quando nullum poſſeſſorem habet, quemadmodum Vacans locus dicitur, qui caret corpore, quo repleri poteſt, & viduam vocavit *Martianus* vacantem *in l. qui cœtu §. ult. ff. ad leg. Iuliam de vi publ.* Igitur mortuo beneficiario non perit beneficium aut extinguitur, ſed vacat. Econtra Penſio poſt mortem penſionarij non vacat, ſed finitur, ac deſinit, quemadmodum uſusfructus. *Glo in Extrav. Ne ſede vacante V. Vacantium. Vallenſis l. 12 tt. 23. Reginald. l. 30. Tr. 3. c. 22. n 304. Laym. in Defenſione iuſta c. 4. pag. 248.*

II. Beneficium in jure dicitur vacare aut facto tantùm, aut iure tantùm, aut utroquè modo. Facto ſolum, cùm quis amittit poſſeſſionem non verò titulum: jure tantùm quando auctoritate Canonis privatur quis beneficio, ita ut Ordinarius alteri illud conferre queat, quamvis adhuc de facto poſſideat, qui privandus eſt. Facto & jure

& jure ſimul, cùm beneficiatus moritur, vel ſponte deponit, & nondum alteri collatum eſt. *Eſcobar Tract 6. Exam.1. c. 1. §. 9. Az.11.l.7.c.16. Regin.l.cit. Sect.2.n.308 Tuſchus concl. 69 & concluſ.71. Laym.l.cit.*

III. Tres modi ſunt, quibus Beneficium ipſo jure vacat. Vel enim vacat ex delicto, vel ex quaſi delicto, vel ſine delicto. *Glo. in c. ſi propter tua de reſcr in 6. octo.* modos numerat, quibus Beneficium ipſo jure vacet puta 1. per mortem naturalem 2. per mortem moralem, ſeu ingreſſum religionis 3. per promotionem ad aliud beneficium incompatibile. 4. Cùm quis intra annum non eſt promotus ad Sacerdotium, quod requiritur. 5. per translationem ad aliam eccleſiam. 6 per reſignationem. 7. per depoſitionem. 8. denique per Matrimoniũ. Brevius dici poteſt amitti. 1. propter crimen, cui pœna amiſſionis ipſo facto annexa eſt auctoritate juris. 2. propter alterius beneficij incompatibilis adeptionem. 3. per profeſſionem in Religione approbatã *Az.loc.cit. Moſcónius l.1. De benef. c. 2. Eſcobar. lo. cit.*

IV. Crimina ſunt ipſo jure privantia beneficiatum quatuordecim. 1. hæreſis *c. ad abolendam. 9. de hæreticis.* 2. Schiſma. *c. Nos conſuetudinem c. Quia diligentia 5. De electione.* 3. Sodomia frequentata ex *Bulla Pii V. apud Navarr. c.27. num.249.* 4. Percuſsio Cardinalis vel Epiſcopi. *c. Felicis de pœnis in 6.* 5. Homicidium qualificatum, puta, per ſicarium precio conductum. *c. 1. de homic. in 6. iuxta Alex. Conſil. 166.* 6. falſificatio literarum Apoſtolicarum *c. ad falſarior 7. de crim. falſi.* 7. ſi quis per ſe vel alium occidat rectorem, vel alium clericum eccleſiæ ſuæ, in qua beneficium habet. *c. In quibuſd. 12. de pœnis.* 8. ſi examinatores pro beneficio Parochiali aliquid pro examine acceperint. 9. Ob Simoniam confidentiæ ex *bullâ Pii IV. & Pii V. apud Navar. c.23. n.* 100. 10. ſi obtinens epiſcopatum non acceperit conſecrationem intra 6. menſes à pacifica poſſeſsione. 11. ſi obtinens parochiale beneficium non fuerit promotus ad Sacerdotium infra ſpacium unius anni. 12. ſi quis duo incompatibilia ſimul retinere velit. 13. ſi Prælatus vel adminiſtrator alienet bona monaſterij vel eccleſiæ abſque forma in jure præſcripta, vel inconſulto Pontifice *Extrav. Ambitioſæ de reb. eccl. non al.* 14. Si quis poſſeſſionem vi ingreſſus fuerit. *c. Eum qui 18. de præb. in 6.* ubi dicitur. Qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, ſeu ſe ſcienter iniuſtè intrudit in eo, ſit ipſo iure privatus beneficio, quod cum cura ſimili primitùs obtinebat Item, ut qui vi beneficium aliquod occupat, eo ipſo amittat ius, ſi quod ante in illo vel ad illud habebat, puta, per electionem, præſentationem, aut collationem. Illud verò advertendum, ut quis privetur beneficio ſuo propter crimen, probationem eius neceſſariam eſſe, nec ante ſententiam dimittere quiſquam cogitur. Hæc de criminibus quæ ipſo jure privant beneficiis. *Ignat. Lopez in Practicâ c.134. Rebuſ. de benef. Par. 3.*

V. Crimina quæ merentur privationem beneficii ſententia judicis faciendam, octo numerantur. 1. Si beneficiatus qui tenetur ad continuam reſidentiam abſque iuſta cauſa abſit. *c. Conquerente. & c. Ex parte de Cler. n. reſid.* 2. Si homicidium commiſerit. *c. Clericis. ne Clerici vel Monachus Abb. in c. ult. De exceſſ. Prælat.* 3. Clericus concubinam publicè alens, ſi non deſerat, Epiſcopo monente, vel una deſerta aliam

accipiat,

Digitized by Google

accipiat, olim beneficijs ſuis jure communi privabatur: nunc verò à *Conc.Tr.* aliter conſtitutum eſt ut videre licet *Seſſ. 25 cap. 24.* 4. ſi fuerit perjurus puta in contractibus, pactis & negotiis aut judiciis. 5. Qui Deum, aut Sanctiſſimam illius matrem publicè blaſphemarit, ſi illius ſceleris tertiò arguatur *Con.Later.ult.*

V. Qui habent beneficium quod continuam reſidentiam exigit, aliud ſimile obtinet, alterum illorum cogitur relinquere *Con.Tr.Seſſ.7.c.4.* 6. Si ultra annum in excommunicatione perſiſtat. *Glo. in c.1. de iudic. c. Rurſus &c. Quicunque 11. q. 3.* 8. De Sodomitico dubitari poteſt, an ipſo iure privatus ſit. Affirmant aliqui ut ſupra diximus. Alii negant. *Bulla Pii V.* pro affirmantibus facit, at receptam non eſſe ubique *Azor putat l.7.c.18 cir. fi. Reginald. l 30. Tr.3.nu.318.& n.323.cum ſequ. Eſcobar. Tr. Exam.1.c 1.cir.fin.*

VI. Renunciatio eſt juris ſui libera dimiſſio, ſeu ceſſio. Fit tacitè, vel expreſsè. Tacitè ſit ex Iuris diſpoſitione, abſque verborum expreſſione, ut ſi quis Matrimonium contrahat, ſi lite morâ de beneficio ſponte cedat, vel ſi per tres annos eam non proſequatur. Expreſsè fit, quando diſertis verbis agitur. Hæc renunciatio iterum duplex eſt *Pura*, quæ fit ſine conditione & pacto appoſito. In quo eventu poteſt Ordinarius conferre beneficium, cui voluerit. *Non pura*, ſeu Conditionalis & hæc vel ſimplex in favorem, ut quando fit abſque reſervatione, vel eſt qualificata, ut quando fit reſervando ſibi regreſſum vel penſionem vel aliquid de fructibus. *Vallens.l.3.tt.13.Leſſ.c.34.D.35.Az.11. l.7.c.19.Q.1.& 111.l.12.c.8.*

VII. Vt reſignatio conditionalis valida ſit, requiritur 1. ut beneficium ſit reſignantis, quia reſignatio non eſt alieni, ſed ſui iuris ceſſio. Quocirca ſi ita privatus ſit, ut ante ſententiam ultrò dimittere debeat, non poteſt hoc modo reſignare. Si autem fecerit, collatio ex vi illius ſecuta non erit valida. Quod ſi non tenetur dimittere ante ſententiam, reſignatio valida erit, quia beneficium ipſius eſt, quoad ius poſſidendi, & fruendi; poteſt tamen poſtea per ſententiam irritari. 2. requiritur, ut ſit libera non metu, vel dolo extorta. Quando enim metus vel dolus dat cauſam contractui non obligat. 3. debet fieri in manibus eius, qui poteſt eam admittere. Hic autem primò reſpectu omnium beneficiorum eſt ſummus Pontifex: deinde ordinarius reſpectu ſibi ſubditorum: denique collator, vel inſtitutor præſertim ſi habeat iuriſdictionem. Aliqui tamen hãc putant non eſſe neceſſariam. Cæterùm quando reſignatio in manus Ordinarii fit, & collatio ad aliquem inferiorem pertinet *V.g.* Decanum, aut Præpoſitum, non poteſt abſque illius conſenſu conferri, ne jure ſuo privetur. Si fiat in manibus laici, valebit quidem in damnum reſignantis, ita ut illo privari queat, non tamen ita, ut vacet, niſi Superioris conſenſus acceſſerit *c. Quod in duobus de renunc.* 4. Reſignatio conditionalis debet acceptari à Prælato, in cuius manibus fit. Alioqui non amittit ius ſuum, qui reſignat. *c. fin. de renunc.* 5. Beneficium reſignatum conferri debet illi, in cuius favorem cum clauſulâ ordinariâ eſt reſignatum: alioqui proviſio invalida erit *c.un. De rer. permut.* 6. Requiritur, ut acceptet, in cuius gratiam renunciatio fit: alias retinet ius ſuum, qui reſignat propter clauſulam *Non aliter.* 7. requiritur

conſenſus

Digitized by Google

conſenſus patroni, ſi eſt beneficium iuris patronatus, vel electoris, ſi eſt electivum. *Glo. in clem. un. de rer. permut.* ſi tamen reſignatio videatur eccleſiæ futura utilis, poterit ſuperior illã approbare. 8. ſi reſignatus infirmus eſt, ſupervivere debet 20. dies poſt reſignationem: alioqui beneficium vacare cenſetur per obitum, non verò per reſignationem. 9. ſi reſignatio in Curiâ Romanâ fiat, intra 6. menſes à die ſupplicationis oblatæ computandos publicari debet in loco beneficii: ſi autem extra Curiam fiat, intra annum publicanda eſt. *V. Reg. Cancell. ap. Rebuſ* §. *Regula de publicandis. Leſſ. c. 34. D 35.*

VIII. Reſignatio qualificata, cum ius beneficii in alium transfertur reſervatis ſibi omnibus fructibus jure communi illicita eſt *c. Maioribus. de præb.* ubi diviſio beneficiorum prohibetur. Dividitur autem, cum uni titulus alteri fructus tribuuntur. *Dixi jure communi*, ut non ignores fieri poſſe, quando neceſsitas vel utilitas ſuadet. Ad eccleſiæ debita ſoluenda conceſſum aliquando liquet ex c. ſi tibi conceſſo. & *Clem. VI.* dicitur conceſsiſſe Hippolyto Mediceo Cardinali facultatem ſtatuendi pro libitu ad ſex mẽſes de omnibus totius Eccleſiæ beneficiis. *Innoc. Ioan. Andr. Imola. Decius. Reginald. l. 3. tr. 3. n. 247. Barb. in c. cit. Maiorib.*

IX. Idem dicendum eſt de reſignatione beneficii cum favore regreſſus. Porrò jus recipiendi beneficium reſignatum vocatur *Regreſſus, Acceſſus & ingreſſus. Regreſſus* ſupponit beneficium ante poſſeſſum fuiſſe: Acceſſus verò & ingreſſus non item. *Aditus* connotat obſtitiſſe aliquid, puta, Irregularitatem, ætatem, aut quid ſimile. *Ingreſſus* indicat aditum ad beneficium ex parte, hoc eſt, ad jus & titulum, non verò ad poſſeſsionem illius. Iam ſolius Papæ auctoritate fieri poteſt, ut quis reſignet cum regreſſu, acceſſu, vel ingreſſu: coram Ordinariis autem debet abſolute & ſimpliciter fieri. *Imò Conc. Trid. Seſſ 25. can. 7.* omnem acceſſum & regreſſum in beneficiis etiam cathedralibus prohibet, quia hæreditariæ ſucceſsionis imaginem præ ſe ferunt. Excipitur tamen *regreſſus, ingreſſus & acceſſus*, qui conceduntur penſionario, quando illi conſtituto tempore penſio nõ ſoluitur: Item illi, qui iure communi ſubſiſtunt, quales eſt regreſſus in *c. ſi beneficia de præb. in 6.* ubi ignoranter accipiens beneficium priùs reſervatum, vel collatum alteri, ſi ex quo ſcivit, ſine difficultate dimittit, priora beneficia recuperat propter illud dimiſſa. Simili modo licet beneficium recipere tibi, ſi ita reſignaſti, ut conferretur Titio, & non alteri, ſi id non fiat. *Azor. II l. 7. c. 19 Regin. l. 30. cap. 23. & 24. Vallenſis l. 4. De beneſ. tt. 15.*

X. Reſignationem non reddit invalidam, commiſſam à beneficiato crimen, & inde conſecuta irregularitas. *Rebuſ. de modo amittit. beneſ. num. 51. Covar. Clem. ſi furioſus par. 2. § 4. num. 7. Mol. Tract. 3. Diſp. 78. num. 2.* Nec obſtabit, ſi alius quiſquam ante ſententiam privationis beneficium à ſummo Pontifice impetrarit: nihilominus enim reſignari in favorem alterius poterit, vel ab eodem, qui poſsidet, retineri, ſi Epiſcopus diſpenſarit. *Garz. Par. 11. c. 3. n. 63. Layman l. 4. Tr. 2. cap. 17. num. 8.*

Digitized by Google

§. VII.

De permutatione Beneficiorum.

I. PErmutatio generatim loquendo eſt certæ rei ad alteram facta præſtatio. *l. 1. ff. de rer. permut.* Hinc beneficij permutatio eſt, cum duo viciſſim ſua beneficia dimittunt, ut alter alterius beneficium obtineat. Ex quo colligitur multum convenire cum reſignatione in gratiam alterius factâ. *Pe. Vbaldus. Frider. Senenſis. Cambarius. alii.*

II. Iure Canonico prohibita eſt permutatio beneficiorum, quæ propria auctoritate fit, idque ob quatuor cauſas. *Prima* eſt ut eccleſiaſticis perſonis omnis avaritiæ & ambitionis viæ præcludantur. *Secunda* ne de beneficiis, ut de aliis ſæcularibus bonis diſponere videantur. *Tertia* ne putent idẽ ius ſe in beneficia habere, quod in patrimonio ſuo. *Quarta*, quia permutatio ſupponit abdicationem unius beneficij, & acceptationem alterius quod Canones non permittunt propria auctoritate fieri. *c. ad quaſtiones de rerum permut. Azor* 11. *l. 7. c.* 29. *q. 2. Tabiena V. Beneficium* §. 111. *n.* 14.

III. Permutatio facienda eſt cum auctoritate Superiorum, qualis eſt. 1. Pontifex. 2. Ordinarius loci, ſive Epiſcopus, ſive eo ſuperior. 3. Omnis Prælatus, qui ius habet conferendi inſtituendi, & à beneficio removendi, cujus generis ſunt Abbates, & alij Prælati, qui epiſcopalem iuriſdictionem conſuetudine aut privilegio habent. De Vicario Generali non videtur idem dicendum, ſed ſpeciale illi mandatum neceſſarium eſt. Canonicorum Collegium permutationes beneficiorum admittere poterit, quando ius ea conferendi, vel ad ſolos Canonicos pertinet, vel ad eos ſimul & epiſcopum. *Innoc. c. Quæſitum. Panorm. eod. &c. Cùm ex iniuncto. de hæret. de rer. permut. Glo. Clem. 1. eod. tit.*

IV. Non licet beneficium eccleſiaſticũ permutare cum alio jure ſpirituali, quod non ſit beneficium, puta cum jure decimarum, patronatus aut ſimiliter; nec cum jure, quod quis habet ad beneficium, non in beneficio ut ſi quis habeat literas Apoſtolicas, quarum auctoritate beneficium expectat. Multò minùs poteſt beneficium eccleſiaſticum permutari cum patrimonio, cuius ratione aliquis eſt ad ſacros ordines promotus aut cum hoſpitali domo, quæ beneficium non eſt. Si tamen Ordinarius conſenſerit in eiuſmodi permutationem, ut beneficium eccleſiaſticum cum jure nominationis, vel collationis permutetur, crediderim validam fore permutationem, quia. *Clem. un. de permut. rerum* nihil aliud dicit, quam ſpiritualia cum temporalibus permutari non poſſe, quod in propoſito caſu non fit. *Az.* 11. *l. 7. c. 29. Armilla V. Beneficium. n. 75. & ſeq.*

V. Ad legitimam permutationem ſuppoſito, utrumque habere ius proprium, reale, & pacificum in beneficio permutando, requiritur. 1. ut abſit dolus, & metus. 2. Vt in manus Ordinarij uterque reſignet. 3. ut collatio fiat in permutantes. Nam ſi alteri conferatur irrita collatio erit. *Clem. un. de permut. rer.* Quocirca Ordinarius poſtquam conſenſit in reſignationem, ipſis tenetur conferre. Neque opus eſt, ut eodem tempore utrimquè permutatio fiat. 4. requiritur conſenſus illorum, ad quos electio, vel præſentatio ſpectat. *Glo. in Clem. di.* Poteſt autem epiſco-

pus

pus ſupplere conſenſum, ſi fortè patronus renuerit. *Canis.l.3.tt.8. Leſſ.cap.34. dub.36.* Fallitur ergò *Rebuffus, qui tt.de permut.n.14. & 15.* valere putat permutationem cum beneficio ficto, quod permutans ſe habere ſimulat.

VI. Inæqualitas beneficiorum non impedit abſolute permutationem. Porrò inæqualia ſunt. *Primò*, quando unum habet onus V. g. curam animarum alterum verò non habet. *Secundò* quando unum eſt pingue, alterum verò macilentum. Neutra tamen obeſſe poteſt permutatio, ſi abſque vi, & dolo fiat. Contingit enim, ut magis conveniat mihi, quod tenuius eſt, vel gravius: quo poſito non patior iniuriam, ſed exceſſum, qui putatur ineſſe beneficio, condono. *Azor l.cit. Leſſ.lo.cit. num. 199 Regin.l.30. cap. 24. Franc. Leo in theſau. Par.2.c.19. dixi.* ſi abſque vi & fraude fiat. Etenim ſive invitus per vim, cui non poteſt reſiſtere, impellitur, ſive per fraudem, quam non videt, circumvenitur, congenitâ libertate per injuriam exutus eſt: adeoquè vel beneficiorum permutatio viribus caret, ut non ſubſiſtat: vel certè à Magiſtratu eccleſiaſtico in ultionem ſceleris & iniuriæ irritanda eſt.

§. VIII.

De reſervatione, & Devolutione beneficiorum.

I. Beneficia reſervata dicuntur, quæ ſummus Pontifex ita addicit ſibi, ut quando vacaverint, ſolus conferat. Reſervatio beneficiorum igitur ita definiri poteſt. *Eſt alicuius beneficii eccleſiaſtici vacaturi per habentem ad id poteſtatem ad ſe facta avocatio.* Non fuiſſe olim in uſu inde liquet, quia in nullâ Decreti parte de ea mentio fit. In *Conc Baſiliens, Seſſ.23.* legimus, omnes omnium beneficiorum reſervationes aboleri cum mandato, ne deinceps ulla fiat. Sed decretū illud à ſummo Pontifici non eſt approbatum, ne iuri & iuriſdictioni ſuæ vulnus infligeret. *Æneas de falconib. de Reſervat. Azor 11 l.6. c.36.*

II. Reſervatio beneficiorum duplex eſt, *Generalis & Specialis. Generalis* eſt quando Pontifex ſibi reſervat omnia beneficia eiuſdem ordinis. V.g. omnes eccleſias Metropolitanas, omnes Cathedrales &c. *Specialis* dicitur vel ratione loci, ut cum certæ alicuius eccleſiæ beneficia reſervantur, vel ratione beneficii, ut cùm certa dignitas reſervatur, vel ratione perſonæ, ut ſi Pontifex mandet beneficium aliquod quando vacaverit Titio, aut Lucio conferri *Azor. loc. cit. Q. 3 Eſcobar Tract. 5. Exam.1.§.2.*

III. Papa reſervat ſibi. *Primò* collationem dignitatum, quæ poſt epiſcopalem maiores ſunt in eccleſijs Cathedralibus, cuiuſmodi in Germaniâ noſtra ſunt Præpoſituræ: Item collationem dignitatum principalium in eccleſiis Collegiatis, ut videre eſt *in Reg. 3. Cancellariæ.* Verùm quia in multis eccleſiis dignitates per electionem conferuntur, ſignum eſt, privilegio obtentum eſſe. *Secundò* reſervat omnia beneficia promovendorum, id eſt, quæ vacant per obtentionem alicuius V g epiſcopatus, aut ſimilis prælaturæ à Papa conferendæ. Nec obſtat, ſi epiſcopatus vel dignitas electiva ſit, ſed abſolutè poſt adeptam confirmationem, & quietam poſſeſſionem vacant beneficia prius habita. Imò locum habet prædicta reſervatio, quando Pontifex dat alicui beneficium

Digitized by Google

habenti alterum incompatibile: huius enim ipſo jure vacantis collatio ſedi Apoſtolicæ reſervatur; incompatibile; huius enim ipſo iure vacantis collatio ſedi Apoſtolicæ reſervatur. *Tertiò* reſervat omnia beneficia Cardinalium, Curialium ac familiarium Papæ, licet extra Curiam vacent: quin etiam reſervantur beneficia illorum, qui Cardinalis alicuius domeſtici ſunt. Nec obſtat, ſi quo tempore moritur, non amplius erant in priore officio aut ſervitio, quia beneficia ſemel affecta ſemper affecta cenſentur. *Quartò* reſervat beneficia per obitum legatorum ac Curſoſorum ſuorum, quorumcunquè item ad Curiam venientium, & ab eâ recedentium, ſi in ipſâ Curiâ vel in locis ultra duas à Curiâ non diſtantibus moriantur. *Extrau. ad regimen. de præbend.* *Quintò* reſervat beneficia omnia, quæ vacant per depoſitionem, privationem vel translationem auctoritate Sedis Apoſt. factam. Item ad quæ aliqui in concordia, vel diſcordia electi vel poſtulati ſunt, ſi electio caſſata vel poſtulatio repulſa vel renunciatio ab iis facta, & admiſſa à Pontifice fuerit. Atque hæc, ut illa, de quibus num. præcedente *in Curia vacare dicuntur. c. 2. de præb. in 6. V. Reg. Cancellariæ Apoſt. & Cardin. Tuſchum Concluſ. 75. & ſequ. Franc. Leo Par. 2. theſauri eccleſ. cap. 18 num. 78. Vid. ſe. pag.* 374.

IV. Prædictæ reſervationes non uno modo limitari debent. Nam. *Primò* locum non habent in beneficiis manualibus, ſive ad nutum amovibilibus. *Secundò* in beneficiis eccleſiæ non numeratæ ſed receptivæ, id eſt, in qua non eſt certus numerus beneficiorum. Euiſmodi enim beneficia nunquam cenſentur vacare. *Tertiò* in beneficiis quæ ſunt iuris patronatus laicorum ex fundatione, conſtructione, dotatione. Comprehenduntur tamen, quæ ſunt iuris patronatus eccleſiaſtici vel in quibus ius præſentandi competit laicis ex privilegio, aut præſumptione fundata in privilegio. Neque enim expedit, ut laicorum juris quicquam derogetur, ne illorum pietas & ſtudium in erigendis, & dotandis eccleſiis intepeſcat. *Quartò* locum non habet in beneficiis quæ reſignantur ut permutentur, quia non cenſentur propriè vacare: Denique eximenda ſunt beneficia, ad quæ poſtulanda Imperator habet preces ex ſpeciali privilegio, de quo *V. Paratitla Vorburgi pag. 697. Covarr. l. Practicar. QQ. c. 36. n. 4.*

V. Extat apud Gallos pragmatica ſanctio in *Concilio Baſil.* concepta, à *Carolo VII. Biturigibus probata. Anno* 1438. & in ſenatu Pariſienſi publicata 3. *Id. Iul.* in qua ſummi Pontificis poteſtas in conferendis beneficiis non parum minuitur, ideoquè in *Conc. Lateran.* reprobata eſt. Quanquam *Degraſſalius l. 2. regalium Franciæ* docet Regibus Galliæ collationem beneficiorum eccleſiaſticorum convenire ex conſuetudine immemoriali vel ex compoſitione facta in fundatione beneficiorum. *Coſmas Iuris C. & ſenat. Paris. Conſiliarius Piaſ. in Praxi pag. 591. Az. 11. l. 6. cap. 36. Q. 2.*

VI. Beneficium eſſe reſervatum, & affectum diverſa ſunt. Affecta propriè dicuntur, quæ ad tempus ſic addicta & obligata ſunt ſummo Pontifici, ut pro eo tempore omnibus alijs ſublata poteſtas ſit ea conferendi. V. g. Pontifex alicui beneficium contulit, ſed propter impedimentum aliquod, Canonicum collatio invali-

da

da fuit, tunc beneficium illud dicitur affectum, quia non poteſt ab Ordinario conferri, ſed denuò conferendum eſt auctoritate Papæ. Item commendat Papa alicui beneficium, ſi proviſus moriatur, manet affectum, ita ut dare illud ſolus Pontifex queat. *Federic. Conſil.* 290. *Gemin. Conſil.* 138. *Tuſchus concl.* 77.

VII. Menſes Apoſtolici in quibus beneficia vacantia ad ſummum Pontificem pertinebant, olim octo fuerunt, quatuor reliquos Ordinarij habebant: Poſtea Pius V. in favorem Ordinariorum ſex menſes tantùm reſervavit ita ut alternis menſibus Ordinarij ius conferendi habeant Papæ menſes ſunt *Ianvarius, Martius, Maius, Iulius, September, November.* In his menſibus beneficia Pontifex confert, quomodocunque vacaverint, modò non vacent ex ſpontaneâ reſignatione, quam Conſtitutiones Apoſtolicæ. *Ceſſum vocant.* Excipiuntur etiam beneficia, quorum conferendorum ius ad Archiepiſcopum vel epiſcopum pertinent, qui ſimul ſunt S. R. E. Cardinales. *Franc. Leo in theſau. eccl. ſ. Par.* 2 *c.* 18. *Azor* II. *l.* 6. *c.* 36. *Q.* 11.

VIII. Quod ad devolutionem beneficiorum attinet, Iure Canonico cautum eſt, ut ſi intra tempus præfixum non puta 6. menſium conferantur à patronis ſuis beneficia, perdant pro eâ vice ius ſuum, & accedat Ordinarijs, quod cùm fit, caducũ eſſe beneficium dicimus, quemadmodum Veteres I. C. appellant caducam dotem, caducum legatum, caducam hæreditatem. Huius moris cauſa eſt. Primò ne beneficia diu vacent, indeque eccleſia damnum capiat. Secundò ut negligentia collatorum caſtigetur, qui præſcriptum tempus non obſervant. Idem fit, quando ſcienter indignum eligunt. *Silv. in V. Ius patronatus nu.* 7. *Franc. Leo l. cit. n.* 7. *Vallenſ. l.* 2. *De beneſ. c.* 20. *Rebuff. tt. De devolutione n.* 7. *Silv. V. Beneficium IV. nu.* 10.

IX. Quando epiſcopus, cui conferendi ius tantùm competit, negligens eſt, ad Collegium Canonicorum devolui beneficia exiſtimat *Abb. in c. Cùm in cunctis de elect.* ubi apertè dicitur *Epiſcopus autem ſi contra hæc fecerit aut conſenſerit fieri, poteſtatem amittat, & per Capitulum ordinetur.* Aliter tamen viſum eſt *Innocentio*, qui ad epiſcopi ſuperiorem cenſet devolui. Quid in eiuſmodi eventibus faciendum ſit, ab uſu & conſuetudine loci ſumendum eſt. *Vallent. l.* 3. *tt.* 8. § 3. *Item tt.* 9. *Azor* II. *l.* 6. *cap.* 28. quæ licet pro diverſitate locorum varia ſit, nihil obeſt ſaluti credentium, cùm illis Canonica non obſiſtat auctoritas. Manet ſiquidem una fides, quæ per dilectionem operatur bona. *c. Scit Sanct. d. Diſſ.* 12.

X. Si contingat ab Canonicis Cathedralibus epiſcopum eligi indignum, collatio ad ſummum Pontificem devolvitur ut expreſsè docet *c. Quanquam de elect. in* 6. Excipe, niſi pars Canonicorum, quamvis minor, contradicat. Tunc enim illorum iudicium & electio prævalet, iuxta *c. Gratum de poſt. Prel.* ubi *Abb. n.* 5. notat ſi plures è Capitulo ſint inhabiles, puta, excommunicati aut ſuſpenſi, totum ius, ſive poteſtas capitularis reſidet apud habiles. In aliis minoribus beneficijs devolutio ad epiſcopum fit, cùm à Capitularibus, qui ius eligendi vel confirmandi habent, peccatum eſt. *c. Cum in cunctis de conceſſ. preb. Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 5.

Digitized by Google

§. IX.

De Annatis.

I. ANnatæ (penſionis) ſeu Annatarum vocabulum non uno modo ſumitur. Late acceptum ſignificat illam ſeu pecuniæ, ſeu penſionis quantitatem, quæ pro quocunque beneficio conſiſtoriali iuxta taxam Romanæ Curiæ ſoluitur. Secundò eſt medietas fructuum primi anni, quæ pro aliis beneficiis minoribus, non conſiſtorialibus exigitur. Propriè eſt reditus primi anni ſoluendus Curiæ Romanæ pro expeditione cuiuſcunque beneficij conſiſtorialis in Camerâ non taxati. *Laert. Cherub. initio Bullarii. Azor Par.* 11. *l.* 7 *c.* 12. *Eckius in Enchir. c.* 25.

II. Omnium primò conſtitutam eſſe à Po ifacio IX. An. Chr. milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto *Platina* ſcribit. alii auctorem faciunt Ioann. XXII. qui An. 1316. electus eſt. *Cherubin. Par.* 1. *Bullarii pa.* 142. annatarum ſolutionem antiquiſſimã vocat, & approbatam in Conc. Vienn. quod celebratum Anno Chr. 1311. ſub Clem. V. & Conſtantienſi, quod Anno Chriſti 1414. in ſchiſmate trium Pontificum cœpit. Si Annatas primò conſtituit Bonifacius IX. vel Ioannes XXII. quomodo approbata ſunt in Conc. Vienn. quod multùm anteceſsit, & quo modo antiquiſſimæ vocari poſſunt? Polydorus Virgil. quem in Chronico ſuo Genebrardus ſequitur, l. 8. De Invent. rer. c. 2. Annatarum uſum ait antiquiorem eſſe, quàm recentiores quidam ſciptores exiſtiment. Mallem ipſam, & veram originem indicaſſet. Illud benè animadvertit, à Bonifacio IX. & Ioanne XXII. denuò exactas eſſe, cùm pridem intermiſſæ fuiſſent.

III. Annatarum exactionem multi impugnarunt. Præter hæreticos, quibus nihil iucundius & facilius, quàm Romanorum Pontificum acta crimanari, *Coſmus auctor Gloſſæ in Pragmat. Sanctione, & Guaremus l.* 6. *de ſacris Eccleſia miniſtris ſcribit* repugnare juri divino, & eccleſiaſtico. Iuri divino quidem, quia Chriſtus *Matth.* 10. præcepit ſuis, ut quæ gratis accepiſſent gratis darent. At per Annatas contrarium fit, quia pro Abbatiã, vel epiſcopatu exiguntur. Hinc *Guarenus* concludit, conventionem inter *Leonem X. & Franciſcum I. Galliæ Regem*, quoad hoc turpem, & inhoneſtam videri, ideoquè pro non ſcriptã habendam. Iuri eccleſiaſtico quoque contrariari patet *ex cauſa* 1. *Q.* 1. ubi multi Canones vetant Simoniam, & prima Rubrica habet. *Emere ſpiritualia grave peccatum eſſe, multorum auctoritate probatur.* His accumulant alias rationes, quæ etiam in Concilio Baſileenſi propoſitæ ſunt. *Prima eſt.* Omnes Chriſtianos abſtinere decet etiam è ſpecie mali. ergò multo magis Romanum Pontificem, & illius Curiales. *Secundò*, per Annatas factum eſt, ut indigni ad ſummum Eccleſiæ honorem, & Prælaturas aſcenderent, præteritis dignis, eò quòd propter inopiam tantam pecuniæ ſummam non poſſent exhibere. *Tertiò*, occaſionem inde ſumunt Prælati, ut clericis ſibi ſubjectis novas contributiones indicant, ut ſuam ipſi penſionem compleant. *Quartò*, per eiuſmodi praxes pecuniæ ex Regno, & provinciis propriis Romam deferuntur, quod non tantùm grave, & noxium, ſed inſupportabile aliquando. Quid enim, ſi intra unius, vel duorum an-

norum

Digitized by Google

rorum ſpatium bis, aut ter novus epiſcopus eligendus ſit, an totius unius anni reditus 30. aut 40. millium penſio Romam mittenda? Propter eiuſmodi incommoda Ioannes Andr. in *c. Inter cætera de off. Ordin.* conſilium dedit, idq; in Concilio Vienn. oblatum epiſcopis eſt, ut ſummus Pontifex loco annatarum viceſimam partem omnium proventuum eccleſiaſticorum pro ſua, & ſuorum ſuſtentatione ſumeret. Non acceptarunt Prælati illud timentes ne futuri Pontifices & viceſimam partem redituum, & Annatas ſimul exigerent. *Card Tuſchus Concluſ.* 378.

IV. Extat *Concilii Baſileenſis*, non approbatum à ſummo Pontifice, *decretum ſeſſ.* 21. his verbis. Sacroſancta Synodus ſtatuit ut de cætero nihil penitus ante, vel pòſt exigatur, ratione literarum, Bullæ, Sigilli, annatarum, communium, & minorum ſervitiorum, primorum fructuum, deportatuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cuiuſcunque conſuetudinis privilegij, vel ſtatuti, aut aliâ quavis causâ vel occaſione, directè vel indirectè, ſolùm ſcriptoribus, abbreviatoribus, & regiſtratoribus literarum, ſeu minutarum pro ipſorum labore competente ſalario perſoluendo. Ita *Concilium Baſileenſe* contra Pontificiam Curiam, ut mirum non ſit, approbationem deeſſe

V. Non obſtante Pontificis diſſenſu, & contradictione Curialium, *Carolus VII. Galliæ Rex* in Bituricenſi conventu prætallegatum Baſileenſis Concilij Decretum ſanctione Pragmaticâ approbavit, vetuitque, ne quiſquam ante vel poſt impetrationem, & confirmationem Romanæ Curiæ pendatur præter iuſtum ſtipendium illis, qui literis, aut Bullis expediendis occupantur. *Gualter. in Chronol. pag.* 617. *Genebr. in Eugenio IV.* Hinc *Greg. Tholoſ. l.* 33. *Syntagm. c.* 13. *n.* 42. In Gallia, inquit, meritò videntur ſublatæ Conſtitutiones Curiæ, aut Cancellariæ Romanæ, quæ Burſales vocantur: & Annatæ, ſeu taxationes beneficiorum, quas Galli non ſoluunt, nec tenentur in impetratione beneficiorum exprimere verum beneficij valorem; etſi de his quædam compoſitiones ſoluantur.

VI. Pro Germaniâ inter *Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III.* Imperatorem ita conventum eſt, ut de Eccleſiis cathedralibus omnibus, & monaſteriis virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis ſoluantur pro fructibus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur, & ſi quæ exceſſivè taxatæ ſint, retaxentur. *Et infra.* ſi infra annum bis, aut pluries vacaverint, ſemel tantùm ſoluatur, nec debitum eiuſmodi in ſucceſſorem, eccleſiam, vel monaſterium tranſeat. De cæteris verò dignitatibus, perſonatibus, officiis, ac beneficiis ſæcularibus, vel regularibus quibuſcunque, quæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ conferentur, ſoluantur Annatæ, ſeu medij fructus iuxta taxam ſolitam à tempore poſſeſſionis infra annum. Sed de beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camerâ non excedunt, nihil ſoluatur, curratque hæc obſervantia deinceps, niſi eam ſimiliter in futuro Concilio de ipſius nationis conſenſu contingat immutari. *V. Concordata apud Caniſium in ſum. Iur. Canonici.*

VII. Soli Angli, ut *Polyd. Vergilius refert l. 8. De rer. inventorib. c.* 2. præ aliis nationibus;

Digitized by Google

bus. Annatarum onus recuſarunt ſubire in minoribus Sacerdotijs: ex quibus aliis in regnis, & provinciis dimidiam unius anni proventuum partem capere Pontifex ſolebat. Quantum inde annuè colligatur, difficile, & incredibile dictu eſt. In ſolâ Galliâ confeciſſe Annatas olim ſexcenta nonaginta ſeptem millia ſeptingentos, & quinquaginta francos, ſine Prælaturis, quæ non taxabantur, cum earum ſumma nihilo minor eſſet, fide digni Auctores tradiderunt. *V. Archantologiam Gotofredi p. 51. & Taxam Epiſcopatuum Galliæ in Tom. 10. Tractatuum Iuris.*

VIII. Errant verò plurimum, qui vel iniuſtitiæ reum faciunt Pontificem, vel cum Panormitano Simoniæ accuſant, quia pro collatione; aut confirmatione dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorum certam penſionem exigit. Neque enim pro eo, quod ſpirituale eſt, vel à Papa, vel Curialibus Romanis quicquam petitur, ſed quia ſeminanti ſpiritualia metere licet temporalia, pro ſuſtentandâ familiâ, labore ſervientium, aliiſque oneribus ferendis partem aliquam de beneficiorum fructibus decerpit Pontifex, & reſervat ſibi eodem iure, quo poſſet alteri reſervare, & applicare: ut qui bonorū eccleſiaſticorum generalis adminiſtrator eſt, at hoc ipſum, clamant malevoli, ſpeciem mali habet, & incommodis *n. 3.* commemoratis obnoxium eſt. R. apud peritos, & oculo ſimplici præditos nullius mali ſpecies apparet. Aliter ſi mali vel imperiti ſentiunt, docendi, vel contemnendi ſunt. Sicubi abuſus invaluit, danda opera, ut corrigatur. *V. Azor. II. l. 6. cap.* 12. ubi circa finem monet, fruſtra Simoniam à quibuſdam metui, quia illi nullus in ſummo Magiſtratu locus eſt.

IX. Supereſt explicare, quo iure Annatarum penſio Summo Pontifici debeatur? *Ferdinandus Corduba in Tract. ſingul. de annatis* demonſtrare nititur, iure divino deberi, aut ſaltem ex iure divino ſcripto originem trahere. quoniam in Veteri lege iuſſu Dei decima fructuum pars Levitis, & Sacerdotibus ſoluebatur, qui deinde ex illis decimis decimam ſummo Pontifici dabant, quæ decima decimarum vocata eſt, *Numer. c* 10. *Eckius* quoque *in Enchir. ſuo tt. de annatis* fatetur, illas ſolui iuxta Veteris legis inſtitutum. Rem propiùs intuenti facilis apparet ſolutione ſimilium quæſtionum. Cur enim reditus annui, diſtributiones, portiones, decimæ & ſimilia debentur clericis, & Eccleſiæ miniſtris? Si rem ſpectes, iure naturali, quia dignus eſt operarius mercede ſuâ, & qui altari ſervit, de altari vivit. 1. *Cor. 9. V.* 13. Si verò definitam quantitatem, ea non niſi humano iure, & arbitrio conſtituta eſt. Annata penſio igitur ſummo Sacerdoti debetur pro curâ & ſollicitudine, quam habet omnium eccleſiarum: determinationem humana prudentia facit, cui non mirum ſi mixta cupiditas exorbitet. Quemadmodum ergò in aſſignandis beneficiorum proventibus nemo mathematicam, ſeu arithmeticam proportionem deſiderat, ſed morali contentus eſt, ita in taxa annatarum ſibi faciendum unuſquiſque perſuadeat. *V. Eck. Enchir. c. 25. Azor* II. *l. 7. c. 12. Grets. in Exam. Myſterii Pleſſæani pag.* 71.

TIT.

TITVLVS III.

De Parochis, & Curatis.

PArochi olim cenſebantur, dicebanturque, qui peregrinis ſalem & ligna præbebant, id eſt, cuncta neceſſaria *teſte Acrone*. Inde Parochias aliquando derivatunt, quibus ſingulis ſui Sacerdotes aſſignati ſunt, ab exhibitione ſcilicet Euchariſtiæ. Verum *Budeus* non Parochias primum, ſed paræcias appellatas exiſtimat. Porrò decem homines conſtituere parochiam ſententia Interpretum juris Canonici eſt. At quibus idem eſt paræcus, quod Parochus, non parum errant, quia paræcus nihil aliud ſignificat, quam indigenam vel incolam, qui domicilium ſuum in aliquam regionem contulit, quod non magis parocho, quàm agricolæ cuilibet convenit. *Pompon. De verb. ſign. l. Pupillus.*

§. I.

De Eccleſia Parochiali.

I. PArochiæ nomen in Iure Canonico duobus modis ſumitur. *Primò* pro ipsâ diœceſi *c. ſi quis 2. D. 92.* ubi dicitur ſi quis epiſcopus ordinatus ad parochiam, cuius eſt electus minimè acceſſerit &c. *Secundò* pro certâ alicuius diœceſis eccleſiâ, cui aſſignatus eſt certus aliquis populus ad perceptionem Sacramentorum, V. g. *S. Martini Bambergæ.* Hoc modo ſumpta uni alicui committitur, ut in eâ Baptiſmum & alia Sacramenta populo ſibi commiſſo adminiſtret. Igitur parochiale beneficium habere dicitur, cui prædicto modo animarum cura tribuitur. In quibuſd. locis non diſtinguuntur parochiæ per limites materiales loci, ſed per familias, ut colligitur ex relatione epiſcopi Aquilani factâ Congregationi Cardinal. *Conc. Tridentini. Tholoſ. l. 24, Syntagm. c. 15. Silv. V. Parochia.*

II. Parochialis eccleſiæ ius conſiſtit in hiſce ſeptem 1. ut in eâ feſtis diebus populus Miſſam audiat 2. in decimis 3. in oblationibus, & primitijs 4. in pœnitentijs accipiendis. 5. in exhibitione Sacramentorum. 6. in ſepulturis. 7. in benedictione nubentium. Ita tamen ut ſi horum aliquid deſit, non continuò perdat nomen ſuum. Fieri enim poteſt. *Primò* ut non habeat ſepulturam. *Secundò* ut non percipiat decimas, quæ fortè per aliquam præſcriptionem, aut privilegium alienatæ ſunt: hæ tamen ſi habeantur, præſertim aliis quibuſdam accedentibus præſumi de Parochiâ poteſt. *Silv. l. cit. Tabiena V. Parochia. Layman. l. 4. Tr. 6. c. 4. n. 1. & 4. Cardin. Tuſchus. Lit. P. Concl 93. & 94. Parochiale Curatorum Lochmayer c. 1.*

III. Ad probandum igitur, hanc illamvè eccleſiam Parochialem eſſe, quatuor requiruntur. *Primò* poteſtas fori pænitentialis, ligandi nimirum, & ſolvendi. *Secundò* locus certis finibus circumſcriptus, in quo

Digitized by Google

populus illi eccleſiæ aſſignatus habitet. *Tertiò* ut parochus curam exerceat nomine ſuo, quod perſonam concernit, non verò locum, vel eccleſiam. *Quartò* ut Sacerdos tanquam rector ſuo nomine ſingulariter, non verò cum alijs ad regimen parochiale eccleſiæ admittatur. Denique illud potiſſimùm attenditur, ut Sacramenta adminiſtret ex neceſſitate, & ſimiliter ex neceſſitate populus accipiat iuxta *Deciſionem Rotæ 52.* Ideo neque regulares presbyteri, neque ſæculares quam diu Parochorum vices gerunt, liceat eadem omnia præſtent, Parochi aut Curionis nomen uſurpant.

IV. Hinc fit, ut aliquando Plebani, aliquando Rectoris titulo inſigniatur Parochus. Nam revera plebem ducit, & regit gregem ſibi commiſſum. Quanquam *ex c. Scriptum eſt. de elect.* apparet Plebanum vocari, qui habet ſub ſe plures eccleſias, vel capellas: eſtque reſpectu aliorum, qualis reſpectu ſuffraganeorum ſuorum Archiepiſcopus. Nam illis quoque ius competit, ut viſitando vices & caſtella circumeant loco epiſcoporum. Inſuper Plebani eccleſia appellatur matrix, quaſi mater aliarum, quas ſub ſe continet. *c. Ad audientiam de eccl. ædif.* Plebanus autem dici non poteſt in dignitate conſtitutus, niſi fortè eccleſia, cui præeſt, ſimul collegiata ſit & ſub ſe capellas habeat cum iuriſdictione fori contentioſi. Vnde patet accidentale tantùm diſcrimen eſſe inter Plebanum, & Rectorem. Nam hic quoque in Germaniâ noſtrâ plures ſacellanos, & præbendarios ſub ſe habet. Eadem denominatio alicubi tribuitur illis, qui habent Dignitatem, Perſonatum, vel Prioratum. In his enim & ſimilibus, cùm certi nihil legibus definitum ſit, plurimum arbitrio & prudentiæ tribuitur, ut conſuetudini quoque, cuius non minor, quàm legis potentia eſt.

V. Ex eodem fonte manat, quòd Sacerdos proprius nuncupetur, *in c. Omnis utriuſque ſexus. de pœn. & rem.* Solus enim ipſe ex obligatione, & neceſſitate Sacramenta adminiſtrat. *Conc. Tr. Seſſ. 24 c. 13.* ſimul *Curatos* dicimus: quæ vox tamen latiùs patet, & tribuitur omnibus, qui aliorum curam ex officio gerunt, quales ſunt Decani, Scholaſtici, Vicarij perpetui, & ſimiles. Ac proinde omnis quidem Parochus eſt curatus, ſed non omnis curatus eſt parochus. Illud verò monuiſſe iuvabit, Parochi, & Sacerdoris proprij nuncupatione non excludi Epiſcopos, & ſummum Pontificem, ut nonnulli contendunt, qui Regularium privilegia in audiendis confeſſionibus impugnant. Sicut enim ipſe Paſtorum Paſtor, ſummus videlicet, ita Parochorum omnium, & Parochis ſubditorum parochus eſt. *Franc. Leo in theſaur. par. 2. c. 1. & 3. Vindiciæ privilegiorum Franciſci à Fonte à pag. 138. & ſequ. Azor 11. l. 5. c. 14. Q. 1.*

VI. Qui Eccleſiam Parochialem Monachorum adminiſtrant, cum curâ animarum in Iure Canonico non vocantur Parochi, ſed Capellani. *c. in Eccleſiis. de Capellis Monachorum, ubi Vrbanus III.* In Eccleſiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, ſed Capellanus, qui populum regat ab Epiſcopo per conſilium Monachorum conſtituatur, ita, ut ex ſolius arbitrio Epiſcopi tam ordinatio ejus, quàm depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio. *Ita ille.* Alias Capellani, & Capellæ nomen latiùs patet, nec cenſetur curatus, niſi ex ſpeciali inſtitutione

certum

Digitized by Google

certum populum habeat. Per ſe enim Capellania & Capella beneficiũ ſimplex eſt. *Selva de beneſ.part.1. q.4. Abb. Imola. Azor.* *II.l.3 c. 8. Dixi in Iure Canonico* non vocari Parochos, quia uſus & conſuetudo his temporibus aliud jus fecerunt.

VII. Quando Eccleſia Parochialis acceſſorie unita eſt beneficio, vel dignitati alicui ſimplici, & in eâ Vicarius perpetuus conſtituitur, titulum Parochi, & curam habitualem habet Principalis curam actualem verò, ſeu exercitium Vicarius. Secus erit, ſi vel Vicarius ſit temporalis tantùm, vel Eccleſia filialis. Tunc enim Rector ſeu Principalis per ſe cenſetur deſervire, & illius nomine, qui ſubſtituuntur. *c. Cùm veniſſ. De reſt. Spol. l. Quod meo. ff. De acquir. poſſ. Barboſa in Rubricâ de officio Vicarii. & c. ſuper eo de prabend. Franc. Leo in theſau. Fori Eccleſ. Par. 1. c. 10. Silv. V. Vicarius n. 6. Armilla eod. & alii Summ.*

Nota. In prædictâ Parochialis Eccleſiæ cum dignitate vel Canonicatu unione cavendus eſt abuſus, qui nonnullis in locis invaluit, ut cum Parochi titulo fructus potiſſimos principalis ad ſe pertrahat, vix tantillo relicto, unde Vicarius honeſtè vitam toleret, quamvis onera omnia ſolus ſuſtineat.

§. II.

De dignitate Parochi & obligatione reſidendi.

I. Parochus quia Epiſcopi vices gerit, qui dicitur Rector parochialis, *c. bona rei 12. q. 2.* ob id alijs videtur præferendus ſecundùm *Reg. l. ſi eum §. qui iniuriarum ff. ſi quis cautionibus.* Cumque paſtoralis cura ſit difficilis & perículoſa, merito iudicatur pretioſa. Hinc *Molanus de Canonicis l. 2. c. 14.* Canonico cenſet præferendum eſſe parochum: tum quia munus ipſius eſt ars artium *c. Cum in illis de præb.* tum quia major in illo ſcientia & diſcretio requiritur. *c. pen de ata. & qual. ordin.* Denique quia non exigitur in Canonico Ordo Sacerdotii, quemadmodum in Parocho. Quæ ut vera ſint, abſolutè loquendo, non admittent in Germaniâ noſtrâ Canonici Cathedrales, quamvis nec ſcientia nec ordinum ſacrorum dignitate conſpicui forent. Nec deſunt tituli illis, quibus præferantur. Extant quoque apud *Barboſam Deciſiones Congregationis Sacrorum Rituum*, ubi fol. 84. in funeribus & proceſſionibus publicis primus locus Cathedralibus Canonicis tribuitur, ut qui collaterales conſiliarii & quaſi domeſtici ſint ipſius Epiſcopi. *Barb. Par. 1. c. 9. n. 6. Franc. Leo in theſau. Eccl. Par. 1. c. 9.*

II. In propriâ Eccleſiâ Rector omnes majores & ſuperiores antecedit in dicendis Miſſis ſolennibus & aliis quibuſcunque concernentibus officium ipſius. Nam etiam major minori cedit in domo ſua, & quilibet in proprio munere aliis præfertur, quamvis extra illud cedere debeat. Ob eandem cauſam Rector Eccleſiæ Parochialis tanquam illius caput ante alios thurificandus eſt, juxta definitionem *Congreg. Rituum. apud Barb. to. cit.* qui addit, nihilominus, Parocho non in ſede, ſed in ſcamno ſedendum.

III. Vt inter plures Parochos ſive regulares, ſive ſæculares debitus ordo ſervetur, attendenda eſt ipſarum Eccleſiarum majoritas & prærogativa, & cenſuit ſacra Congregatio Rituum in una Aſtenſi 2[?].

Digitized by Google

*Mart. An.*1609. In funeribus autem præcedit Parochus, in cuius templo defunctus ſepeliendus eſt. idque Romæ quoque obſervari, & à ſe notatum eſſe commemorat citatus *Barb. n.*13.

QVÆRES. An Rector eccleſiæ & Parochus nomine Prælati gaudeat? Rt. *Roſella V. num.* 7. ſi nomen Prælati latius ſumatur, gaudere; ſtrictius autem accipere, qui negant, requirentes dignitatem cum iuriſdictione etiam externa. Quo ſenſu loquuntur *Glo. Cardin. & alii apud eundem allegati.*

IV. Rectores eccleſiarum & quicunque parochi iure divino in eccleſiis ſuis reſidere debent etiam tempore peſtis, ſive multi fuerint ſubditi ſive pauci, licet tres, tantum forent. *Con. Tr. Seſſ.* 23. *c.* 1. ubi licet de epiſcopis loquatur, contextus & ſequentia oſtendunt, de omnibus intelligendum, quibus animarum cura commiſſa eſt. Illis enim dicitur. *Prou. cap.* 27. *V.* 23. Cognoſce vultum pecoris tui, & greges tuos diligenter conſidera. *Item Actor.* 20 *V.* 28. Attendite univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit. *Barb. Collect. Deciſ. Apoſt. n* 572. *Bern. Poſſeu. l. De off. Curati c.* 1. Non poteſt ergò diſpenſare Pontifex, *inquis,* & permittere ut Parochus aliquando abſit? R. quamvis in iure divino, ſummus Pontifex, propriè loquendo, diſpenſare nequeat, declarat tamen hic & nunc ſufficientem cauſam eſſe, cur lex divina non obliget. Caveat unuſquiſque, ne confictam excuſationem prætendat, & ad diſpenſationem non valituram ſummum Pontificem inducat. *Iacob. de Graff. l.* 2. *c.* 97. *l.* 3 *c.* 15.

Item dicendum de aliis Curatis, qui habent iuriſdictionem fori externi, ſeu contentioſi, qui non minus obligantur ad reſidendum, quàm parochi, qui animarum curam gerunt. *V. Lud. Lopez Par.* 2. *Inſtructorii c.* 100. *p.* 620. ubi Curatum ſine cauſa non reſidentem dicit à Confeſſario abſoluendum non eſſe, etiamſi vir illuſtris ſit, vel mille diſpenſationes prætendat.

V. Parochus habens duas parochias unitas reſidere debet in maiore ſeu digniore: ſi non conſtet, quæ dignior ſit, in ea quæ frequentior & periculoſior Si extra civitatem una eſt, altera verò intra civitatem, in hac illi commorandum erit. Si pares ſunt, aut videntur, eligat, in utra potius reſidere velit. Si quis cum parochia Canonicatum poſſidet, obtenta diſpenſatione in parochiali reſidebit. *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *c.* 1. *Declarat. num.* 9 *&* 10. *Moſcon. l.* 1. *Par.* 1. *c.* 21.

VI. Vbi Vicarius perpetuus ex more conſtituitur, illo vivo non tenetur reſidere principalis, ſeu Rector eccleſiæ. Nam actualis animarum cura omnimodè ad Vicarium pertinet. Quod ſi Vicarius temporalis & amovibilis ſit, à contrario reſidere debet principalis, quia animarum cura ipſi incumbit primariò. Sed quia non eadem incommoda ex ipſius abſentia metuenda ſunt, facilius in obligatione reſidendi Epiſcopus diſpenſabit.

VII. Ne in reſidentia ſua parochi impediantur, cautum eſt, ne eligantur Vicarij generales, Viſitatores, Secretarij, fiſcales &c. Nec epiſcopo licet ultra duos menſes opera alicuius parochi uti, quemadmodum cenſuit Congregatio *Conc. Trid. An.* 1618. Si autem eccleſiæ Cathedralis parochus ſit, poterit Vicariatus officio fungi *V. Barboſam pag.* 75. ubi amplius memorat

tat in totâ provinciâ Toletanâ presbyteros, qui Parochiales eccleſias obtinent, non poſſe Iudices ordinarios, aut delegatos eſſe appellationum ex *Decreto Pauli V. die 17. aug. 1615. & Gregorii XV. die 9. Maij. 1622.* ubi extendit ad omnes eccleſias parochiales Caſtellæ, & Legionis.

VIII. Olim ſtudiorum cauſa per ſeptennium abeſſe licuit parochis, hodie verò id permittere epiſcopi non poſſunt iuxta *Con.Tr.ſeſſ.23.c.* 1. Et Congregatio Cardinal. non ſemel conſulta reſpondit, non eſſe ſufficientem cauſam abſentiæ, ut ſtudijs incumbant, nec Ordinarijs liberum eſſe ulli licentiam impertiri, nec fructus percipere poſſe, ſi quando ob prædictam cauſam abfuerint. Quibus autem conditionibus concedi facultas poſſit, à *Conc.Trid.lo. citato ita* definitum eſt, ut ſi epiſcopus cauſa probè cognita indulgere velit, licentiam in ſcripto, & gratis concedat, relicto Vicario cum congrua mercede ab eodem Epiſcopo approbato.

IX. Non excuſat Parochum à reſidendo aëris intemperies ab extrinſeco cauſata, niſi certo anni tempore, nec inimicitiæ capitales. In iis quæ ſine culpa parochi ortæ ſunt, datur annus. *Declarat Con.Tr.l.cit.* Odium ſolum parochianorum non ſufficit. Neque ſenectus excuſat, quamvis illi Ordinarius daret idoneum Vicarium. Idem dicendum de infirmitate etiam dato, & conſtituto adiutore, niſi aliter, quàm in diſtanti loco curari non poſſit. Præterea in nullo caſu excuſatur Parochus ne adminiſtret Sacramenta morienti, ne quidem metu peſtis, ſeu alterius contagioſæ infirmitatis *c.ſi presbyter 26.q.6.* Aliàs, quod ſupra diximus *Tit.11.§.* 3. abſentiam ab epiſcopo conceſſam excuſat Charitas, neceſſitas & eccleſiæ utilitas. Denique ab *Conc. Trid.Seſſ.23.c.* 1. indulgetur, ut ſingulis annis animi relaxandi cauſa abeſſe queant per duos menſes continuos, vel diviſos, dummodò iuſta cauſa ſit, quod illorum conſcientiæ relinquitur. *Toletus l.5 c.5.n.3.* monet ad legitimam parochi abſentiam quatuor conditiones requiri 1. eſt, ut cauſa rationabilis ſit. 2. ut probetur ab epiſcopo & in ſcriptis. 3. ut ad ſummum duorum menſiũ ſit 4. ut interea ſubſtituatur aliquis cũ cõgrua fructuum portione, qui benè, & abſque defectu abſentis munus obeat. Adde *Petri à Soto* doctrinam, *de cura animarum lect.5.* ubi poſt ſummè neceſſaria & ſalubria monita ſubdit. Abſẽtes Parochos propter abſentiam obligandos non eſſe ad reſtitutionem fructuum, cùm ſufficiat agnoſcere, quantum ſit peccatum, contra quod terribiliter per Zachariam Prophetam clamatur. *Væ paſtor, & idolum derelinquens gregem.* Sed de non reſtituendis fructibus congruè explicandum eſt, nimirũ ſi officio ſuo per Vicarium ſatisfaciat, *V. Bern.Poſſeu.l.de Curato.c.1.n.33.*

§. III.

De officio Parochi.

I. PRæcipuum munus Parochi eſt verbum Dei prædicare, de quo *Concil. Trid Seſſ.5 c.2.* Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Eccleſias obtinent, per ſe, vel per alios ab Epiſcopo approbatos, ſi legitimè impediti fuerint, ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolennibus plebes ſibi commiſſas paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem. Materiam, & modum concionandi *Leo X. in Con. Lateran.* præſcribit. *Can.7.de offic.Præ-*

ceptorum puerorum. Piaſecius. Par 2.c.3.nu. 16. ubi à parocho negligente ſubtrahendam ab epiſcopo partem fructuum dicit, eamque tribuendam alteri, qui vices ſuppleat.

II. De illis, qui ad concionandum, cum per ſe poſſint, alios ſubſtituunt, dubitari meritò poteſt, an ſatisfaciant muneri ſuo, cùm manum ſub axillâ ponant, & alios permittant triturare. Negat *Barboſa pag. 313.* ſatisfacere quoad Deum, ſi totius anni conciones alteri committant, quemadmodum non ſatisfaciunt, qui totam curam Vicario permitterent, niſi à conſuetudine immemoriali excuſentur. Vnde ſi quis velit habere Vicarium, habere poteſt in coadiutorem, non tamen, ut totum onus ſoli imponat. *V. Inſtructionem Paſtorum S. Caroli Borrom. pag. 68. & ſeqq. Bernard Poſſeu. l. de Curato c.3.n.2.*

III. Dominicis ſaltem & alijs diebus feſtis doctrina Chriſtiana à parochis tradenda eſt. *Conc. Trid. ſeſſ. 5 c.2. & ſeſſ. 24.c.4. Pet. à Soto lect. 6.* Nimium negligentes peccare mortaliter, exiſtimat. *Zerola Par. 2. V. Doctrina Chriſtiana. Azor. 11. l.3.c.12. q.16. Regin. l.20.c.1. ſect.3.n.68. Tol. l.5.c.5. Bern. Poſſeu. l. de Curato. c.4. Piaſecius Par. 2. cap.3. pag. 152. Pii V. Bullam.* proponit, quâ tam pro operi faventibus Indulgentiæ conceduntur, nimirum 40. dierum de iniunctis pænitentijs cuilibet, qui doctrinam Chriſtianam rudes docuerit. Plenariam Indulgentiã *Innocentius X.* largitur in ſuis Extraordinarijs. Adde *Emman. Sa. V. Parochus n.5.* ubi cum dixiſſet magnam Parochi negligentiam in docendo neceſſaria ad ſalutẽ, cuiuſmodi eſt ſymbolum &c. mortalem eſſe, exclamat, *Væ parochis, Væ epiſcopis, væ presbyteris.* Plenum moleſtiâ & tædio opus eſt, fateor, ſed quod ſummè neceſſarium, divinæ gratiæ auxilio ſe catechizans roboret, eaque mente recolat identidem, quæ eruditè & piè ſuggerit *P. Ioſephus A Coſta de procur. Indor. ſalute l.4.c.31.*

IV. Circa adminiſtrationem Sacramentorũ dubitatur, An parochus excommunicatus poſſit parochianis ſuis occultè Sacramenta adminiſtrare? Affirmat *Soto in 4. D. 22. art. 4.* quia creditor poteſt debitum ſuum ab excommunicato petere, & debitor licitè ſoluit. *c. Intelligimus de iudic. c. ſi verò de ſent. excom.* Item qui homicida occultus eſt, non peccat celebrando miſsã, quãvis irregularis ſit, modò confeſſionem, vel contritionem præmiſerit, & moraliter certum ſit eum infamatum iri de facto homicidio, niſi celebret ut *Nau. docet c. 27. n. 239.* Alii hanc Soti opinionem exiſtimant periculoſam eſſe, ut *Lopez in Practicâ criminali refert p.144.* Ipſe verò approbat, & meritò. Nam ſi ſcandalum abſit, neceſſitas verò adſit, nec ultrò ingerat ſe, non apparet ratio, cur petentibus negare debeat Sacramenta, cùm ſeipſum prodere non teneatur, & ſuſpicandi anſam præbere ignorantibus, cur præter morem nolit Sacramenta conferre. *V. Suar. de Cenſuris diſp. 11. n. 15. & ſequ. Avila par: 2. Diſp. 6. dub. 2. Eſcobar. Tract. 1 v. Exam. 2. de Excommun. nu. 14. Fagund. l. 2. in l. Prec. Eccleſ. c.5.n.15.*

V. Si infirmus aliquis negligentiâ, vel incuria parochi ſine confeſsione, & ſacro Viatico moriatur, deponendum eſſe tradit *Glo. in c. Officium. V. ſine confeſsione de off. Archipr.* quia reum ſe facit animæ defuncti. *c. presb. 16 q.6.* Idem faciendum, ſi puerum in neceſsitate baptizare noluerit, iſque non baptizatus moriatur *c. quicunque. de Conſec. D. 4. Lopez tamen in Practicâ ſuâ c.46.*

*c.46.pag.*130.ait, vidiſſe ſe ſemper eiuſmodi delicta ſuſpenſionis & incarcerationis pœnâ caſtigari. *Navar. autem Conſil. 13 tt. de pœnis.* arbitrariam pœnam ſuadet. *Piaſec. par 2.c.3.n.22. Poſſevin.l.cit.c.5.n.8.& ſequ.* qui modũ agendi cum infirmis *c.13. addit.*

VI. Rectores eccleſiarum, & Parochi eccleſias ſuas, quando neceſsitas exigit, ex bonis reſiduis ſibi reparare tenentur, iuxta mandatum *Alexandri III. c. de his. de eccleſ. ædif.* quod mandatum innovat *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 7. additâ novâ proviſione, ſi inopia parochi obſtet, ut ex proventibus quibuſcunque, vel collectis reparatio fiat *Zerola p.2.V.Parochia n.6.* In Germaniâ alicubi iniungitur parochis, ut certam pecuniæ ſummam ſingulis annis impẽdant in reparationem ſacrarum ædium, deque eo rationem reddant in Viſitatione. *Piaſecius* autem *pag.* 158. ita moderatur. Si adſit quarta pro fabricâ ex eâ faciendæ ſunt expenſæ: ſi non adſit, parochus tenetur, intellige ſi aliquid commodæ ſuſtentationi ſuperſit, nec conſuetudo ſit, ut populus faciat, ſi autem pauper fuerit ad expenſas parochiani tenentur, & cogi poſſunt. Ad conſervandam verò domunculam propriam omninò tenetur parochus. *Piaſec.par.2.c.3.n.22. Barb.in c.cit.de his.*

VII. Functiones propriæ, quæ à ſolo Parocho fieri debeant, ſunt iſtæ. 1. Benedictio fontis baptiſmalis. 2. Sanctiſſimi Sacramenti delatio, & celebratio Miſſæ Feria quinta majoris hebdomadæ, & Sabbato Sancto. 3. Benedictio candelarum in die Purificationis B.M.V. 4 Benedictio Palmarum. 5. Proceſſiones per Parochiam: nec abſque Parochi conſenſu ulli regulari permittitur illas dirigere, ut cenſuit ſacra Rituum Congregatio. 6. Ad Parochos pertinet benedictio Cinerum, quæ primo die quadrageſimæ fieri ſolet. *Vallenſis l.3.tt.29.§.2. Piaſec. par.2. c.3.p.146.*

VIII. Parochus ex juſta cauſa diſpenſare poteſt in præcepto jejunandi etiam præſente Epiſcopo, maximè ſi judicium medici accedat. Quamvis enim jure ordinario Parochis non competat poteſtas diſpenſandi in votis juramentis, & legibus Eccleſiaſticis, poſſunt tamen diſpenſare. *Primò* ex commiſſione Epiſcoporum, ad quos ut ordinarios alioqui ſpectat. *Secundò* ex conſuetudine & neceſſitate, quãdo vel Epiſcopi procul abſunt, & difficilis acceſſus eſt, vel quando crebri caſus, & quaſi quotidiani ſunt, ut tempore jejuniorum accidit. Quod extendi debet etjam ad dierum feſtorum obſervationem, præceptum audiendi Miſſam & ſimilia. *Addit Filliucius Tr.27.c.6.n.* 127. ſecum ipſis diſpenſare Parochos poſſe, quando ſuperior deeſt, à quo petenda eſſet diſpenſatio. *Suar.l 6.de voto.c.10.Poſſevin.l.cit.c.11. n.22 Silv. V. diſpenſatio n. 7. & V. Iejunium n.20. Azor.1.l.7.c.29.Q.3.Toletus l.7.c.3. n. 7. Navarr.c.21.n.18 Emman.Sa. V. Iejunium n 9. Manuale Parochor. Donellani pag.* 171. *& ſeq.*

IX. Parochi ordinaria poteſtas non extendit ſe ad excommunicationem ferendam, & alias Cenſuras in Eccleſia uſitatas. Eſt communis DD. ſententia, è quibus *Navarr.c27.n.5.* Cauſa, *inquit*, efficiens excommunicationis poteſt eſſe Papa, & omnes alii Prælati, etiam minores Epiſcopis, quales ſunt Abbates & Præpoſiti, & Priores Eccleſiarum Regularium, ac ſæcularium, nec non delegati eorum. At verò Abbates,

Recto-

Digitized by Google

Rectores, & Parochi ſimplicium Eccleſiarum non poſſunt excommunicare ſuos Parochianos jure communi, neque ſpecialiter neque generaliter *Ratio.* Quia excommunicandi facultas non oritur ab ordine, ſed eſt pars juriſdictionis fori externi, juxta *Glo. receptam in c. Tranſmiſſam de elect.* Poſſunt tamen prædictam poteſtatem habere ex conſuetudine præſcriptâ ſecundùm *Clement. c. duo ſimul & c. Cùm contingat. de fo. comp. Abb. in c. Sacerdos. de offic. Ordinarii.* Denique Parochus ſubditos ſuos exhortari quidem ſeriò poteſt, ac debet, ad audiendam miſſam diebus Dominicis, & Feſtis, non debet tamen cogere, ut illam in Parochiali Eccleſia audiāt, *Barb in Extrav. Vicer. de judiciis. Silv. V Miſſa §. 2. n. 5. Zetrola par. 2. V. Parochus p. 118* & *Piaſecius par. 1. c. 3 p. 157.* adductis ſummorum Pontificum Declarationibus explicat: quin etiam *pag. 154.* monet, pro adminiſtratione Sacramentorum, & pro ſepultura nihil exigendum eſſe, ſalva tamen conſuetudine, ubi ea obtinuit. *Con. Trid. Seſſ 22. Decreto de obſervandis & Poſtremò notandum ex declarat. Con. Trid. Seſſ. 24. c. 4. n. 9.* ne quidem ab Epiſcopo populum cogi poſſe ad audiendam miſſam & concionem in Eccleſia parochiali, nec pueros ad diſcendam doctrinam Chriſtianam, et jamſi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra civitatem. Idem de confeſſione dicendum, quam cuilibet habenti privilegium, aut facultatem facere parochiani poſſunt. *Clem. dudum de ſepult. Extrav. inter cunctas de privileg. Fill. tr. 7. c. 8.* Quid ſi, *inquis,* Epiſcopus prohibeat ſubditis audire Miſſam in Eccleſiis Religioſorum, tenenturne obedire? R. t. Archid. obediendum eſſe, *arg. c. quid ergo 11. Q. 3.* Licet malè faceret, tollendo pias conſuetudines cum ſcandalo populorum: cùm etiam *S. Gregorius* permiſerit Sacerdotes chriſmare ad ſcandalum tollendum. *c. pervenit. diſt. 95.* Contrarium Silv. aſſerit, videl. non eſſe obediendum, nec Epiſcopum id juſtè præcipere poſſe, quod conſuetudo audiendi Miſſam apud regulares authoritatem habet à ſuperiore Epiſcoporum, id eſt, ſummo Pontifice. Addit *Fagundez l 2 in Præc. primo Eccleſ.* ſi excommunicationem addat, fore nullam.

X. Quæritur, an ubi populus multus eſt, & rector Eccleſiæ ſufficienter dotatus, teneatur populo diebus Feſtis præter Miſſam ordinariam, aliam matutinalem curare, pro iis nimirum qui propter occupationes ſuas ordinariè non poſſunt intereſſe. Dicendum, non teneri, ubi non eſt peculiaris inſtitutio primiſſarii: neque id neceſſario poſtulat aliquorum impedimentum, qui ab ordinario ſacro arcentur. quia ejuſmodi neceſſitas obligationem extinguit. Quod ergo in *Con. Trid. Seſſ. 21. c. 4.* ſtatuitur, ut ubi unus Sacerdos non ſufficit populo numeroſo, plures adjungantur, ſecundùm antiquos Canones accipiendum eſt, & conſuetudini deferendum. *Zypæus in Reſp. 1. l. 3. de Parochiis.* Quod verò *Dominicus Soto* vult, ut pro ſubjectis ſibi quotidie Miſſam celebret, nullâ videtur lege ſancitum, & occaſionem præbet multorum peccatorum, ſi indigni celebrent. Nec conſuetudo ſuffragatur. Unde ſufficere cenſeo, ſi diebus Dominicis, & Feſtis id faciant, loquendo de ordinariis Miſſis. Nam de anniverſariis & ſimilibus nihil certi præſcribi poteſt. *Navar. cap. 25. num. 135. Fill. tr. 5. n. 174. Toletus l. 5. cap. 5. num. 3. Barb. ſumma Apoſt.*

poſt. Deciſ. Collect. 555. Poſſev. loco cit. cap. 2. num. 4.

§. IV.

De Coadjutore Parochi.

I. Coadjutor temporalis dari poteſt & ſolet Parocho, propter infirmitatem animi vel corporis, quâ inutilis redditur & impotens ad præſtandum officiũ. Dare illum Epiſcopi eſt. Neque enim convenit beneficio privare illum, qui nullâ ſuâ culpâ deficit. Cauſæ explicantur in *tt.6. De Clerico ægrotante l. 3. Decretal. & l. 6 eod.* Unde colligimus dandum eſſe Coadjutorem Parocho leproſo, paralytico, amenti, vel furioſo: denique illiteratis, & imperitis, qui aliàs honeſtæ vitæ ſunt. *Con. Trid. Seſſ. 21. c. 6.* Non minus ſufficiens cauſa cenſetur, ſi populus multùm creverit, ita ut unius hominis induſtria minimè ſuffectura videatur: quanquam ſacra *Concilii Trid. Congregatio*, Rectorem Eccleſiæ in prædicto caſu dicat, non cogi ad erigendam coadjutoriam, ſed ad conſtituendum tot Sacerdotes, quot ſufficiunt Eccleſiæ Sacramentis adminiſtrandis. *Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 4 Lancelot. l. 1. tt. 16. Caniſ. l. 1. tt. 23. Barb. p. 196. Garz. de beneſ. par. 4. c. 5. Gambar. de off. legati à latere l 5. tt. de Coadjut.*

II. Illiterati autem & imperiti cenſentur, qui inhabiles ſunt ad præſtandum ea, quæ curatis ex officio incumbunt: quod magis uſu, & experientiâ, quàm examine prævio, vel ubi hoc omittitur vulgi opinione, ac commentatione diſcernitur. *Ign. Lopez. in pract. c. 21.* Quamobrem permittitur etiam Epiſcopis ad examen revocare Parochos jam inſtitutos. Nam revera contingit, ut cum tempore non vitâ tantùm, ſed doctrinâ quoque deficiant. Ita cenſuit *Sacra Congregatio* in quadam Placentina 26. *Aug.* 1628. Capellanum ſemel quoad ſcientiam approbatum non eſſe iteratò examinandum tradit. *Barb. in Coll. deciſ. Apoſt. n. 97. V. Laym. l. 5. tr. 6. c. 11.*

III. Epiſcopus non tantùm ex permiſſione Concilii Trid. poteſt Coadjutorem dare Parocho, in caſibus ſupra enumeratis, ſed etiã de præcepto tenetur, & ſub peccato mortali, ut apud *Barboſam Sancius* loquitur. Agitur enim de ſalute & profectu animarum, quibus non minor cura debetur, ne pereant, quàm ovibus ſuis paſtores mundani adhibere ſolent, qui nunquam permiſſuri ſunt, ut vel omninò deſerantur, vel ab imperito ductore regantur. *O Paſtor, & idolum deſerens gregem! Zachar. 11. v. 17.*

IV. Poſſitne ab Epiſcopo Coadjutor aſſignari Parocho cum jure ſuccedendi, in dubio eſt? Non poſſe cenſeo, niſi à ſummo Pontifice dari juxta *c. Nulla de conceſſ. præb. ubi Concil. Lateranenſe.* Nulla inquit, Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam beneficia, vel Eccleſiæ tribuantur alicui, ſeu promittantur, antequam vacent. *Additur cauſa.* Ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cùm enim in ipſis etiam gentilium legibus inveniatur inhibitum, turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſsionis expectatio habeat, quã ipſi etiam gentiles condemnare curarunt. *Ita Concil. Later.* Inſuper promiſsiones factæ de Eccleſiis nondum vacantibus, ſed vacaturis inanes ſunt

Digitized by Google

atque irrita c. relatum eod. Circa caput cit. *Nulla notat* Barb. 1. intelligendum de inferioribus à Papa Prælatis. Hi enim expectativas ad beneficia vacatura principaliter concedere non poſſunt, pro modo & varietate temporum ac prohibitionum de hac re loquentium, nimirum *Alexand. III. in Con. Lateran. de quo in cita. cap. Innoc. III. in c. Dilectus 19. de prabend. & Bonif. VIII. in c. 2 hoc tt. in 6. Item c. deliberatione de off. legati in 6.* 2. Non eſſe extendendam prohibitionem ad officia ſæcularia. Illa enim Reges & Principes poſſunt promittere in tempus, quo vacaverint. *Steph. Gratianus in Diſceptat. forenſib. cap. 818. num. 38. Rodericus to. 1. art. 6. Barboſa & alii.* Idem Eccleſiaſtici & regulares Prælati circa officia non Eccleſiaſtica, & officiales qui ſibi & Eccleſiis ſuis ſubjecti ſunt, poterunt: cum pœnalia & oneroſa decreta non conveniat extendere ad caſum omiſſum, & alterius ordinis: quamvis aſſignata ratio in illis quoque locum aliqualiter habere videatur. Adde, quod in 2. p. *tit.* 9. §. 1. probabimus jure naturali non prohiberi Dynaſtis, ne officia civilia aut bellica pretio vendant, modo ad ſatisfaciendum idoneis perſonis committatur. Nam ejusmodi beneficia ſeu officia, numerantur in bonis, & patrimonio Principum, non ſecus atque alia bona temporalia *V. Azor. To. II. l. 8. c. 7. Q.* 1. Non expedire tamen vendi prædicta officia multi DD. tam ſacri, quàm profani cenſent. *Adrian. in 4. Bonac. tom. 2. p. 495. n. 10. Em. Sa. V. offic. n. 3.*

* * *

§. V.

De Iuribus Parochi & ſubſtitutione.

I. OBlationes, quæ in uſum Miniſtrorum Eccleſiæ dantur, ſunt de jure Parochiali *c. Quia Sacerdotes 13 c. Sanctorum 12. q. 1* Illis enim debentur pro adminiſtratione Sacramentorum. Verùm quidem eſt, jure communi non extare præceptum de oblationibus faciendis, debentur nihilominus, & cogi poſſint ad dandum in quatuor caſibus. *Primò* cùm per modum cenſus penſionis aut cõventionis exiguntur. *Secundò* cùm teſtamento, legato, donatione, voto, aliove modo addictæ ſunt. *Tertiò* cùm miniſter Eccleſiæ non habet ſufficientem ſuſtentationem. *Quartò* cùm conſuetudo eſt recepta & approbata. In his duobus poſtremis caſibus quantitas oblationum arbitraria eſt. Quemadmodum fuſiùs dicemus *in par. 2. ſumma tt. 1. §. 1. Silv. V. decima n. 1. S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 1. Silv. V. decima. n. 2. Suar. l. 1. de relig. pag. 60. Barb. in tr. de appellat. utriuſque Iuris ſignif. appell. 172. Fagund. in 5. Præc. l. 4. c. ult.*

II. Rectoribus Eccleſiarum & Parochis debetur quarta funeralium jure communi *c. 1. de ſepulturu Clem. dudum eod.* Illam verò debet Eccleſia in qua ſepelitur defunctus, ex iis, quæ legavit. Nec excipiuntur Mendicantium ordinum Eccleſiæ, in quibus ſepulturam eligunt morientes. *Clem. cit. dudum* § *Verùm.* Aliqui tamen volunt non extendi ad Monaſteria ſeu Eccleſias Monialium Ordinis Minorum & Prædicatorum. Verius eſt non excipi, poſt *Con. Trid. quod Seſſ. 25. c. 13.* generaliter loquitur: Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, etiam *Mare magnum* nuncupatis,

tis. Excipe verò Monaſteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ indies ædificantur, Congregatio Card. declaravit. *V. Con. Trid. l. cit. Roderic. To III. Q. 46. Lancelotus l. 2. tt. 25. Piaſec par. 2. c. 5. Petrus de VValdu de Canon. port c. 5. Q. 2. Poſſevin. de Curato. c 14 n. 10.*

III. Primitiæ ſeu primi fructus terræ eo anno collecti debentur illi Parochiæ, in quâ prædia exiſtunt, ſi non reſiſtat conſuetudo: quæ ſunt onus prædiale, non perſonale, cùm offerantur Deo pro recognitione ſupremi dominii naturalis, quod habet in omnes terræ fructus. *Moſconius l. 1. par. 3 c. 3.* Decimæ ſimiliter, quatenus conſiſtunt in jure percipiendi fructus poſt diviſionẽ Parochiarum ſolis Parochis competunt, ita ut nullus alius prædictum jus habere poſſit. Conſtat ex *to. titulo de decimis*. Decimæ enim pro miniſterio ſpirituali debentur, ut latius explicabo in par. *2. tt. 2.* *Dixi* Competere ſolis Parochis, ita ut alius prædictum jus habere nequeat. Nam duobus modis conſiderari poſſunt decimæ. *Primò* ut ſignificant jus percipiendi decimarum fructus. *2.* ut ſignificant ipſam perceptionem. Hanc à laico poſſideri non repugnat. *c. 2. de locato ubi ab Innoc. III* declaratur fructus decimarum à Clericis locari poſſe illis à quibus emolumentum ſperatur, ita tamen ut hujuſmodi locatio ad feudum vel alienationem non extendatur. Cæterùm, quia Parochi alii majores alii minores ſunt, Decimæ primo loco Epiſcopis debentur, Parochis verò poſt Epiſcopos, ad quos ex antiquo jure quarta pars ſpectat, dividenda cum aliis Eccleſiæ miniſtris qui altari deſerviunt. *Silv. V. Decima n. 3. Armilla eod. Filluci. tr. 27. c. 9. Bonac. tom. 2 p. 346. Vallenſ. l. 3. tt. 30. §. 1.* ſi contingat negari decimas, abſumi vel quocunque modo alienari, actionem ex lege aut Canone *l. un. ff. de condict.* parochus habet. *Az. l. l. 7. c. 36. Layman. l. 4 tr. 9. c. 2. Zerola V. Decima n. 15. Piaſec. par. 2. c 4. Zypæus conſultat Canon. l. 3. conſult. 4. Et l. 3. Reſponſ. n. 3.*

IV. In quibus locis pro decimis ſufficiens alimonia parocho exhibetur, ceſſat per contrariam conſuetudinem ius exigendi. Neq; enim vel ratio, vel Chriſti ordinatio vel alia jura plus requirunt quam ut qui altari miniſtrant, de altari vivant, undecũque id proveniat. Quod obſervatione dignum propter inquietos nonnullos, & parùm cautos parochos, qui ſibi, & parochiæ ius decimarum ablatum eſſe queritantur *Piaſecius Par. 2. c. 4. de decimis Toletus l. 6. c. 20. n 2. Leſſ. cap. 39. dub. 4. Fagundez in Prac. Eccl. lib. 1. c. 1. V. Par. II. tt. 2. §. 2.* Quib. perſonis deb. decimæ.

V. Quod vacationem attinet, Parochus eſſe deſinit vel per obitum, vel per adeptionem alterius beneficij, incompatibilis, vel per renunciationem. De hac ſpeciatim annotat Barboſa hodie in Curiâ Romanâ non admitti abſolutè, & indiſtinctè, præſertim ſi cum penſione reſervata fiat. Nam quotieſcunquè reſignatur Parochia, exprimi vult Dataria, quanto tempore illud reſignans obtinuerit, quod ſi breve fuerit, reiicitur reſignatio Idẽ in permutationibus fieri ſolet à tempore Gregorij XIV. Deinde in renuntiationibus parochiarum cũ reſervata penſione in favorẽ reſignantis ſolet poni clauſula dummodò remaneant 100 libræ pro Rectore *Con. Tr. Seſſ. 24. c. 18.*

VI Modum ſubſtituendi Rectorem & Parochum *Zerola* præſcribit *V. Parochia §. ad ſecundum.* Cum, *inquit*, parochialis eccleſiæ vacatio contigerit, ſtatim

in eâ Ordinarius Vicarium, ſeu Oeconomum cum congrua ejus arbitrio fructuū portione conſtituat, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec de Rectore proviſum fuerit. *Con Tr Seſſ. 24. c. 18.* Porrò Ordinarius ponet edictum publicum ad valvas Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Parochialis vacantis intra triduum, quo vocentur omnes, qui volunt examinari. Tranſacto conſtituto tempore omnes, qui venerunt ad concurſum, examinentur coram Ordinario, & examinatoribus Synodalibus nō paucioribus, quàm tribus & qui examinatorum judicio magis idoneus reperietur, Eccleſiæ præficiatur. *Con. Tr. l. cit. Piaſec. P. 2 c. 2. n. 3. Zerol. V. Parochus. §. ad 2.* De modo examinis, & admiſſionis aliiſq; huc pertinentibus plura Dubia enucleat *Zerola l cit.* quæ apud eundem leges. Nobis quidem in hac Germaniæ parte, ubi concurſus non habet locum, minimè neceſſaria ſunt. *Franc. Leo in theſauro Fori Eccl. parte 2. c. 18. Garz. par. 9. c. 2. Barb. in Coll. Deciſ. Apoſt. Collect. 341 Navar. c. 25. n. 133. Leſſ. c. 37. dub. 16. Tolet. l. 1. c. 1. & ſeq. Eſcobar. Tract. 5. Exa. 1. §. 4.* Sed neceſſarium inprimis eſt, ut illi, quibus eligendi & admittendi ad curam animarum cura commiſſa eſt, non leviter, & perfunctoriè inquirant in mores eorum, qui ſeſe ad tam arduum munus offerunt, præſertim, quando ex aliena Diœceſi confictis ad excuſandam migrationem ſuam cauſis abſque legitimo teſtimonio adveniunt. Non paucos ſupplicii metu ſedes mutare compertum eſt, paucos vitæ integritate commendatos vagari. Præterea cùm recipiendi videntur, ne laborem & moleſtiam, quæ non modica eſt fugiant, & tranſmittant promovendos, ſed juxta ſacrorum Canonum præſcripta accuratè explorent doctrinam illorum, de modo adminiſtrandi Sacramenta, juvandi infirmos, paſcendi oves, quibus præeſſe deſiderant, ne aliquando coram omniſcio & implacabili judice Deo, & de ovibus, & de ovium paſtoribus difficile illis ſit rationem reddere, ſecundùm quam à prædeterminatis pœnis eximantur. Quiſquis enim perierit, de illorum manu requiret Dominus.

TITULUS IV.

De Canonicis.

UNde Canonici nomen ſuum traxerint, cura ſuperflua videtur inquirere. A Canone derivari notiſſimū eſt Hoc ævo nobilioribus è Clerico quaſi proprium tribuitur, ad diſcernendum ab inferioribus, qui Clerum ſecundarium conſtituunt. *c. 1. Diſt. 3. Azor. nihilom. l. 3. c. 11. q. 1.* à Canonica penſione mavult derivari.

§. I.

Origo Canonicorum, & Varietas.

I. EX Concilio Toletano XI. & S. Auguſtino *Serm. 22. De communi vitâ Clerico-*

Digitized by Google

clericorum colligimus, epiſcopos illius temporis ſolitos fuiſſe deligere clericos, melioris & ſanctioris vitæ cupidos, qui ſecum in eadem domo habitarent, eadem menſa fruerentur, ſervando paupertatem, & Caſtitatem ſub Obedientia: idque exemplo primorum Chriſtianorum, qui ut *Actor.cap.2.* legimus, abdicata rerum ſuarum proprietate de communi vivebant, ſua cuique aſſignata portione, quam poſteriores præbendam vocarunt. De his multa reperies in *Cauſa 12.q 1. Concilii Moguntini c.9.* decretum eſt, ut Canonici clerici canonicè vivant, obſervantes divinæ ſcripturæ doctrinam, & Sanctorum Patrum documenta: nihilque ſine licentia epiſcopi ſui, vel Magiſtri agere præſumant: in unoquoque epiſcopatu ſimul manducent, & dormiant, ubi his faciendi facultas ſuppetit, vel qui de rebus eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt. In ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè hora prima ad lectionem veniant, & audiant, & obedientiam ſecundùm Canones ſuis Magiſtris exhibeant. Secundùm hanc normam qui vixerunt olim, nihil vel parum quoad mores à Monachorum inſtituto & perfectione aberant. *Navar. Comm. 2. De Regular. Pennott. in hiſto. Canon. l.1.c.32. Hier. Platus l.2. de bono Sta. Relig. c.23.*

II. Prædicti Canonici non unius generis fuiſſe videntur. Aliqui enim vitæ communi paupertatis votum addiderunt, & Canonicorum regularium nomen ſortiti ſunt. Alij præter communia bona proprium aliquid retinebant, & quia certæ regulæ addicti non erant Canonici ſimpliciter appellati ſunt. Tempore poſt (annum & diem non eſt facilè aſſignare) magis magiſque ſepararunt ſe alio habitu, aliiſque ritibus inventis; & dici cœpere Canonici ſæculares, relicta regularium Canonicorum nomenclatura illis, qui Monachis eſſent propinquiores. *Polyd. Virgil. de invent. rer. l.7. c.3. Lorich. in Theſ. Theol. V. Canonicus. Trithem. in Chron. Hirſaug. Ann. 957. Lud. Ponte to.4. de perſ. Chriſt. tract. 1. cap. 8. Tholoſ. l. 15. cap. 23. num. 18. & 19.*

III. Regularium Canonicorum genera duo reperimus Vnum illorum, qui vel in Eccleſia Cathedrali regulari, vel in alia non Cathedrali Canoniam habent, & certam portionem cum poteſtate diſponendi, prout neceſſarium fuerit, de quibus poſſunt etiam inter vivos donationem facere, quemadmodum illi, qui uſumfructum habent. De his *Navar. in Conſilio 13. n.2. & 3.* exemplum ponit in Canonicis eccleſiæ Cæſar auguſtanæ & Pampilonenſis. Plures in Anglia fuiſſe *Oſtienſis* indicat *in c. Cauſam de iud.* In eiuſmodi Canonicos omnimodam iuriſdictionem habet epiſcopus, exceptiis iis, quæ concernunt regularia inſtituta. Officiales illorum diverſi ſunt ab iis, qui apud Canonicos ſæculares reperiuntur. Alius enim theſaurarius, alius cellarius alius Camerarius nuncupatur.

Alterum genus in Germania noſtra notius eſt illorum, qui in cœnobio & ſub obedientia Prælati ſeu præpoſiti vivunt abſque omni proprietate & jure adminiſtrandi bona temporalia. Auctor illorum putatur eſſe *S. Auguſtinus*, cuius regulam profitentur: quamvis non deſint, qui ante S. Auguſtini ætatem extitiſſe eiuſmodi Canonicos velint, inſtitutos nimirum à S. Rufo Pauli Apoſtoli diſcipulo. Hunc *Dorotheus in Synopſi* ſcribit fuiſſe *Thebanum*

epiſcopum Maurolycus verò in Galliam delatum, & Avenione epiſcopum conſtitutū Canonicos regulares introduxiſſe. Verùm hæc incerta, & extra propoſitum ſunt. Legi poteſt *Cruſenius in Monaſtico Ordinis S. Auguſt & Gabr. Pennottus de eod. arg. Azor Tom.1.l.12.c.22.* Nos in ſequentibus nō niſi de Sæcularibus Canonicis agemus, quem ordinem primò ab Apoſtolis inſtitutum, & progreſſu temporis labantem à S. Auguſtino Regulâ formatum, & firmatum credunt magni nominis auctores apud *Azorium l.cit.Q.1.*

§. II.

De inſtitutione Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum.

I. CAthedralis eccleſia à Cathedra nomen habet, quia in eâ conſidere, & populū docere epiſcopus debet, & quamvis eadem revera Collegiata ſit, diſtinctionis causâ tamen non Cathedralis ita appellatur, nimirum à coeligendo, vel quia collecti in unum conſtituunt communionem quādam eccleſiaſticam. Dignoſcitur autem ex eo, quod habet ſigillum commune & arcam, ex qua fructus dividantur communiter, & ad ſonum Campanæ arbitrio Decani, vel alicuius Superioris conveniunt. Ad id numerus ternarius perſonarum ſufficere cenſetur. *Felinus in c in noſtra de reſcript.n.74. Oldrad. Conſil.281 Azor II.l.9.c.3. Moſconius l.1.Par.1 c.16.*

II. Nihilominus Eccleſiæ titulus cum abſque adiectione aut expreſſione alicuius Sancti auditur, per antonomaſiam de ſolâ Cathedrali intelligi ſolet iuxta antiquum ſtylum Curiæ Romanæ. Ad probandū verò, hanc illamve eccleſiam Cathedralē eſſe docet 1. antiquiſſimus ritus celebrandi feſtum diem Dedicationis 2. facultas exigendi decimas in territorio Civitatis ſoli Cathedrali competentes iuxta *c. Quoniā &c. Cùm contingat* ubi *Glo. & DD.* de decimis. 3. jus extrahendi defunctorum corpora ex alienis parochijs, eaque ſepeliendi, quod eccleſiis omnibus prohibitum ſolis cathedralibus conceditur. 4. Sacramentorum omnium adminiſtratio *c.3.& ult. de paroch.* Denique prærogativa præeminentiarū, ut v. g. in feſto Corporis Chriſti ex eâ deducatur Venerabile Sacramentum cum proceſſione, & reducatur: Item ut in eâ Synodus colligatur & ſimilia. *Moſconius l 1.Par. 1.c.15. Piaſec.Par.2.c.3.n.50. Barb. in c. Officium de off. Archid.*

III. Nemini qui Papa inferior ſit, erigere vel inſtituere licet eccleſiam Cathedralem, Collegialem, vel parochialē. Ita communiter *DD. apud Barboſam de Canonicis c. 2.* Aliqui tamen nō poſtremæ notæ interpretes epiſcopū putant ex eccleſiâ parochiali poſſe Collegiatam facere *l. Quoniam de Vi. & hone. clericorum:* quanquam dici poſſet, id cùm epiſcopus facit, auctoritate & voluntate ſummi pontificis facere. Cæterùm in erectione novæ eccleſiæ cathedralis, aut Collegiatæ conſideranda ſunt iſta. *Primò*, ut locus, ubi cōſtituenda eſt, habeat populum nobilē, & numeroſum, cui abſque tali erectione non eſſet ſatis proviſum. *Secundò* ut populus in moribus, & honeſtate præfulgeat. *Tertiò* ut ibi ſit copia Sacerdotū, ne epiſcopalis ſedes contemptui ſit. *Quartò*, ſi rex infidelium quiſquam Chriſtiana ſacra ſuſcipiat cum populo ſuo, ſufficiens cauſa eſt in Vrbe regiâ vel Cathedralem eccleſiā vel etiam metropolitanam conſtituendi *c. epiſcopi D 80.c. Præcipimus c. Felix 16. q.1.c. Ex parte de conſtit. & ibid. Interpretes.* Imperator

tator quoque erigere poteſt Metropolitanas, & Cathedrales civitates quoad privilegia ſæcularia ac ſi ibi eſſet Archiepiſcopus, vel epiſcopus. Sed quoad dignitates eccleſiaſticas creationem epiſcopi, vel Archiepiſcopi ſolus Papa efficere poteſt. *Glo. in c. 1. ne ſede vacante &c. Quod translationem. Moſcontus l. 1. Parte 1. c. 15. Innoc. in c. cum eccleſiarum. de offic. Ordin. Rebuffus in Praxi beneficior. pag. 228.*

IV. Ad eundē Papā ſpectat in actu erectionis vel inſtitutionis Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ Canonicos nominare, quia ſine his eccleſia conſiſtere non poteſt *Barb. l. cit. n. 21.* Requiritur autē, ut diximus, minimùm trium perſonarū numerus, quamvis id rarò permittendū, ſed pro eccleſiarum utilitate & dignitate expediat plures aſſociare: poſt erectionem epiſcopo licet novos creare, & addere Canonicos pro arbitrio, modò nō deſit congrua portio illis. *Glo. in Clem 2. de decimis.* Nō poteſt tamen epiſcopus etiā poſt erectionē creare Canonicum ſupernumerarium ad futurā præbendam, ut cenſuit Cōgregatio Card. Idem Capitulo denegatum *eſt Nicol Garz. de benefic. par. 6. c. 1. Zypaus in analyt. enarr. l. 2. de conceſſ. præbendæ. num. 2.*

V. Inter Canonicos à Papa & epiſcopo creatos differētia eſt in prioritate. Illi enim cæteris paribus præferendi ſunt, ut ſicuti auctor dignitate præeminet, ita etiā opera ipſius & Creaturæ. Sic etiā Doctor à Papa creatus, vel à Principe præcedit alios in quibuſcunq; Collegijs creatos ſecundùm *Rebuffum in tract. nominato q. 21. cui conſonat. Steph. Gratianus diſceptat. forenſium c. 186. n. 75 Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. §. 3. Barb. ad c. Epiſcop 7. diſt. 17. Item ad c. hi qui. de prabend. & Dignit. in 6. Limita* niſi obſtent Academiarum. ſeu Vniverſitatum Statuta, privilegia & conſuetudines, quibus non derogare cenſentur, qui eas confirmarunt.

VI. Quia Canonici in clero, ut primaria membra eminent, utpote in dignitate cōſtituti *c. Cauſam quæ De of & pot. Iud. deleg. ubi Barb.* habitu diſtingui convenit. Præter lineū amiculū, quod Canonicis omnibus imo clericis commune, alicubi epomidem humeris geſtabant ex pellibus confectam. Vnde ſuperpellicei nomē. Aliqui almutiā vocant, & brachio ſiniſtro ſuſpenſum gerunt. *Aloyſ. Riccius in praxi for. par. 4. Reſ. 363. Barb pag 16. & collect. deciſ. Apoſtol. num. 88.*

NOTA quod dicitur Canonicos in dignitate conſtitutos eſſe, ſed dignitatē habere, impropriè & largo modo accipiendū eſt, eò quòd cenſeantur Cōſiliarij, & membra epiſcopi *Felinus in c. Paſtoralis n. 12. de off. delegati Palæotus in Archiep. Bonon. p. 7. Piaſecius Par. 2. c. 4. pag. 265 Azor II. l. 3. c. 11. q. 16.* Et hoc ipſū intelligitur non de actu, ſed potentia: non de ſingulis generum, ut Dialectici loquuntur, ſed generibus ſingulorū.

VII. Cū in locū defuncti Canonici alius eligitur, vel recipitur, pro tali actu nō licet à novo Canonico quicquā accipere, ne Simonia committatur: ſi tamen ſtatutū vel conſuetudo eſt, ut eſculenti aliquid detur, aut biretum, tenetur ſolvere. Neque recipientes peccant ſecundùm *Felinum in c. Iacobus de Simonia. Moſcon. l. 1. par. 1 c 15. Barb. coll. decis Apoſt n. 88.* Vnde ſequitur, multò magis licitū, imò neceſſarium eſſe, dare *ingreſsū*, uti vocant, quāvis integri unius anni fructus eſſent. Nā quæ huius generis ſunt, longè alium, quam Simoniaca donaria finem reſpiciunt, & intendunt; puta, eccleſiarum conſervationem, Capituli emolumentum, neceſſitatem, utilitatē, & ſimilia.

Tolle

Tolle malitiam, & corrige Simoniam.

VIII. Si quo caſu deficeret omnino eccleſia vel cathedralis vel Collegiata, quæcunque remanent, ad Papam devoluuntur. *Glo. in c. ſtatutum 22. de elect. in 6. Moſconius l. 1. Parte 1. c. 16.* Papa enim non minus, quam Imperator Fiſcum habet, *Bald. in c. 1. §. ad hæc in tt. de pace iur. firm.* Et ſicut Romana eccleſia ubique eſt, ita Fiſcus ipſius. *Martin. de fiſco, Q. 206. Abb. in c. Vergentis. de hæret. Auguſtin. Berous Conſil. 114.* Atq; eam ob cauſam Romana civitas jure Fiſci caret. *Abb. in c. fin. n. 45. de foro compet.* Sed Camera Papæ fiſci locum occupat. *Abb. in cit. c. Vergentis. de hæreticis Piaſec. Par. 1. c. 2. nu 1. Antonius Peregr. de iure Fiſci l. 1. pag. 20. & ſequ.*

§. III.

De Canonicis ſupernumerariis.

I. IN quibuſdam eccleſiis Collegiatis nec præbendarum, nec perſonarum diſtinctio, & certus numerus eſt ut in caſu textus *c. Ex parte 10. de conceſſione præb.* In quibuſdam eſt certus numerus Canonicorum, ſed nullus numerus aut diſtinctio præbendarum ut *c. fin. §. ſi autem de conceſſ. præb. in 6.* In quibuſdam eſt certus numerus Canonicorum, & præbendarũ, ſed inter illas nulla diviſio aut diſtinctio: imò bona ſunt reſpectu Capituli communia, ſuper quibus indiſtinctè & quaſi in confuſo inſtitutus eſt numerus beneficiorum correſpondens numero Canonicorum. In aliis denique non tantùm præbendarum, & perſonarũ certus numerus eſt, ſed etiam ita diſtinctæ ſunt præbendæ, ut ſingulis ſua quota aſſignetur quemadmodum in Germania noſtra paſſim cernimus. Atque hic numerus non debet eſſe minor duodenario, ſiquidem eccleſiæ munia rite obeunda ſint, & eccleſiæ dignitas conſervanda. Et talis *eccleſia* vocari ſolet *Numerata. Moſconius l. 1. cap. 15. Barb. in c. ex parte de conceſſ. præbenda. Layman. l. 4. tr. 2 c. 16 Azor. p. 11. l. 3. c. 11. Lapus alleg. 14. V. Quinta Bald Conſil. 472. Tuſchus V. Canon. concl. 32.*

II. Quia Canonia & præbenda ſeparabiles ſunt, ita ut altera ſine altera conferri queat, & vocem in Capitulo ac locum in choro abſque ullo redituũ proventu quis habeat *c. Eum cui. de præbend. & dignit in 6.* fieri poteſt, ut abſque præbenda & privilegiis aliqui admittantur, qui quod præfixum numerum ſuperent, *Supernumerarii appellantur. Glo. & Abb in c. Cum M. Ferrarienſis de Conſtit. Barb. in c. 4. ſeſſ. 24. Con. Tr.* Horum duæ ſunt ſpecies, una juris, altera facti. Juris eſt, quando Papa mandat Capitulo ut recipiat in Canonicum & fratrem N. illique conferant jus Canoniæ. Facti, cũ creat Canonicum aliquem ſupra numerum, & præcipit, ut ſic creato aſſignetur locus, & præbẽda. Vbi varietas eſſe poteſt, ſi vel ad omnia jura Canonicorum admittatur à Capitulo, vel ad aliqua tantũ V. g. locum in choro & fructus non verò ad electiones & alia. *Abb. in c. Cùm ſuper de conc. præb. Laym. l. 4. tr. 2 cap. 16. Az. p. 11. l. 3. c. 11. Diaz. in Reg. 68. Barb. in c. Vacante de præb. & dignitat. Tuſchus concl. 30.*

Nota. Legatum à latere poteſtatem habere creandi Canonicum ſupernumerarium tradit *Petrus Gambarus l. 3. de off. leg. pag. 92.*

III. Dubium eſt, an qui Canoniam cum ſpe futuræ præbendæ obtinet, beneficium eccleſiaſticum habeat? *Abb. in c. in noſtra de reſcr.* non habere putat, quia nondũ habet

ius

jus in præbendâ, ſed jus ad eam. *Unde Ioan. Andrea in c. dilectus de prabend.* ait Canonicũ ſine præbendâ dici Canonicum in herbâ. Quod ſi verum eſt, non erit obligatus ad Horarias preces, quamvis adeſſe in choro debeat & divinum officium cum reliquis peragere. Quocirca illum habere beneficium cenſet *Ludov. Romanus. Ioan. Andr. in c. cum dilectus* 1. *de prabend. Azor II. l.* 3. *c.* 11. *q.* 3. quia jure percipit diſtributiones quotidianas, & aliis beneficiariorum juribus fruitur. Non ſunt igitur audiendi, qui Canonicos ſupernumerarios nullum omninò ius habere contendunt, eò quòd nõ reipſa, ſed ſolo nomine canonici ſint: quanquam non repugnat cum prædictâ vacuitate aliquos aſſumi. Imò ſic fieri in quibuſdã eccleſiis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ, affirmat *Azor. lo. cit.* ut nimirum iuvenes, dũ literis dant operam in Collegium Canonicorum cooptentur, quibus tamen præbenda non ſtatim detur, ſed poſtea cum aliqua earum Canonico & poſſeſſore vacat. *Barb. in c. Relatum de prabend. Caſtrens. conſil.* 363. *Manrique l.* 2. *Q.* 10.

IV. In eccleſiis Collegiatis infra Cathedralem augeri poteſt numerus Canonicorum à Capitulo, ſi conſentiat epiſcopus, niſi certus numerus communi decreto, & iuramento fuerit conſtitutus. *Abb. in c. cum M. Ferrarienſis.* Nec dubito, quin idem fieri queat in Cathedralibus propter paritatem rationis. Monet autem *Moſconius l.* 1. *Par.* 1. *c.* 15. non licere numerũ Canonicorũ augere, niſi ſimul augeantur proventus, nec minuere ſine diminutione fructuum, & tam augmentũ quam diminutioné à Papa tantùm faciendam, quando Canonici in erectione eccleſiæ coram illo iurarunt, ſe numerum Canonicorum nunquam aucturos eſſe. Addere poterat, ut faciant licite, iuramenti ſui diſpenſationem petere poſſe. *Barb. in c. Non amplius de inſtitution.* Eadem cautio (ut hoc quaſi in tranſitu moneam) apprimè commendanda eſt Monaſteriis, & religioſis domibus, cùm virorũ, tum mulierum, ne de perſonarum numero augendo, anxiè nimium ſolliciti ſint, ſi conſervare nomen Ordinis, & Dignitatem deſiderant. Neque enim in multitudine ſalus, ſed pauci electi ſunt, quorum virtute & perfectione ſervetur Ordo, cuius ſublimitas aditum multis non permittit. Ita in pleriſque Ordinum ſtatutis ſancitum reperies.

§. IV.

De Canonia & Prabenda.

I. CAnonia definitur jus ſpirituale ad locum (*Vulgo Stallum*) in choro, & vocẽ in Capitulo, quæ ſunt Canonicorum propriæ notæ ac prærogativæ. Vnde conſequitur, ut ea quæ divini officii, ſunt exercere valeat, & niſi quid obſtet, fructus lucretur. Præbenda vero eſt ſpirituale ius recipiendi certos proventus in eccleſiâ cui ſervit, competens ex officio divino tanquã uni ex Collegio. *Glo. V. Receperunt in c. cum M. Ferrarienſis de Conſtit* Hæc propriè invenitur, ubi bona eccleſiæ diviſa ſunt. Nã ubi indiviſa manent, non propriè præbenda, ſed portio appellatur. Eſt autem Canonica Portio duplex. Vna pro victu datur miniſtris eccleſiæ & recitantibus divinum officium: altera aſſiſtentibus tãtum, qui propter continuam aſſiſtentiam Aſſiſij vocantur. *Oſtienſ. in ſumma V. Canonici ad tt. de prabend. Rodericus à Cunha comm. ad c. Sanctorum Diſt.* 70. *Barb. præfat. in tt. de prabendis. Az. l. l.* 2. *c.* 11. *Q.* 3. & 4.

II. Præbendarũ aliqui quinque ſpecies conſtituunt, de quibus *Glo. in V. Receperint in c. cùm M. Ferrarienſis de conſt.* Alii ad tres reducunt, & melius. Nam *Primò* largè ſumi poteſt pro omni jure percipiẽdi fructus in eccleſia ratione officii. De hoc jura loquuntur, quandocunque fit mentio de beneficio eccleſiaſtico, nec renũciare illi abſque conſenſu ſuperioris licet. *Secundò* ſumitur pro patrimonio & reditibus beneficij, eſtque illius velut appendix ſeu acceſſio beneficium ſequens *c. Maiorib. c. Relatum. c. dilecto de præbend.* Hinc Canonia dicitur eſſe mater præbendæ, eamq; parere. *Tertiò* ſumitur pro certa portione per ſe diſtincta, in qua nihil ſpirituale, cuiuſmodi eſt prædium. Et talis præbenda laico concedi poteſt pro laboribus & meritis ſuis, Advocati, Syndici, Organœdi, Muſici, & his ſimiles, qui eccleſiæ ſerviunt, frui ſolent. *c. fin. de Magiſtris. c. Poſſeſſiones 16 q. 1 c. dilectus de præb. Barbos. lo. cit. Canis l. 2. tt. 27. Vallenſis l. 3, tt. 5. n 1. Anton. Cucchus l 2. Inſtit tt. 6. Lancel. l. 1. tt. 26. Franc. in c. Si Clericus §. 1. de præben. in 6. Bellamer. Conſil 34. nu. 4. Card. Tuſchus. V. Canonicus concl. 30.*

III. Inter Canoniam & præbendã hanc quoque differentiam ponunt aliqui quod Canonia ex ſe non ſit beneficium, uti præbenda ſpiritualis *c. Dilectus 19. de præbend. c. in noſtra 32. de reſcr.* ubi mentio fit aliquorũ qui in quibuſdam eccleſiis recepti quidem ſunt nondum tamen beneficium eccleſiaſticum conſecuti: Canoniam videlicet habebant ſine præbenda. Neque id mirum cum olim Canonici fuerint ſine præbendarum diſtincto numero, & nunc quoque in illis apparet, qui in numerum Canonicorum recipiuntur cum ſpe conſequendæ aliquando præbendæ. Verũ prædicta conſuetudo per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 19.* ſublata eſt ita ut ſuper Vacaturâ præbendâ neque Epiſcopo, neq; ulli Capitulo liceat ſupernumerarium Canonicum creare, qui nimirum ſolo & inani titulo contentus ad ea, quæ evenire feliciter poſſunt, anxiè inhiet, nunquam fortè adepturus, quorum cauſa clericis ſe aſſociavit.

IV. Canonia & præbenda Canonicalis quia eſt quocunq; alio beneficio nobilior in odioſis nõ comprehenditur ſub nomine & appellatione beneficii *c. Statutum de præbend. in 6.* Neque ſi concedit Pontifex beneficium petenti, quod vacaret in Cathedrali comprehenderetur præbenda Canonicalis ſecundùm Archidiaconum in *c. Alienationes 12. q. 2.* ſed inferioris generis & notæ. Excipe eccleſiam, in qua præter præbendas non ſunt alia beneficia. Pari modo, cùm Pontifex mandat alicui, de aliqua eccleſiarum civitatis vel diœceſis provideri, non extenditur ad Cathedralem, ſed illa inferiorem. *c. Quamvis pleniſsima. de præb. in 6.*

V. Dubium eſt, an impetrans Canonicatum ſibi, teneatur in literis mentionem facere, de præbenda, ita ut ſi tacuerit, impetratio ſurreptitia cenſeatur. Negant *Pet. de Anchar in Reg. Acceſſorium col. 26. n. 14. Decius in c. Cùm adeo col. 1. n. 2. de reſcript. Selva Par. 3. Q. 15.* quia Canonicatus non poteſt eſſe ſine præbenda, licet præbendatus poſſit eſſe ſine Canonia. Ad verò teneri ad faciendam mentionem de præbenda, ut evitetur ſurreptio, cenſet *Boſtel tt. 29. n. 17. Aloys Riccius Par. 6. Collect. 2451. Panor. in c. cum adeo. Notab. 3. Barbat. col. 3 nu. 18. Felinus col. 1 & alii plures:* qui videntur ſupponere hæc duo Canoniam, & præbendam disjuncta eſſe. Nam ſi coniuncta ſint, ut in

Germa-

Digitized by Google

Germania noſtra, ſupervacanea quæſtio eſt,ita ut illudi ſe crederet,cui abſque præbenda, & fructibus Canonicatus promitteretur. *Felinus c. Cùm adeò de reſcr.*

§. V.

De dignitate, & prælatione Canonicorum.

I. QVamvis iure & conſuetudine Cathedralium eccleſiarum Canonicis Collegiati, & his alii de clero minores cedant, Canonicatus tamen etiã Cathedralis eccleſiæ ut ſic, propriè loquendo, non eſt Dignitas, quia ex prima inſtitutione nullã habet iuriſdictionem annexam, nec prærogativam aliquã, ut alios antecedat. Veniunt nihilominùs nomine Dignitatum largè ſumpto quemadmodum ſupra diximus § 2. *n* 6. quandoquidem Canonici epiſcoporum adjutores, conſiliarii, imò fratres cenſentur. *c. Quamvis de praben. in 6. Moſconius l.1.Par.1.c.15.p.292.Ant.Cucchus l.1.Inſt.tt 3.Zerola par.2.V.Canonica.num.3. Barb.in c.cùm te de off.& pot. Iud. Gonzal. ad Reg.8. Cancell.Gloſſ.2.Flam. de reſign.l.2.Q.1.*

II. Cathedralium eccleſiarum Canonici Summi Pontificis eſſe Delegati poſſunt *c.Statutum de reſcr.in* 6. ubi dicitur, Sancimus igitur, ut nullis deinceps, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, vel legatorum eiuſdem de cætero committantur. In quo textu tertium locum Canonici Cathedrales habent inter perſonas habiles & idoneas, quibus eccleſiaſticæ cauſæ committantur, quia nimirũ præſumitur, ut genere nobiles, ſic etiam eruditione & prudentia eſſe. Quod ſi in aliquibus locum non habet, communi parentum, ac maiorum ſuorum laude vivunt, & ſuſtentantur.

III. Non tamen excludunt alios, quò minùs ad unũ aliquem actum ſubdelegari poſſit, quãvis nullam dignitatẽ habeãt, dummodò alias ſint idonei & legales, puta, ad teſtium examinationem, inſtrumentorum collationem, vel alium ſimilẽ actũ: cumque per talem ſubdelegationem tota jurisdictio Apoſtolica non transferatur, & talis articulus expediri poſſit abſq; cauſæ cognitione, nõ immeritò tolerantur in exercitio illius etiam ſimplices clerici, ac privatæ perſonæ, quæ nullam habent dignitatem. De Canonico Cathedrali regulari variant ſententiæ & negandũ videtur, quia Monachis ſimiliores ſunt, & putãtur non habere *velle & nolle.* Contrarium tamen defendit *Abb. in c. cum olim. de Privileg. n.13. Roderic. To. II. Q. 124. ar. 1. Lud. Gomez in c. Statutum. nu. 32. de reſcr. in 6. Sanch l. 6. Moral c. 13. n. 83.* Valet enim iuxta *Clem. 2. de reſcr.* commiſſio facta religioſo à Sede Apoſt. quod in eo repetiatur qualitas, qui ſufficit in clerico ſæculari, ut ſi ſit Prior Conventualis. *Barb. c. 19. n. 14.*

IV. Quæritur etiam de cauſis ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus, an illarum Iudex poſſit eſſe Canonicus Cathedralis non deſignatus in ſingulis Conciliis provincialibus, & diœceſanis iuxta *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 10.* Cenſeo non poſſe, quamquã ſi uſum ſpectes, ne quidẽ à Pontifice obſervatur à quo eiuſmodi cauſæ committuntur aliis, quàm à Synodo deputatis, tum quia ignorat illorum nomina, tum quia præſens neceſſitas moram non patitur. Crediderim tamen illis in locis, ubi eius generis Decreta, contra morem & conſuetudinem priorem recepta ſunt, ſolis à Synodo electis eccleſiaſticas cauſas committi.

Digitized by Google

V. Canonici Cathedrales comparantur ad epiſcopum ſicut ad Papam Cardinales, ideoque vocantur conſiliarii ipſius & fratres. Quamobrem ut Papa in arduis negotijs Cardinales ſuos, ita Canonicos epiſcopus conſulere debet: nec ab illorum ſententia abſque gravi cauſâ recedere *c. ſi quis venerit. de mai. & ob. Abb. in c. cùm conſuetudinis de conſtit. & c. Cùm dilectus eo. Ioan. Andr. in fi. de officio Archidiaconi l. 6. Soto in 4. D. 24. Q. 2. art. 4. Moſconius l. 1 par. 1. c. 15. Barb. c. 18. de Canon. & dignit.* Cuius rei cauſâ in quibuſdam diœceſibus uſu receptũ eſt, ut omnia mandata publica Epiſcopi ſimul, & Capituli nomine promulgentur.

VI. Capitulum Cathedralis eccleſiæ, congregatum collegialiter à cunctis inferioribus Prælatis honorandum eſt: ſimiliter ab omnibus totius diœceſis clericis, quemadmodum honoratur ipſius caput epiſcopus. Singuli tamen eorum non eodẽ honoris gradu præcedunt, propter diverſitatem munerum, & titulorum *Abb. in c. Cum non liceat de praſcript. Ant. Cucchus l. 1. p. 103. Moſcon. l. cit. pag. 291. Silveſt. V. Capitulũ. Armilla eod.* Vnde Apoſtolus præcipit ep. ad *Rom. 13. v. 7.* Cui honorẽ, honorẽ. unicuique nimirum iuxta exigentiã ſtatus, & officii ſui. Nec immeritò Epiſcopus quemadmodũ à *S. Chryſ.* annotatum eſt, ſi debitum honoris nõ acceperit à presbytero, & presbyter ſi non à Diacono, aut diaconus à lectore iraſcitur, & turbatur: non minus ſcilicet, quàm quilibet clericus, cui decimæ aut canonicâ portio ſua injuſtè ſubtraheretur. Decet igitur cunctos honore & reverentiâ proſequi, ſed eos præcipuè, quos in altiori gradu Virtus, ſcientia, aut Dignitas collocavit. *Caſiod. l. 4. epiſt.*

§. VI.

De Canonico Pœnitentiario.

I. A Concilio Tridentino *Seſſ. 24. c. 8.* decretũ eſt, ut in omnibus cathedralibus eccleſijs, ſi commodè fieri queat, Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ inſtituatur, qui Magiſter ſit vel Doctor aut Licentiatus in theologia, vel iure Canonico annorũ 40. ſeu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui præſens in choro cenſeatur, dum confeſſiones audit. Vbi epiſcopis permiſſum eſt in prædictum finem novuum Canonicatum erigere, ut ex *Deciſione 1034. Rota* apparet. Cæterùm Pœnitentiarij electio ad ſolũ epiſcopum ſpectat, ita ut Capitulum nullo modo ſe immiſcere debeat. *Barb. in c. cit. Zerola par. 1. V. Pœnitentarius §. ad tertium. Moſconius l. 1. de maieſt. eccleſ. l. 1. c. 17. §. Talesi.* Vgolin. de off. epiſc. c. 13.

II. Quamvis à *Concil. Trid.* doctrina ſufficiens, imò maior vulgari requiratur, dũ graduatos eligi mandat, exiſtimant aliqui tamen ſufficere gradũ abſque competente doctrina, ita ut impetratio beneficij talis aut dignitatis in foro eccleſiæ iudiciali rata ac firma ſit. quorum opinio meritò reprobatur à ſacrâ Congregatione, quæ *die 20. Martii Anno 1623.* reſpondit, eiuſmodi graduatum haberi, ac ſi non eſſet Doctor, ac proinde de alio providendum. Mirum ſanè eſt homines doctos indoctis ita patrocinari, ut quaſi propriæ dignitatis immemores mentem & intentionem Concilij non attendant. Expungenda non protegenda ignorantia eſt, mater errorum, & falſitatis. *c. Ignorantia diſt. 38. c. ult. diſt. 37. Azor 11. l. 6. q. 1. Barb. c. 26. n. 7. & ſequ.* De Canon. & Dignit.

III. Ætas

Digitized by Google

III. Ætas in pœnitentiario requiritur annorum quadraginta, qui completi nimirum vel incompleti ſint. Quamvis enim in annis per ſe non inſit prudentia, ubi tamen alia, quibus acquiri ſolet, adfuerint, cæteris paribus in ſenioribus major præſumitur. Permittit quoque Concilium, ut ſi intra eandem diœceſin non inveniantur Doctores, aut Licentiati, aliàs apti & idonei inſtituantur. Ubi habenda erit ratio honeſtatis vitæ, bonæ famæ, & diſcreti judicii, quod ſubinde abſque ſpeculativis ſcientiis comparatur. *Barboſa c.26.n.10. Regin.l.30.tr.3.n. 164. Zerola P. 2. V. Pœnitentiarius. Mendoza tr. de inſtitut. Pœnitentiarii.*

IV. Eo ipſo quod Pœnitentiarius inſtitutus eſt, à Jure & Concilio habet facultatem audiendi confeſſiones pœnitentiam illius diœceſis, & juriſdictionem abſolvendi à peccatis inſtar Parochi univerſalis totius Diœceſis, nec alia Ordinarii licentia neceſſaria eſt. Quocirca ad munus ipſius pertinet, ut ſemper præſtò ſit, & paratus ad audiendas confeſſiones. Quod ſi quempiam audire renuat, ab Epiſcopo caſtigari & deponi poteſt. In Curiâ Romanâ exercitium clavium retinent etiam Pontifice mortuo, & vocantur Judices animarum *Zerola par.2 §. ſextò. Barb. c. 26.n. 14. Chapeaville de caſ. reſerv. p.* 40. Scribit Pœnitentiarium habere poteſtatem, quaſi Epiſcopalem abſolvendi à peccatis, & cenſuris.

V. A caſibus quos ſibi Epiſcopus reſervat, abſque illius ſpeciali facultate non poteſt abſolvere, quemadmodum benè advertit. *Navarr. Conſil. 20. de pœn. & remiſſ.* Contrarium tamen placet *D. Chapeaville c.3. de caſib. reſerv. & Piaſecio in Praxi Epiſcopali par.2.c.1.n.16.* Qui fortè tacitam quandam licentiam ab Epiſcopis tribui exiſtimant Pœnitentiario, quando illum inſtituunt. An ſubdelegare aliis Sacerdotibus poteſtatem ſuam abſolvendi poſſit, *à Zerola* diſcutitur: nec dubitem, poſſe cum actu qui conſulitur: totam transferre poſſe improbabile eſt. Aloyſ. Riccius in Praxi aureâ Reſolut. 179. S. Congreg. Epiſcopor. in quad. Regienſi Anno 1584.

VI. Præter Pœnitentiarum hunc, qui ordinarius & primarius appellatur, poſſunt alii eſſe minores aut delegati, quales Romæ auctoritate Summi Pontif. multi ex regularibus, qui ſupremo Pœnitentiario ſubjecti ſunt cum poteſtate ampliſſimâ abſolvendi ab omnibus peccatis, & cenſuris, ita ut quo ad hoc Epiſcopis videantur eſſe majores: *Tuſchus. V. Pœna Concl.* 260. Qui verò ab Epiſcopis deputantur, propriæ Diœceſis limitibus circumſcribuntur. Quæ in illis dotes & virtutes requirantur, accuratè deſcribit *Moſconius l. 1. de Majeſt. Eccleſ. c.* 17. addens Monitum apprimè neceſſarium, ut tempore noctis non audiantur confeſſiones mulierum, nec in loco obſcuro, aut domibus privatis, niſi neceſſitas poſtulet. Præterea, ne quid ad conciliandam & fovendam reverentiam deſit, induantur Pœnitentiarii habitu Clericali, ſuperpellicio vel ſtolâ, quemadmodum in Ritualibus Diœceſeon multis præſcribitur.

VII. Qui Pœnitentiariæ addicti ſunt quocunque tandem modo officiales nullum munus etiam ſponte oblatum, aut aliâ ratione, occaſione conceſſionum ſeu expeditionum accipere poſſunt: aliter facientes excommunicati ſunt. *Bulla Pii V. in omnib. reb.* Eadem cenſura lata eſt contra Pœnitentiarium, & officiales Pœniten-

tiariæ præſumentes intromittere ſe in conceſſionibus & expeditionibus. *Bulla Pii IV. in ſublimi B Petri ſolio. Bonac. D. 2. q 6. pun. 2. tom. 3. ibid. q. 7. pun. 6.*

§. VII.

De Canonico Theologo, ſeu Lectore.

I. IN Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, quæ exiſtunt in oppidis populoſis ex *Concil. Trid. Decreto Seſſ. 5. c. 1*, inſtituenda eſt præbenda pro Lectore Theologo, qui Clericis ſacram ſcripturam interpretetur. Simili modo in Monaſteriis Monachorum, & Conventibus aliorum Regularium (ne quidem Carthuſianis exceptis) deſignandus eſt ex doctioribus aliquis qui ſacram ſcripturam prælegat. Ubi ſi Abbates, aliique Superiores negligentes fuerint, per Epiſcopos corrigi, & compelli debent. *Garz. de beneſic par. 4. c. 4. n. 153. Tamburin. de jure Abb. Tom. 3. d. 5. q. 11. Zerola. V. præbenda Theol. n. 1. Barb. de poteſt. Epiſc par. 3. allegat. 56.* Compellentur autem minis, & cenſuris in Eccleſiâ uſitatis.

II. Tempus docendi & hora & materia arbitrio Epiſcopi relinquitur. Satisfaciet etiam Lector, ſi Scholaſticam Theologiā doceat. Eidem vacatio conceditur tribus menſibus, Julio, Auguſto, & Septembri, uti declaratū eſſe teſtatur. *Garz apud Barb, pag. 164. Summa Apoſt. Deciſ. Coll. 445.* Docendi modum, quem publica gymnaſia obſervant, ſi tenere voluerit, ſuo & Auditorum commodo faciet.

III. Idem toto die in choro præſens cenſetur excepto Matutino, ſi pridiè pro ſequenti die habeatur. Hinc omnium fructuum particeps eſt, exceptis diſtributionibus quotidianis, niſi in his redituum corpus conſiſteret. Quin etiam indulgere Epiſcopus poteſt, & Capitulum, ut diſtributionibus iſtis fruatur: jamq; indultum à *Greg. XIII.* eſſe, ut ad docendum promptiores ſint, teſtatur *Piaſecius par. 2. c. 3.* Nec video, quid æſtimabilis damni futurum ſit, ab omni Eccleſiaſtico onere liberum facere Lectorem, præſertim in ſufficiente miniſtrorum numero.

IV. Ubi reditus tenues ſunt, & tam exigua Cleri ac populi multitudo, ut Theologiæ lectio commodè inſtitui nequeat, ab Epiſcopo Magiſter deſignandus eſt qui Clericos alioſque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipſa ſacræ Scripturæ ſtudia annuente DEO tranſire poſſint, cui Magiſtro vel alicujus ſimplicis beneficii fructus aſſignandi, vel alio modo providendum erit. *Con. Tr. l. cit. Tiraquel. de nobil. c. 29 n. 45.*

V. Ad prædictam ſacræ Scripturæ lectionem tenentur accedere Clerici & Canonici Eccleſiæ Cathedralis, ut *Congregatio Card. declaravit die* XI. *Aug. Anno* 1618. eoſdem cogere Epiſcopus poteſt, & compellere ſub pœnâ pecuniariâ, ut audiant caſus cōſcientiæ ex declaratione ejuſdem Congregationis XI. Jul. 1620. Quin etiam lector ſeu profeſſor conſtitutus ad prælegendum urgeri poteſt. *Primò* comminationibus pœnarum. *Secundò* ſubtractione fructuum. *Tertiò* ſi contumax fuerit, omnino privandus erit. *Reginald. l. 20. n. 53. addit. Con. Tr. Seſſ. 5. c. 1. n. 28. Barboſa ad cap. 1. Seſſ. 5. Concil. Trid.*

VI. Pro regularibus ordinavit *Clemens VIII* ut qualibet hebdomadâ lectio ſacræ Scripturæ vel caſuum conſcientiæ habeatur,

Digitized by Google

tur, ad quam in Conventibus & Monaſteriis fratres omnes conveniant, eaque abſolutâ mutuâ collatione circa explicatam doctrinam utiliter ſe exerceant. *Lezana in ſumma qq. regul. to.* 1. *c.* 10. *n.* 20. *ſumma Apoſt. deciſ. Collectione* 445. Ordinatio ſanè utiliſſima, & ſummè neceſſaria, ſi ingeniorum capacitas, & ſtudiorum amor non deſit.

VII. Lector Scripturæ non poteſt cogi ad deſignandum ſubſtitutum, *quando* ex causâ morbi aut infirmitatis ſanabilis per ſe ipſe legere nequit. In quo eventu autem ſubſtituto opus eſt, ab Epiſcopo deligetur. Sacra Congregatio apud Nicolaum *Garziam de beneſ. p* 5. *c.* 4 Ideo cùm Theologus quidam inſtaret pro ſubſtituto permittendo propter infirmitatem, conceſſa illi 6. menſium licentia eſt. *Sacra Congregatio die* 12. *Novemb. Anno* 1627. *Barb. in ſumma deciſ. Apoſt. loco cit.*

VIII. Accuratus, ſi quiſquam alius, Decretorum Concil. Trid. obſervator. *S. Carolus Borromaus* de lectore Theologo ita ordinavit (*Synod. Diœceſ. xi.*) Illius præcipuum munus erit, ut omni die feſto ſacras literas in Eccleſiâ publicè interpretetur: in feriis autem hebdomadæ, ubi Clericorum numerus eſt, ſacram item Scripturam, conſcientiæ caſuum tractationem, aut catechiſmi, alteriuſve Eccleſiaſticæ doctrinæ, aut diſciplinæ lectionem, quam nos præſcripſerimus, exponat. Ad hæc ut promptior eſſet, primarium in canonicatibus locum præbendæ Theologicæ tribuit, ita ut illam obtinent cùm ad primam Chori ſedem poſt Dignitates pervenerit, eò loci conſiſtat perpetuò, etiamſi poſt alios ejuſmodi præbendam habuerit. *par.* 2. *actorum Eccleſ. Mediolan. pag.* 107.

TITULUS V.

De Dignitatibus.

GRadus honorum in Eccleſiis majoribus & Dignitates conſtitutæ ſunt tum diſciplinæ causâ, tum majeſtatis. Novas creare Epiſcopis non permittitur: eas verò, quæ in uſu alicubi, cum Capituli conſenſu ſuis Eccleſiis inferre nihil vetat. Triplices inveniuntur. Quædam de jure tales ex nomine tantùm præſumuntur: quædam ex inſtitutione Eccleſiæ, aliæ ex adminiſtratione, juriſdictione, aliiſve prærogativis dignoſcuntur. De jure communi Dignitas cenſetur Archidiaconatus, & Archipresbyteratus. Ex inſtitutione Eccleſiæ aut fundatione quænam ſint, antiqua monumenta, & conſuetudo docebit. Hinc quæ in unâ Eccleſiâ dignitas cenſetur, in alia non erit. *Tiraquel. de Nobil c.* 10. Deniq; dignitas cõmuniter illa dicitur, cui adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarũ cum juriſdictione cõjuncta eſt. Et quib. illa cõpetit Prælati nomine, propriè loquẽdo, gaudẽt: latius alii

quoque

Digitized by Google

quoque *V.Chapeoville. de Caſib. reſerv. pag. 405 Silv.V.Pralatus.Reginald. l.1.n.63.*

§. I.

De Archidiacono.

I. IN Eccleſiâ primitivâ ab Apoſtolis ordinati ſeptem Diaconi ſunt. *Act.6.V.3.& ſeq.* quod poſtea cum in ſingulis Urbibus fieret, qui antiquitate major erit, vocari cœpit Archidiaconus, quaſi Diaconorum Princeps. Munus ipſius erat, attendere diligenter, & curare, ut alii Diaconi officio ſuo probè fungantur. Progreſſu temporis aucta poteſtas eſt, & juriſdictio conceſſa quamvis hodie maneant alicubi ſine omni in alios juriſdictione, & poteſtate, ut ex *Con.Trid patet Seſſ.24.c. 12. n. 1. declarationum. Moſcon. de maieſt. Eccl. l. 1. par. 1.c. 12. Barb. in c cit. Con. Trid.*

II. Archidiaconi cum juriſdictione officium deſcribitur *l.1.Decret.tt 23*, ubi nuncupatur Vicarius Epiſcopi cum inſpectione & curâ omnium, qui intra vel extra Urbem in Parochiis habitant. Ad horum intendere debet converſationem & mores: præterea reſtaurationem templorum, Clericorum ſtudia & doctrinam, aliaſque res ad Eccleſiam pertinentes, de quibus omnibus rationem redditurus eſt. Denique ut de tertio in tertium annum loco Epiſcopi ſui viſitet, Parochiam omnem circumeat, quæ emendatione indigent, corrigat, & emendet. *In c.2. tituli allegati.* additur proprium ipſius officium eſſe, cùm Epiſcopus ſacris operatur, Evangelium, ſi voluerit, legere, vel alicui legendum mandare: item præcipere, ut reliqui Diaconi ritè veſtiti cum Epiſcopo procedant ad Miſſam: lectiones, & Reſponſoria in matrice Eccleſia præſcribere & audire: item inter Acoluthos munera, & officia partiri, ſingulis aſſignando propriũ actum: item examinare ordinandos, & Epiſcopo offerre: presbyterorum querelas & cauſas audire: pecuniam Eccleſiæ oblatam accipere & de ea rationem reddere: Diaconorum delicta ad Epiſcopum deferre: jejuniorum, & feſtorum dierum obſervationem indicere: Prælatos, Abbates, & Abbatiſſas in ſede locare, ac poſſeſſionem beneficiorum Clericis dare. Propter ejuſmodi curam, & inſpectionem oculus Epiſcopi appellatur. *c. Diaconi D. 93.c ad hæc. tt. Lancell. l.1.Inſtit.tt.13. Anto.Cucchus l.1.tt.16. Caniſius l.1.tt.19. Barb. in c.12. Seſſ. 24. Conc. Trid.*

III. Archidiaconus non habet juriſdictionem in omnibus, ſed in iis tantùm, quæ à Jure vel conſuetudine ſine ſpeciali mandato Epiſcopi competunt exequenda *c.fin.de off. Archid.* De jure communi competit illi Viſitatio, & correctio, ſed in modicis cauſis tantùm. Ardua negotia ſine ſpeciali mandato non tractabit. In criminalibus igitur, & civilibus arduis nihil jure communi & ordinaria auctoritate poteſt: nec ſede vacante, juriſdictionem exercere licet, nec infra illos 8. dies, quibus à Capitulo, ſede vacante, electio Vicarii facienda eſt · quanquam Vicarii officium obire Archidiaconum, cùm agitur à Capitulo de Vicarii electione cenſet Abbas cum quibuſdam aliis. *Valleuſ l.1.tt.23. Navar.c.22.n.39. Zerola par. 1. V. Archidiaconus.*

IV. Ea, quæ ſubjungo vi muneris ſui non poteſt Archidiaconus. 1. literas commendatitias dare *c. ſignificaſti de off. Arch.* 2. Cu-

2. Curam animarum committere c. Cum ſitis eo. 3 Excommunicationis ſententiam ferre ſolenniter. c. Archidiacono eo, niſi ex conſuetudine. 4. Nullam juriſdictionem in Monaſteria intra terminos ſuos conſtituta habet. *c. dilecto eo. Moſcon. lo. cit. Avila de Cenſuris par. 2. c. 3. diſp. 1. dub. 1. Silv. V. Archid. n 3. & ſeq.*

V. De curâ animarum ambigitur, habeatne illam vi muneris ſui, ita ut poſſit Sacramenta adminiſtrare? Cenſeo habere, cùm ſit Epiſcopi Vicarius, poſſeque vel per ſe, vel per alios Sacramenta adminiſtrare. Nam penes ipſum, ut *diximus n. 1.* poteſtas juriſdictionis erat olim in reliquos presbyteros, eorum, aliorumque confeſſiones audiebat, curâ illorum ipſi commiſsâ *c. Officium de off. Archip.* Quin etiam plebi cui præficiebatur, Sacramenta miniſtrabat, pœnitentium Laicorum confeſſiones excipiebat, & à peccatis abſolvebat. *Nicol. Garz. de benef. 7. c. 7. Azor. II. l. 3. c. 25. Riccius in Praxi aurea. reſol. 328.* Dixi olim feciſſe, quia ſucceſſu temporis vetus Eccleſiæ forma in ejuſmodi officiis mutata eſt, adeò, ut non facile ſit generatim definire, quænam hoc tempore Archidiaconi Archipresbyteri, & aliorum provincia ſit. Cujus rei etiam illud non leve argumentum eſt, quod hoc tempore plures in una Eccleſia Archidiaconi viſuntur. In Toletana ſex, in aliis quibuſdam quinque in nonnullis tres reperies An propter populi multitudinem, an hic quoque ambitio ſedem nacta eſt? *Barb. l. cit. Abb. in c. Cum ſatis de off. Archid. Barb. de Canon. cap. 5. n. 37. Zerola par. 1. V. Archidiaconus.*

VI. Quamvis jure communi, ut diximus n. 2. Archidiaconi dignitas poſt Epiſcopum prima ſit, conſuetudo tamen in multis locis contrarium invexit, ita ut alicubi tertium locum obtineat: alibi, ut in noſtra hac Germania ne nomen quidem extat, ſed illius loco Vicarius Generalis præeſt, qui, cùm nihil obſtat, omnia, quæ Archidiacono tribuuntur, exequi poteſt. *Azo. II. l. 3. c. 15 Barb. c. cit. n 38. & 39 Navar. c. 17. n. 135. Silv. V. Archid. Tabiena. & Armil. n. 8.* annotans, quod Archidiaconus Bononienſis habeat poteſtatem ex privilegio abſolvendi excommunicatos ſtudiorum cauſa ibi commorantes, & ibi delinquentes propter violentam manuum injectionem in Clericum. Item quod ex *Honorii III. privilegio* conferat gradum Doctoralem. *Glo. in Clem. 2. V. ſuſpenſum de Magiſtr.*

VII. In quibuſdam locis propter ordinariam poteſtatem coërcendi ſubditos Prælati titulo honoratur. Apud nos, *ait*, Chapeaville, ſunt etiam Prælati Archidiaconi, cùm habeant juriſdictionem ordinariam in foro exteriore coercendi ſubditos per pœnas. & cenſuras Eccleſiaſticas, ut patet ex generali concordia inter Epiſcopum Leodienſem, & ſuos Archidiaconos, quæ habetur in antiquis ſtatutis Synodalibus Eccleſiæ Leodienſis. Quibus, ut apparet, annumerandi ſunt, & Decani primarii, & ſecundarii Cleri Leodienſis propter eand. rationem.

§. II.

De Vicario Generali.

I. VIcarii generatim loquẽdo quadruplices ſunt. 1. Perpetui. 2. Temporales. 3. Horum aliqui ſimpliciter quoad omnia loca, & negotia: quidam verò ſecundùm quid, quoad aliquem locum, vel aliqua negotia tantùm. Hos aliquando Põtifex, aliquãdo Epiſcopi, vel alii Prælati conſti-

Digitized by Google

conſtituunt. Si extra Urbem, forenſes aut foranei appellantur, non à foro ut aliqui volunt, ſed quia foris habent & exercent poteſtatem ſuam. Sunt alii inſuper, qui ab Epiſcopo vel Prælatis aut Canonicis majoribus deputantur, ut quia ipſi legitimè impediti ſunt, in Eccleſiâ eorum loco divinum officium peragant, in quem finem præbenda, vel congrua portione fructuũ fruuntur. De quibus omnibus *V. Card. Imolam. Angelum. Caniſ. l. 1. tt. 22. Silveſtrum V. Vicarius. Reginald. l. 3. tr. 1. ſect. 4. Cuchum l. 1. tt. 20.* Nobis hic de Vicario Epiſcopi Generali tantum ſermo eſt.

II. Vicarius Generalis idem eſt, qui Officialis. Officialis autem alicubi vocatur. *Miſſus Dominicus c. 2. de regular. & c. 1. de frig. & maleſic.* Dignitas eſt, quamvis beneficium non ſit. Unde cum officio ſuo poteſt Canonicatum obtinere in qualibet Eccleſiâ. *Abb. in c. Cùm multa de præb.* Et quamvis jure communi Archidiaconus Epiſcopi Vicarius ſit, nihil vetat hoc vel omnino ſublato, vel ſine curâ, & adminiſtratione relicto Vicarium Generalem creare etiam abſque Capituli conſenſu: quin etiam duos, ſi conſuetudo ferat. *Azor. II. l. 3. c. 43. Moſcon. l. 1. par. 1. c. 10.*

Nota quod dixi Vicarium Generalem eundem eſſe cum Officiali, non ubique locum habet. In Italiâ quidem vix diſtinguuntur, teſte *Silv. & Diaz.* Alibi Officialis cauſas forenſes judicat. In noſtra Germania cauſas matrimoniales.

III. Falsò putârunt aliqui, poteſtatem Vicarii Generalis delegatam eſſe. Quamvis enim per liberam Epiſcopi voluntatem conſtituatur, juriſdictionem ſuam ab ipſo jure adipiſcitur. Hinc judex ordinarius eſt ſubditorum diœceſis & ex eodem cum Epiſcopo ſuo tribunali juriſdictionem exercet *c. Romana de appell. in 6. & c. 2. de conſuet. eo.* ubi damnatur conſuetudo ab Epiſcopi Vicario ad Epiſcopum appellandi. Hanc ob cauſam Archidiaconum præcedit, quia Archidiaconus diverſum ab Epiſcopo tribunal habet. *Maranta pag. 55. Caniſius l. 1. tt. 22. Lancel. tt. 15. Az. II. l. 3. c. 43. Q. 9. Felin. in Rubr. de majorit. & obed. Rebuff. hoc tt. n. 40.*

IV. Vicarius Generalis omnium diœceſanorum confeſſiones audire, dimiſſorias dare, matrimoniis aſſiſtere, & pro iiſdem licentiam aliis concedere poteſt. Nõ minùs in foro externo cauſas cognoſcere, mandare, judicare, atque etiam excommunicare poteſt. Præterea decretum interponere in alienationibus circa res, & bona minorum: in emancipationibus quoque, & manumiſſionibus dare tutores, & curatores, expedire denique omnia, quæ ad juriſdictionem pertinent. *L. ſuggerente de off. ejus, qui vices obtinet. l. mandatâ de off. ejus, cui mandata eſt juriſdictio.* Atque in his omnibus ſi quid legitimè egerit vel ordinârit, ab Epiſcopo revocari vel irritari non poteſt. *Silv. V. Archidiaconus. Zerola pa. 1. V. Vi. Moſcon. l. 1. c. 10. Avila de Cenſur. diſp. 1. dub. 1. carius. Filliuc. tract. 9. c. 5. n. 102. Regin. l. 1. c. 6. n. 48.*

V. Ad ea quæ merè gratuita ſunt, ut collatio beneficiorum, diſpenſatio in irregularitatibus ex delicto occulto, denunciationibus matrimonii, & ſimilibus non extendit ſe ordinaria Vicarii Generalis poteſtas. Epiſcopis tamen liberum eſt ampliare, & extendere illius poteſtatem tam circa modò nominata, quàm etiam circa alia, ut praxis ipſa teſtatur. *Diaz. c. 75. Azor. loc. cit. Lancelot. l. 1. tt. 15. Garz. pa. 5.*

Digitized by Google

cap. 8. Laym.l.1.tr.4.cap.7.§.5.num.19.

VI. Mortuo epiſcopo, vel depoſito Vicarii Generalis poteſtas ſtatim expirat etiam cœptâ causâ. *Glo. communiter recepta in Clem. ult. de Procuratorib. V. Conteſtata.* Atque in hoc iuriſdictio Vicarij Generalis à delegata differt, quia hæc quoad negotia inchoata non deficit cum ipſo Delegante *c. Gratum de off. Deleg.* Nec mirum, quia idem epiſcopi & Vicarij tribunal eſt. Idem fiet, ſi epiſcopus excommunicetur, vel ſuſpêdatur. Nam in tali eventu quamvis retineat iuriſdictionem, exercere non poteſt. *c.1. de off. Vic. in 6. Glo. in Clem. ult. de procuratorib. Abb. in c. Licet undique de off. deleg. n. 8. Zerola par. 1. pag. 698.* Excipe Vicarium Generalem Papæ, cuius poteſtas non expirat mortuo Papa, *Barb. in c. ſua nobis de off. Vicarii.* Addit *Piaſecius Par. 2. c. 4. pag. 262.* epiſcopo ut ſuſpecto recuſato, ex eadem cauſa Vicariũ recuſari poſſe *c. Inſinuante. de off. deleg. Abb. ibid. n. 2.* Vide ſis, an non locũ hic vendicet ſibi *Regula 42. iuris in 6.* Acceſſorium naturam ſequi convenit principalis?

VII. Qui extra Vrbem in oppidis, & pagis conſtituuntur ut *n. 1. dixi* Vicarii, Foranei, aut Rurales appellantur, quorum iuriſdictio non ordinaria, ſed delegata eſt, & diverſum ab epiſcopo tribunal. Vnde ab illorum ſententia appellare licet, vel ad epiſcopum, vel Vicarium generalem eiuſdem. Præterea non videntur habere dignitatem, niſi alicubi ſpeciali jure aut conſuetudine introductum ſit. *Glo. Clement 2. V. Foraneo. de reſcript. Piaſecius Par. 2. c. 4 Zerola par. 1. V. Vicarius n. 2. Gemin. in c. Romana de appell. Maranta Par. 4. diſt 5. n. 13. deciſ. Rota 5 de offic. Vicarii. Barb. in Rubr. de eod.*

VIII. Officium Vicarii Generalis finitur quatuor modis. *Primò* per mortem Epiſcopi ut n. 5. diximus. *Secundò* quando Epiſcopus expreſsè revocat, vel dimittit, quamvis juraſſet ſe nunquam revocaturum eſſe. *Tertiò* ſi Epiſcopus ſedem mutet, vel aliò transferat. *Quartò* ceſſat ad têpus ſaltem, ſi contingat Epiſcopum excommunicari, vel ſuſpendi. *Lancell. in templo Iud. l. 2. Silveſt. V. Vicarius. Zerola lo. cit. Lorichius V. Vicarius Epiſcopi n. 5 Abb. in c. 2. n. 2. Vt lite pendente. Reginald. l. 1. c. 6. n. 48. Tuſchus Concluſ. 191.*

IX. Vicarius Generalis Epiſcopi alium Vicarium Generalem ſubſtituere ſibi non poteſt. *Glo. in c. de off. Vic. in 6 Clem. 1. de regularib. in V. locum aliorum.* Nihil tamen vetat, uni alicui cauſas committere, atque ita conſtituere Vices gerentem *c. 1. de off. Vicar. in 6.* Poteſt etiam deligere, qui vel ad tempus, vel in abſentiâ ſuâ obeat munus Vicarii Generalis ſub nomine non Vicarii, ſed Locumtenentis. *c Romana. de off. Vicarii. in 6. Zeccus de rep. Eccl. c. 23. Zerola. par. 1. V. Vicarius dub. 3. Garz. de beneſ. par. 5. c. 9. Sanch. de Matrim. l. 3. D. 7. n 21. Guido Papa Q. 374. Maranta Par. 4. Diſt 5. n. 16. Feder. de Senis. Conſil. 302. Tuſchus Concl. 185*

X. Dubium eſt, an Laicus creari poſſit Vicarius Epiſcopi in Spiritualibus? Non poſſe colligitur ex *c. In novâ 16. q. 7. DD. in c. 2. de iudic.* & fusè *Covarr. in releƈt. c. Alma mater. de ſent excom. §. 11. n. 3. Rebuffus quoque in praƈt benef. tt. de Vicario Epiſcopi n. 35. Paul. Pariſ. Conſil. 40. Vol. 4.* Nec cauſas criminales Clericorum Laico Epiſcopus delegare poteſt ex communi opinione ſecũndum *Ripam in c. decernimus n. 34. de jud.* Nec junctim cum Clerico eas delegare poteſt, ut *Decius ſcribit in d. c. Decernimus. r. 5. quem refert Roan in Conſ. 4. n. 4.* Ita ferè

Davalos l.1.c.11. Idem abſolutè negat *Piaſecius par.2.c.3.pag.* 263. addens, ne unicam quidem ſpiritualem cauſam Laico committi poſſe, neque in ipſum compromitti *c. Contingit iun. Glo. de arbitris.* Excipe cauſam pecuniariam, quæ inter Clericos cōmitti, & compromitti poſſet Laico. *c. expoſita ibid. iun. Glo. V. compromiſit.* Similiter etiam pro Aſſeſſore in judicio ſpirituali Laicus licitè adhibetur, quamvis de honeſtate melius adhiberetur Clericus. Item ſi Epiſcopus habet juriſdictionem temporalem Laico ut Vicario committere poterit. *Ita ille.* At *Moſconius l.1.par.1.c.10.* etiam Clericos excludit, ſi conjugati ſint, aut bigami, quamvis habitu & tonſura clericati utantur. Papa nihilominùs, ut qui abſolutam poteſtatem in omnibus cauſis Eccleſiaſticis habet, etiam ſpirituales cauſas Laico delegare poteſt. *Glo. in c. 1. D. 9. 4. & c. Clericum nullus 11.q.1. Abb. in c. propoſuit. de Conc. preb.* Non poſſet tamen juriſdictionem ordinariam principibus Laicis adverſus Clericos concedere. *Menoch l 3. de teſt. §. 22 n.61. quem refert, & ſequitur Iul. Clarus l.5. § ſi q. 4.n. 8.* De Clericis nondum ſacros Ordines adeptis fatetur *Davalos l. cit. n.9.* adhiberi quidem à nonnullis Epiſcopis in Officiales, idque in rigore juris licitum eſſe, conſulit tamen, ut deinceps vitare laborent, & presbyteros aut minimùm in ſacris conſtitutos juri dicundo præficiant. Clericos conjugatos etiam nō bigamos omnino excludit. *Anchar. in c. Romana n 3. de off. Vicar. l.6. Abb. in c. 2.n.2. de Cler. coniug. Felin. in c.2.n.6 de iud. Zach. in addit. ad Abb. litt. A. c. in nova 16. q. 6. Rebuff in praxi benef. V. Vic. Archiep. V. Davali Directorium pag. 25. Suar. V. diſp. 2.n.10. Silv ſt. V. Laicus n.3. Soto in 4. diſt. 20. Q.1 ar.3. Lancelot l.1.tt.15. Cucchus l. 1. tt.20.*

§. III.

De Archipresbytero.

I. Archipresbyter dicitur, quaſi presbyterorum primus. In Jure etiam Decanus nuncupatur *c. ad hæc de off. Archi.* eò quòd decem præſit, vel præeſſe poſſit. Olim poſt Archidiaconum primum locum, & dignitatem obtinuit. Equidem ſi ordinis conſecrationem ſpectes, cùm neceſſariò Sacerdos ſit, Archidiacono major eſt, ſi verò juriſdictionem, minor. *Glo. in c.1. de off. Archipr. Reginald. l.30. tr. 1. Sect. 3. Moſcon. l 1. par.1.c.13. Lancel. l.1. tt. 14. Anton. Cucch. l.1. tt.17. Caniſ. l.1 tt. 20.*

II. Alius eſt Urbanus, alius Ruralis ſeu foraneus. Urbanus in urbe manens præeſt dignitati in Eccleſia Cathedrali, Ruralis in Parochia ſeu Plebania *c. ſingula de off. Archipr.* Qui in Franconia noſtra Decani rurales appellantur, alibi Archipresbyteri dicuntur, & certis Parochiis is honor ſtabili lege affixus eſt, & melioribus tantùm confertur. Romæ olim tres erant. Unus in Eccleſia Lateranenſi, alius in S. Petro, tertius in S. Maria Majore, quia in illis Eccleſiis aliquando ſedit Pontifex. *Gloſſ. hoc tt. Lancel. lo. cit. Vallenſ. l. 1. tt. 24. Filliuc. Append. tr. 41. c.1 Greg. Lopez. l.8. tt. 6. par. 1.*

III. Urbani Archipresbyteri officium eſt à jure ordinatum. *Primò* curare, ut reliqui Sacerdotes divinum officium & miſſas ritè celebrent, attendere ad mores illorum, & honeſtatem vitæ: item neceſſitatibus illorum providere *c. perlectis V. Archip. d.25. c. 1. 2. 3. de off. Archipr.* Ad eoſdem pertinere, ut Cardinalium Sacerdotum miniſterio, & vitæ provideant *Leo Pontius in c.*

Digitized by Google

in c.de off. Archipr. tradit. Verùm non ſatis liquet, quinam ſint illi Cardinales Sacerdotes? aliqui primarios inter Cathedrales interpretantur. *Secundò* epiſcopo ſolenniter celebranti aſſiſtere, & tunc Sacerdotibus præcipere ut ſacris veſtibus induantur. & quomodo ad Miſſam procedere debeant. *c. Officium de off. Archipresb. Tertiò* abſente epiſcopo, vel ægrotante fontes benedicere, pœnitentiam, aliaque Sacramenta eius loco adminiſtrare, *c 2. de off. Archipresb.* Specialiter incumbit illi cura de communicatione corporis, & ſanguinis Chriſti. Vnde eſt quaſi Sacerdos parochialis omnium poſt epiſcopum in adminiſtratione videlicet Sacramentorum. Nam cura animarum in eccleſiâ Cathedrali, quæ totius urbis, & diœceſis parochia eſt, ad illũ proprie ſpectat. Vnde omnes ex totâ diœceſi audire confitentes poteſt, & abſoluere, præterquam in caſibus epiſcopo reſervatis: nec ſolenniter pœnitentes inconſulto epiſcopo abſoluere, & reconciliare. Ob quam cauſam vocari ſolet Vicarius epiſcopi, intellige in ſpiritualibus. *Glo. V. ſuo ſubdito in c. 12. de pœnitent. & rem. Moſcon. l. cit. Lancelot. in Templo Iudicum l. 2. c. 11. Barb. de Canon. c. 6. nu. 19. & ſeq. Hieron. Romanus de rep. Chriſt. l. 3. c. 10.*

IV. Ruralis Archipresbyteri munus eſt, ut *idem Moſconius deſcribit lo. cit.* imperiti vulgi ſollicitudinem gerere, & alios clericos habere, qui per minores titulos unuſquiſque opus ſuum exerceat: nec nõ cuncta, quæ ad ſalutem plebis ſuæ ſpectant, epiſcopo ſignificare tenetur, nec aliquid contra eius decretum audet præſumere. Sacellanos ſibi ſubjectos coercere, & corrigere poteſt: qui pro baptiſmo & celebrãdis officiis ſimul convenire debent, & correctionem recipere. Inobedientes epiſcopi iuſſu, vel permiſſu excõmmunicat. Eidem qua quiſque presbyterorum induſtria opus ſuum exerceat, denunciare debet. *Canis. ex Synodo Ravennat l. 1. tt. 20.*

V. Archipresbyter in clericos, & Sacerdotes nullam fori externi iuriſdictionem habet, ita ut ne in minimis quidem cauſis aliquem punire queat, quemadmodum ex declaratione Cardinalium *Barboſa docet pag. 41.* Cuius rei cauſam *Azor II. l. 3. c. 15. Q. 7.* conſuetudini aſcribit quæ in quibuſdam locis obtinuit, ut nullum forum, & territorium habeat, ſed tantùm ea curet, quæ ad Sacramẽtorum adminiſtrationem pertinent, præſertim Pœnitentiæ, tam quoad laicos, quàm quoad presbyteros ſibi ſubditos, quorum confeſſiones excipit. *c. Officium hoc tt.*

VI. Dubium eſt an Archipresbyter ius habeat inſtituendi eos qui à patronis eccleſiarum ſibi ſubditarum offeruntur, aut præſentantur? Dicendum, non habere vi muneris ſui, ſed vel ex ſpeciali commiſſione epiſcopi, vel conſuetudine, quemadmodum de Archipresbytero Florentino teſtatur Silveſter. *V. Archipresbyter q. 5 de Archipresbytero Bononienſi Geminianus Conſil. 117. n. 10. Cardin. Tuſchus concluſ. 84 1. V. Az. V. Azor II. l. 3. c. 15. q. 9. & 10. Tholoſan l. 15. Syntagm. c. 21. Barb. in ſumma Decis Apoſt. pag. 37.* Notat præterea *Cucchus l. 1. tt. 17.* Archipresbyteri officium perpetuum eſſe. Decani ruralis verò temporale. Ex quo deducitur non idem utriuſque munus eſſe, ut nonnullis videtur, & num. 2. indicavimus.

Digitized by Google

§. IV.

De Præpoſito.

I. MVltùm Eccleſia Germanica ab aliis diſcrepat, tum in ritibus, tum maximè in titulis, & dignitatibus. Præpoſiti enim in eccleſiis Cathedralibus apud nos ſumma eſt auctoritas, & immunitas, cùm alibi omnes ferè, qui præſunt eo nomine gaudeant etiam apud Regulares, & Monachos: quanquam *Moſconio* teſte, *l.1. Par.1.c.14. ex c. dudum de elect.* præpoſitura officium eccleſiaſticum ſit, requirens ordinem presbyteratus. *Lancelot. l. 1. tt.14. Azor II.l.3.c.18. Q.1. Filiuc. in Append. Tract.41.c.1.n 30. Manrique Q.41.n.1. & 2. Directorium Octavii Frangipanii pag.153.*

II. Nullum in jure Canonico titulum extare de Præpoſito obſervavit *Azor II. lo. cit.* eius tamen non raro mentionem fieri in reſponſis Romanorum pontificum fatetur. Addit, in eccleſiis Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, & Angliæ Perſonatum, ac Dignitatem habere: alicubi etiam iuriſdictionem, & curam animarum, eò quòd toti Canonicorum Collegio præſit. Vltimum hoc de qua Germaniæ parte, & quo ſenſu verum ſit, minimè liquet. Econtrario *Reginaldus l.30.tr.1. Sect.3.* notat in omnibus ferè Galliæ eccleſijs conſuetudinem obtinere, ut Decanus habeat iuriſdictionem in Capitulum ſeu Collegium Canonicorum: in eccleſijs verò Germaniæ non Decanum, ſed Præpoſitum eſſe caput Collegij Canonicorum. Meliùs dicitur eſſe ſupra, vel extra Capitulum, ut Præfectum bonorum temporalium, & redituum, quorum ipſi cura & adminiſtratio committitur. *c. Vt primicerius unic. de off. Primicerii. Tholos. l.15.c.18. Pacianus l.3.l.2.c.27. Seb. Cæſar de eccleſ. hierarch. q.1. proœm. F. Erh. VVinheim in Sacrario Agrippinæ p.32.*

III. Illud minimè obſcurum eſt, in ſuperiore Germaniâ, ſi non omnibus, certè pleriſque eccleſiis cathedralibus, & collegiatis Præpoſitos nullam animarum curam vel interiorem iuriſdictionem habere: quamvis alicubi in locum Abbatum vel Priorum conventualium ſucceſſerint, ut exempla docent, & annotatum eſt à *Reginaldo l. cit.* Meritò igitur, & verè Oeconomus vocatur, qui proventus eccleſiaſticos adminiſtret *l.1. feud. tt.1. c. Vt Abbates de at. & qual. ord. Rebuff. in Comm. ad l. 124. de verb. ſign. Galganet & Cunha ap. Barb. in cap. cit. Item in cap. Vt primicerius de off. Primicerii.*

§. V.

De Decano.

I. DEcani nomen hoc tempore non tantùm in eccleſia, & Monaſterijs, ſed Academijs quoque uſitatum eſt, non habitâ ratione numeri, quamvis à Denario ortum videatur. Illi tribuitur, qui Capitulo præeſt, uti caput cleri in eccleſia Cathedrali, vel Collegiata. Vnde Sacerdotij ordinem habeat neceſſe eſt. *c.1. & 2. diſt. 60.* Cardinales quoque ſuum Decanum habent, & Auditores Rotæ. Honorabilior Decanus eſt in Capella ſummi Pontificis propter miniſterium, quod vocatur Mitræ. Decanum Civitatenſem cum Archipresbytero eundem eſſe, docet *Angelus & Moſconius. Tholoſ. l.15.c.4 nu. 6. Barb. de Canon. c.4. n.31.*

II. Iure communi non eſt dignitas, ſed ſpeciali

ſpeciali per conſuetudinem, ubi ea prævaluit, quemadmodum in noſtris Germaniæ eccleſiis cernimus, in quibus Cathedralis eccleſiæ, Decanus excepto Præpoſito præcipuum locum, poteſtatem & auctoritatem habet. In eccleſijs ferè omnibus Galliæ conſuetudinem vigere, ut Decanus habeat iuriſdictionem in Collegiũ ſeu Capitulum Canicorum auctor eſt *Reginald. l. 30. tr. 1. c. 3. Barb. l. cit. Fill. Append. Tr. 41. c. 1. Tuſchus Concl. 60.* Quæ conſuetudo etiam in Germania præſertim ſuperiore, obtinuit.

III. Officium Decani quale ſit, in corpore iuris nullibi exprimitur, nec titulus extat, niſi ſub alio nomine. Sola conſuetudo docet, iuriſdictionẽ habere in clerum ſibi ſubjectum, vel omnium totius urbis, aut diœceſis, vel majoris tantùm quia locum Archidiaconi & Archipresbyteri tenet. ut *Card. Tuſchus notat Concl. 60.* Si poteſtate excommunicandi utitur ut num. 5. videbimus dicendum eſt, iuriſdictionem ordinariam habere, ſaltem ex uſu & conſuetudine. *Innoc. in c. 1. de Archipr. Azor II. l. 3. cap. 13.* Neque animarum cura vacabit, cum toti Canonicorum Collegio præſit. *c. Dudum de præbend. Card. Tuſchus lo cit.*

IV. Ad Decanum cathedralis Eccleſiæ pertinet *Primò* Ordinare proceſsiones intra & extra urbem abſente epiſcopo. ut Congregatio Card. declaravit in quadam Placentinâ *19. May. An. 1607. Secundò* choro pſallentium Horas canonicas præeſſe, ſignum inchoandi dare, & exeundi de choro, abſentes & delinquentes punire. *Tertiò* ut tempeſtivè & decore cultus divinus peragatur, attendere. *Denique* patrisfamilias inſtar, curam templi chori, & officiorum omnium habere. Ex quibus liquet, ea, quæ Archipresbytero, & Cantori in jure committuntur, ad Decanum conſuetudine, aut Statutis particularibus derivata eſſe.

V. An iuriſdictionem fori externi habeat, ut excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam ferre queat, in ambiguo eſt? Iure communi & universè certum eſt, non habere, ſed epiſcopis ea poteſtas præcipuè reſervatur, & quibuſdam majoribus Prælatis, ut ſupra *Tit. 3. §. 3. num. X. diximus*: in multis eccleſiis tamen per conſuetudinem videtur eam uſurpare. Nam *in c. Dilectis de appellat* indicatur, Decanum, de quo ibi agitur, ſacris interdicere potuiſſe. *Et in c. Dilecto de ſent. excomm. in 6.* Decanus quidam excommunicationis pœnam irrogare potuit. *Item in c. irrefragabili. §. Exceſſus. de off. Iudic. ordinarii in 6.* Canonicorum Collegium, cui Decanus præerat, ſacris interdicere civitati. Quæ omnia docent, iuriſdictionem prædictam ſi non jure, quod nobis huc uſque ignotum, ſaltem conſuetudine competere *Az. l. cit.* Notat inſuper *Barboſa Tract. de Canonicis & dignitatib. c. 6. & ad c. 12. Seſſ. 24. Conc. Tr. num. 8.* nullo Concilii Trid. decreto ſtatutum eſſe, ut qui Decanatum conſequi velit, neceſſariò ſit Magiſter, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, aut jure Canonico, ut reſcripſit. *Sacra Congregatio Concilii Archiepiſcopo Hiſpalenſi, teſte Nicolao Garzia de beneſ. Par. 7. c. 7. nu. 43. Zerola in Praxi Par. 1. V. Canonia §. 2. in fine. Aloyſ. Riccius Deciſ. 248. n. 5.*

VI. Ob quam curam & adminiſtrationem, quæ per ſe gravis & moleſta duplici in pleriſque eccleſiis præbenda (imo tripfici in quibuſdam,) Decanus fruitur: diſtributionum quoq; & oblationum duas partes

Digitized by Google

modiam prævidet, atque inſtruit: pſallendi, & orandi modum ipſe committit, ſilentium indicit, riſus cohibet, & colloquia: curat etiam, ne quis in pſallendo nimiùm feſtinet, vel tardet, ne verſus alter ante alterius finem inchoetur: ipſe cappas & ſceptra partitur, aliaque id genus exequitur. *Azor II. l. 3. cap. 22. Navar. in c. ſi quando de Reſer. Exceptione* 11. *n.* 3.

IV. Abſente Archidiacono, ubi moris, eius loco ordinat, quæ ad ſacra pertinent: clericorum delicta punit, quos emendare non poteſt, eorum exceſſus ad epiſcopum defert. Subſtitutum habere poteſt, qui Succentor appellari ſolet. Hic in Germaniâ noſtrâ pondus diei, & æſtum porta pro quo Cantor ſeu Primicerius præbendam, & fructus habet. *Oſtiens. in ſum. h. t. Barb. de Canonicis pag.* 46. *Vallens l.* 1. *Tit.* 25.

V. Vtrùm dignitas ſit, meritò dubitari poteſt. Iuriſdictio ſanè, quam habet, non videtur excedere didaſcali & directoris munus, qui pueros informat, & caſtigat. Nihilominùs dignitatem eſſe, & quidem de primariis unam ſaltem in Hiſpaniâ, ſi non juris diſpoſitione, ſaltem ex conſuetudine affirmat *Valenzul. apud Barboſam c.* 9. *n.* 13. *Card. Tuſchus concl.* 650. *Azor II. l.* 3. *c.* 16. *q.* 3. dignitate præditum eſſe, ubique locorum aſſerit *Manriquez quæſt.* 30. *num.* 3. In aliquibus eccleſijs fuiſſe dignitatem G. eg. *Tholoſ. refert. l.* 2. *tt.* 9. *num.* 5. *allegans c. cùm acceſsiſſent. de conſtitutionib.* ubi Capituli Tullenſis communi conſenſu ſtatutum allegatur, ne in poſterum Primiceriatus dignitas in eccleſia ſua ſit. Quod ſtatutum ab *Innocentio III* approbatur. Adde, quòd in Eccleſia Archiepiſcopali Moguntina Cantor ſeu Primicerius inter ſolennia Miſſarum infula utitur, quod illi privilegium cum Præpoſito & Decano commune. *Nic. Serarius l.* 1. *hiſt. Mog. c.* 18. *V. Layman. l.* 4. *Tr.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Vnde colligitur memoria dignum eſſe illud, quod Caniſius indicat *l.* 2. *Inſtitut. c.* 21. *ci. fin.* Dignitatum eccleſiaſticarum nomina aliter atque aliter uſurpari pro varietate locorum, & conſuetudinum; à quibus nihil mirum eſt, ſi legibus ſcriptis & juri communi derogetur. *l. de quib. ff. De leg. c. ult. eod. V. quæ diximus in Prolegom.* §. 9 *n.* IV.

§. VII.

De Theſaurario & Cuſtode.

I. THeſaurius Cimeliarcha nominatur à Iuſtiniano in *l ult.* § *ult. C. de bo. aucto Ind. poſſid.* id eſt, rerum pretioſarũ cuſtos, ſeu aſſervator: propter quam rerum ſacrarum cuſtodiam olim Theſaurarius nullam dignitatem, neque beneficium, ſed officium duntaxat eccleſiaſticũ habebat, teſte *Rebuffo in Praxi benef. tt. Sæculare beneficium quotuplex num* 9. At progreſſu temporis ex conſuetudine, & omnium ferè eccleſiarum ſtatutis inter dignitates numerari cœpit. *Abb. in c. de multa nu.* 23. *V. ſecus de præbend.* Alicubi ſaccularium dici affirmat *Azor l.* 3 *cap.* 16. *Q.* 5 à parvo ſacco, quem deferret ad pecuniam inibi reponendam. *Moſcon. l.* 1. *par.* 1. *cap.* 16. Quomodo à quæſtore, ſeu Camerlengo differat, non eſt arduum diſcernere. *V. Anto. Peregrin de iure fiſci. l.* 6. *tt.* 3.

II. Eſſe dignitatem aliqui apud *Barboſam pag.* 44 probant. *Primò* ex collationibus tàm Apoſtolica, quàm ordinaria aucto-

Digitized by Google

nitate feſtis illa tanquam tertia dignitate. *Secundò* ex declaratione Capituli, viſione Bullæ, electionis Theſaurariæ, & aliis iuribus in protocollo Capituli exiſtentibus quæ indicant eſſe tertiam dignitatem poſt Pontificalem. *Tertiò* ex pluribus actibus & functionibus capitularibus, videlicet, convocatione Capituli in abſentia obtinentium majores dignitates. *Quartò* reſultat probatio communis reputationis nedum capituli, quod ſe congregavit mandato Theſaurarij ut illius præſidis in abſentia maiorum dignitatum, ſed omnium quoque aliorum, à quibus pro Dignitate agnoſcitur. Adde, quòd inter Eccleſiæ columnas numeratur *in c. 2. hoc tit. V. Cucchum l. 1. Inſt. p. 133.*

III. Ex dictis patet Cuſtodem à Theſaurario nihil, aut parum diſtare. Si diverſum facimus, Theſaurarij ſubſtitutus erit *cap. 2. de off. Cuſt.* Attamen quia diverſi in jure tituli ſunt, diverſum munus eſſe agnoſcamus. Certè in hac Germaniæ plaga in eccleſiis Cathedralibus Cuſtos inter Prælatos numeratur, cui Sacriſta ſubeſt, & quem deſignare voluerit, ſubcuſtos. Officium illius *l. 1. Decretalium tit. 27.* deſcribitur. *ex conc. Toletani actis.* Cuſtos ſollicitus eſſe debet ne omni ornamento eccleſiæ, & luminariis ſive inconſo, nec non panem, & vinum omni tempore præparatum ad miſſam habere debet, & per ſingulas horas Canonicas, ſignum ex conſenſu Archidiaconi ſonare, & omnes oblationes, ſeu eleemoſynas, ſeu decimas inter Fratres dividat *Et paucis interiectis:* Hi tres, Archidiaconus, Archipresbyter, & Cuſtos ſimul iuncti uno animo providè peragant, & perfectè: & non ſit invidia, neque zelus inter illos.

§. VIII.

De Scholaſtico.

I. QVemadmodum Schola eccleſiis Cathedralibus, & Seminarium adoleſcentum Clericorum, ita Scholaſticus neceſſarius eſt. Hinc olim ſollicitè quærebatur, qui iuniores doceret latinè legere, ſcribere, loqui, cantare, & quæ ad officium divinum pertinent, recitare. Is verò Magiſter Scholæ, Scholaſticus appellabatur. *In c. Vt noſtrum de off. Archid.* Cancellarius nuncupatur: propter ſimilitudinem, quam cum Præfecto ſcriniorum gerit, cuius præcipuum munus eſt, publicas ſcripturas concinnare, & conſervare. *Buda. & Hottoman.*

II. Modum conſtituendi Scholaſticum præſcribit *Conc. Trid. Seſſ 28 c. 18. nu. 32.* Deinde, *inquit*, ut minori impenſa hujuſmodi Scholis conſtituendis provideatur, ſtatuit ſancta *Synodus*, ut epiſcopi, Archiepiſcopi &c. Scholaſterias obtinentes, & alios, quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum ad docendum per ſe ipſos, ſi idonei ſunt, alioqui per idoneos ſubſtitutos ab eiſdem Scholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos etiam per ſubtractionem fructuum, cogant, & compellant. Quod ſi epiſcopi iudicio digni non fuerint, alium qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remota: quod ſi neglixerint, epiſcopus ipſe deputet. Iam qualitates attende, quæ à *Concilio Trident.* præſcribuntur.

III. De cætero (*ait Conc. Tr.*) officia vel dignitates illæ quæ Scholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris.

ſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina aut in jure Canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur, & aliter facta proviſio nulla ſit, & invalida, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis & conſuetudinibus etiam immemoralibus. Vbi *Congregatio Cardinal.* notat, eum, qui obtinet Scholaſticam, cogi omnino debere ad obeundum munus ſuum. *Garzia de benefic. par. 7. n. 35.*

IV. Hæc quomodo in uſu ſint apud nos, nemo ignorat. Excuſationem mereri videntur majores Domini quia per ſubſtitutos docent maximè in civitatibus, ubi Gymnaſia, vel Academiæ erectæ ſunt. Quamobrem inter declarationes Card. legimus. Ante omnia in Seminariis conducendus eſt Grammaticus, & Muſicus, qui pueros inſtruant & ſi reperiantur Ieſuitæ, cæteris anteponendi ſunt. *Declar. n. 33. V. Actor. Mediol. eccleſiæ par. 2. p 106.*

§. IX.

De Prioribus.

I. Prior & Prioratus notiſsima nomina ſunt. Eius duo genera. Alii enim Regulares, alii ſæculares nuncupantur. Ex his iterum alii Collegiales, alii Rurales. Hi curam animarum abſq; collegio habent. illi verò Canonicorum collegio præſunt, quemadmodum indicat inſcriptio *cap. ultimi de maior. & obed.* Sicut enim iuxta Regulam S. Benedicti Præfectus Monaſtici conventus Abbas nominatur, iuxta Regulam S. Auguſtini Prior, ſive Præpoſitus, ſic in multis eccleſiis Collegiatis Præfecti aliquando Abbates, aliquando Priores appellantur. *Greg. Tholoſ l. 15 c. 18. n. 1. Moſcon l. 1. par. 1. c. 14. Barboſa de Can. & dignit. c. xi.*

II. Idem igitur, qui in Germania noſtra Decanus, in eccleſia Collegiata, alibi Prior eſt: unde dubitare non licet, quin dignitatem habeat, cùm utriuſque fori iuriſdictio illi competat. Ætatem in illo requiri annorum 25. ſaltem inchoatorum *Barboſa monet pag. 49.* Non requiritur tamen, ut Doctoris, aut Licentiati gradu inſignitus ſit, quamvis exempta eccleſia foret. Nullibi enim hoc in jure præcipitur, & *Concil. Trid.* ubi de Dignitatibus loquitur *Seſſ. 24. c. 12.* hortatur quidem, ut conferantur Doctoribus, nō tamen præcipit, *ut Garzias p 7 cap. 7.* reſoluit ex ſententia Congregationis Card. Imò ne quidem per Conciliū Provinciale ſtatui poſſe, ut dignitates & Canonicatus in eccleſiis Cathedralibus dentur graduatis tantùm, habes in *declarat. Cardinal. S. cit. n. 3. Nicol Garz. Par. 7. c. 7 nu 33. Barboſ. lo. cit. num. 6 & l 1. de Iure eccleſ c. 32. Moneta de conſervatoribus c. 5. n. 25. & 94.*

III. Priorum, qui Regulares vocantur etiam duæ claſſes ſunt, alii Conventuales, alii Clauſtrales. Prioratus Conventualis dignitas eſt: clauſtralis non eſt *c. Niſi eſſent. de præbend & clem. 2. de Reſer.* Cauſa diverſitatis eſt, quia Conventualis Prior toti Conventui cum poteſtate præeſt, clauſtralis non ita, ſed ſub Abbate conſtitutus, in Monaſterio, in quo Abbas ipſius vivit, ad regulam & diſciplinam religioſam attendit. Ex Cōventualibus aliqui maximæ auctoritatis & potentiæ ſunt, ut patet in Ordine S. Ioannis Ieroſolomytani Presbyterorum, quorum poteſtas epiſcopali par, & privilegia ampliſſima: de quibus *Franc. Leo in Theſauro eccleſ pag. 302.* Priores, & Commendatarii intra limites ſuarum

Digitized by Google

rum Commendarum ſunt verè Ordinarii ſecundùm *Bullam Pii IV.* & exempti à iuriſdictione quorumcunque Ordinariorum, habentque collationem liberam ſuorum Prioratuum, Balivatum, & Commendarum extra Conventum etiam per reſignationem vacantium. *c. Nullam 18. q. 2 ubi Nav. à n 4. c. niſi eſſent. de prabend. Rebuff. in Praxi tit. Regularia beneficia. nu 4. Tholoſ. l. 18. c. 18. Gonzal. ad Reg 8 Cancel gloſſ. 8. Barb in c. Etſi principalis de reſcr. Roderic. QQ Regular. Tomo I. Q. 34. artic. 2.*

IV. Ex dictis ſequitur, Priorem Conventualem licet obedientiarius ſit, & multò magis Ordinis S. Ioannis Ieroſol. delegari poſſe à Papa, quia dignitate præfulget. *c. Statutum de reſcr. in 6.* clauſtrales verò non poſſe ex contraria ratione, uti nec Vicarii forenſes. *Azor. 1r. l. 3. c. 20. Sanch. in decal. to. 2. l 6 c 13. Barboſa in c Etſi principalis de reſcr n. 3 & ſeq V. qui dixi Tit. praced § 5 nu. 2. Cardin. Tuſchum lit. P. concluſ* 707. & 708. ubi Conventuales Priores ne quidem ad Capitulum generale admitti ſcribit.

V. Prior Conventualis vel eligitur à Conventu, aut Collegio cui præeſt, & confirmatur à Superiore: vel creatur per collationem à Superiore. Hinc fit, ut ab officio removeri nequeat, niſi ex manifeſta & gravi cauſa, ut ſi dilapidaret bona, vel incontinenter viveret: vel maior neceſſitas alterius officii ex conſilio fratrum id requireret *c. Monachi de ſtatu Monachor.* At clauſtralis Prior ad nutum Abbatis mutatur. *Innoc. in c. cit. Monachi. Abb in c. Niſi eſſent. Baldus in Margarita Zabar. in Clem. dudum §. Statuimus de ſepult n. 5. Mend. Reg. 3. qu. 8. nu 4 Mosconius de maieſt eccleſ. l. 1. P. 1. c. 14. Tuſch. concl.* 709. *Roderic. QQ. Regular. lo. cit. Antonl. Cucchus l. 1. Inſtit. tt. 3.*

VI. Priores Conventuales auctoritate conceſſa per *Clementum IV.* in foro conſcientiæ abſoluere poſſunt Monachos ab omni excommunicatione etiam ſummo Pontifici reſervata, & cum eis diſpenſare ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, quos Pontifices ſibi reſervant, in morte videlicet, membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, dummodò aliquod horum trium non ſit notorium. Hanc conceſsionem magnam vocat *Roderic. To. 1. Q. 20. ar. 2.* eò quod tria iſta excipi ſoleant in facultatibus abſoluendi. Addit in abſolutione ab excommunicationib. reſervatis, quorundam iudicio contineri & illas, quæ ſunt Cœnæ Domini, quod hoc tempore nequaquam dicendum eſt.

§. X.

De Capitulo.

I. Capituli nomen loco primùm, deinde Canonicorum Senatui competit. Cur autem ſoli illi, cauſam fruſtra inquiris Dici Capitulum quaſi paruum caput reſpectu epiſcopi, qui ſit magnum, aliqui ex Panormitano allegant, qui numerare arenam mihi videntur. Multæ ſiquidem denominationes vel fortuitam cauſam, vel pro cauſa arbitrium habent. *Iſidor. l 1. Origin. c 28. Ioann Andr. in c. Capitulum de reſcriptis Eberhardus in Lo. ab etymol. Prateius in Lex. Oldend eod.*

II. Quis perſonarum numerus ad Capitulum ſufficiat, utilior quæſtio eſt? In uno Canonico cõſervari poſſe, colligitur ex

ex l. ſi quis municipium, & l. ſicut §. ult ff. Quod cujuſque Univerſitatis nomine Glo in c. 1. de elect. & c. Gratum de poſtul. Pral. Unde ſicut grege legato, ſi unum ſolum animal remanſerit, peti poteſt *l. ſi grege ff de legat. l. 1. Inſt. de legatis §. ſi grex legatus*: ſic ſi unus ſolus Canonicus remaneat, poteſt à ſuperiore petere, ut Eccleſiæ provideatur. *Bald in l. ult de neg. geſtis unus Conſul. aliis defunctis ius habet temp. gubernandi. Ita Azor. II. l. 3. c. 37.* Cujus opinio ne fallat, intelligenda eſt ſecundùm Juris peritorum doctrinam, qui dicunt, quando Univerſitas, vel Collegium ſemel conſtitutum eſt, ſi ad unum deveniat, retinere nomen, & jus Collegii, non verò ex homine verò, & ſolo unquam conſtitui. Neque id in grege contingit. Nam ſecundùm Gloſſ. decem oves faciunt gregem, quatuor vel quinque porci ſimiliter: tres verò homines Collegium idque Eccleſiaſticum, ſi major pars inæqualis ſit Clericorum. *Tholoſ. l. 15. c 32. Schneidevv. l. 2. Inſt. tt. de legatis. Bern. de elect. c. 1. Glo. in c. 1. 10 q. 1. Silveſt. V. Collegium. Emman. Sa. eod. Romanus Conſil. 436. Card. Tuſchus Concl. 452.*

III Capitulum vel conſideratur ſeparatim ab Epiſcopo, vel conjunctim quatenus una cum illo quaſi corpus quoddam conſtituit. Hoc poſteriore modo cenſentur principales conſiliarii, & ſupremus Eccleſiæ ſeu Epiſcopi Senatus. Alicubi corregnantes vocantur & mandatis publicis ſimul cum Epiſcopo ſubſcribunt. Priore modo efficiunt Cœtum ſingularem ſeu communitatem & ab Epiſcopo diviſi ſunt, quoad leges, jura & privilegia. *Moſconius l. 1 c. 15. Valenſis l. 3. tt. 9. Cucchus l. 1. tt. 3.*

IV. Epiſcopus in adminiſtratione ſua à Capitulo dependet, ejuſque conſenſum requirere debet 1. in adminiſtratione redituum & bonorum Eccleſiæ, cum communia ſint Eccleſiæ. 2. in alienatione rerum Eccleſiaſticarum facienda. 3. ſi una Eccleſia alteri unienda ſit. 4. in ſuppreſſione Canonicatuum & beneficiorum. 5 in omni negotio, quod concernit præjudicium Eccleſiæ. 6 in iis quæ concernunt præjudicium Capituli 7. in iis quæ ſpectant ad Epiſcopum & Capitulum ſimul, aut quia promiſcuæ ſunt juriſdictionis aut quia ſpecialis aliqua conventio eſt. 8. in caſu quo minueretur Eccleſiæ auctoritas. 9. Quando conſuetudo eſt non agendi ſine Capituli voto & conſenſu. Denique ſi Epiſcopus innovare leges aut ſtatuta velit, quæ nimirum ſtatum publicum Eccleſiæ vel Diœceſis gerunt *Innoc. in c. fin. de mai. & obed. c quanto de his quæ fiunt à Pral. Vallenſ l. 3. tt. 10. Moſcon. l. 1. par 1. c. 15. Zerola par. 1. V. Epiſcopus n. 10.*

V. Multo minus Capitulo licet in cauſis gravioribus ſtatuere aliquid abſque Epiſcopi voluntate & conſenſu *c Cum conſuetudinis. c. Cum omnes de conſtit. dico In gravioribus* ut excipias ea quæ minoris momenti ſint, & ſolius Capituli ſtatum concernunt. *Card. Tuſchus concl. 94.* Quod ſi Epiſcopus officio ſuo male fungi videretur, inſcio ipſo convenire Capitularibus licet, & quæ in rem ſunt conſtituere. Quemadmodum in aliis ſæpe, & majorum noſtrorum ævo in duobus Archiepiſcopis Hermanno & Gebhardo Truchſeſſo factum conſtat. *Surius Anno 1545. Gordonus in chronol. Anno 1583. Chapeavillus de Geſt Leodienſ. Epiſcoporum tomo 3 pag.* 350.

Digitized by Google

350. & 523. *Zerola Prima parte V. Capitulum num.* 15.

VI. Jure communi nulla Capitulo juriſdictio permittitur in Clericos & Eccleſiæ miniſtros: ſed pluribus in locis per conſuetudinem habent. Epiſcopus enim ordinarius Judex eſt totius diœceſis. *Abb. in c. conquerente n.* 2. §. 7. *de fo. comp. & in c. Paſtoralis n.* 6. 7. *eod.* Neque poteſt mutare conſtitutiones, & conſuetudines approbatas Eccleſiæ, aut novas introducere. *Abb Zabar. Bellam. Vivianus in Rationali alagona in compendio. Barb. in c. cum conſuetudinis de conſuetud. & l.* 1. *de Iur. Eccl. c.* 32. *Layman. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 11. *Silv. V. Capitulum n.* 4. *Armilla eod. n.* 2.

VII. Epiſcopo mortuo ſuccedit Capitulum in omni juriſdictione, quæ ordinario jure Epiſcopo competebat tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus. *c. His quæ c. cùm olim de major. & obed. Navar. conſil.* 43. *n.* 1. *de temp. ord. Molina tr.* 5. *diſp* 11. *Rota deciſ.* 1. *n.* 13 *p.* 2. *diverſ. & deciſ.* 346. *Azor.* 11 *l.* 3 *c.* 37. *Em. Sa. V. Capitulum. Bar. in c cum olim de mar. & ob. Item c. Illa* 2. *Ne ſede vacante ubi* 22. *caſus enumerat, in quibus ſucceditur.* Dixi ſuccedere in juriſdictione, quæ ordinario jure competebat. Non ſuccedit enim in iis, quæ Epiſcopus per privilegia habebat: neque in poteſtate delegatâ *c. ult. de pœn. & rem. c. Quod nonnullis de privil. c. fin. eod in* 6. *Felinus in c. Eam te. Zbroz de Vicar. l.* 1. *q.* 16. *Piaſecius in Proœm. pag.* 16. Et generaliter DD. cenſent ea ad Capitulum non tranſire, quæ Sede vacante expediri non poſſunt. In particulari numerantur etiam ſequentes caſus, in quibus non ſucceditur. 1. In Viſitatione Monaſteriorum exemptorum Monialium. 2. in ſuppreſſione præbendarum, aut portionum, vigore *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 15. 3. in confirmatione donationum Jurispatronatus. 4. in dimiſſoriis litteris ab ordines concedendis intra annum à die vacationis, niſi illis, qui arctati ſunt, quales cenſentur, qui habent jus, vel vocati ſunt ad beneficium aliquod vacans, quod requirit actu certum ordinem, vel qui præſentatur ad beneficium Eccleſiaſticum non habens primam tonſuram. Denique non ſuccedit in collatione beneficiorum, quæ patronata non ſunt. *c.* 2. *ne ſede vacante & c.* 1. *de inſtitutionib. in* 6. *Anto. Cucchus l.* 1. *Inſt. c.* 12. *Caniſ. tt.* 16. *Barb. in c. Illa* 2. *de his quæ fiunt à Prælatis, & Azor.* 11. *l.* 3. *c.* 38. *Silveſt. V. Capitulum n* 3. *& ſeq Zerol. eod. n.* 5. 6. *&* 7. *Tuſch. concl.* 55.

VIII. De Juriſdictione voluntariâ ambigitur. In Capitulum derivari cum Juriſdictione neceſſariâ ex recentioribus affirmat. *Barb. pag.* 252. *citans Aloyſium Riccium in praxi aureâ reſol.* 130. *Moſconio pag.* 294. Magis placet vices gerere in multis ſpiritualibus & temporalibus, ſed non ſuccedere in Juriſdictione voluntariâ. In utramque partem rationes cumulantur ab *Azorio* 11. *l.* 3. *c.* 37. qui tamen affirmativam præfert. Cùm enim Jus dicat ſimpliciter Capitulum Epiſcopo ſuccedere, non debet reſtringi ad neceſſariam. Unde ſequitur 1. concedere poſſe indulgentias, videlicet unius anni in Dedicatione Eccleſiæ, & 40. dierum in anniverſario Dedicationis. 2. diſpenſare in omnibus, in quibus Epiſcopus ſi viveret, diſpenſaret. 3. conſtituere Confeſſarium, qui abſolvat à reſervatis. *Avila par.* 7. *diſp.* 10 *dub.* 6. *Silv & Zerola loco citato. Laym. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 12.

IX. Quod ad poteſtatem Ordinis ſpectat,

ſtat, illa ſimiliter ad Capitulum devolvitur per mortem Epiſcopi, quàm poteſtatem non quidem per ſe, ſed alios exerceat *Glo. in c. de his quæ & c. ſi Epiſcopus de ſupplen. negl. Prælator. in 6.* Nam ejuſmodi poteſtas requirit Epiſcopum conſecratum committere igitur, quæ Ordinis ſunt, alicui Epiſcopo poterit. *Henriq. l.* 10. *c.* 22. *Piaſecius par.* 1. *n.* 15. *Armilla V. Capitulum n.* 9.

X Jure novo *Concilii Trident. Seſſ.* 24. c. 16. conſtitutum eſt, ut Capitulum ſede vacante infra octo dies poſt mortem Epiſcopi Vicarium Generalem eligat, vel exiſtentem confirmet. Si neglexerit, ad Metropolitanum deputatio ejuſmodi devolvitur. Si Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, vel exempta antiquior Epiſcopus ex Suffraganeis in Metropolitanâ & propinquior Epiſcopus ex exemptâ Oeconomum & Vicarium idoneum nominare poſſunt. Ab his Epiſcopus poſtea electus rationem officii & adminiſtrationis exiget, ut *Concil. l. cit.* declarat. Addit *Azorius II l.* 3. *c.* 37. *q.* 18. plures Vicarios etiam principales creare poſſe, præterea ad nutum revocare conſtitutos. Quod ſi aliquem creaverit cum juramento nunquam revocatum iri, nihilominus ratam fore revocationem. *c. cùm vos de off ord.* quo in loco tamen non de Vicario Generali, ſed Oeconomo præcipitur, qui curam habeat bonorum, & redituum ſede vacante, quemadmodum *Barb. notat.*

XI. Poſtremò quæri poteſt, an Capitulum ſede vacante poſſit alicui honorificum Magiſterii, vel Doctoratus gradum conferre, quemadmodum Epiſcopus poteſt? cenſeo diſtinguendum. Vel enim ejuſmodi poteſtas ſpectat ad ſolum Epiſcopum, vel ſimul ad Epiſcopum, & Capitulum. Si poſterius hoc, manet haud dubiè in Capitulo. Si verò primum, aut Jure communi habet illam poteſtatem, aut ſpeciali. Si jure communi derivatur in Capitulum, ſi ſpeciali non derivatur: ſicuti nec cognitio de feudalibus cauſis ſecundùm communem regulam, devolvitur ad Capitulum, quia Epiſcopo jure ſpeciali, vel privilegio competit *Gloſſ. in Clem. ult. de Magiſtris Abb. & Felinus in c. cùm olim de maior. Pavin par.* 1 *q.* 6. *Rebuff. in praxi tt. de devolut. n.* 69. *Azor. II. l.* 3. *c.* 39. *q.* 5. *Barboſa in c. inter ſollicitudines clem. de Magiſtris Alexand conſil.* 110. *lib* 6. *Silv. V. Capitulum cir ſin. allegans* Panormit. cum diſtinctione, quam indicavimus ſupra. Idem de aliis juribus dicendum, puta legitimandi, reſtituendi in gradum priſtinum, nobilitandi, ac ſimilibus: quæ ſi ex privilegio obtinet, ſecum auferet tumulanda: ſin minus, in Capitulum transferentur, ut alia ejuſdem generis omnia.

Alexand. loc. cit. Card. Tuſchus in V. Doctorandi facultas Concl. 551.

***

TIT. VI.

Digitized by Google

TITULUS VI.

De modo conferendi Beneficia.

SEx numerantur modi beneficia dandi & accipiendi *Primus eſt* præſentatio per Patronum facta, & inſtitutio. *Secundus* electio, & confirmatio. *Tertius* poſtulatio, & confirmatio. *Quartus* Collatio libera. *Quintus* Permutatio. *Sextus* Reſignatio in favorem alterius. Præſentatio eſt perſonæ per patronum Epiſcopo, vel alteri, ad quem pertinet, legitimè facta exhibitio. Inſtitutio beneficii collatio, ſeu attributio. Confirmatio propriè ad electum, ſicut inſtitutio ad præſentatũ refertur. Collatio nuncupatur, quando beneficium ſolo jure Prælati datur, nec ſubeſt juri patronatus. Omni beneficio commune eſt, quod obtineri nequeat ſine Canonicâ inſtitutione. De Permutatione, & Reſignatione ſatis videtur dictum *tit.2 §. 6. & 7.* Reliqua ordine pertractabimus.

§. I.

De Iure Patronatus.

I. JUs Patronatus definitur: *poteſtas præſentandi idoneam perſonam ad beneficium Eccleſiaſticum vacans.* Duplex eſt, patronatus Eccleſiaſtici & Laici. Eccleſiaſticum vocatur, non quòd Eccleſiaſticus illud poſſideat, ſed quia ortum inde, quòd ex bonis Eccleſiaſticis Eccleſiam quis fundavit, extruxit, vel dotavit; vel, quod habetur ratione Rectoratus Eccleſiæ, aut dignitatis alicujus, puta, Præpoſituræ, aut Decanatus. Jus patronatus Laici competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, aut ſæcularibus Eccleſiam fundavit, conſtruxit, aut ſufficienter dotavit, vel beneficium aliquod erexit, vel quia ab aliquo horum cauſam habuit. Hoc cenſetur Eccleſiaſticum fieri, quando donatione, aliove modo transfertur ad Eccleſiam, Capitulum, vel Monaſterium, aut annectitur alicui beneficio, dignitati, &c. *Lancel. Inſt. hoc tt. Caniſ. eod Anton. Cucch. l.2 tt.9. Regi l.30. tr.3. c 16. Vall. l.3. tt.37. §.1. Covar. l pract. qq. c. 36. n. 2. Fr. Leo par.2. Fori Eccl. c.2. Garz. pa.4. c.1. n.594. Laym. l.4. tr.2. c.13 n 3. & 4. Az. II. l.6. c.19. Zer. par.1. V. Iuspatronatus. Piaſ par.2. c.5. n. 5.* Differunt in hiſce quatuor. 1. quoad derogationem, quia Juspatronatus Laicorum ſolus Papa derogare poteſt, nec derogare cenſetur, niſi expreſſa mentione facta: Juri patronatus Eccleſiaſtico poteſt etiam Legatus à latere derogare. 2. Laicus patronus habet quadrimeſtre tẽpus ad præſentandum, Eccleſiaſticus verò ſemeſtre. 3. Laicus patronus, cum ſemel præſentavit, variare poteſt, & proponere alium; idem Eccleſiaſtico patrono non permittitur 4. patronus Eccleſiaſticus eligens ſcienter indignum, privatur illa vice poteſtate præſentandi, laicus verò non privatur. *Lamb de jure patron. l.3. q. 10. art.1. Sanch. l.2 conſil. c.3. D.53. n.9.*

II. Jus patronatus ſpectando primam originem quinque modis acquiri poteſt. *Primus eſt* Si quis Eccleſiæ extruẽdæ fundum concedat. *c. nobis de iure patron c. Quicunq; c. decernimus 16. q. 7. Secundus,* ſi cum conſenſu Epiſcopi Eccleſiam conſtruat, *Tertius,* ſi eam dotet, vel beneficium

Digitized by Google

ficium aliquod erigat. *Con. Tr. Seſſ. 25. c. 9.* Hinc Verſiculus iſte,

Patronum faciunt Dos, ædificatio, fundus. *Quartus* multiplicatis præſentationibus à tempore immemoriali, ſeu conſuetudine, de quâ *Con. Trid. Seſſ. 25. c. 9.* *Quintus* conceſſione Summi Pontificis, à quo olim propter inſtantem neceſſitatem Imperatores & Reges Patroni Eccleſiarum rogati & conſtituti ſunt. Neque omnia ab ipſis ſolis beneficia erecta fundataq; prudenter cogitare, & affirmare poſſumus. Idem à Monaſteriis quibuſdam factum liquet cū magno fructu primùm, mox damno, quando Principes, & Dynaſtæ totum electionis, & inſtitutionis jus ſibi vindicârunt. Ob quam cauſam à *Con. Trid.* datur poteſtas Epiſcopis examinandi patronorum titulos, & abrogādi illorum jura, quæ juxta formam præſcriptam probata non fuerint: item examinandi præſentatos, ſive ab ipſis inſtituendi ſint, ſive ab aliquo inferiore. Denique prohibet, jus patronatus vendi ſub pœnâ excommunicationis & interdicti ferendâ, & ſub pœnâ amiſſionis illius juris ipſo facto incurrendâ. *Con. Trid Seſſ. 25 c. 9. & ibi declarationes Cardin. Silv. V. Iuspatronatus n. 2. Fr. Leo in Theſ. fo. Eccl. par 2. c. 21. Piaſec par. 2. c. 5. n. 5.*

III. Ad probandum Ius patronatus ſufficit *primò* documentum, ſeu ſcriptura authentica, qualis eſſet Epiſcopi Bulla, vel conſenſus in ſcripto datus ad fundandum, conſtruendum, ſeu dotandum: facit enim plenam fidem in iis, quæ fiunt ſine figura judicii ſola ſcriptura, aut ſigillum Epiſcopi. *c. poſt ceſſionem iun. Glo. V. literas de probat.* *Secundò* conſuetudo præſentandi per antiquiſſimum tempus nunquam interrupta, ſeu immemorialis temporis. *Tertiò*, ſi de ſolo poſſeſſorio agatur ſufficit probatio per teſtes *Zerola V. ius patron. ad 3. Barb. ad c 9 Seſſ 25 Con. Tr. Piaſec. par. 2. c. 5. pag. 382.* ubi addit libros viſitationum non probare ſufficienter, cum fiant ſine cauſæ cognitione. Item conſuetudinem immemorialem probandam eſſe ad diem motæ litis juxta declarationem Congr. Cardinalium.

IV. A jure patronatus non excluduntur fœminæ *c. ult. de cōceſſ præb.* neque impuberes, neque illegitimi *Arg. c. 1 Pia mentes. & c. Frigentius 27. 16 q 7.* ubi omnibus Chriſtianis jus patronatus permittitur. Nec difficile eſt cauſam indagare. Expedit enim piam fidelium propenſionem ad fundandas, dotandaſque Eccleſias fovere & promovere. Si contingat jus patronatus annexum eſſe bonis à muliere in dotem viro datis, probabile eſt hunc patronum fore: ſecus ſi aliis bonis annexum fuerit: tunc enim ad mulierem præſentatio pertinebit. Pupilli, jus patronatus habentis abſque auctoritate tutoris præſentatio non fiet. Minoris verò etiam ſine Curatoris conſenſu facta valebit. *Garz par 5. c. 9. n 177 Anto. Cucchus l. 2. Inſt. tt. 9. Moſcon l. 1 par. 3. c. 2. Silv. V. ius patron. n. 5. AZ. 11. l. 5. c. 21. n. 16. Layn. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 18.*

V. Cum de poſſeſſione juris patronatus lis alicui mota eſt, à præſentando abſtinebit *Arg. c. ex literis de iure patron. Gloſſ in c. 2. V electionem. de in integr. reſt.* Si verò bonæ fidei poſſeſſori mota lis eſt de proprietate juris, admitti quidem præſentatio, ſed præſentatus lite pendente inſtitui non debet. Si autem poſſeſſor ante litem condictam præſentavit, inſtitutio

 fieri

fieri debet, quamvis ſupervenerit lis. *Abb. in c. cit. ex liter.* Præſentatio enim eſt quaſi fructus Juris patronatus. Plus autem juris habet bonæ fidei poſſeſſor ante litis conteſtationē, quàm poſtea. *Gonz. ad reg. 8. Cancell. Glo. 45. Piaſ. par. 2. c. 5. Gutier. conſil. 4. n. 34. Barb. in c. conſultationibus de Iu. patr. Zypeus l. 1. de Iuriſd. Eccl. c. 38.*

VI. Quatuor potiſſimùm jura competunt patrono tam Laicò quàm Eccleſiaſtico. *Primum eſt* præſentare Epiſcopo inſtituendos ad beneficia tum ſimplicia, tū curata, quando vacant. Ante vacationem enim non tantùm irrita præſentatio eſt, ſed etiam ipſa promiſſio alicui ſpecialiter facta: quin etiam commiſſio facultatis præſentandi, ſi fiat favore perſonæ determinatæ, ut illa ad beneficium proximè vacaturum præſentetur. *c. ult. de conceſſ. præb. Secundum*, Patroni præcipuus honor eſt in proceſſionibus, ſeſſionibus, & ſimilibus. *16. q. 6. c. Pie mentis & c. Frigentius.* Addunt aliqui Eccleſiæ Prælatum alioſq; Clerico Patrono, ut benefactori ſuo reverentiam debere. *Tertiò* Patronus ad inopiam redactus cum filiis ſuis ab Eccleſiâ ejuſq; beneficiatis alendus eſt ex iis, quæ ſuperſunt: ſi non fecerint, actio contra illos tanquam ingratos permittitur *c. quicunq; 16. q. 7. & c. nobis ead.* Extra hunc caſum non licet illi quicquam exigere: neq; Eccleſiam gravare exactionibus, aliiſve oneribus, niſi aliter in ipsâ fundatione conſtitutum ſit. *Quartò* Patrono incumbit jus & onus tuendi ac defendendi Eccleſiam *c. filiis 16. q. 7.* ubi dicitur. Licitum ſit (filiis etiam, & nepotibus Patroni) hâc bonæ intentionis habere ſolertiam, ut ſi Sacerdotem vel miniſtrū aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel judici corrigenda denuncient. Quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant. *Item in c. decernimus ead. q.* dicitur, ut quam diu fundatores Eccleſiarum ſuperſunt, pro iiſdem locis curā habere ſollicitam permittantur. Quod tamen ita limitandum, ut non exiſtiment Patroni Laici ad ſe pertinere juriſdictionem, vel adminiſtrationem bonorum, ut de illis rationem exigant & pro arbitrio diſponant: ſed juxta tenorem capitis ſeptimi ſupra citati, ne quid damni patiatur Eccleſia, attendant & ſi factū fuerit, Epiſcopo denuncient. *Zyp. l. 2. de juriſd. Eccl. c. 85.* Prædicta privilegia continentur his VV.

Patrono debetur honor, onus, emolumentum.
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

Gloſſ. in c. nobis de iure patr. Vivian l. 3 n. 38. c. Alagona in comp. p. 512. Azor. 1. l. 6. c. 20. Barb. in c. cit. Nobis.

VII. Epiſcopus non poteſt mutare cōditionem, & qualitatem ex rationabili causâ à fundatore appoſitam. *c. tua nobis de teſta.* ubi generaliter dicitur. In omnibus piis voluntatibus generaliter providendum eſt, ut ſecundùm defuncti voluntatem univerſa procedant. Unde meritò dicit *Abb. ad c. cit. n. 5. & Covar. n. 11.* A ſolo ſupremo Principe ultimis voluntatibus per plenitudinem poteſtatis, cùm juſta cauſa ſubeſt, derogari poſſe. Juxta *Clem. contingit de rel. dom.* Quòd ſi dubiū oriatur de mente fundatoris, vel teſtatoris, ab Epiſcopo petenda interpretatio erit, qui etiam, ſi irrationabilis videatur, impe-

Digitized by Google

impedire poteſt. Vnde conſequitur, abſque conſenſu patroni Epiſcopum nihil diſponere poſſe in beneficiis patronatis, mutando, transferendo, vel extinguendo. *Abb. in c. cum dilectus n. 5. de conſuet. Leſſ. l. 2. c. 34 dub 9 Laym. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 9. & 12 Armilla. V Ius patronatus n. 6.* Alia eſt in Summo Pontifice, qui in quocunque patronatu, Laicò, & Eccleſiaſtico derogare poteſt, ut ex *Covar l. pract. qq c. 36.* fuſius explicat *Leſſ l cit. Lay. in deſ juſta c. 2. p. 59*

VIII. Nec inſtitutus ſemel renunciare poteſt beneficium in favorem alterius, aut permutare illud abſque conſenſu patroni: qui tamen conſentire tenetur, ſi id neceſſitas vel major Eccleſiæ utilitas exigat. *Abb in c. cum acceſſiſſent n. 6.* cum quo idem alii ſentiunt. Nihilominus in ſimplici & liberâ renunciatione non videtur neceſſarius Patroni conſenſus, quia nihil ipſius juribus derogat. Licet enim illi tunc quemcunque alium præſentare, ut notavit *Garzia par. 11. c. 3. n. 19.* Idem dicendum in aliis caſibus, ubi jus Patroni non læditur. Vnde ſequitur *Primò*, Rectorem Eccleſiæ poſſe novas fundationes altarium recipere. *Secundò* Coadjutorem, aut Vicarium temporalem conſtituere, ad titulum, vel potius ſuſtentationem Eccleſiæ ſuæ, ordinandos Epiſcopo præſentare. *Tertiò* addũt aliqui pẽnſionem temporariam, non tranſeuntem ad ſucceſſores beneficio imponi poſſe abſque conſenſu patroni. *Lambert. de Iure patr. l. 3 q 5. Gonz. ad reg. 8. Cancell. §. 3. Laym. l. cit. n. 13 Barb. in c. Ad hæc de off Vicar. Rochus de Iure patron. q. 3. n. 9.*

IX. Jus patronatus quatuor modis transferri poteſt juxta *Glo in c. Piæ mentis 16. q. 2.* nimirum Donatione, permutatione, Venditione, & teſtamento. De donatione legimus in *c. ex inſinuatione de iu. patro.* ſi donetur loco, vel perſonæ religioſæ non opus eſt conſenſu epiſcopi, ſecus, ſi laico. Intereſt enim cui detur, ne fortè nimis potens ſit, à quo plus damni, quàm emolumenti ſperare eccleſia poſſit. Sufficit tamẽ conſenſum epiſcopi poſt factũ impetrari. Permutationem quod attinet, licita omninò eſt, modò cum ſimili aliquo jure ſpirituali permutetur. Cõſenſus tamen epiſcopi impetrandus propter cauſam modò indicatã De Venditione diximus n. 2. prohibitã eſſe. Teſtamento autẽ transferre licet, quin etiã ab inteſtato, nec ſolùm ad agnatos, ſed extraneos quoque, maſculos & feminas. Ex duobus patronis ſi unus in plures tranſtulerit ius ſuũ, plures iſti loco unius erunt, nec plures in præſentãdo, ſed unam duntaxat vocẽ habebunt. *Clem. 2. de iu. patron. iunct. Glo.* Vbi additur, Vt facilius provideatur eccleſiis, convenientes reputamus, patronos ipſos inter ſe poſſe liberè convenire de rectore ab eis alternis vicibus præſentando. Quin etiam benè annotavit Gloſſa prima communiter recepta, quod patroni pluriũ eccleſiarum inter ſe iura ſua dividere poſſint, ut unus præſentet in una eccleſia, alter in altera. *Gloſſ. in V. Fundatione in c. Piæ mẽtis 16. q. 7. Iac. de Graff Par. 2. l. 2. cap. 25. Zecchus de benef & pens c. 12 n. 5. Barb. de poteſt. epiſc. par 3. allegat 71. Layman. n. 20.*

X Idem ius totidem modis amittitur *1.* Si patronus vendat, vel contra, quàm oporteat immutet. 2. ſi uſurpet ſuũ incommodum 3. ſi mortem intentare audet Rectori eccleſiæ 4. per hæreſim. *Zerola V. Ius patro. par. 1. §. ad octavum Vallenſ. l. 3. tt. 38. §. 7. Iac. de Graff par. 2. l. 2. c. 6. n. 25 & ſequ.*

Digitized by Google

§. II.
De Electione.

I. ELectio propriè ſumpta *eſt alicuius perſonæ ad Eccleſiæ vacantis paſtoralem dignitatem canonica vocatio.* Latiùs accepta comprehendit quamlibet nominationem, qua aliquis legitimè nominatur, ſignatur, vel offertur illi, qui confirmare poteſt. Confirmatio ſignificat conſenſum, & approbationem ſuperioris, quæ tamen non eſt neceſſaria in omnibus, ſed tantùm in Prælatis Eccleſiaſticis, non religioſis, qui per electionem propriè & ſtrictè ſumptam à Collegio Clericorum eligi debent, de qua eſt *titulus in l. 1 & 6 Decretalium, Clementinis* quoque & *Extravagantibus.* Cæterùm *Canonica vocatio* dicitur, in qua ſervata eſt forma electionis à Iure præſcripta. *c. quia propter iun. Glo. V. Senior.* Sed quæ prædicta forma non uno modo ſervatur, Canonica electio triplex invenitur. Una ſtrictè, altera, ſtrictius, tertia largo quædam modo. In ea enim præter conſenſum electorum, nulla Iuris ſolennitas adhibetur: cùm in ſtrictè accepta ſubſtantiales, in ſtrictiori etiam accidentales obſerventur. de qua propterea loqui communiter jura exiſtimantur. *Barb. in c. Illa de el. Caniſius l. 1. Inſtit. tr. x 1. Lancel. l. 1. tt. 6. Anto. Cucchus eod. Silv. V. Electio n. 1. & 2. Vallen. l. 1 tt 6. § 1. Reginald. l. 30 pag. 691.*

II. Qui electus eſt, nondum habet jus in re, ſed ad rem tantùm, ac proinde confirmatione indiget, à qua plenum jus tribuitur. Unde ſequitur *Primò*, ſi electus moriatur antè confirmationem, beneficium non vacare, per illius, ſed per obitũ præcedentis poſſeſſoris. *Secundò*, non poſſe uſurpare adminiſtrationem. *c. noſti c. qualiter de elect.* alioqui jus per electionem acquiſitum amittit *c. Avaritia eod. in 6.* Inſuper perceptione fructuum privatur, & acta irritantur. *Extrav. 1. de elect.* Diſpenſativè tamen *in c. nihil de ele.* permittitur, ut Prælati à ſummo Pontifice confirmãdi, in remotis provinciis ante confirmationem ſuſcipere queant adminiſtrationem tam in Spiritualibus, quàm temporalibus, ita tamen, ut ex Eccleſiæ bonis nihil alienẽt. *Lanc. l. 1 tt. 9. Laym. qq. Cano. pag. 99. Caniſ. l. 1. tt 13 Piaſec. in prax. pag. 9.*

III. Eſt autem Romanæ Curiæ moderna conſuetudo, ut poſt propoſitionem promovendi in conſiſtoriò firmetur *Breve*, & mittatur pro capienda poſſeſſione, antequam Bullæ expediantur: accepta verò poſſeſſione ſive vigore *Brevis*, ſive *Bullarum* plena adminiſtratio competit confirmato, quamvis nondum conſecratus fuerit, ſtatimq; adminiſtrare, & coercere ea omnia poteſt, quæ ad poteſtatem juriſdictionis pertinent, cujuſmodi eſt judicare, excommunicare, juramenta à Vaſallis recipere, beneficia conferre, & inſtituere *c. tranſmiſſam de elect. iun. Glo. V. de talibus.* Indulgentias quoque concedere poteſt, etiamſi nondum Sacerdos foret. quia indulgentiarum conceſſio juriſdictionem ſequitur, non ordinem. *Piaſec. in Praxi pag. 17. Silv. V. Indulgentia n. 10. Em. Sa. n 16.* Nota *1.* Non vacare beneficia electi, niſi poſt confirmationem, & conſecrationem, aut ſaltem poſt trimeſtre tempus à Iure definitum, ut colligitur ex *c. cum in cunctis.* 2. Talem Epiſcopũ percutiens nõ incurrit excõmunicationẽ duodecimam *Bullæ Cœnæ Domini:* imò nec ſi confirmatum percuſſerit ante illius conſecrationem. *Glo. in clem. dignum. de celebr.*

Digitized by Google

lebr.Miſſ.Nav.c.3.n. 67.3. Occidens epiſcopum ſolummodò electum, teſte. *Moſconio, pag.* 158. mitiori pœna plectendus eſt, quàm ſi conſecratum occideret *Glo. in c.Tua nos.* Addit, neminem appellandum epiſcopum, niſi fuerit confirmatus, & conſecratus: quod tamen in Germania hac noſtra minimè obſervamus. Cum enim Principes ſimul ſint cum omnimoda ſæculari iuriſdictione non decet ſubditos in honorando paucos eſſe.

IV. Ius eligendi penes Collegium eſt. *c.1.de elect.c.Congregatio* 10. *Q.ult.* Et vocandi omnes ſunt, quibus eligendi poteſtas competit ut nimirum per ſe, vel procuratorem compareant. *c. Quod ſicut De elect.* quamvis duo tantùm fuerint, ſufficiens numerus cenſebitur. *c. Nullus citato de elect.* In uno ut conſervetur Collegij ius ſecundum ea, quæ *Barb. notat in c. Nullus de elect. Eberh in loco à genere ad ſpec. n.* 2 ſeipſum tamen eligere non poterit, ne ambitionis reum ſe faciat, *Arg c. Per noſtras de iure patron.* Poterit autem idoneum aliquem nominare, & Superiori proponere confirmandum, vel in Superiorem, aliumve clericum unum, aut plures ius eligendi transferre, quo caſu etiam ipſe eligi poterit. Ex conſuetudine etiam vel privilegio, qui de Collegio nō ſunt, intereſſe electioni poſſunt *c.Cumana iuncta Glo.V. Conſuetudine de elect* præſertim principes & patroni. Ille quoque qui eſt in quaſi poſſeſſione juris eligendi aut præſentandi, validè eligit, & præſentat, licet poſtmodum in iudicio cauſa cadat, quia prædicti actus eligendi vel præſentandi cenſentur eſſe fructus juris beneficii aut patronatus. Vnde ſequitur, quemadmodum bonæ fidei poſſeſſor fructus validè alienat, ita præſumptus elector validè eligat. *Abb. Zabarell. Vivianus in Ration.Iuris l.* 1 *p.* 126. *Alagon. Compend pag.*49. *Anto. Auguſtus coll. l.3. Decretal l.1.tt.6 cap.*16.

V. Si contingat aliquem ex illorum numero, quibus eligendi ius convenit, non vocari ad electionem, cùm poſſet, ac deberet, electio quidem non propterea cenſebitur invalida, ipſe tamen actionem inſtituere poterit adverſum eos, à quibus contemptus eſt, & electionem infirmare. *c. Quod ſicut. c. Bona de poſtul. Præl. ubi Abb num* 7. Præterea ſi quis cùm poſſet, adeſſe, abeſſe malit, pro ea vice juri ſuo renuncians cogi non debet, niſi fortè ex abſentia illius damnum aliquod eccleſiæ aut præiudicium timeret. *Abb. & Glo. in c. Quia propter V. Qui volunt. Sotus l. 4. q. 6 a 3. Armilla V. Electio n.*20. *Layman l. 4.tr.2.c.*12 *n.*4.*Gutier l.*2 *cā.qq.c.*11 *n.*86.

VI. Ab electione facienda, ut incapaces, excluduntur 1. Excommunicati. *c. Conſtitutis* 1 *de appell* 2. Suſpenſi ab officio. *c. cùm dilectus de conſuet.* 3. Irregulares *c. Is qui §. ult. de ſent. excom. in 6.* 4. Qui in loco interdicto ſcienter celebravit. 5. Eligentes indignum ſeu incapacem *c. cùm in cunctis de elect.* 6. Qui per abuſum admiſſæ ſæcularis poteſtatis elegerunt 7. Qui tribus menſibus diſtulerunt electionem Prælati, pro illa vice privati ſunt jure electionis. *c ne pro defectu eod.* 8. Impuberes *c. Ex eo quod de elect. in 6.* Requiritur enim in eccleſiis cathedralibus, & collegiatis ætas annorum 22. ut in Subdiaconis. 9. qui in eccleſiis regularibus aut monaſterijs expreſſè vel tacitè profeſſi non ſunt. Similiter excluduntur Laici converſi. *c. Ex eo quod §. ult. de elect. in 6.*

Digitized by Google

in 6. Qui eiuſmodi ſunt, ab electione facienda prohibentur: in dubio admitti poſſunt cū proteſtatione, eorum ſuffragia non plus valitura, quàm valere ſecundùm Canones debent: *Abb & alii DD. in c. Cumana de elect. n. 2. Anton. Cucchus l. 1. Inſtit. tt. 7. Vallenſis l. 1. tt. 6 §. 5. Layman l. 4. Tr. 2 c. 12. n. 3. Az. II. l. 6 c. 14. Q. 8.*

VII. Ius eligendi Prælatum eccleſiaſti cū nullo pacto, fundatione, aut donatione Laicis concedi poteſt. *c. Sacroſancta 51. de electione.* Quia ius eligendi Prælatos ſpirituale eſt, cuiuſmodi tractare ex officio Laicis minimè competit. *c. 2 de iudic.* Neque id patitur eccleſiaſtica libertas. Cùm ergò Prælati ſummo Pontifice inferiores libertati eccleſiaſticæ præiudicare nequeant, manifeſtum eſt, ab illis in laicos eligendi poteſtatem transferri non poſſe. *Azor l. 1. 15. c. 19.* Nihil vetat tamen, quò minus ſummus Pontifex regi alicui vel Principi tale ius concedat. Nam Galliæ rex generalem poteſtatem habet in toto regno ſuo nominandi Prælatos & epiſcopos à Papa confirmandos iuxta *Sanctionē Pragmaticā*. de qua *Rebuffus & Degraſſalius l. 2. Regalium Franciæ circa initium.* Idem regibus Hiſpaniæ Luſitaniæ & Imperatori indultū conſtat. *Barboſa in c. cùm terra de elect.* Vbi n. 9. monet, prædicto iuri ſeu privilegio non derogari per reſervationes in Regulis Cancellariæ Apoſt. fieri ſolitas. Illud verò fabuloſum eſt, quod ex *Sigeberto, & Luitprando Gratianus* refert omnium eccleſiarum inveſtituram ab *Adriano Papa Carolo M. & à Leone octavo Ottoni primo Imperatori* donatam fuiſſe. *Baron. A. C. 774. Regin l. 30. tr. 3. c. 15. Ferdinandus ab Efferen in Manuali politico l. 4. puncto 7. Bellarm. l. 1. de cleric. c. 10. l. de translat. Imp. c. 12. & Recognitionem p. 17. Laym. in defenſ. iuſta c. 4. p. 259.*

Electionis Canonicæ tres modi ſunt. Per ſcrutinium, ſeu ſecretam collectionē ſuffragiorum. Per Compromiſſum, ſi certis & idoneis perſonis electio committatur, & per viam Spiritus Sancti, cùm omnes quaſi uno conſenſu unum aliquem nominant. Electio quæ alio modo quàm ex prædictis aliquo peragitur, irrita cenſetur, & qui ita elegerunt, pro ea vice eligēdi poteſtate privandi ſunt *c. Quia propter 42. de elect.* Vbi notanda differentia. Qui in materiā peccant, indignum eligendo, ipſo jure privati ſunt poteſtate eligendi: qui verò in formâ ſeu modo, per ſententiam Iudicis privandi ſunt *Sılv. §. 1. nu 9. Innoc. in c. Quia propter de el. Vallenſ. l. 1. tt. 6. §. 4.*

IX. Solennitates accidentales, antè electionem Prælatorum faciendæ quinque potiſſimùm ſunt. 1. Ipſo electionis die Miſſa de Spiritu Sancto celebratur, & electores communicant. 2. Hymnus *Veni Sancte Spir.* ab omnibus alta voce recitatur. 3. Totius Capituli nomine unus aliquis proteſtatur, nolle ſe quemquam admittere ad electionem aut ſuffragium illius valere, qui ad eligendum de jure inhabilis eſt. 4. Abſoluuntur omnes ab excommunicatione, aliiſque cenſuris in ordine ad effectum Canonicæ electionis. 5. Aliquando præmittitur tractatus, in quo perſonæ aliquæ palàm nominantur, & proponuntur in Capitulo tāquam idoneæ ad Prælaturam. Et hæc ubi conſuetudo viget, omninò ſervanda ſunt, quamvis accidentalia videantur, & ſine quibus conſiſtere poſſit electio *Gutier. QQ. Canon. c. 4. Moſconius l. 1. p. 1. c. 8. Biaxius de elect.*

Digitized by Google

elect. Rat. 3. requiſ. 22. & cap 13. Emm. Roderic. Tom. 11. Q 54. artic. 1. Silv lo. cit. Caniſius l 1. inſt. tt. 11. Lancelot. l 1. tt. 6.

§. II.

De electione per Scrutinium

I. **D**E Scrutatoribus extat *cap. 42. de elect.* ubi præcipitur, ut aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretò, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſentit. Cenſetur autem ſanior pars, quæ pietate, & iuſtitia prævalet. *Ita ibi.* Nunc uſus obtinuit in multis locis, ut Scrutatores non ex Capitulo, ſed aliunde ſumantur exacto juramento de fide & taciturnitate. *c. Quia propter de elect. Cucchus l. 1. Inſt. tt 7. § ſed ne quid. Moſcon l. 1. par. 1. c. 5. Laym l. 4. Tr. 2. c. 12. num. 6. Arnold. Corvinus l. 1. Aphoriſm. tt 4.*

II. Scrutinium duobus modis fieri poteſt, Voce, Scripto. Rogantur à Scrutatoribus ſinguli, ut iurati vel iuxta conſcientiam ſuam nominent, qui dignus videatur. Hæc ſuffragia Notarius aut tabellio excipit. Cùm Scrutatores de ipſo Capitulo ſunt, poſtquam Capituli præſes elegit, à ſe invicem exigunt ſuffragia, duo ab uno, idque ab initio, antequam aliorum auditæ ſententiæ ſint; ne ex his ſuam ipſi poſtremò determinationem accipiant. *Silv. V. Electio. Moſcon. de maieſt. eccl. l. 1. par. 1. c. 2. Vallenſ parat. l. 1. tt. 6. § 4. Azor. 11. l 6. c. 14. Q. 11.*

III. Electione legitimè peracta coram omnibus de Capitulo facienda eſt publicatio, ut intelligat quilibet, quis, vel qui electi ſunt. At nomina eligentium & ſuffragia, præſertim ſi ſcripto data ſupprimuntur, vel etiam comburuntur. Eſt autem permiſſum electoribus ante publicationem mutare, revocare, aut alteri dare ſuffragium ſuum, quia nondum omninò completa cenſetur electio, quamdiu publicatio differtur.

Vbi notandum, ſi forma in *c. Quia propter* præſcripta ſervanda ſit, electionem quaſi duplicem fieri; Vnam in privato apud Scrutatores, alteram in publico per publicationem, & acceptationem. Quòd ſi ſcrutatores differre publicationem ex quacunque cauſa voluerint, quilibet ex Capitulo, maximè qui ſe electum eſſe confidit, contradicere, aut litem intendere poteſt. *Con. Tr ſeſſ. 25. c. 6. Lancel. l. 1. tt. 6. Tholoſ l. 1. tt. 29. c. 5. Roderic. Tom. 11. QQ. regular Q. 52. artic. 14. Cucchus l 1. inſtit tt. 7. pag. 70.*

IV. Scrutinii publicationem in Capitulo factam proximè ſequitur collatio à Scrutatoribus, vel à Capitulo Deputatis facienda videlicet numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum. Numeri collatio fit, ut appareat, an aliquis à maiori parte electus ſit: zeli, ut appareat, quis electus ſit à ſaniori parte: Meriti, ut quis è pluribus dignior ſit, innoteſcat. Hoc tempore ſolius ferè numeri exceſſus attenditur ſupponendo neminem ita obligationis ſuæ immemorem eſſe, ut indignum eligere velit. His poſitis, ſi nulla quæſtio moveatur vel contra ele-

Digitized by Google

ctores vel contra electum, aut formam electionis à perſona ad id deputata publica & ſolennis promulgatio fit hoc ferè modo. *Ego N. nomine meo, & eligentium, mihique conſentientium invocata Spiritus ſancti gratia in Epiſcopum, Abbatem, & eligo N. & electum pronuncio, & coram vobis publico in nomine* Patris. *&c. Suar. IV. de Relig. l. 2. cap. 5. num. 24. Caniſ. l. 1. tt. 11. Cucchus l. 1. tt. p. 70. Tabiena V. Electio. Barb. in c. Quia propter de elect.*

V. Prædicta electionis forma non eſt in iure præſcripta niſi pro iis Prælatis tantum, qui generalem & ordinariam iuriſdictionem habent, quales ſunt epiſcopi Prælati regulares, & eccleſiarū Collegiatarum Præpoſiti, ab epiſcoporum iuriſdictione exempti. Nam *Lateran Concilium in c. quia propter* pro eccleſiis viduatis tantum præſcribit formam electionis. Non dicitur autem eccleſia viduata, niſi quæ paſtorem ſuum velut ſponſum amiſit. Sponſus autem primo loco epiſcopus cēſetur, deinde Prælati epiſcopo minores. In aliis electionibus ſufficit, quocūq; modo conſenſus præſtitutus maioris partis Capitularium, ſeu Collegarum, & conſuetudo attenditur. *Laym. QQ. Canonic. pag. 67. & l. 4. Tract. 2. c. 12. n. 6.*

VI. Dubium eſt, An ſcrutinii forma etiam in poſtulatione Prælati adhibenda ſit? Adhibendam in non ſolenni poſtulatione, cùm Abbas, vel alius Religioſus ad epiſcopatum, aliamve Prælaturam poſtulatur ex *c. quia propter de elect.* colligitur, quia æquiparatur vere electioni. Idem igitur in ſolenni faciendum erit à potiori. Non minus enim ſic poſtulatus ad prælaturam ius conſequitur, quàm ſi ſolenniter electus eſſet, ut cum *Abb. in citatum cap. quia propter Silv. V. Poſtulat. 6 & alii DD.* notant *Regin. l. 30. tr. 3. c. 14. Az. II. l. 6. 17. Q. 3.* refert opinionem quorundam, omnes in poſtulando concordes eſſe debere adeò, ut vel uno diſcrepante irrita ſit poſtulatio: quæ nimirum gratiæ & favoris eſt. Verùm obtinuit hodie contraria opinio & majoris partis vota ſufficiunt. *Gofr. Off. Abb. Silv. V. Poſtulatio &c.*

§. II.

De electione per Compromiſſum.

I. PEr Compromiſſum facultas datur à Capitulo certis perſonis eligendi, quem prælatura dignum iudicarint. Patui enim refert teſte Paulo I C. An ipſe ordo (*Decurionum*) elegerit, an is, cui ordo negotium dedit. Poſſunt autem Capitulares compromittere etiam in perſonas incertas; ita ut hi unum pluresve deſignent, per quos conſtituantur Compromiſſarii. Illud obſervatione dignum eſt, ne Compromiſſum fiat, unū ſolū de Capitulo impedire poſſe. *c. ſi cōpromiſſarius de el. in 6. Moſcon. l. 1. par. 1. c. 2. Vallens. l. 1. tt. 6. §. 4 Laym. l. 4. Tr. 2. c. 12. n. 7. Anton. Cucchus l. 1. inſt. tt. 7.*

II. Compromiſſarii non niſi ex Clero ſumendi ſunt, quia à Laicis tractari eccleſiaſtica munia nequaquam convenit. Perinde fuerit autem, ex Capitularibus deligere Compromiſſarios, vel ex aliis, qui idonei cenſentur. Nec repugnat unum tantùm conſtitui, v. g. epiſcopum, cui Capitulum eccleſiæ regularis, aut ſæcularis ſubiectum eſt. Quo in caſu epiſcopus eliget primò, deinde Capitulo proponet, poſtea,

Digitized by Google

poſtea, ſi nihil obſtet, electum confirmabit *Glo & Innoc. in c. cum inter 21. de ele.* Ad praxim cõducit numero impari eligere Compromiſſarios, quamvis id nõ ſemper neceſſarium ſit. *c. Contingit de arbitris Az. 1. l. 6. c. 14. Qu. 11. Tuſchus concl. 505. Laym. lo cit. Silv V electio § 11. n. 18.*

III Compromiſſio fit vel abſolutè, vel limitatè. In abſoluta eligendi poteſtas tota in Compromiſſarios transfertur, ut quēcunque iudicaverint, dignum eligant. In limitata verò ad certum genus hominum reſtringitur. Nõ admittitur hæc Compromiſſi forma, ut electus cenſeatur, in quem maior Compromiſſariorũ numerus comparatione aliarum partium conſenſerit. v. g. Si ex ſeptem Compromiſſariis duo cõtentiant in Titium, alij verò in Sempronium, nõ poteſt formari Decretũ electionis de Sempronio quia electio per Cõpromiſsũ nomine totius Capituli facienda eſt. Vnde *Bonif VIII. in c ſicut 21. de elect. in 6.* in electione per Compromiſſum promulgationem fieri vult ab uno aliquo nomine communi, & collectivo *Ego N nomine meo, & aliorum mihi conſentientium eligo Semproniũ &c.* Quod hic de electione, de poſtulatione quoque dictũ ſit. Nã hæc quoque Compromiſſarijs committi poteſt. *V. Layman loco cit. Tabienam V. Electio §. 2. de forma Compromiſſi.*

IV. Niſi prohibitio obſtet, ex ſuo numero Compromiſſarii aliquē eligere poſſunt. Neque enim iure ſuo per Compromiſſum privantur. Neque convenit ex officio ſuo quempiã damnũ pati: multò minùs eccleſiæ commodis obeſſe debet. Idē ex *c. cùm in iure 33. de ele.* liquet, ubi ex ſeptē Compromiſſariis per tria vota electus ſuo addito pronunciatur legitimè in Decanũ electus, addita tamen clauſula dummodò aliquid Canonicũ non obſtet. *V. Moſconiũ Par. 1. c. 2.* ubi *Ioannis XXIII.* exemplo confirmat qui ſeipſum elegit, cùm Cardinales in ipſum ſolum compromiſiſſent. Quod facti, nõ iuris eſt, ut ibid. *Moſcon. fatetur, & latè probat Roder. To. 11. Q 54. ar. 9. & Silv. V. Electio § 2 n. 19.*

V. Si quis cõpromiſſarius à collegis ſuis electus eſt, addere ſuffragiũ ſuum poteſt, & de ſe factam electionem cõfirmare ſeu corroborare. Patet hoc ex *n prac. & arg. l. Planè iunct. Glo. V. Poteſt ff. Quod cuiuſq. univerſ. idem tradit Ioa. Andr. Imola. Calderinus & ex recentioribus multi*: quia ſic electus principaliter ſeipſum nõ eligit, ſed aliis eligentibus conſentit, illorũ voluntatem approbans Neq; de ambitu hic quærendum, cùm ambitioſus minimè cenſeatur, qui aliorum de ſe vero & benigno iudicio ſubſcribit. Hinc ſequitur, ſi tres electores eſſent, quorũ unus Titiũ eligeret, is ſuffragiũ pro ſe ſuum addere poſſet, ita ut per duo iſta ſuffragia cenſeatur electus. Si verò duo tantùm forent, & unus alterum eligeret, poterit ſimili modo conſentire. Deniq; ſi in unum tota poteſtas conferatur, ordinariè quidē ſeipſum eligere non poterit, quia præſumitur cæco ſui amore corruptum iudicium habere: non videtur tamen rationi diſſonum, ſeſe aliis offerre, & proponere acceptandum. Quo obtento cauſa quidem erit electionis ſuæ, ſe tamen ipſe propriè loquendo non eligit. Atque ita factum à Ioanne XXIII. crediderim, qui ſeipsũ elegiſſe in Pontificem dicitur. *Azor* tamen *11. l. 4. c. 2. Q. 8.* electionē Ioannis pro rata & firma habitã putat, tũ quia licuit illi ex Compromiſſi forma, tum quia poſtquã elegit ſeipſum, ſeu propoſuit,

Digitized by Google

Cardinales conſenſerunt & acceptarunt *Moſcon l.1 par.1.c 8 p.185.Emman.Rodriq. To 11.Q.55 art.12.Silv.lo.cit & n.23.Barboſa in c.ſi Petrus.8 Q 1. Armilla n. 31. Zerola par.1 V electio.§ Quarto.*

VI. Compromiſſum communi conſenſu factum ordinarie revocari non poteſt. *Primò* ſi res integra non ſit, cùm videlicet ſubſtantialia in manu, iamque tractari cœptum de hoc vel illo eligendo: ſecus ſi præparatoria tantùm facta, cuiuſmodi eſt Miſſæ celebratio & ſimilia. *Secundò* ſi in gratiam Compromiſſariorum à Capitularibus eligendi poteſtas illis data ſit. Tunc enim inſtar gratuiti muneris, vel donationis eſt, quæ revocari non ſolet, niſi gravi urgente neceſſitate. Cæterùm per ſe expirat 1. tempore quod præfixum erat, finito 2. abſoluta electione, quamvis irrita. 3. ſi aliqua conditio ſervata non ſit, vel ſi in eccleſiæ utilitatem conceſſa poteſtas ſit, & res integra, ab iis, qui dederunt, revocari poteſt: ita tamen, ut vel omnes de Capitulo, vel certè maior pars in id conſenſerit, ne ſi paucorum arbitrio fiat, quod ſemel placuit, diſplicere, temerè videatur. *Silv V.Compromiſſum.n.24.& ſeq. Laym. QQ Canon.pag.81.*

VII. Dubium eſt, ſi duo ex tribus indignum eligant, & propterea amittant ius eligendi, in unum reliquum tota poteſtas recidat. vel potius ad Capitulum devolvatur? Affirmant aliqui cum *Abb. in c.ſi Compromiſſarius. de elect. in 6.* ad unum devolui, qui innocens, eſt, ſed abſque fundamento. Melius igitur alii in Capitulum reducunt. Non enim præſumi poteſt cùm plures deſignarint, unius arbitrio rem totam ſubiicere voluiſſe. Novo igitur conſilio alios Compromiſſarios creabunt, cum inſtructione, & mandato electionem celebrandi. Sine novâ commiſſione enim, qui ſemel errarant in electione, ad aliam progredi nequeunt *c.Cauſam V.Recipi de el.Silv V.electio §.2.n.24. Anton.Cucchus l.1 inſtit.tt.7.*

VIII. Quando poteſtas eligendi data cum conditione eſt, ut in conſilium certas perſonas adhibeant Compromiſſarii, obſervabunt 1. ut maturè admoneant conſiliarios, & tempus reſpondendi cõcedant. 2. ut nõ exiſtiment ſibi neceſſariò ſequendum eſſe conſilium, quia fieri poteſt, ut in ſe bonum, hîc & nunc tamen eccleſiæ cõmodũ non ſit. Excipe, niſi Conſultor in officio, vel adminiſtratione ſit. 3. ſi mandatũ ſit, ut aliquorum conſilium audiant, v.g. trium Abbatum, conſilium in uno aliquo trium illorum executioni mandari poteſt, iſque eligatur, quamvis repugnet: quemadmodum ſi mulieri prohibitum ſit alienare quid abſque conſilio duorum cõſanguineorum, uni ex illis vendere poteſt, non minus, atque aliis non conſanguineis.

De electione per viam Spiritus Sancti.

I. HVius electionis formam hiſce temporibus raram, & vix cognitam *Moſconius l 1.de maieſt. eccleſ.par.1.c.8.* ita deſcribit. Cùm electores intrant omnes ſimul in locum, ubi electio facienda, ſeque recipiunt ad tractandũ de electione, prius invocato ſubſidio Spiritus Sancti ſtatim unanimiter abſque alio tractatu præcedẽte omnes repentè in unam perſonam conſentiunt, ita ut quaſi divina revelatione abſque alio hominis miniſterio illum eligerent, ut legitur de Fabiana Papo, Nicolao epiſcopo, & ſimilibus. Vnde dicitur, ſi unus tantùm contradiceret, talis electio

non

Digitized by Google

non teneret in ſimili formâ, præſumendo videlicet, non diſſenſionis, ſed unionis Spiritum eſſe, qui ad certum hominé eligendum impellit. *Paratit. Vallenſis l. 1 tt. 6. § 4. Anton. Cucchus pag 65. Silv. V. electio n. 28. Armilla n. 36.*

II. Quod à *Moſconio hic*, *& in c. quia propter de elect.* dicitur *quaſi divina revelatione* nõ eodem ab omnibus ſenſu accipitur. Aliqui enim nõ diminutionis, ſed veritatis notam eſſe, ut in *c. Parochianis de decimis & c 1. Ioan. quaſi unigeniti à patre:* alij cum Oſtienſi duas electionis formas indicari putant: quarum una verè per inſpirationem fiat, qualis erat Nicolai, Ambroſij, Severini, & quorundam aliorum; altera non per veram inſpirationem, ſed inſtar veræ, ut quando non conſtat à Deo procedere, ſed præſumitur, eò quòd nullo præcedente tractatu electores in unũ aliquem cõſentiunt, ita ut repentè unus poſt alium ſine intervallo eundem eligat. *Abb. in c Quia propter de elect Oldr. conſ. 155. Annot. Lanceloti l. 1. tt. 6. Ioan. Andr. in c. quia propter de elect. nu 40. Biaxius in* [illegible] *rector. elect par 3. c. 16. & alii ap. Barboſam in c. cit. quia propter n. 31.*

III Dubiũ eſt quale peccatũ ſit, eligere dignũ, vel minùs dignũ excluſo digniore, ad beneficium vel prælaturam eccleſiaſticam. Breviter, quia à Theologis diſcuti accuratius ſolet in *Tr de iuſtitia & iure.*

R. 1. Qui indignum ſcienter eligit, mortaliter peccat, & tenetur ad reſtitutionem omniũ damnorũ, quæ inde cõſequuntur. Eſt communis & per ſe nota. Nã gravi malo temp. vel eccleſiã afficit, ad quod uti cavendũ antequã fieret lege charitatis, & iuſtitiæ tenebatur; ita poſtquã illatum eſt, ad reparandũ obligatur. Porrò dignitas generatim loquendo cõſiſtit in eo ut ſit aptus & ſufficiens ea præſtare, quæ officiũ ad quod eligitur, requirit *Card. Lugo diſp. 35. Sect. 1. Sanchez l. 2. Conſil c. 1. D. 45. Silv. n. 18. Armilla n 21.*

R. 2. Qui dignum eligit, excluſo digniore per ſe loquẽdo etiam lethali peccato ſe obſtringit. Ita multi Theologi, ſummiſtæ & Canoniſtæ apud *Azor 11. l. 6. c. 15. Sanch l. 1. conſil c. 2. Leſſium c 34. dub. 14. Arragonum Q 63. art. 2. Comitol l. 1 q 77.* Omiſſis antiquioribus *Con. Trid Seſſ 24 c. 1.* peccare mortaliter Antiſtites dicit, niſi quos digniores & magis eccleſiæ utiles iudicaverint, præficiẽdos curaverint. Item *c. 18.* præcipit eligi, qui cæteris magis idoneus cenſetur ad curã animarum. Vnde tamen aliqui occaſionem ſumunt reſtringẽdi ad beneficia curata, & Prælaturas majores, cuiuſmodi eſt epiſcopatus. *Alexander Par. 2 Q. 119 art. 3. Card. Lugo diſp. 35. ſect 1. Comitolus* autẽ *l. cit.* hanc opinionẽ hoc tempore poſt Conſtitutionem *Pii V. In conferendis. An 1566.* editã non ſolùm veriſſimam, ſed ſolã eſſe defendendã, quãdo nimirũ de beneficiis curatis, & per concurſum conferendis agitur. *V. Barb latè de offic & poteſt. Parochi pag. 29.*

Dixi, Multos Theologos, Summiſtas & Canoniſtas ita ſentire, quia aliqui mitiorẽ ſententiam tenent, non peccare videlicet, qui minus idoneũ eligũt ad beneficiũ aut Prælaturã quia putãt ſibi favere *Cõt. Trid. Seſſ 7. c. 3.* ubi nihil aliud requirit, niſi ut beneficia eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia perſonis dignis, & habilibus cõferantur *c Conſtitutis V. Magis utilem. de appell c. Licet V. Qui præſtantior 8 Q. 1. c. Quoniã V. Qui maioribus de iure patron. & c. 2. de officio Paſtoris.*

V. Sanctior. quibus omnibus in locis *Gloſſa* docet ſatisfacere, qui dignum eligit. Eſt autem, *inquit*, bonus eo ipſo quod malus non eſt. Certè onus grave & inſupportabile videtur; in omni electione digniores ſecernere, & præferre: adeoque nemini imponendum, niſi lege aliqua vel manifeſta ratione evincatur. Quam ob cauſam plerique epiſcopi, teſte *Arragono Q. 63. art.* 2. à contraria ſententia in praxi recedunt, quos omnes quis arguat de peccato? Certè *Bannez Q. 63. a.* 2. excuſat patronos, qui dignos tantum præſentant, eò quòd opinionem probabilem ſequantur.

R. 3. In quinque caſibus licet eligere dignum, digniore excluſo. P*rimus* eſt, ſi patronus præſentet. *Secundus*, ſi beneficium ex inſtitutione ſuâ alicui de familiâ conferendum ſit. *Tertius*, ſi digniores pro beneficiis curatis neceſſarii ſint. *Quartus*, ſi plurium ſuffragia inclinent in indigniſſimum, nihilque profuturum cenſeatur meum ſuffragium, expedit ad impediendam electionem indigni, minus dignum eligere. *Quintus*, qui in favorem alterius reſignat beneficium, non tenetur inquirere; quinam digniores ſint, ſed cuicunque voluerit, modò dignus ſit, conferre poteſt. *Covarr. in reg. peccatum par.* 2. §. 7. *Caiet. V. Beneficium Navar. c.* 17. *n.* 72. *Arrag. Q.* 63. *art.* 2. *Bannez ibid. Sanchez. l.* 1. *Conſil. D* 45. *Em. Sa. n.* 9. *Salon. q.* 63. *a.* 2. *Tannerus diſp.* 4. *Q* 8. *Dub.* 2. *n.* 17. *Diana p.* 2 *tr.* 15. *reſol* 38. Par. 4 *tr.* 4. *Reſol.* 210. *tr.* 15. *Reſol.* 40.

***

§. III.

De Poſtulatione.

I. POſtulatio generatim loquendo eſt gratiæ petitio ſecundum Gofr. cum aliqua vehementia ſeu maiore affectu. Apud Iuris Conſultos dupliciter accipitur. 1. pro Vocatione, ſeu advocatione, per quam deſiderium ſuum unuſquiſq; apud eũ qui juri præeſt, exponit, vel alterius deſiderio cõtradicit *l. Sciendum* §. 1. *l. Paulus* 1. *& ibi Bart ff. de legib. item c.* 1. *de poſtulando*. 2. eſt unus ex modis providendi eccleſiæ vacanti, & definitur, alicuius perſonæ, quæ eligi non prohibetur, nõ propter vitium, ſed propter defectum, qui tamen non omnino inhabilem reddit, ad providendum eccleſiæ concors, & certa Capituli petitio. *Summa Confeſſ. Piſana. Archiep. Silveſt. V.* Poſtulatio *Prælatorum n.* 1. Quod dicitur *Concors* in duabus Capituli partibus ſalvatur. Certitudinem parit unius tantùm petitio, excluſo quolibet alio. *Vallens de benef. li.* 1. *tt* 3. *n.* 6.

II. Non omnis unius generis eſt Poſtulatio, ſed duplicẽ facit *Panorm. in c. Quia propter. de elect.* alia ſolennis eſt, alia non ſolennis, aut ſimplex. Per hanc poſtulato nõ acquiritur ius prælaturæ, ad quam vocatur, ſed tollitur inhabilitas, propter quã eligi non poterat, puta, ſi filius familias à patre ſuo, in cuius poteſtate eſt, vel regularis profeſſus ab Abbate, vel prælato depoſcitur, iſque conſentiat, cùm abſque tali conſenſu regulari nulla dignitas conferatur. Solennis dicitur, per quam, quia nihil impedimenti eſt, prædictum ius acquiritur non ſecus ac per electionem. Porrigitur

gitur enim illi, qui ſuper omni impedimento poſtulati diſpenſare poteſt, cujuſmodi eſt reſpectu omnium Clericorum Papa, reſpectu ſibi ſubditorum Epiſcopus. *Silv. V. poſtulatio n. 1. Roſella n. 7. Anton. Cucchus l. 1. Inſt. tt.* 8.

III. Vt valida & legitima poſtulatio ſit, requiritur 1. poteſtas ſeu licentia poſtulandi in illis, qui indigent. 2. ut dirigatur ad illum, qui admittere poteſt. 3. Vt de eo fiat, qui promoveri poſſit à ſuperiore, cujus eſt admittere ſeu approbare poſtulationem. Atque hæc tria ad ſubſtantiam pertinent, utriusq; poſtulationis ſolennis ſcil. & non ſolennis. Quartum requiritur propter majorem facilitatem admittendi; concordia votorum ſcilicet, ubi ſufficit, majorem partem conſentire, quemadmodum in electionibus quoque ut ſufficiens recipitur. Excipe, niſi electio cum poſtulatione concurrat, unus poſtuletur, alter verò eligatur. Tunc enim in poſtulato duplo major ſuffragiorum numerus requiritur. Rationem dant, quę electio jure nititur, adeoque difficilior expugnatu eſt, quàm poſtulatio, quæ à gratia & favore manat. *c. ſcriptum* 40. *de elect. & ibi latè Panorm. & Imola.*

IV. Poſtulari non poteſt in Prælatum 1. perjurus, homicida, & inobediens: perjurus dico non in quolibet negotio, ſed in judicio: inobediens verò, qui non paret ſententiæ & voluntati Prælatorum ſuorum. *c. 1. de poſtulatione Prælatorum.* 2. non profeſſus tacitè vel expreſsè in Prælatum regularem non poſtulatur. *c. cum cauſam & c. cum ad noſtram de elect.* Limita quo ad cauſam neceſſitatis, & ſi edere profeſſionem paratus eſt. *c. cùm monaſterium, & c. officii de elect.* 3. nec Epilepticus, niſi fortè liberatus iam ſit per annum *c. Cum inter. de elect. c. Communiter Diſt.* 33. 4. nec mutilatus *c. Expoſuiſti. de corpore vitiatis.* 5. Nec bigamus, & irregularis, quia eiuſmodi omnino inhabiles cenſentur. 6. Vnius eccleſiæ epiſcopus, ſi confirmatus eſt, ad aliam eccleſiam, ſeu epiſcopatum eligi non poteſt, quia priori eccleſiæ ſpirituali quodam matrimonio unitus cenſetur. *c ult. iun. Glo. V. permiſſione. de poſtul. Prælator.* Poſtulari tamen poterit. Si electus tantùm, & nondum confirmatus, electioni prius factæ, uti poteſt, renunciaverit, habilis ad novam electionem erit. Idem dicendum, ſi confirmatus, & conſecratus epiſcopatum legitima abdicatione dimittat. *c. Poſt tranſlationem. de renunciat. Laym. l.* 4. *Tr.* 2. *c.* 12. *n.* 8. *Barb. in c. etſi unanimit.* 6. *de elect.* *Chokier de iuriſd. epiſc in exemptos* Par. 4. Q. 5. Denique quibus nihil obſtat, quo minus eligi poſſint, non poſtulandi à quoquam, ſed more & ritu conſueto eligendi ſunt. Poſtuletur, cui ætas deeſt, quem natales deſtituunt, qui ſacris ordinibus, profeſſione, aut alia quavis requiſita qualitate caret.

V. Vtrum in poſtulatione ſervanda ſit eadem, quæ in electione forma, à pluribus quæſitum eſt? ſervandam eſſe in ſolenni poſtulatione formam in *c. Quia propter* electioni præſcriptam communior opinio fert. In minus ſolenni non requiritur, quia poſt illam primò electio inſtituitur, in qua ſervanda erit *Exemplum cape*. Caius laicus poſtulatur, id eſt, ab eo petitur, ut admittere ſacros ordines, presbyteratum, & epiſcopatum velit, nec ſtrutinii, nec compromiſſi actio hic locum habet: ſed conſenſu obtento, alteru-

Digitized by Google

tro modo in præſidem eligetur, niſi aliquod aliud impedimentum ſe offerat. Idem apparet in quolibet Regulari, cum quo ut diſpenſet Prælatus, aut licentiam tribuat, electuri petunt.

VI. Amplius vitanda eſt verborum, & orationis confuſio, per quam incerta electio fieret, & poſtulatio. Finge Collegium hac verborum congerie uti. *Eligimus poſtulando, vel poſtulandum, & poſtulamus eligendo, vel eligendum*: quis inde diſcernere poterit, utrum deſiderent, electionem, an poſtulationem? ac proinde propter incertitudinem nihil egiſſe cenſebitur. Similiter improbanda eſt iſta conceptio. *Eligo, & poſtulo, prout melius de jure videbitur.* Quia non utrumque ſimul, ſed alterum fieri poteſt: niſi forte quis juſtam, & rationabilem cauſam dubitationis ſuæ reddere valeat, utrum ille poſtulandus, an eligendus ſit. Quo facto alterutram viam ſic optatus eliget, vel poſtulationis, vel electionis, iſque conſenſus intra menſem poſt acceptum optationis inſtrumentũ præſtandus eſt. *Barb. in c. perpetuo de poſtul. Prælat.*

VII. Poſtulatio ritè facta, & ſummo Pontifici, vel inferiori cuiquam Antiſtiti oblata firmitatem induit, ut revocari deinceps nequeat: ante oblationem verò ut revocetur, nihil obſtat. In quo multùm ab electione diſcrepat: hæc enim publicato Scrutinio nullam alterationem admittit, ne juri acquiſito inexcuſabile præjudicium fiat. *c. Bonæ memoriæ. de poſtulat. Prælat. ubi Abb. num.* 10 *Anton. Cucchus loco cit. p.* 82. In hoc autem conveniunt electio & poſtulatio, quòd utraque ſicut eandem formam exigit, ita pari modo examinanda eſt, expreſſis omnibus defectibus, qui infirmare electionem, aut poſtulationem poſſunt. *Abb. in c. quia propter de elect.*

VIII. Qui ſcienter indignum, ſeu incapacem eligunt, poſtulantve, eligendi & poſtulandi facultate privantur, eaque facultas ad alios, licet numero pauciores transfertur. *c. cum in cunctis §. ſanè c. cum VVintonienſis de elect. cap.* 2. *de poſtulat. Prælat. ubi Gloſſa & Abb. num.* 2. *&* 3. Quibus adde, quod in *Extrav. un. de poſtulat. Prælat.* ſtatuitur, ut qui viceſimum ſeptimum ætatis annum necdum ingreſſum ad Eccleſiam Cathedralem poſtularint, vel profeſſum ordinis Mendicantium ad inferiorem Cathedrali, pro illa vice eligendi ac poſtulandi jure priventur, & à beneficiis in eadem Eccleſia poſſeſſis per triennium ſuſpenſi ſint. *Barb. in c. cum in cunctis de el. §. Cler.*

IX. Affinis poſtulationi nominatio eſt, eaque duplex Solennis, & non ſolennis. Aliquando enim, quibus electio competit, priuſquam ad Scrutinium faciendum accedant, inter ſe aliquos ex omnibus nominant, præ aliis aptiores, & magis idoneos, *Abb. in c.* 1. *num.* 34. *& c. Quod ſicut num.* 1. *de elect.* Qui modus nominandi exiguum quid, ſi tamen aliquid, operatur. Aliquando Collegium duos vel tres, qui aliis omnibus præſtent (plures etiam, ſi videatur) deligit, quorum nomina ſcripto ſolenniter inſerta ad Summum Pontificem, aut alium ipſo inferiorem antiſtitem mittit ſupplicando, ut unum aliquem ex eo numero Eccleſiæ vacanti præficere velit. Differt hæc nominatio, licet ſolennis ſit à poſtulatione, quia per eam plures proponuntur: convenit verò, quia illam variare, aut mutare non licet: niſi fortè

Prælatus

Digitized by Google

Prælatus ipſe in mutationem conſentire velit. *c. Bona memo. de electione Vallenſ. l 1. de benef. tt. 3. n. 7.*

X. Ad extremum noſſe oportet, quod *Clem. Diſpendioſam. de judic.* definitum eſt, ut omnes cauſæ ſuper electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus, aut ſuper dignitatibus, officiis, canonicatibus, & ſimilibus, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii & figurâ judicentur. Quod non ſolùm ad futura negotia, ſed ad præſentia, & adhuc etiam per appellationem pendentia extenditur. Item quod nullus ſorti locus eſt neque in electione neque in poſtulatione, neque in conſtituendis compromiſſariis, & quamvis inter duos jam electos deciſio ſit facienda. *c. fin. de Sortileg. ubi communiter DD. contra Gloſſ. in Summa V. Sortes 26. quæſt. 2. quia textus citati cap. finalis* indefinitè & abſolutè uſum ſortium condemnat. Adeundus igitur in dubio ſuperior potius, qui litem dirimat. *V. Sanchez. l. 2. in decal. cap. 38. n. 74.*

§ IV.

De Confirmatione.

I. Confirmatio in electivis beneficiis tantùm, ut ex §. præc. liquet, neceſſaria eſt. Superior enim electum, ſi idoneus eſt, confirmare tenetur: aliàs injuriam & electo & electoribus infert. Intereſt etiam Eccleſiæ, non excludi aut differri miniſtros, & paſtores idoneos. Excipe ſupremum Magiſtrum, vel ut alii loquuntur, plenitudinem poteſtatis in principe, qui propter publicam utilitatem etiam legitimè electum repellere poteſt, ut magis dignus promoveatur. Alicubi tamen uſu receptum eſt, ut Prælati Eccleſiaſtici, & Regulares à Capitulo electi, quamprimum electionem acceptant, omne jus conſequantur nulla Superioris exſpectatâ confirmatione. *Abb. in c. de tranſlat. Epiſcop. Barboſa in tt. de elect. Lancel. Cuſchus. Caniſius Vallenſis. Az. part. 11. l. 6. cap. 16. ſub init. Suar. IV. de Relig l. 2. c. 5.*

II. Quando Eccleſia pluribus ſubjecta eſt, ad proximum ſuperiorem confirmatio pertinet. Abbates igitur, & Præpoſiti non exempti ab Epiſcopo confirmandi ſunt: Guardiani, Abbates, & Priores Ordinis exempti, qui Generalem Miniſtrum, vel Præpoſitum habent, ab eodem Generali petere debent, & accipere confirmationem: Generalis verò, & Abbates quidam exempti, à Summo Pontifice, vel Legato illius, ſi in Provinciâ ſit, confirmantur. Econtra multorum Ordinum electi plenam poteſtatem abſque ulla confirmatione accipiunt. *Suarez loco cit.* Quod verò Epiſcopos attinet, olim Metropolitani permiſſu Summi Pontificis confirmabant, cum onere ad Sedem Apoſtolicam referendi, quinam confirmati eſſent. Hodie Epiſcoporum, qui eliguntur, ut in Germaniâ noſtrâ à ſolo Pontifice petenda confirmatio eſt. *Paratit Vallenſ. l. 1 tt. 6. §. 7. Emman. Rodr. to. 11. q. 53. a. 6. Az. l. cit q. 7. Corvinus l. 1. tt. 6.*

III. Tempus quod attinet, electus intra tres menſes, quorum initium ſit dies acceptationis ſeu conſenſus, confirmationem petere debet: ſecus electio irrita cenſebitur. Idem de poſtulato intellige. Qui ad Epiſcopatus, vel Eccleſias Sedi Apoſto-

tro modo in præſidem eligetur, niſi aliquod aliud impedimentum ſe offerat. Idem apparet in quolibet Regulari, cum quo ut diſpenſet Prælatus, aut licentiam tribuat, electuri petunt.

VI. Amplius vitanda eſt verborum, & orationis confuſio, per quam incerta electio fieret, & poſtulatio. Finge Collegium hac verborum congerie uti. *Eligimus poſtulando, vel poſtulandum, & poſtulamus eligendo, vel eligendum*: quis inde diſcernere poterit, utrum deſiderent, electionem, an poſtulationem? ac proinde propter incertitudinem nihil egiſſe cenſebitur. Similiter improbanda eſt iſta conceptio. *Eligo, & poſtulo, prout melius de jure videbitur.* Quia non utrumque ſimul, ſed alterum fieri poteſt: niſi fortè quis juſtam, & rationabilem cauſam dubitationis ſuæ reddere valeat, utrum ille poſtulandus, an eligendus ſit. Quo facto alterutram viam ſic optatus eliget, vel poſtulationis, vel electionis, iſque conſenſus intra menſem poſt acceptum optationis inſtrumentū præſtandus eſt. *Barb. in c. perpetuo de poſtul. Prælat.*

VII. Poſtulatio ritè facta, & ſummo Pontifici, vel inferiori cuiquam Antiſtiti oblata firmitatem induit, ut revocari deinceps nequeat: ante oblationem verò ut revocetur, nihil obſtat. In quo multùm ab electione diſcrepat: hæc enim publicato Scrutinio nullam alterationem admittit, ne juri acquiſito inexcuſabile præjudicium fiat. *c. Bona memoria. de poſtulat. Prælat. ubi Abb. num.* 10 *Anton. Cucchus loco cit. p.* 82. In hoc autem conveniunt electio & poſtulatio, quòd utraque ſicut eandem formam exigit, ita pari modo examinanda eſt, expreſſis omnibus defectibus, qui infirmare electionem, aut poſtulationem poſſunt. *Abb. in c. quia propter de elect.*

VIII. Qui ſcienter indignum, ſeu incapacem eligunt, poſtulantve, eligendi & poſtulandi facultate privantur, eaque facultas ad alios, licet numero pauciores transfertur. *c. cum in cunctis §. ſanè c. cum VVintonienſis de elect. cap.* 2. *de poſtulat. Prælat. ubi Gloſſa & Abb. num.* 2. *&* 3. Quibus adde, quod in *Extrav. un. de poſtulat. Prælat.* ſtatuitur, ut qui viceſimum ſeptimum ætatis annum necdum ingreſſum ad Eccleſiam Cathedralem poſtularint, vel profeſſum ordinis Mendicantium ad inferiorem Cathedrali, pro illa vice eligendi ac poſtulandi jure priventur, & à beneficiis in eadem Eccleſia poſſeſſis per triennium ſuſpenſi ſint. *Barb. in c. cum in cunctis de el. §. Cler.*

IX. Affinis poſtulationi nominatio eſt, eaque duplex Solennis, & non ſolennis. Aliquando enim, quibus electio competit, priuſquam ad Scrutinium faciendum accedant, inter ſe aliquos ex omnibus nominant, præ aliis aptiores, & magis idoneos, *Abb. in c.* 1. *num.* 34. *& c. Quod ſicut num.* 1. *de elect.* Qui modus nominandi exiguum quid, ſi tamen aliquid, operatur. Aliquando Collegium duos vel tres, qui aliis omnibus præſtent (plures etiam, ſi videatur) deligit, quorum nomina ſcripto ſolenniter inſerta ad Summum Pontificem, aut alium ipſo inferiorem antiſtitem mittit ſupplicando, ut unum aliquem ex eo numero Eccleſiæ vacanti præficere velit. Differt hæc nominatio, licet ſolennis ſit à poſtulatione, quia per eam plures proponuntur: convenit verò, quia illam variare, aut mutare non licet: niſi fortè

Digitized by Google

Prælatus ipſe in mutationem conſentire velit. *c. Bona memo. de electione Vallenſ. l. 1. de benef. tt. 3. n. 7.*

X. Ad extremum noſſe oportet, quod *Clem. Diſpendioſam. de judic.* definitum eſt, ut omnes cauſæ ſuper electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus, aut ſuper dignitatibus, officiis, canonicatibus, & ſimilibus, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii & figurâ judicentur. Quod non ſolùm ad futura negotia, ſed ad præſentia, & adhuc etiam per appellationem pendentia extenditur. Item quod nullus ſorti locus eſt neque in electione neque in poſtulatione, neque in conſtituendis compromiſſariis, & quamvis inter duos jàm electos deciſio ſit facienda. *c. fin. de Sortileg. ubi communiter DD. contra Gloſſ. in Summa V. Sortes 26. quaſt. 2. quia textus citati cap. finalis* indefinitè & abſolutè uſum ſortium condemnat. Adeundus igitur in dubio ſuperior potius, qui litem dirimat. *V. Sanchez. l. 2. in decal. cap. 38. n. 74.*

§ IV.

De Confirmatione.

I. Confirmatio in electivis beneficiis tantùm, ut ex §. præc. liquet, neceſſaria eſt. Superior enim electum, ſi idoneus eſt, confirmare tenetur: aliàs injuriam & electo & electoribus infert. Intereſt etiam Eccleſiæ, non excludi aut differri miniſtros, & paſtores idoneos. Excipe ſupremum Magiſtrum, vel ut alii loquuntur, plenitudinem poteſtatis in principe, qui propter publicam utilitatem etiam legitimè electum repellere poteſt, ut magis dignus promoveatur. Alicubi tamen uſu receptum eſt, ut Prælati Eccleſiaſtici, & Regulares à Capitulo electi, quamprimum electionem acceptant, omne jus conſequantur nulla Superioris exſpectatâ confirmatione. *Abb. in c. de translat. Epiſcop. Barboſa in tt. de elect. Lancel. Cucchus. Caniſius Vallenſis. Az. part. 11. l. 6. cap. 16. ſub init. Suar. IV. de Relig l. 2. c. 5.*

II. Quando Eccleſia pluribus ſubjecta eſt, ad proximum ſuperiorem confirmatio pertinet. Abbates igitur, & Præpoſiti non exempti ab Epiſcopo confirmandi ſunt: Guardiani, Abbates, & Priores Ordinis exempti, qui Generalem Miniſtrum, vel Præpoſitum habent, ab eodem Generali petere debent, & accipere confirmationem: Generalis verò, & Abbates quidam exempti, à Summo Pontifice, vel Legato illius, ſi in Provinciâ ſit, confirmantur. Econtra multorum Ordinum electi plenam poteſtatem abſque ulla confirmatione accipiunt. *Suarez loco cit.* Quod verò Epiſcopos attinet, olim Metropolitani permiſſu Summi Pontificis confirmabant, cum onere ad Sedem Apoſtolicam referendi, quinam confirmati eſſent. Hodie Epiſcoporum, qui eliguntur, ut in Germaniâ noſtrâ à ſolo Pontifice petenda confirmatio eſt. *Paratit Vallenſ. l. 1 tt. 6. §. 7. Emman. Rodr. to. 11. q. 53. a. 6. Az. l. cit q. 7. Corvinus l. 1. tt. 6.*

III. Tempus quod attinet, electus intra tres menſes, quorum initium fit dies acceptationis ſeu conſenſus, confirmationem petere debet: ſecus electio irrita cenſebitur. Idem de poſtulato intelligе. Qui ad Epiſcopatus, vel Eccleſias Sedi

Apoſto-

Apoſtolicæ immediatè ſubjectas electi ſunt, pro confirmatione petendâ vel perſonaliter Romam ire, vel ſi impediti ſint, perſonam idoneam mittere debent. *c. nihil 44. de elect. c. cupientes 16. eod. in 6.* Et hoc in Germaniâ noſtra obſervari non ſemel ipſi vidimus. Notat autem *Piaſecius in praxi pag. 9.* teſtimonium confirmationis obtentæ ſcripto adferendam eſſe, alias non recipi electum, imò pœnam ſuſpenſionis incurrere, qui eum recipiunt. *Extrav. iniunctæ de elect.* quam Julius III. innovavit. Aliquando propter moram, priuſquam expediantur litteræ confirmationis *Breve* datur ad capiendam poſſeſſionem, quo velut compendio literarum Apoſtolicarum energia continetur, evitanturque incommoda, quibus dilata confirmatio obnoxia eſt. *Staphil. de reſcr. in forma Brevis tt. 2. n. 3. Piaſec. l. cit.*

IV. Intra quod tempus confirmare electum ſuperior debeat, jure deciſum non reperitur, fortè, quia electorum & patronorum deſideria, & continuæ preces non patiuntur dilationem, ita ut periculum non ſit, ne nimium prorogetur confirmatio: ſi tamen fieret, à ſuperiore immediato, cogi à mediato poteſt, & debet, ne diſſimulata ignavi paſtoris cunctatio, innoxio gregi periculum ac nocumentum adferat.

V. Ante confirmationem capienda informatio eſt, de formâ, & modo factæ electionis, ut appareat, an omni vitio & culpâ vacet. Vbi plurimùm proderit decretum electionis, in quo authenticè cõtinetur proceſſus, de quo V. quæ diximus *§. præced. & tt. 2. §. 2.* De qualitatibus eorum, qui eligendi ſunt ad beneficia & Prælaturas, nam ſi excludantur, quos excludi ipſo jure diximus, facile erit examen, & cognitio illius, qui confirmationem expectat. Præter hæc notandum *primò* eſt, ſi quis ex aliquâ Prælaturâ eligatur ad aliam, vel poſtuletur, iteratò examen inſtituendum eſt, quia evenire poteſt, ut interea temporis novum aliquod impedimentum enatum ſit. *Secundò*, ſi adſint aliqui, qui factæ electioni contradicant, vel ſibi deberi propter quorundam ſuffragia putent, coram ac nominatim vocandi & audiendi erunt. Si nullus adſit, ad Eccleſiæ valvas edictum affigendum erit, quo ad certum diem peremptoriè citentur, quibus oppugnandi factam electionem, & futuram confirmationem animus eſt. *Tertiò* qui indignum ſcienter confirmat, pro primâ vice confirmandi poteſtate privatur, & aliis inſuper pœnis afficitur. *c. nihil de elect. c. poſtquam eod. Azor. 11 l. 6. c. 16. q. 3. Bonacina tomo III. pag. 354. Cucchus l. 1. Inſtit. tt. 9.*

VI. Verùm audiendi ſint, qui poſt generale edictum, & ſecutam confirmationem opponere volunt, quæri poteſt? Vbi illud pro certo ſumitur, admittendos ordinariè eſſe, qui ad denunciationem Canonicam ſe offerunt, ne indignus & inhabilis Eccleſiæ obtrudatur: at qui quocunque modo ingerere ſe & opponere velit, non facilè admittendus eſt, niſi abſentiam, & ignorantiam ſuam probabilibus conjecturis adſtruat, & inſuper juramento confirmet.

VII. Confirmatione obtenta, ſi jus ordinarium ſpectes, poſſeſſionem adire Prælatus poteſt, omniaque exercere, quæ beneficio, vel dignitati ſuæ conveniunt *c. ad hæc de off. Archid. c. cùm Bertoldus de ſen. & re iud.* Vnde qui titulum inſtitutionis verbalis,

Digitized by Google

verbalis, aut legitimæ collationis à ſuperiore conſecutus eſt, poſſeſſionem vacantem capiendi, & adminiſtrationem inchoandi perfectum jus habere cenſetur. *Dico* vacantem, quia antiquum poſſeſſorem non licet invitum expellere, ſed publicâ ad id auctoritate opus eſt: imò qui vim adhibet, privationem juris, & tituli meretur. In quibuſdam Eccleſiis tamen alia conſuetudo viget, ut nimirum confirmatus poſt verbalem inſtitutionem, & tituli traditionem ſolenniter, & corporaliter in poſſeſſionem mittatur, quod *inſtallare* vocant. Olim Archidiaconus, nunc in pleriſque Eccleſiis alii id faciunt. *Chokier de juriſd. ordinarii in exemptos par. 2 pag. 222. AZ. II. l. 6. c. 16. Q. 3.*

VIII. Inveſtitura quemadmodum Dynus definit, eſt collationis inſtitutioniſve confirmatio, ſeu declaratio. Meliùs diceret, obſignatio, per quam inducitur confirmatio. Inductio autem in poſſeſſionem eſt conceſſionis & inveſtituræ realis executio. Et hæc vera eſſe, ſubjungit, ſecundùm abſolutam & propriam ſignificationem verborum. Cæterùm inveſtitura fit per traditionem bireti, annuli, libri, aut alterius ſymboli ſecundùm cujusque loci conſuetudinem. Interdum additur inſtitutio verbalis, & tituli traditio. Eſt autem notatu dignum, quod per inveſtituram non datur actualis poſſeſſio vacantis beneficii, ſed poteſtas adeundi poſſeſſionem vacuam, niſi aliud conſuetudo permittat. Actualis autem poſſeſſio in temporalibus traditione clavium acquiritur. *l. clavibus ff de contrahenda emptione*: ſive tradantur claves in rem præſentem, ſive in conſpectu rei, ſive extra conſpectum, quando conſtat ea intentione tradi, ut poſſeſſio acquiratur. In beneficiis autem apprehenſione vera vel ficta, aliquo exteriore ſigno facta, ut fuſius declarat *Covar. l. 3. Var. c. 16. n. 10.* Interdum omnibus peractis inveſtitura additur, tantum ut ſolennitas quædam, quemadmodum Epiſcopus in altari ſolet poni, cujus cæremoniæ alius effectus non eſt, niſi ut ſignificat hunc & neminem alium electum eſſe. Si quæris cur per clavium traditionem potiùs, quam annuli aut libri poſſeſſio tradatur, reſpondet *Dynus in Reg. 1 pag. 22.* ſub clavibus res ipſas ſervari & cuſtodiri, adeoq; tradi ſimul cum clavibus cenſentur Annulus verò, & liber nihil habet commune cum rebus ipſis, quæ in beneficio continentur: ac proinde alia adhuc actio requiritur, per quã poſſeſſio actualis capiatur. *Tuſchus V. poſſeſſio concl.* 407. *Oldend. in Lex. Barb. in c. propoſuit de conceſſ. praben.*

§. V.

De Appellatione contra Electionem.

I. CONtra electionem faciendam aut factam non licet appellare illis, quorum nihil intereſt, niſi fortè quis nomine Eccleſiæ, ne indignus eligatur, appellare velit, quo in caſu nunquam deneganda audientia eſt. *c. cùm inter 15. de elect.* E contra cuilibet de Capitulo ex juſta cauſa appellatio permittitur contra electionem factam, vel faciendam. *c. cùm inter 22. de elect* Convenit enim ſingulos ejus corporis, cui ut membra cohærent, curam ac ſollicitudinem gerere, cùm alterius ex altero ſalus dependeat. *Card. Tuſch. V. appellatio concl.* 402.

Digitized by Google

II. Si appellatio ſimpliciter fiat, poſtulando, ne electio inchoetur, aut fiat, niſi manifeſtè frivola appareat appellatio, electores intermittere debent, & ſuſpendere intentionem ſuam uſque ad reſponſum ſuperioris. Si tamen neglectâ appellatione elegerint, electio valida erit, quamvis appellans offerret, in continenti probationes de defectu, quia ejuſmodi appellatio extrajudicialis eſt, quæ effectum ſuſpenſivum non parit. *c. cum inter 3. de elect.* Quod ſi pro appellante ſuperior reſponderit, acta omnia & attentata poſt appellationem reſcindi debent perinde, ac ſi ab initio invalida fuiſſent. Proprium enim illud eſt in qualibet materiâ ſententiæ condemnatoriæ, & irritanti, ut retrotrahatur ad diem commiſſi, & operetur.

III. Si appellatio coram Ordinario, puta, Epiſcopo fiat, ad quem confirmatio pertinet, judicialis cenſeri debet, nec ad confirmationem procedere poterit, niſi omninò, & manifeſtè frivola foret appellatio. Nam Regula generalis eſt, quod attentata poſt appellationem interpoſitam in irritum revocari debeant. *c. ſuper eo. 10 jun. Gloſſ. V. appellationem fieri de appell c. non ſolum. eod. in 6. clem. fin ut lite pendente l. uni ff. nihil innovand. appell. pend. DD. in l. 3. C. de appell Gail l 1. obſ. 146. n. 1.*

IV. Quia non expedit lites multiplicare, & foveri libidinem oppugnandi aliorum ſortem, unde Eccleſiis damnum emergat, à SS. Pontificibus conſtitutum eſt, ne appellantes facilè recipiantur. *Primò* igitur juxta *c. ſtatuimus 1. de elect. in 6.* qui electionem poſtulationem, aut proviſionem factam oppugnat, objiciens aliquid contra perſonam, vel actum electionis, ſi appellaverint ad Sedem Apoſtolicam, tam is, qui opponit, quàm qui defendit, & generaliter omnes, quorum intereſt, per ſe vel procuratores ſuos ad cauſam inſtructos ad Sedem Apoſtolicam à die objectionis numerando intra menſem iter arripere debent. *Secundò*, ſi poſt adventum unius partis altera expectatâ per dies 20. non appareat, in negotio electionis non obſtante cujuſcunque abſentiâ procedēdum eſt. Nam terminus à Judice vel à jure præfixus appellātibus, vel iis cōtra quos appellatur, citatiōi peremptoriæ æquivalet. *Gail. l. 1. obſ. 57.* *Tertiò* juxta *c. ut circa de elect. in 6* qui appellant contra electiones, poſtulationes, vel proviſiones, ea omnia, quæ objecturi ſunt contra perſonam, vel formam electionis exprimere debent, & jurare, quòd credant vera eſſe, ſeque probare poſſe. Si quid non expreſſerint, de eo audiendi nō ſunt, niſi de novo emergat, aut ſuperveniat probandi facultas, de quo ſimiliter juramentum præſtabunt. *Anton. Cucchus l. 1. inſt. tt. 7 §. Cæterùm.* Hæc obſervata facient, ut qui conceperunt, non pariant iniquitatem, & Scrutantes Scrutinio ante tempus deficiant.

V. Si contingat pro appellatione judicari contra N. confirmatum, ipſa confirmatio in nihilum recidit: acta nihilominùs poſt confirmationem, cùm bona fides, & ignorantia publica defectûs duraret, vim ſuam retinent. Sunt enim hi actus plurimùm diverſi, nec à ſe mutuò pendent. Quamvis enim ſine electione eſſe confirmatio non poſſit: ſine illâ tamen electio conſiſtit. Et electio quoque quæ Canonicè celebrata fuit, non infirmatur, juxta *Reg. 37 in 6. utile ab inutili*

non

non vitiatur, quando unum ab altero ſeparari poteſt. de quo *V. Dynum*, *&* *Barboſ.*

VI. Appellans contra electionem & deficiens in probatione pœnæ talionis reus eſt: & inſuper ad expenſas tenetur, niſi probabilem appellandi & litigandi cauſam ſe habuiſſe demonſtret. *c ſignificaverunt de teſt. & atteſt. c. ut debitus eod.* Hoc enim generaliter obtinet, ut qui defecerit in appellatione, condemnetur ad expenſas. Quod etiam fiet, ſi renunciaverit appellationi, etiam invito appellato, ſive res integra ſit, ſive non. *Sigiſm. Scacc. in tr. de appell. q. 17. Limit. 2. num. 112.* amplians. Licet appellatus non receperit appellationem, nihilominus in expenſas condemnandum eſſe appellantem. *Excipe* niſi renunciaſſet conditionaliter. *V. Barboſ. in c. Interpoſita 73 de appellat. & quæ diƈturi ſumus in Par. 3. tit 10. Lancel. l. 3. tit. 17. Mynſing. Centur. 4. obſ 55.*

TITULUS VII.

De Epiſcopis.

MUltùm laborant noſtri temporis Sectarii, ut perſuadeant Epiſcopos à Presbyteris, & miniſtris Eccleſiæ ſolo nomine differre, nullum habere ordinem aut poteſtatem majorē. *Calvinus l. 4. Inſt. c. 4. n. 2.* Non ſic, *ait*, honore & dignitate ſuperior erat Epiſcopus (*in veteri Eccleſiâ*) ut dominium in Collegas haberet, ſed quas partes habet Conſul in Senatu, ut referat de negotiis, ſententias roget, conſulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate ſua totam actionem regat, & quod decretum communi cōſilio fuerit, exequatur; id muneris ſuſtinebat Epiſcopus in presbyterorum cœtu. Atque idipſum pro temporum neceſſitate fuiſſe humano conſenſu inductum, fatentur ipſi veteres. Ita *Hieronymus in ep. ad Titum.* Idem, *inquit* presbyter, qui Epiſcopus. *Et paucis interjectis* ſingula Collegia politiæ tantùm, & pacis conſervandæ gratia uni Epiſcopo ſuberant, qui ſic alios dignitate antecedebat ut fratrum cœtui ſubjicerentur. Ita *Calvinus* cum ſuis, quorum error & falſitas ex dicendis patebit. *V. Bell. l. 1. de Pontif. c. 9. & l. 2. c. 27. Valent l de diſcrim. Ord. Sacerd. & Epiſcop.*

§. I.

De nomine & Dignitate Epiſcopi.

I. S. *Auguſtinus l. 19. de Civ. Dei c. 19.* cùm allegaſſet illud Apoſtoli, *epiſt. 1. ad Tim. 4.* Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Exponere, *inquit*, voluit, quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis non honoris. Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quòd ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens. ἐπὶ quippe ſuper, σκόπος verò intentio eſt: ergò ἐπισκοπεῖν, ſi velimus latinè *ſuperintendere* poſſumus dicere, ut intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe neglexerit, nō prodeſſe.

Digitized by Google

Ita Auguſtinus. Alii à ſpeculando dici epiſcopos volunt, Ciceronem ſecuti, qui ad Atticum ſcribens *l. 10. ep. 7.* vult me, *ait*, Pompeius eſſe, quem tota hæc maritima ora habeat ἐπίσκοπον, id eſt, ſpeculatorem & cuſtodem. Vnde apparet à ſæculari magiſtratu ad ſacros antiſtites translatum eſſe. In *l. Munerum 2. ff. De munerib. & honorib. epiſcopi* vocantur, qui præſunt pani, & cæteris venalibus, quæ civitatum populis quotidianum victum ſuggerunt. *Budæus* epiſcopi nomen non magis, & veriùs Speculatorem, quàm inſpectorem ſignificare putat. Nam Græcis epiſcopi, & ephori erant, quibus non ſolum oculis luſtrandi poteſtas, ſed etiam providentia, & cognitio commendabatur. *Lancelotus l. 1. tit. 21. Tholoſanus l. 16. c. 8. Moſconius par. 1. c. 8. Alvar. Pelagius l. 2. art. 18.*

II. Epiſcopi propter excellentiam dignitatis ſuæ vocantur aliquando ſummi Sacerdotes *c. ult. 3. Q. 1.* ubi *Fabianus Papa* ad epiſcopos Orientales ſcribens dicit. Deus ad hoc præordinavit vos, & omnes, qui ſummo Sacerdotio funguntur, ut iniuſtitias removeatis, & præſumptiones abſcindatis. Aliquando Pontifices *c. Meſſana de elect. & Nicolaus I. relatus in c. 4. Cauſa 7. Q. 1.* ubi monet abiiciendos non eſſe pontifices, id eſt, epiſcopos, qui aliqua occupantur infirmitate, vel ægritudine. Aliquando Papæ nomen illis tributum eſt. Ita *S. Auguſtin. in epiſt. ſuis ep. 91. 94. 98. Hieronymus* ter quaterve ſanctum, & venerabilem Papam appellat. Eodem titulo utitur ſcribens ad Chromatiũ Aquileenſem epiſcopum. Verùm hoc tempore uſus obtinuit, ut Papæ appellatio Soli Romano pontifici tribuatur, quia is verè pater patrum, epiſcoporum præſes, & ſummus eccleſiæ paſtor eſt. Denique in iure civili epiſcopi nominantur illuſtres. *Bart. in l. Omnes populi q. 4. ff. de iuſt. & iu.* Item perſonæ egregiæ, quæ domi manentes teſtimonium reddere poſſint. *Glo. in l. Egregias ff. De iureiur. Silv. V. Epiſcopus nu. 1.* Multis nimirum virtutibus ornatum eſſe Antiſtitem cupimus, quarum ſingulæ propriam commendationem mereantur.

III. Epiſcopus maior eſt Sacerdote ſimplici, non tantùm auctoritate ſeu dignitate, ſed etiam poteſtate tam ordinis, quàm iuriſdictionis. De poteſtate ordinis patet, quia ſolius epiſcopi eſt, creare presbyteros, quod priſci vocant generare eccleſiæ patres. *Epiphanius hær. 75. Damaſus Papa ep. 3. Leo I ep. 88. & Hieron. ad Evagrium ep. 85.* Quid facit epiſcopus exceptâ ordinatione, quod presbyter non facit? Adde *Conc. Trid. definitionem S. 23. c. 7.* ſi quis dixerit, epiſcopos non eſſe presbyteros, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, aut eam, quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem, anathema ſit *c. Presbyteros D. 95. c. olim. ibid. & ſequ. Tholoſan. l. 16. c. 8. Greg. de Valent. l. de diſcrim. Sacerd. & epiſc. ordinis*.

IV. Dubiæ quæſtionis eſt, An epiſcopatus ſit ordo à Sacerdotio diſtinctus? Eſſe verum ordinem communior ſententia eſt *Barb. in c. Quorundam. de teſtam.* ſed à Sacerdotio indiſtinctum, niſi velis, epiſcopatum incompletè accipere, nimirum, ut ſignificat officium, & adminiſtrationem in conferendo Sacramenta confirmationis, & ordinis. Nam quatenus eſt nomen poteſtatis in conſecranda & adminiſtranda Euchariſtia, in epiſcopo & Sacerdote eadem cernitur juxta priorem acceptionem *Anacletus ep. 3. c. 2.* in fine dixit. Amplius

plius, quàm iſti duo (epiſcopatus, & Sacerdotiū) ordines Sacerdotū nec nobis à Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt. Et *Damaſus ep. 4* Quia *inquit*, ſunt duo tantùm primi in eccleſia ordines, id eſt, Apoſtolorum & 70. diſcipulorum. *Durand. in 4. D. 24. q. 6. Palud. ibid. Q. 7. Vaſq. Diſp 240. c. 5. Lancelot. l. 1. tt. 21. Cucchus l 1. pag. 41. Æg. Coninck. diſp. 20. de Sacramento Ord. dub. 2. cir fin. Em. Sa. V. Ordo n. 7. Laym. l. 5. tr. 9. c. 4. num. 3. Henriq. l. 10. cap. 7.*

V. De Charactere etiam opinionum diverſitas eſt: ut compendiò: dicam ſi character in ipſa poteſtate conſiſtit, ſecundùm *S. Thoma Aquin.* mentem, cui adhæret *Sotus in 4. D. 1. q. 4. Zecchus de Sacram. in gen c. 14 conc. 6. Tolet. l. 2. c. 16. n. 10 Em Sa V. Ordo. n. 7.* dici poteſt, diſtinctum characterem imprimi epiſcopo, quia in conſecratione ſua accipit poteſtatem ordinis diſtinctam à Sacerdotali, quandoquidem Sacramentum Confirmationis, & Ordinationis ſolus adminiſtrat. Si autem non neceſſariò cum poteſtate multiplicatur character, affirmare licet, eundem in epiſcopo & Sacerdote ſimplici characterem eſſe, quamvis in Epiſcopo ad plura Sacramenta extendatur. Denique ſi character, ut *Gabr. Vaſquez placet diſp. 134. c. 3.* merum ſignum eſt ſeu qualitas ſpiritualis primæ ſpeciei, cuiuſmodi aliquando equis & ovibus imprimuntur diſtinctionis cauſa, facilè admittimus, in epiſcopis diſtinctum eſſe, quia alia ipſius dignitas, alius gradus & poteſtas eſt, quam ſignificare poteſt Character. *V. Card. Lugo de Sacram. in gen. diſp. 6. Sect. 3. p. 106. & ſequentibus. Franc. Suarez diſp. 11. Sect. 1. Æg. Coninck de Sacram. Q. 63. art. 1. & 2. Fillint. Tract. 1. c. 8. nu. 117. Navarr. c. 22. de Sacram. Ord. n. 17. Fernandez Exam. Theol. pag. 505. Petr. Soto lect. 4. de ordine Palac. in 4. diſt. 24. Silv. V. Character. Armilla. V. Ordo. n. 5 Angel. V. Ordo n. 1. Sanch. l. 7. Conſil. c. 1. dub. 9. nu. 1. Tanner. 1 V. diſp. 7. Q. 2. n. 34.*

§. II.

De electione epiſcopi.

I. AD eccleſiam ſeu populum univerſum pertinere electionem epiſcoporum contendunt noſtri Sectarii. *Calvinus l 4. Inſt. c. 5. nu. 2.* Iam in eligendo, *inquit*, totum illud ius populi ſublatum eſt: Vota, aſſenſus, ſubſcriptiones, & omnia eiuſmodi evanuerunt. Ad ſolos Canonicos integra poteſtas translata eſt. Illi, in quem volunt, conferunt epiſcopatum, eum mox in conſpectum populi producunt, non examinandum, ſed adorandum. Vult nimirum perſuadere *Calvinus*, quod iure divino electio non à clero, ſed à multitudine, ſeu cœtu fidelium fieri debeat: quod nunquam impetrabit. Nam exempla Matthiæ, & Diaconorum nihil aliud probant, quàm initio eccleſiæ multitudinis ſuffragia valuiſſe, non verò neceſſario id faciendum eſſe. Eccleſiæ arbitrio relictus, & commendatus eſt electionis modus, qui pro temporum varietate, & neceſſitate non ſemel mutavit. Multis annis totius eccleſiæ iudicium, & arbitrium placuit, poſtea in clerum electio translata eſt: deinde regibus & principibus propter diſſenſionem cleri, & populi permiſſa à quibus noviſſimè ad paucos & meliores è clero pervenit. Quamobrē

 à Solis

Digitized by Google

à ſolis Cardinalibus Papa, à Canonicis maioribus epiſcopi eliguntur. Allegatur in contrarium *S. Cyprianus*, *qui ep.* 68. traditione divinâ & Apoſtolica ſervandum dicit, ut præſente plebe, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, epiſcopus eligatur. Verùm *Cyprianus* divinæ traditionis nomine non intelligit ius aliquod, vel legem à Chriſto ſancitam, ſed ritum & morem, qui primis eccleſiæ annis obſervatus eſt, ut patet ex *Actor.c.1. & 6.* ubi electus eſt Matthias, & ſeptem Diaconi *Barb. de poteſt. Epiſc.l.1.tt.1.c.3.Moſcon.l.1.par.1. cap 8.*

II. Hoc tempore propter eximia merita, aliaſque nō leves cauſas, nominandi epiſcopos poteſtas, quæ ab Apoſtolis in caput ſupremum Eccleſiæ Papam devoluta erat, in multis locis permiſſa eſt regibus: ita ut excepto Imperio Romano-Germanico, ubi ſecundùm Concordata inter *Nicolaū V. & Fridericum III.* Eccleſiarum Cathedralium Canonici capitulares electionem habent, in Hiſpania, Gallia, aliiſq; provinciis epiſcopi omnes, & alicubi maiores prælati etiā à ſolis Regibus nominentur & offerantur ſummo Pontifici confirmandi. Qui modus maioribus commodis an dānis pateat, meritò dubitari poteſt; tolerandus tamen, quia longi temporis uſu firmatur, & abſq; magno animorū motu & offenſione tolli non poteſt. *c.ult.§ ſed nec D. 51.c.Cleri D.26.c.Vota D.27.c. obeuntibus D.25 c.ult.D.79.& c 1.de elect. Barb lo cit.*

III. Iure Canonico vetitum eſt, ne ſibi ſucceſſorem epiſcopus nominet. *c. Epiſcopo 1.& 2.plerique.c.Moſes.c. Apoſtolica 8. Q. 1.* Neque enim conveniens videtur, ut dignitates eccleſiaſticæ partim à Chriſto, partim ab Eccleſia inſtitutæ inſtar civilium officiorum hæreditate acquirantur. Dixi *iure Canonico*, quia de divino nō conſtat, damnat ſucceſſionem: ſed hiſtoria eccleſiaſtica docet Petrum Apoſtolum ſibi Clementum ſurrogaſſe *c.ſi Petrus.8.q.1.&* Auguſtinus à Valerio epiſcopo Hipponēſi ſucceſſor nominatus eſt. Severus quoq; epiſcopus Milevitanus ſucceſſorē ſibi delegit. Dici tamen poſſet, adfuiſſe populi & cleri vel tacitum, vel expreſſum conſenſū, quemadmodum hoc tempore cēſetur eſſe, cùm ſoli Capitulares epiſcopū eligunt. *Turrecrem. de poteſt. eccl. l. 2 Card. Iacobac.de concil.l.10.art.7. Barb. in c. Accepimus. de tranſactionib.*

IV. In epiſcopo eligendo attenditur ætas, ſcientia, ordo, & vitæ integritas. Ætatis annus triceſimus completus exigitur. *c. cùm in cunctis de elect.* ita, ut irrita ſit electio, ſi annum triceſimum nō compleverit. Quod ſcientiā attinet *Conc. Trid ſeſſ. 22.c 2.* ſtatuit, ut alicuius Academiæ, aut Gymnaſii publici auctoritate ſit creatus Magiſter, aut Doctor, vel Licentiatus in Theologiâ aut Iure Canonico: ſi nullo prædictorū graduū inſignitus ſit, publicū teſtimonium alicuius Academiæ, quo probetur idoneus ad docendum alios, ſufficiet. In Monacho requiritur ſimilis teſtificatio per ſuperiorem ipſius facta. Neceſſarius præterea eſt ordo, minimùm Subdiaconatus. *c. A multis de ata. & qual. Ord c. Nullus D.60.* Qui eo ordine caret, poſtulari tantùm poteſt, non verò eligi. Denique qualis vitæ integritas requiratur, Apoſt. explicat *ep.1 ad Tim.3. & c.1.ep.ad Titum.* Oportet epiſcopū ſine crimine eſſe. Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe: quo unico verbo totius vitæ epiſcopo convenientis perfectio includitur.

Vnde-

Vndecim virtutes enumerat *Ioan. Buſæus de ſtatu epiſcop. cap. 3. Viguerius tr. de ſtatu eodem pag. 63.* Quærunt aliqui, an qui debita ſcientia, & virtutibus neceſſariis caret, in conſcientia teneatur reſignare munus epiſcopi? Dicendum non teneri, modo paratus ſit ſeriò operam dare, ut quæ ſibi deſunt, acquirat. Quod ſi videat etiam ſtudio adhibito ſe non aſſequi, adiutorem aſciſcet ſibi, à quo ſubleveтur. *Silveſter V. Epiſcopus num.* 4. propoſitâ quæſtione, an peccet mortaliter epiſcopus, qui regulas an ſciat Novum & Vetus teſtamentum, reſpondet, quod ſic? Non peccare dicit ſi duo Teſtamēta ſciat, quoad ea, ſine quibus officium ſuum convenienter exercere non poteſt, licet in alijs ſit indoctus: quia conſuetudo non videtur plus requirere. Tolerari poſſe, ſi longo uſu rectè nôrit exercere munus ſuum, vel ſi ſcientiæ defectum Charitatis perfectio ſuppleat *Barboſa dicit de potē. Epiſc. Par. 2. alleg. 1. n. 25 Moſcon l. 1. c. 8.*

V. Epiſcopi electio intra tres menſes facienda eſt, *c. Ne pro defectu de el. c. poſtquam D. 50. c. Obeuntibus D. 63.* Computari autem debent non à die vacantis Eccleſiæ ſed à die, qua innotuit Canonicis vacatio Eccleſiæ. *Innoc. & alii in c. Ne pro defectu de el.* de forma, & modo eligendi *V: quæ diximus t. 2. legenda etiam Bulla Greg. XIV. Onus apoſtolica apud Piaſecium pag. 2. qua Concilii Trid. ſeſſ. 22. c. 2. inſtructio* innovatur, & pluribus additis locupletatur.

VI. Facta electione examen à Viciniore aliquo epiſcopo inſtituendum eſt ſuper certis articulis per idoneos & iuratos teſtes aſtruendis. Quod examen ſive proceſſus Romam mittitur ad impetrandam cōfirmationem. Articuli ſunt ferè iſti ſex. 1. An electus epiſcopus ex legitimo matrimonio, & Catholicis parentibus natus ſit. *c. cùm in cunctis c. 2. §. heretici de har. in 6.* 2. An tricesimum ætatis annum compleverit. *c. cit. cum in cunctis.* Pro iis, qui poſtulati ſūt, anni 27. inchoati ſufficiunt. *Extrau. un. de poſtul. præl. inter com.* 3. An ſaltem ſex menſium ſpacio in Sacro ordine conſtitutus ſit *Co. Tr. ſeſſ. 22. c. 2.* 4. An in theologia, vel Iure Canonico Doctor, aut Licentiatus, vel ſaltem publico Academiæ alicuius teſtimonio ad alios docēdos idoneus iudicatus ſit. *Con. Tr. l. cit.* 5. An bonæ famæ, & vitæ integræ ſit. *Co. Tr. ſeſſ. 6. c. 1.* 6. denique num in eccleſiaſticis functionibus verſatus, prudens, & rebus gerendis idoneus ſit. *Con. Tr. ſeſſ. 24. c. 1. ſeſſ. 21. c. 2. Moſcon pag. 190. Franc. Leo theſaur. eccl. Par. 1. c. 3. nu. 7. & ſeqq. Barb. de poteſt. epiſc. l. 1. tit. 1. c. 5. V. Interrogatoria.* Vidi informationem quandam *Ann.* 1623. in qua ſeptem articuli erant hoc modo concepti 1. An ex legitimo matrimonio, & Catholicis parentibus natus ſit & ubi? 2. Cuius ſit ætatis, & an ſaltem triceſimum ætatis annum expleverit. 3. An ſit presbyter, vel ſaltem in aliquo ordine conſtitutus, & à quo tempore. 4. An ſit Doctor ſeu Licentiatus in ſacra Theologia vel in jure Canonico: atq; ea doctrina polleat, quæ in epiſcopo ad alios docendū requiritur. 5. An in eccleſiaſticis muneribus diu verſatus ſit. 6. An fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, uſu rerum, & integra fama præditus ſit 7. An dignus videatur, qui eccleſiæ N. præficiatur?

VIII. Si abſens ſit electus, Canonici electores intra 8. dies electionem factam illi indicare debent, & commodè

fieri

Digitized by Google

fieri queat. *c. Cupientes. de elect. in 6.* ſi neglexerint, aut diſtulerint, ab electionis proſecutione penitùs excluſi ſunt, & à beneficiis ſuis per trienniam ſuſpenſi: ad quæ ſi intra illud tempus ſe ingeſſerint, ipſo iure illis privati ſunt. *Vallens.l.1. tt.6.c.7.*

VIII. Electus in epiſcopum olim intra tres menſes, hodie autem intra menſem computandum à tempore electionis ſibi indicatæ conſenſum præſtare tenetur. Si non fecerit, ius per electioné acquiſitum amittit, niſi fortè ea ſit electi conditio, ut electioni ſuæ abſque Superioris conſenſu ex prohibitione, aut qualibet proviſione Sedis Apoſt. conſentire non poſſit. Quo caſu idem electus vel electores ipſius conſentiendi licétiam ab eius Superiore, cum ea celeritate, quam Superioris ipſius abſétia permiſerit, petere ſtudeant, & obtinere. Alioqui ſi elapſo tempore pro eiuſdem ſuperioris præſentia, vel abſentia moderando huiuſmodi licentiam eos minimè contingat obtinere, electores ex tunc ad aliam electionem procedendi liberam facultatem habent. *Canis.l.1.Inſtitut. tt 13. pag.63. Zerola Par.2.V.electio nu.2. Corvinus l.1. Aphoriſmor.tt.6.*

IX. Si electus non acceptet, aut poſtquam conſenſit, abdicet, aut moriatur, electoribus integrum eſt, aliam electionem inſtituere, dummodò in præmiſſis nihil ſubdolè & fraudulenter actum ſit *c. ſi electio de el.in 6.* Idem fiet, ſi ſecundò, tertiò, aut quartò facta electio non ſortiatur effectum. *Anto. Cucchus l.1.tt.7.pag.75.*

X. Quemadmodum electione à pluribus factâ, ſic etiam ſimplici collatione vel deſignatione epiſcopi fiunt. Vnde vulgò dicitur, Romanum Pontificem uno verbo creare Sacerdotes, & epiſcopos, dicendo v.g. *Sis Sacerdos*, vel *epiſcopus.* Quod intelligendum de poteſtate iuriſdictionis tantùm: quia Ordinis poteſtas ſine conſecratione non confertur: quemadmodum ex ritu conſecrationis & ipſa praxi manifeſtum eſt & amplius declarat *Azorius tt. l.3.c.29. Q.4. Canis.l.1 tt.11.p.57. Barb. de poteſt Epiſc l.1.tt.1.c.3.n.42.* Idem de illis Regibus & Principibus dicendum eſt, qui, ut *Piaſecius* loquitur *pag. 2.* iure patronatus prætenſo nominant pro libitu eligendum, & Capitulum ſuper eiuſmodi perſona nominata format, ſeu fingit electionis ſuæ proceſſum.

§. III.

De Confirmatione Epiſcopi.

I. IVs confirmandi epiſcopum ritè electum olim Metropolitani, Primates & Patriarchæ habuerunt. Quod *Nicolaus Papa* agnoſcens Ioanni Ravennati Archiepiſcopo ſcribit in hunc modum. Epiſcopos per Æmyliam non conſecres, niſi poſt electionem cleri, & populi. *c. Epiſcopos. D. 63.* quod etiam ſupponitur in *c. Tranſmiſſam. de elect.* Nunc autem tota poteſtas confirmandi epiſcopos ſoli ſummo Pontifici reſervata eſt. Quocirca ſive à Dynaſtis nominentur, ſive à Capitulo eligantur, à Pontifice confirmationem expoſcere debent Liberum tamen Pontifici eſt, Archiepiſcopo alicui vel alteri prædictam poteſtatem committere. Modum & praxim petendi & obtinendi invenies apud *Moſconium pag.187. & Piaſecium pag 11. Antoni. Cucch.l.1.Inſt.tt.9.*

II. Epiſcopus electus intra unum menſem

ſem à die habitæ notitiæ, vel dati cōſenſus electioni in perſona, vel ſi legitimè impeditus eſt, per Procuratorem pro confirmatione obtinenda ad ſedem Apoſt. iter arripere debet, alioqui amittit ius acquiſitum per electionem, niſi cauſam rationabilem longioris moræ habuerit. Ita conſtituit *Nicolaus III* Decretum Gregorii X. quo trimeſtre ſpatium conceditur, contrahēs, propter quorundam locorum vicinitatē, ad unius menſis periodum. *c. cupientes 16. de el. in 6. Cucchus lo. cit. Lancel. l. 1. Inſt. tit. 9. Corvinus l. 1. Aphoriſm. tit. 6.*

III. Confirmationis ſuæ teſtimonium in ſcripto exhibere debet, nec abſque illo eccleſia vel Capitulum recipere illum vel de proventibus quicquam elargiri tenetur. Imo qui receperint abſque literis Apoſtolicis efficiuntur ſuſpenſi *Extrav. invicta de el. inter comm.* quam *Iulius III.* renovavit & ampliavit Conſtitutione relata per *Quarantam V. Beneficiorum poſſeſsio.* Quamobrem Romanæ Curiæ cōſuetudo ſervat, ut expediantur Bullæ confirmationis, quamvis ſæpe propter neceſſitatem, ne Eccleſia vacans ex mora detrimentum aliquod patiatur poſt propoſitionem promovendi in Conſiſtorio concedi ſolet *Breve* ad capiendam poſſeſſionē antequā Bullæ expediantur. Hanc eſſe praxin Curiæ vulgatiſſimam teſtatur *Piaſecius in Praxi epiſc. pag. 15. allegans Staphil. de Reſcriptis in forma Brevis Tit. 2. n. 3.*

Nota. Epiſcopus Braccarenſis ante omnem confirmationem adminiſtrat ea, quæ ſui muneris ſunt, ex conſuetudine Portugalliæ, quemadmodum teſtatur *Oldrad. conſil. 5. & Card. Tuſchus in V. Braccarenſ. Eccleſia concluſ. 124.*

IV. Accepta ſive per *Bullam* ſive per *Breve* poſſeſſione epiſcopus plenā adminiſtrationem licet nondum conſecratus adipiſcitur, omniaque exercere & perficere poteſt, quæ iuriſdictionem epiſcopalem concernunt, cuiuſmodi eſt iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta à Vaſallis exigere, & recipere, beneficia conferre, inſtituere. *c. Transmiſſam de elect. tū. Glo. V. de talibus Sanch. l. 8. de Matr. diſp. 2. & l. 7. in Decal. c. 5. nu. 65.* Indulgentiam quoque iure ordinario concedere poteſt: hæc enim iuriſdictionem ſequitur. Imò licet non eſſet Sacerdos, ut ſummiſtæ paſſim docent, *Silv. Armilla, & accuratè Franc. Suarius tom. 4. in 3 p. Diſp. 55.* Verùm, habeatne poteſtatem illam jure divino ſeu immediatè à Chriſto, an potiùs à ſummo Pontifice, dubium eſt? Non niſi ex commiſſione ſummi Pontificis habere *Durandus* cenſuit *D. 20. q. 5.* inductus fortè ex eo, quòd reſtringi poteſtas illa ab ſummo Pontificè ſolet, quo tamen non obſtante malim dicere, cunctis epiſcopis ratione muneris ſui convenire poteſtatem diſtribuendi indulgentias. Etenim ut Romana eccleſia principalis aliarū reſpectu, ſic aliæ quælibet particulares quidā cœtus, & reſpublica videntur eſſe, quibus ut principes epiſcopi præſident, adeoque poſſint, ut tales ſunt, communem illum theſaurum ſubditis diſpertire: quod inſinuat etiam *c. Quod autem, & c. cùm ex eo de pœnitentiis & remiſsionib.* In hoc enim poteſtas qua aliqui immoderatè uſi fuerant, dando videl. abſque numero dierum & annorū pro arbitratu ſuo limitatur: in illo autem epiſcopi proprii judices appellantur. Nihilominus *Barboſa* in Commentario *cap. Ex eo n. 7.* adducendo multos Auctores perſuadere nititur, prædictam poteſtatem ex Eccleſiæ

cleſiæ ordinatione tãtùm manare, quamvis ipſum paſtorale munus ex inſtitutione Chriſti, & iure divino ſit, quod ut probabile recipi poteſt. *Zerola Par.1. V. Indulgẽ. n.1. Bellarm. l. 4 de ſummo Pontif. c. 24. Valent. diſp. 7. de Indulg. puncto 3. pag. 1875.* ubi illud notatu dignum addit, epiſcopis ita reſtrictam poteſtatem eſſe, ut ſecreto tamen & in foro pœnitentiali concedere queant maiores indulgentias, prout expedire iudicaverint. Idem cum *Gemin. aſſerit Zerola Par. 2. V. Indulgen. n. 12.* quia licet reſtrictio facta ſit in Indulgentiis, quæ ſunt publicæ, non tamen in foro pœnitentiali. Curabunt autem Antiſtites, ne cuiquam ſint offendiculo, modum & limites per indiſcretam liberalitatem excedant.

§. IV.

De Conſecratione Epiſcopi.

I. Confirmationem epiſcopi conſecratio ſequitur quæ facienda intra tres menſes poſt confirmationem, ut definivit *Conc. Chalced. relatum in c. Quoniam D. 75.* cui conformiter *Conc. Tr. Seſſ. 23 c. 2.* Eccleſiis, *inquit*, Cathedralibus, ſeu Superioribus, quocunque nomine, ac titulo præfecti, etiamſi S. R. E. Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur. Si intra totidem menſes poſtea id facere neglexerint, eccleſiis ipſo iure ſint privati *Moſconius l. 1. c. 8. pag 208. Piaſec in Praxi p. 16. Leſſ c. 34. n. 99. & 103 Silveſt. V. Conſecratio. nu. 2 Zerola Par. 1. eod. n. 1. Barb. ad c. 2. ſeſſ. 23. Co. Tr.*

II. Conſecrationi olim intererat Metropolitanus, & cuncti comprovinciales epiſcopi, aut ſaltem per literas illorũ aſſenſus petebatur. *c. Epiſcopi ex Conc. Nic & c. Ordinationes ex Anacleto.* Vt à tribus epiſcopis peragatur conſecratio ab Apoſtolis conſtitutum eſſe creditur *c. Porro D. 66.* ex Anacleto. Nam B. Iacobus Apoſtolus cognomento iuſtus à Petro, Ioanne, & altero Iacobo Apoſtolis ordinatus eſt, ſucceſſoribus ea forma relicta, ut non niſi à tribus epiſcopis fiat conſecratio. Vbi perſonarum defectus eſt, ex ſummi Pontificis diſpenſatione unicus epiſcopus cõſecrare poterit. Ex *Pii V.* indulto ſeu diſpoſitione pro duobus epiſcopis, quando haberi non poſſunt, duo Abbates, vel alij in dignitate conſtituti presbyteri ſufficiunt, quod hodie paſſim uſu venit. Vnde colligitur, formam ſupradictam ab Apoſtolis relictam non eſſe iuris divini, ac proinde mutabilem, neque recipiendam, quod *Hugo* dixit Si tantùm in mundo duo ſupereſſent epiſcopi, tertius conſecrari non poſſet, donec Papa alium inſtitueret, vel eo mortuo Generalis Eccleſia mutaret formam ab Apoſtolis conſtitutam, & inſtitueret, ut epiſcopus epiſcopum conſecraret *Declar. Concil Trident ſeſſ. 23. c. 1. Barboſa de poteſt. epiſc. l. 1. tt. 1. cap. 5.*

Quid ſi, *inquit*, unus aliquis, & ſolus epiſcopus alium conſecraret, validane erit conſecratio? Probabile eſt validam fore, quia trium epiſcoporum coniunctio non eſt de eſſentia, ſed præcepto eccleſiaſtico tantùm neceſſaria. Concedunt præterea multi, quamvis adeſſent tres epiſcopi, & manus ſimul imponerent, ab uno tantùm collatum iri poteſtatem, & characterem: ut pluribus explicat cum antiquioribus

quioribus *Azor n. l. 3. cap. 30. Antonin. P. 3. tt. 16. c. 15. Vaſq. de ord diſp 243. cap. 6. Barb. in c. ne epiſcopi. de tempor. ordinand.* Neque obſtat *c. Porro Diſt. 66.* quamvis enim tres requiri dicat, non tamen irritam fore conſecrationem definit ab uno perfectam.

III. Dubium eſt, an poteſtate à ſummo Pontifice delegata presbyteri epiſcopum conſecrare poſſint? *S. Thom Aquin. in 4. D. 25 q. 1. art. 1.* ita reſpondet. Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis, committere poteſt non epiſcopo pertinentia ad epiſcopalem dignitatem, modò illa non habeant immediatam relationem ad corpus Chriſti verum, ideoque ex eius commiſsione Sacerdos ſimplex poteſt conferre ordines minores, & confirmare, non autem non Sacerdos, nec Sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Chriſti verum, ſupra quod conſecrandum Papa non habet maiorem poteſtatem, quam ſimplex Sacerdos. Non ſunt igitur audiendi *Durandus*, *Paludanus*, *& Glo. in c. Manus 4. de conſec. diſt. 5. & c. Pervenit. D. 95.* quemlibet auctoritate ſummi Pontificis id Sacramentum conferre poſſe aliis, quod ipſe ſuſcepit, ita ut laicus confirmatus confirmare alios queat, & Diaconus conſecratus Diaconos, presbyter verò Sacerdotes ordinare. Manet enim fixum, & firmum illud Apoſtoli, Maiorem à minore non benedici *ad Hebr cap 7.* Epiſcopus igitur à non epiſcopis nunquam conſecrari poteſt. At, demandare alicui non epiſcopo poterit ſummus Pontifex? Minimè, quia iure divino presbytero & Diacono epiſcopus maior eſt.

IV. Epiſcopi & Archiepiſcopi ex Apoſtolica traditione non alio, quam Dominico die conſecrandi ſunt. Teſtatur id *Leo I. Papa relatus in c. Quod die diſt. 75.* allegans illud *Actor. cap. 13.* Apoſtolorum factum, qui Paulum & Barnabam ex Spiritus ſancti præcepto ad prædicandum miſſuri ieiunantes, orantes illis manus impoſuerunt: ut intelligamus, quanta, & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Ideò, infert, nonniſi die Dominico iuxta Apoſtolorum morem conſecrationem faciendam eſſe. Convenit etiam ut in Eccleſia Cathedrali peragatur iuxta *c. Qui in aliquo §. ſed nec* quamvis id non ſemper neceſſarium ſit. *c. Qui in aliquo diſt. 51. V. Silveſter V. Conſecratio §. 1. numer 4. Armilla numer. 3. Tanner diſp 7. Q. 3. num. 43.* qui etiam explicat diſpoſitiones tam in ordinante, quàm ordinando neceſſarias.

V. Inter epiſcopum electum, confirmatum, & conſecratum, & eccleſiam ipſi attributam contrahitur vinculum quoddam matrimonij ſpiritualis. *Hoc oſtienſis in ſumma de tranſlat. epiſc. numer. 2.* comparatione matrimonij carnalis explicat. Nam ſicut matrimonium carnale aliud eſt inchoatum, nimirum ſponſalia de futuro, aliud ratum, videlicet ſponſalia de præſenti, aliud denique conſummatum, quando copula acceſſit, ita etiam matrimonium Spirituale inter epiſcopum & Eccleſiam ſuam inchoatur per electionem, ratificatur per confirmationem, per conſecrationem denique conſummatur. Vnde epiſcopus confirma-

Digitized by Google

rus verus eccleſiæ ſuæ ſponſus maritus & paſtor eſt, eaque omnia præſtare poteſt, quæ ſolius iuriſdictionis ſunt. At per conſecrationem conſequitur, ut etiam exercere poſſit ea, quæ iure divino vel eccleſiaſtico ordini epiſcopali annexa ſunt, videlicet clericos ordinare, baptizatos confirmare, ſacrum Chriſma conficere, vaſa, altaria, & Virgines conſecrare, clericos degradare, & Sim. *c. Quamvis diſt. 68. c. Inter corporalia. de transl. epiſcoporum. Azor II l 3. c* 30 *Q. 5. & 6.*

VI. Quæritur à nonnullis, an epiſcopus conſecrari poſſit, qui non eſt Sacerdos? *Covar. l.* 1. *Var. cap.* 16. aliquos juris Canonici interpretes affirmativam opinionem tueri ait, exiſtimantes ordinem Sacerdotii ſolo iuris eccleſiaſtici præcepto præreq uiri. Eſt enim, *inquiunt*, poteſtas epiſcopi indelebilis, & ab aliis officiis diſtincta, tametſi eam exercere non poſsit, qui presbyter non eſt, ſecundùm *Ioann. Andream*, *& alios in cap.* 1. *de Cler. per ſaltum promoto* quos ſequitur *Iacobatius de Concilio l.* 10. *art.* 7. *Fornarius in l.* 6. *Tolet. cap.* 6. *num.* 4. Aliud huius rei argumentum inde ſumitur, quod etiam non ſuſcepto ordine Diaconatus vero Sacerdos initietur: quia nimirum ordinum inferiorum gradatio non ex naturâ rei, ſed eccleſiæ ſtatuto oritur. Quid ni igitur ſimili modo creatur epiſcopus, nondum Sacerdotio initiatus? Verùm contraria opinio haud dubiè vera eſt, & Theologorum propterea communis, nunquam videlicet fieri poſſe ut epiſcopalem poteſtatem accipiat, qui non prius Sacerdotalem adeptus eſt. Quid enim abſurdius excogitari poſſit, Epiſcopo, qui maior Sacerdos in jure vocatur, ſi ſolam jurisdictionis externæ poteſtatem habeat, & Prætoris regii inſtar ius dicere, plectere reos, exercere iudicia forenſia, nulli verò de peccatis ſuis pœnitenti abſolutionem, nemini chriſma aut ſacrum ordinem conferre queat? Hoc nimirum eſt, quod Apoſtolus ait 2. *ad Cor.* 5. *V.* 18. Sacramentum reconciliationis commiſſum epiſcopis, & munus diſpenſandi Sacramenta cœleſtia: hoc ſolo eccleſiam Chriſti regunt, oves paſcunt, ſi leges & lites quæque reip. tranquillitatem foveant, pro viribus attendant? At neceſſaria ordinum ſacrorum non eſt gradatio? Eſt vel maximè. Nam Sacerdotium & epiſcopalis ordo habent ſe, ut magis & minùs perfectum: quamvis in Diaconatu & aliis ordinibus id locum non habeat, quia ſic diverſi ſunt quoad poteſtatem, ut à ſe invicem neceſſariò non dependeant. *Abb. in di. c.* 1. *de cler. per ſaltum promoto. Azor.* II. *l.* 3. *cap* 30. *Q.* 9. *Silveſtr. in V. Ordo n.* 2. *Scotus, Rich. Palud. Sotus, & alii Theologi communiter.*

§. V.

De abdicatione, & translatione Epiſcoporum.

I. Quia Epiſcopus cū eccleſia ſua ſpirituale matrimonium iniit, ut §. præc. n. 5. diximus, ideò non poteſt pro libitu deſerere illam, vel abdicare. Vnde *Evariſtus Papa relatus in c. Sicut vir* 7. *quæſt.* 1. ad epiſcopos ait. Sicut vir non debet adulterare uxorem ſuam, ita nec epiſcopus eccleſiam ſuam, id eſt, ut illam dimittat, ad quam ſacratus eſt abſque inevitabili neceſſitate, aut apoſtolica, vel regulari mutatione, & alteri ſe ambitus cauſâ

cauſâ conjungat. Et ſicut uxori non licet dimittere virum ſuum, ut alteri ſe vivente, illo matrimonio ſociet, ſed juxta Apoſtolum aut viro ſuo reconciliari debet, aut manere innupta; ita Eccleſiæ non licet dimittere Epiſcopum ſuum, aut ab eo ſegregare ſe, ut alterum eo vivente accipiat. Poterit autem Epiſcopus abdicare ſe, ſi Summi Pontificis conſenſus accedat, qui conſenſus unam de ſex cauſis prærequirit, quas in ſequentibus Verſiculis vides.

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Prima igitur cauſa eſt corporis debilitas. *Secunda* defectus ſcientiæ. *Tertia* delictū aliquod gravius. *Quarta* Irregularitas, *Quinta* odium populi. *Sexta* denique grave ſcandalum. *V. l. 1. Decretal. tit. 9 c. 10.* ubi ſingulæ cauſæ fuſius explicantur. Quibus addi poſſunt duæ aliæ, crebra & continua hoſtium incurſatio. *c. tribus de conſecr.* D. I & aeris intemperies *c. quorundam Diſt. 74.*

II. Cauſa Epiſcopatum reſignandi ſufficiens non eſt propriæ ſalutis & quietis deſiderium in ordine aliquo religioſo: quia Epiſcopus obligavit ſe Eccleſiæ ad providendum ipſi, ut ſponſæ, vel ut paſtor gregi ſuo. Quamdiu igitur præſtare poteſt ad quod ſe obligavit, præſtare tenetur. Hinc *Innocentius III* Epiſcopo Claritano ſcribit *in c. niſi cum de renunc.* Cum deceat te animam ponere pro ſubditis nulla occaſione, dummodo prodeſſe illis poſſis ab eorum regimine convenit te excuſare: quoniam ſi laboris cauſam prætendis, exemplum te Apoſtoli ſublevabit, qui ſuadet tibi ejuſmodi laborem non refugere. *Item* Monemus te, ut laborem paſtoralis regiminis non refugias, ne fortè ad pedes ſuos cum Maria ſpernat te accipere, qui ſibi apud te divertendi ſpreviſſes cum Marthâ ſollicitā miniſtrare. Quid ſi profiteatur, *inquis*, in aliqua Religione nunquid ratum erit? R. ſi abſque conſenſu Summi Pontificis edat profeſſionem Epiſcopus, quietioris vitæ deſiderio tantùm, profeſſio irrita eſt. Nam, ut diximus, Eccleſiæ ſuæ tenetur deſervire, & ſuā illius neceſſitati commoditatem poſthabere. Valida autem profeſſio erit, ſi Pontifex annuerit, etiam ex cauſa alias inſufficiente. *Leſſ. c. 41. dub. 3. Moſcon. l 1 par. 1. p. 168.*

III. Si Epiſcopus qui Eccleſiæ adhuc ſervire poteſt votum concipiat de ingredienda, & profitenda religione, ut propriæ ſaluti meliùs vacare queat, irritum cenſeri poteſt, quia non eſt de bono meliore. Melius enim eſt, & ſibi ſimul, & aliis prodeſſe in regimine Paſtorali, quàm privati commodi rationem habere. Ac proinde *S. Thom. 22. q. 185. a. 5.* expreſsè dicit, talem Epiſcopum aſſumendo habitum religioſum non tendere ad perfectionem, ſed ab ea recedere: quod pluribus à *Dom. Soto explicatur l. 10 q. 2. art.* 4. Petat licentiam, *ait*. Illam Summus Pontifex, nec debet, nec poteſt concedere. Potior eſt gregis, quàm hominis ſalus, illius præſertim, qui ſe obligavit. Neque obſtat *c. per tuas de voto* ubi *Innocentius III.* Gebennenſi Epiſcopo ſuadet, ut reſignato Epiſcopatu votum de religione factum adimpleat: quia votum illud, antequam eligeretur Epiſcopus, nuncupatum erat: adeoque non acceptare Epiſcopatum, ſed votum ſervare debuit. Si

autem poſt ſuſceptam religionem electus fuiſſet, conſentire poterat, ut loco citato manifeſtè dicitur. *Silv. V. Religio II. q. 8. Votum III. quæſt. 3. Sanchez l. 4. Moral. c. 17. n. 5. Azor. l. l. 11 c. 16. q. 2. Barth. à S. Fauſto l. 1. q. 191. Barboſ. ibid.* poſt enarratas plurium opiniones.

IV. Quamvis morbo etiam incurabili laboret Epiſcopus, cogi non poteſt, ut contra voluntatem ſuam, Epiſcopatu ſe abdicet. *c. quamvis 17. VII. q. 1* ubi S. *Gregor.* ad Eleutherium ſcribens, ait. Quia viventem Epiſcopum ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus, nulla ſinit ratio ordinari: ſed ſi intervalla ægritudinis habere eſt ſolitus ipſe datâ petitione non ſe ulterius ad hoc miniſterium intellectum habere, nec ad alia officia ſubvertente infirmitate poſſe fateatur aſſurgere, & alium ſuo loco expetat ordinandum. *Et infra.* Si nullo tempore ad ſanæ mentis redit officium, perſona fidelis ac vitæ probabilis eſt eligenda, quæ ad regimen Eccleſiæ idonea poſſit exiſtere, atque de animarum utilitate cogitare, Eccleſiaſticarum rerum curam gerere. &c. Similia leges *in c. ſcripſit & ſequentibus cauſa VII. citatâ.*

V. Propter crimen ſeu delictum privari Epiſcopum poſſe, manifeſtum eſt ex *c. niſi cum pridem de renunc.* ubi *Innocentius III.* agnoſcit cedendi licentiam dari poſſe criminis causâ, ſed fortè non cujuslibet, verum illius duntaxat, propter quod ipſius officii executio poſt peractam pœnitentiam impeditur, cùm ſi omnes, quos arguit conſcientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in illo miniſterio remanerent. Ex qui bus verbis interpretes colligunt, Innocentium loqui de crimine, vel criminibus, quæ titulum Epiſcopatus invalidum reddiderunt, verbi gratia, ſi Simoniacè electus, aut inſtitutus fuit. Tunc enim ſi notorium fuerit, Epiſcopatum deſerere poteſt, etiam non petitâ Summi Pontificis licentiâ. Si verò occultum ſit, vitandi ſcandali causâ renuntiare debet in manibus Papæ, vel ab eo tituli revalidationem impetrare. Si quis inſtitutus ſit in excommunicatione, ſuſpenſione, aut irregularitate occulta, ſublato per eum, qui abſolvere poteſt, impedimento validari titulum probabile eſt. Jam ſi Epiſcopus poſt Canonicam inſtitutionem crimen commiſit, puta, Sodomiæ, per quod ſecundùm Pii V. Conſtitutionem pœnam incurrit depoſitionis, aut ſuſpenſionis in perpetuum, ac ſine ſpe relaxationis, tunc ſufficientem cauſam habet à Summo Pontifice ceſſionem petendi. Si tamen occultum fuerit crimen, ideoque infamia careat, proprius Confeſſarius Epiſcopum abſolvere poterit, Si verò annexa crimini infamia ſit, Papa removere debet, vel etiam, cum expedire videbitur, reſtituere. Denique facti infamia, quam vitæ impuritas parit; adulterio, inceſſu, aut ſimili delicto, ante condemnationem Judicis non privat quenquam dignitate, & munere acquiſito, ut ex communi reſolutione de pœnarum obligatione conſtat. *V. Proleg.* §. 8. *Covarr. de Sponſalibus part. 2. cap. 6. §. 8. Mantica de conject. ult. Vol. l. 20. tt. 4. Clarus §. fin. Quæſt.* 79.

VI. Crimina, quorum cauſa privari Epiſcopus poteſt, à Moſconio *l. 1. part. 1. cap.* 8. numerantur iſta. 1. eſt hæreſis.

Digitized by Google

Quod ſicut de elect. 2. falſificatio literarum Apoſtolicarum *c. ad falſariorum de crim. falſi* 3. Conjuratio contra alios Epiſcopos. *c. conjurationum* XI *quæſt.* 1. 4. Magia, incantatio, Sortilegium & ſimil. 5. Continua ebrietas *Concilium Tolet. IV. cap.* 28. 6. *Uſura Canon. Apoſt. cap.* 44. 7. Epiſcopatum arripuiſſe favore regio, aut ſæculari. 8. Connivere & permittere in Clero ſuo fornicationes *c. nemo d ſt.* 83. 9. invadere & occupare Sedem Epiſcopalem adhuc viventis. *c. audivimus* 3. *quæſt.* 2. 10. Carnaliter cognoviſſe filiam ſpiritualem *c. fin.* 30. *quæſt.* 1. 11. revelare confeſſionem in caſibus non conceſſis *c. Sacerdos de pœn. Diſt.* 6. 12. ſuis manibus percuſſiſſe aliquem, ut eatenus terrori ſit. *Can. Apoſt.* 28. 13. Negotia ſæcularia tractare. *Can. Apoſt.* 7. 14. Ordinare Clericos per Simoniam. *Conc. Chalc. cap.* 2. 15. Beneficia Eccleſiaſtica, præbendas, vel altaria per Simoniam dare. *c. ſi quis Epiſcopus* 1. *quæſt.* 3. 16. Si contempſerit Conſtitutiones, & Decreta Apoſtolica, vel Concilia *c. fin diſt* 40. 17. Si mandatis Apoſtolicis noluerit obedire. *c. nulli fas diſt.* 19. 18 alienare bona Eccleſiæ extra caſus conceſſos. *c. fin* x. *quæſt.* 2. *& Conſtit. Pauli II. de rebus Eccleſ. non alien* 19. Si excommunicatus ſcienter celebret. *Specul. de accuſ.* §. 1. *V. Porrò.* 20 Si homicidium commiſerit. *Concil. Agath. cap.* 50. *c. ſi Epiſcopus diſt.* 50. 21. Si conſecretur Epiſcopus non electus legitimè *Calix. Papa relat. cap.* 3. *diſt* 2 & conſecrans, & conſecratus abſque recuperationis ſpe deponatur. Item dicendum de illo, qui indignum ſcienter conſecraret: Item, ſi confirmet non idoneum. 22. Si conſecret Eccleſiam in aliena Diœceſi exiſtentem, aut Ordines conferat, ſine commendatitiis, aliave pontificalia exerceat *Concil. Antioch cap.* 13. *Concil. Trident. Seſſ.* 6. *c.* 5. 23. Deponitur præterea pro quol. crimine notorio & capitali *Conc. Agath. c.* 50. *c ſi quis Epiſcopus diſt* 50.

NOTA 1. non deponi quenquam Epiſcopum, niſi propter crimina in jure expreſſa *c.* 1. *&* 15. *q.* 8. *Gloſſ. ib. & in c. Ex tenore de temp. ord.* Item *c. ſicut, & c. fin. de elect.*

NOTA 2. depoſitionem ab alio nullo, quàm Summo Pontifice fieri poſſe.

NOTA 3 non ſemper requiri, ut crimen manifeſtum, aut notorium ſit. Nam ſi indignè promotus fuerit, vel homicidium commiſerit, vel bigamus ſit, non attenditur, an ſit manifeſtum vel non, ſed ipſa facti veritas ſufficit. *Felin. in cap. ſi quando num.* 1. *& c. Sciſcitatus nunc* 8. *de reſcriptis Flaminius de reſign. benef. l.* 3. *quæſt.* 18. *nu.* 18. *Barboſ. in cap. Ex literis de exceſſ. Prælat.*

VII. Propter inobedientiam plebis aut grave ſcandalum licet interdum Epiſcopo cedere, & derelinquere Eccleſiam ſuam. *c. niſi cum de renun.* Non tamen pro qualibet culpa paſtor debet gregem deſerere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, ac fugit. Sed de ſuperioris licentia tunc demum poteſt non tam timidè fugere quam providè declinare, cum oves convertuntur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt: cum etſi tales ſint graviter pro crimine puniendi, ſunt tamen pro tempore utiliter tolerandi, quia ſanguinem elicit, qui nimium

Digitized by Google

nimirùm emungit. Ibidem de ſcandalo ſubjungitur. Pro gravi quoque ſcandalo vitando, cùm aliter ſedari non poteſt, licet Epiſcopo petere ceſſionem, ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare ſalutem, memor illius, quod Apoſtolus dicit 1. *Corinth.* 8. Si eſca ſcandalizat fratrem, non manducabo carnem in æternum. Sed inter ſcandalum & ſcandalum ſubtiliter diſtinguendum eſt, ſicut Dominus ipſe diſtinxit, *Matt.* 15. cui cùm dixiſſent Apoſtoli. Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt, reſpondit, *Sinite illos, cæci ſunt. & duces cæcorum.* Alibi verò dixit *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Exemplum habes in S. Greg. Nazianzeno, qui Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſponte deſeruit propter ſcandalum & odium Orientalium Epiſcoporum ut fuſius declarat. *Baron. Anno Chriſti* 381.

VIII. Quod Irregularitatem attinet, ea vel eſt indiſpenſabilis, in qua nimirùm non ſolet Pontifex diſpenſare, ut ſi bigamus ſit, vel uxorem viduam duxerit, & tunc omninò abdicare ſe debet: vel eſt diſpenſabilis, ut natalium defectus: tum ſi occulta fuerit, non de abdicatione, ſed diſpenſatione cogitandum eſt, præſertim ſi ex copula non damnata manat. Similiter diſpenſare poteſt Pontifex cum illo, qui irregularitatem contraxit ex homicidio, quod occultum manet, non verò ſi publicum & notorium fuerit. Neque enim decet, imò dedecet plurimùm, ut vir ſanguinum aſcendat altare Domini, hoſtias paciferas offerat, cujus vindictam gladius appetit. *Suar. tom. V. diſp.* 44. *Seſſ.* 4. *n.* 35.

IX. Translatio Epiſcopi de Sede in Sedem utilitatis, vel neceſſitatis cauſa fieri poteſt, ut exempla docent, 1. S. Petri, qui ab Antiochia Romam, 2. Euſebii, qui ex parva civitate Alexandriam, 3. Felicis, qui Epheſum translatus eſt, à civitate, in qua ordinatus fuerat. ut refertur *in c. mutationes VII q.* 1. *ubi Antherus.* Mutationes Epiſcoporum ſcitote communi utilitate atque neceſſitate fieri licere: ſed non propria cujusque voluntate, aut dominatione. *Et infra* Non tranſit de civitate in civitatem, nec transfertur de minori ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, ſed aut vi à propria ſede pulſus, aut neceſſitate coactus aut utilitate loci, aut populi non ſuperbè ſed humiliter ab aliis translatus eſt. *Rurſum infra* Non tamen ſine Sacroſanctæ Sedis Romanæ auctoritate & licentia. Alia eſt enim cauſa neceſſitatis, & utilitatis, alia avaritiæ, & præſumptionis, aut propriæ voluntatis. Idem declarat *Pelagius II in c. ſcias frater VII. q.* 1. *& in Conc. Carth. III.* ſtatutum eſt, ne Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem tranſeat: quod ſi utilitas Eccleſiæ popoſcerit, decreto Clericorum, & Laicorum Epiſcopis porrecto in præſentia Synodi transferatur. Atque hæc intelliguntur de Epiſcopo non tantùm conſecrato, ſed etiam confirmato. *V. Gloſſ. in c. cit. ſcias.* quæ addit. *Hic apparet ratio, quare Epiſcopus non debeat fieri Monachus invito Papa, ne privata major, quam publica utilitatis æſtimatio ſit.*

X. Ut non fiat translatio Epiſcoporum de loco in locum ſine gravi cauſa,

Digitized by Google

ex lege Eccleſiaſticâ, & traditione manavit, cujus quia initium ignoratur, Apoſtolis auctoribus tribuitur. Nam ut præclarè Covart. *l.1. variar. c.10. n.3.* conſuetudo à temporibus Apoſtolorum per univerſas Eccleſias obſervata argumentum eſt ad demonſtrandum, quod ea ſumpſerit originem ab Apoſtolorum traditione, qui didicerunt ab illo, quem ſe miſſurum eo fine Chriſtus promiſit, ut omnem illos doceret veritatem. Quam ob cauſam appellari etiam divina poteſt. Quo ſenſu *Innoc. III. in c. 3. de translat. Episc.* Conjugium Epiſcopi cum Eccleſiâ ſuâ dicit non humanâ, ſed divinâ auctoritate diſſolvi: quia nimirum Apoſtolorum, & ſuprema Pontificis poteſtas, non ab hominibus, ſed immediatè à Deo confertur. Sic divina appellantur alia quædam ab Apoſtolis relicta, ut obſervatio quadrageſimæ, admixtio aquæ in calice, & ſim. *c. eos. 1. q. 1. c. prædicatur 16. q 1 Barb. in c. omnes diſt. 39.* Exemplum translationis (legitimæ, an ſecus, non diſputo) ſuppeditat *Chronicon Bambergenſe*, ubi Lambertus numero triceſimus, à Borne dictus primò obtinuit Epiſcopatum Brixienſem, cui paucis annis præfuit, mox ad Spirenſem tranſiit, etiam contra Cleri voluntatem, ubi novem annis exactis Argentinam conceſſit, ibique non diu moratus Epiſcopatum Bambergenſem obtinuit, quo demum poſt annos viginti tres reſignato ad Monaſterium Gengebacenſe in Alſatia remigravit, ibique diem extremum clauſit. *Gaſp. Bruſch. in Catal. Epiſc. Bambergenſium.*

* * *

§. VI.

De poteſtate ordinis, quam habet Epiſcopus.

I. Ex dictis liquet, duplicem poteſtatem epiſcopi conſecrati eſſe, Ordinis nimirum, & Iuriſdictionis. De hac in ſequenti § agendum erit: de illa paſſim Summiſtæ comprimis *Silveſter V Epiſcopus numer. 2. & in c. Quamvis* D 86.

Primo igitur Sacramentum Confirmationis iis, qui baptizati ſunt, conferre poteſt, inque eum finem chriſma conficere, ut oleum infirmorum quoque. *Co. Tr. Seſſ 7. concil. VVormat. cant. c. 2. Secundò* ſacros ordines tribuere, creare Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos. Item degradare clericos. *Co. Tr ſeſſ. 13 c. 4.* Laym. l.5. Tr.9. c.9. *Tertiò* Alios epiſcopos conſecrare, 1. ad Titum cap. 1. *Quartò*. Sacras Virgines benedicere, ſeu conſecrare. *Leo Papa ep. 86. Quintò*. Templa, altaria, vaſa ſacra, veſtes ad divina myſteria celebranda neceſſarias benedicere. *Abb. in c. Aqua de conſecr.* Item Reges, Abbates, & Abbatiſſas. *Piaſec. pag. 62. Sextò* Dare benedictionem ſolennem in Miſſa ſolenni poſt Orationem Dominicam. *Septimò* Pœnitentes publicos in Miſſa palam reconciliare. *Octavò*. Literas formatas dare. *Con. Tr. S. 23. c. 4 c. Quamvis D. 68 c. Aqua de conſecr eccleſ. Silv. V Epiſcopus n 9. Bonacina de Ord. to. 3. p. 243. Moſcon. l. 1 Par. 1. cap. 8. Piaſecius par. 1. c. 3. 4 5. Toletus l. 5. c. 4. Lorichius in V. Epiſcopus n. 14. Foll. Tr. 3. c. 1. n. 13. Ferdinandez in Exam. Theol ad lit. E c. 7. Buſæus de ſtatu epiſcp ca 4. Barb. in c. Tranſmiſſam. de elect.*

II. Inter

II. Inter ea, quæ Epiſcopo ratione ordinis competunt, diſcrimen eſt. Quædam enim jure divino ſeu ex inſtitutione Chriſti habet, alia verò ex Eccleſiæ ordinatione. Jure divino Chriſma conficit, & oleum infirmorum: Sacramentum confirmationis confert, Clericos creat, Sacerdotes & Epiſcopos cōſecrat. Reliqua in Jure Canonico ſancita & Epiſcopis tributa ſunt. Unde per diſpenſationem aliquando minoribus Epiſcopo Prælatis communicantur. At *inquis*, etiam priora illa quæ jure divino competere dicuntur, ab aliis ſubinde conficiuntur. R. fieri aliquando nutu & auctoritate Summi Pontificis, qui quaſi Delegatos conſtituit: quâ in re Pontifex jus divinum, & Chriſti inſtitutionem non mutat, quia non facit, ut inferior Sacerdos ſit Miniſter ordinarius, ſed ſolùm efficit, ut Miniſter delegatus ſit, quod Chriſtus minimè prohibuit. Idem tamen de Diaconis non eſt dicendum, quaſi pari modo poteſtas cōſecrandi Euchariſtiam, & offerendi illis tribui poſſit, quia licet in ſacro Ordine conſiſtant, charactere Sacerdotali, & poteſtate, quæ multò ſuperioris gradus eſt, carent. In caſu neceſſitatis tamen, cum nemo Sacerdos adeſt, corporis Dominici diſpenſationem faciunt. *V. Layman. l. 5. tract. 4. c. 6. n. 2.*

III. Si Epiſcopus Presbytero committat ea, quæ ordinis Epiſcopalis ſunt, ut confirmare, chriſma conficere, & ſim. non ſolum illicita, verùm etiam irrita collatio eſt: quia ejuſmodi poteſtatem delegare ad ſolum Pontificem pertinet. *Glo in c pervenit D. 95. c. Manus de conſ. diſt. 5. Abb in c. Quanto de conſuetudine Armilla V. Epiſcopus n. 11. Bellarm. de Confirm. cap. 12. Greg. Valent. IV. diſp. 5. q. 2. pun. 1. Filliuc. tr. 3 c. 2. n. 27. Reginald. l. 28 cap. 4. n. 17. & ſeq.* Neque audiendus *Ledeſma qui q. 72. art. 1.* aſſerit, tantam in Diœceſi ſua poteſtatem habere Epiſcopum, quantam in univerſa Eccleſia Pontifex habet. Hoc enim illimitatè poſitum à DD. paſſim rejicitur, quia nec ratione probari, nec exemplis, aut inductione confirmari poteſt: ſed potiùs falſum eſſe patet 1. ex poteſtate diſpenſandi in ſacrorum ordinum exercitio 2. irritandi clandeſtina matrimonia, quod nemo Epiſcopus potuiſſet. 3. reddendi perſonas inhabiles ad matrimonium: vel ratione voti, aut alicujus delicti. 4. conſtituendi & determinandi cenſuras. 5. ex poteſtate canonizandi Sanctos. Denique aliis multis, quæ communem Eccleſiæ ſtatum concernunt. Quocirca axioma illud, licet non à Ledeſma, ſed aliis pluribus laudetur, vel omninò explodendum eſt, vel ita limitandum, ut intelligatur de eo rerum, & actionum genere tantùm, quæ ad ordinariam, & cōmunem animarum curam, ac proviſionem pertinent, ſine quibus manca & inutilis Epiſcopi vigilantia, & adminiſtratio eſſet. *V. Barb. de poteſt. Epiſ. par. 2. all. 33. Suar. V. diſp. 7. Sect 4. n. 5. Sanch. l. 1. de Matr. diſp. 51. n. 3. Laym. l. cit. c. 7. §. 2.*

§ VII.

De Poteſtate Iuriſdictionis.

Quia poteſtas Juriſdictionis varia, & multiplex eſt, in certas claſſes redigemus. Septem invenio. *Prima eſt* eorum, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem in totâ Diœceſi ſuâ. *Secunda*

da

Digitized by Google

da de corrigendis ſuperſtitionibus, & abuſibus rituum, aut cæremoniarum, quæ per incuriam paſtorum irrepunt. *Tertia* de prædicatione verbi divini per Diœceſin ſuam. *Quarta* de cauſarum Eccleſiaſticarum deciſione. *Quinta* de viſitatione Diœceſis. *Sexta* de ſpecialibus quibuſdam officiis. *Septimo* denique de his, in quibus Epiſcopus, ut Sedis Apoſtolicæ Legatus agit.

CLASSIS I.

De Curâ Animarum.

1. EPiſcopus ſollicitè invigilare debet, ne animarum cura in Diœceſi ſua ullo prætextu negligatur, exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, Pauli cum primis, qui omnes pro ovibus ſuis poſuerunt animam ſuam. *Ioan.* 10. *Act. Apoſt. hiſtor. Eccl. Et Conc. Tr. Seſſ.* 6. *c.* 1. omnes quocunque nomine aut titulo præfectos Eccleſiarũ monet, ut attendentes ſibi & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit *Actor.* 10. 1. *Tim.* 4. in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant.

2. Examinare quoſcunque beneficiarios à patronis ſuis præſentatos, licet confirmatio illorum ad inferiores Prælatos ſpectet. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 9. *de ref.* Item quoslibet extraneos Clericos ab aliis ordinatos, antequam ad Eccleſiaſtica munera admittantur *Con. Trid. Seſſ.* 14. *de ref. cap.* 3.

3. Inſtituere Vicarios in curatis beneficiis quæ unita ſunt cathedralibus, Collegiatis, aut aliis eccleſiis, vel monaſteriis. Nominatio ſiquidem eiuſmodi Vicariorũ ad patronos pertinet, ſed approbatio ad epiſcopum *Co. Tr. ſeſſ.* 7. *c* 7. *& ſeſſ.* 24 *c.* 18. *& ibid. in Comment. Barboſa.*

4. Parochis infirmis & illiteratis qui officio ſuo ritè fungi nequeunt conſtituere Coadiutores *Co. Tr. ſeſſ.* 21. *c.* 6 *Salzedo in Pract Diaz c.* 21.

5. Vicarium conſtituere in eccleſia vacante, donec legitimus parochus canonicè eligatur *Co. Tr. Seſſ.* 24 *c.* 18.

6. Approbare Confeſſarios omnes ſæcularium, ſive ii Regulares, ſive ſæculares ſint. *Con. Tr. ſeſſ.* 23. *c.* 15. ubi à Congregatione Cardinalium definitum eſt, abſolutionẽ invalidã eſſe, quæ datur à Sacerdote nõ examinato & approbato per Epiſcopũ.

7. Eligere, & approbare ſummum Pœnitentiarium pro ſua diœceſi *Con. Tr. ſeſſ.* 24. *c.* 8. quod in noſtra Germania fieri non ſolet, fortè quia religioſorum familiæ paſſim confeſsionibus audiendis incumbunt. *V. Tit.* 4. §. 6.

8. Parochias dividere, cum neceſſarium videtur: beneficia item ex dirutis eccleſiis ad alias transferre & pauperibus parochiis unire, aliaque his ſimilia præſtare, de quibus *Con. Tr ſeſſ.* 24. *c.* 13. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. 5 7. *ſeſſ.* 25. *c.* 13.

9. Singulis annis Synodum diœceſanã celebrare *Co. Tr ſeſſ* 24. *c.* 2. ſecundum antiquos Canones *diſt.* 18. *ubi c.* 2 3. *&* 4. *ex Cõc. Niceno, Antiocheno, & Cabilenſi* præcipitur epiſcopis ut bini conventus ſeu Synodi quolibet anno habeantur propter eccleſiaſticas cauſas, & controverſias definiendas.

10. Denique leges ferre poteſt convenientes, & neceſſarias ſuæ diœceſi quemadm. feciſſe præ aliis *S. Carolum Borromaã Archiep. Mediolanenſem Acta, & monumenta teſtantur V. quæ diximus in Proleg.* §. 2. *n.* 3.

Digitized by Google

CLASSIS II.

De corrigendis abuſibus.

I. CUrandum Epiſcopo eſt, ut omnia Sacramenta ritè adminiſtrentur, & ne quid in decorum aut inordinatũ in iis admittatur *Con.Tr.Seſſ.* 14. *c.* 3. *Seſſ.* 21. *c.* 5. *Seſſ.* 22. *Decreto de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.* Item *Seſſ.* 25. *Decreto de invocatione Sanctorum.*

II. Item abuſus in celebratione Miſſarum magno ſtudio emendare conabitur, nimirum *primò*, ne fiant pacta, conditiones, vel illiberales exactiones Eleemoſynarum. & quicquid pro novis Miſſis datur. *Secundò*, prohibebit, ne vagis & ignotis Sacerdotibus liceat Miſſas celebrare: publicè criminoſis ne quidem intereſſe permittet. *Tertiò.* Non permittet extra Eccleſiam Miſſas celebrari, prætérquam in Oratoriis à ſe, vel alio quopiam Ordinario approbatis, & aſtantibus ritè pieq; ad audiendum compoſitis. *Quartò* interdicet, quicquid ſcurrile, & indecens eſt in Muſica, & organis: item omnes actiones ſæculares, vana colloquia, deambulationes, ſtrepitus clamores, & quidvis aliud inordinatum in templo fieri, ut domus DEI debito cultu ac veneratione honoretur. *Quintò* tollit abuſum, & ſuperſtitionem certi numeri Miſſarum, & candelarum. *Sextò* attendet, ne Sacerdotes incongruo tempore novis, & minimè approbatis ritibus aut ceremoniis in Miſſarum celebratione utantur. *Con. Trid. Seſſ.* 22 *Decret. de obſervandis & vitan. in celebr Miſſa.*

III. Prohibere debet, & proſcribere vulgatos quæſtores Eleemoſynarum *Conc. Trid. Seſſ.* 5. *c.* 2. hominum genus vafrum, fictum, & periculoſum.

IV. Indulgentiarum aliarumque Spiritualium gratiarum publicationem deinceps fieri curabit per ſeipſum, adhibitis duobus è Capitulo debitis temporibus. Et tunc licebit ei Eleemoſynas, & oblatá charitatis ſubſidia colligere, nullá tamen prorſus mercede accepta, ut omnes intelligant cœleſtes hos theſauros non ad quæſtum, ſed animarum ſalutem ordinari. *Con. Trid: Seſſ.* 21. *c.* 9. *& Seſſ.* 25. *decreto de Indulg. Barb. hic & Tr. de Parocho c.* 16. *n.* 19.

V. Curabit, ut omnis ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione & imaginum ſacrarum uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſcivia vitetur, ita ut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur: & in Sanctorum celebratione ac reliquiarum viſitatione homines comeſſationibus, atque ebrietatibus non abutantur, quaſi dies feſtos in honorem Sanctorum inſtitutos per luxum & laſciviam agere liceat. *Con. Trid. Seſſ.* 25. *Decreto de invocat. Sanctor.*

VI. Prædicta omnia, & quæ eodem pertinent, Epiſcopus ſollicitè curabit, ita ut nihil inordinatum, præpoſterum, aut tumultuariè accommodatum, nihil profanum & inhoneſtum appareat. Ideò in templis nulla imago inſolita ponenda, nulla nova miracula admittenda, nullæ novæ reliquiæ recipiendæ ſunt ſine Epiſcopi approbatione. *Con. Trid. loc. cit.* ubi etiam quid in dubio faciendum, ſit decernitur.

CLAS.

CLASSIS III.

De prædicatione Verbi Dei.

1. OMnes epiſcopi, Archiepiſcopi, & Primates debent ipſi prædicare Verbum Dei, niſi legitimè impediti ſint. Impediti ſuis ſumptibus conſtituent viros idoneos, qui id munus præſtent. *Con. Tr. Seſſ. 5. c. 2.* Hoc quia in Germania noſtra non omnino ſervatur, mirum non eſt hæreticorum calumniis epiſcopos & Prælatos apud populum traduci. *Calv. l. 4. Inſt. c. 4. n. 3.* portenti inſtar fuiſſe ait Vete um ævo, ſi quis epiſcopus non prædicaſſet.

2 Parochos urgebit, ut ſaltem diebus Dominicis, & ſolennibus feſtis concionentur: tempore Adventus, & quadrageſimæ ſingulis ſeptimanis ter. *Con. Tr Seſſ. 24. c. 4.* ubi additur diebus Dominicis, & feſtis pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectat, docendos eſſe.

3 Concionatores quoslibet examinare, & approbare debet, eorumque lapſus, & errores corrigere, ac punire, *Concil Tr. l. cit.* Additur *in Seſſ. 5. cap. 2.* Regulares qui ad concionandum in templis ſui Ordinis admiſſi & approbati à Superioribus ſunt debere ſe perſonaliter cum licentia ſuâ epiſcopo præſentare, ab eoque benedictionem accipere, antequam prædicare incipiant: pro aliis verò templis etiam ab epiſcopo approbandos eſſe. *Roſella V. Prædicator n. 1. Silveſt. Armilla, & alii Summ. eod.*

CLASSIS IV.

De foro Iudiciali.

I. AD Epiſcopum pertinent judicandæ, & definiendæ omnes controverſiæ de beneficiis, omneſque in iiſdem defectus. *Con. Tr. Seſſ. 24. c. 20.* Sunt autem plurima, quæ in hac materia obvenire poſſunt, de quibus *V. tt. de Benefic.*

2. Ad eundem pertinent cauſæ criminales Clericorum. *Con Tr. Seſſ 14. c. 4. & 5 item Seſſ. 13. cap. 4. ubi de Clericorum degradatione. & c. 3. ubi de appellatione. & c. 5. ubi de obreptitiis gratiis contra epiſcopi ſententiam agitur.* Cuiuſmodi autem proceſſus obſervandus ſit in decernendis pœnis *Seſſ. 25. cap. 3. explicatur. Roſella. V. Epiſcopus n. 1.*

3. Idem de Cauſis matrimonialibus dicendum *Concil. Tr. Seſſ. 24. Can. 12.* ſi quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices eccleſiaſticos, anathema ſit: *iuxta c. Multorum 35 Qu. 6 c. 1. de conſ & affinit c. Ex auditis de præſcript & c. Accedentibus de exceſſ præl.* Notat. *Franc. Leo in theſ. fo eccl pag. 372.* quia matrimoniales cauſæ arduæ ſunt, ut tradit *Abb. in c. Mulieri n 6. de iureiur.* non eſſe committendas inferioribus iudicibus, ſed epiſcopo ſoli: adeoque privilegiatas cenſeri ita ut ſi extra provinciam cauſa committatur, & pars contra quam erat commiſſa, paupertatem allegaverit, & verè probaverit, non teneatur extra provinciam litigare in ſecunda & tertia inſtantia, niſi adverſa pars ſumptus, & alimenta ſubminiſtrare voluerit.

4. Ad epiſcopum ſimiliter pertinet executio

cutio ultimarum voluntatum, & viſitatio quorumvis hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, quamvis illorum cura ad laicos ſpectet. *Con.Tr.Seſſ.22.cap 8.Idem in c. Tua nos Greg.IX.* aſſerit, præcipiens epiſcopo cuidam, ut executores teſtamentorum monitione prævia compellat ad fidelem diſtributionem bonorum. Idem in *c. Ioannes clericus eo. tt. leges.*

5. Cùm ſubinde lites oriantur inter perſonas eccleſiaſticas de loco, & præcedentiâ ſive in choro, ſive in proceſſionibus, funeribus, & ſimil. epiſcopus remota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque componere debet. *Conc. Trid. Seſſ.25.c.13.*

6. Eiuſdem eſt ſuſcipere cauſas mercedum, & miſerabilium perſonarum etiam civiles contra clericos quoſcunque exemptos tam ſæculares, quàm regulares *Con Trid.Seſſ.7.c.14.* Poteſt inſuper epiſcopus de cauſis civilibus ad ſe delatis iudicare, præſertim, ſi mixti fori ſint: Item ſæculares iudices in diœceſi ſuâ, ſi malè iudicent, punire, cauſaſque ad ſuum tribunal revocare. Patet ex 1.*ad Cor.* 6. & multis Veterum exemplis apud *Baronium Anno Chr.57.*

7. Cauſas Capitularium extra Viſitationem cum duobus de Capitulo iudicabit *Con.Tr Seſſ.25.c.6.*

8. Diſpenſationes à ſummo Pontifice impetratas non admittet, donec ſummariè cognoverit eas vitio ſurreptionis carere. *Con.Triſſ.ſeſſ.25.cap.5.* & *ſeſſ.22.c.* 18.

Zerola V. epiſc. V. Vicarius V. Viſitatio. Piaſec Par.2 *c.4.* & *alibi Silv. Bonac. Barb.*

CLASSIS V.

De officio Viſitationis.

1. EPiſcopi tenentur quotannis viſitare diœceſin ſuam ſive per ſe, ſive per alios, qui idonei ſunt. Viſitanti procuratio debetur. Si diœceſis magna, & lata ſit, biennio viſitabitur. Cauſæ plures ſunt. *Prima*, ut ſana doctrina conſervetur, & hæreſes exſcindantur. *Secunda*, ut mores tam cleri, quàm populi emendentur. *Tertia*, ut diſciplina eccleſiaſtica ſanciatur, & ſcandala tollantur. *Quarta*, ut Sacramentum confirmationis tribuatur. *Concil Trid ſeſſ 24.cap.3* & *ſeſſ.23. c 4. Iacob. De Graff.* Par.2.*l* 2.*c.* 28. *num* 8. & *ſequ.*

2. Regulares exempti à ſuis Prælatis viſitandi ſunt. *Concil.Trid ſeſſ.25.c.* 20 ubi annotatur ex Declaratione Cardinalium, hodie non omnes moniales pleno iure epiſcopis ſubeſſe, ſecundùm privilegia Apoſtolica. De qua re agens prolixè *Rodericus Tom.*11. *Q.* 62. docet, nullam eiuſmodi exceptione epiſcopis iniuriā fieri: uti nec principibus ſæcularibus, quando aliqui per Imperatorem libertate donantur.

3. Epiſcopus viſitare poteſt omnes perſonas ſæculares de quibuslibet criminibus, ut de hæreſi, periurio, ſacrilegio, Simonia, ſuperſtitione, cultu idolorum, concubinatu, adulterio, peccato contra naturam, Vſurâ, & ſimilibus. *Concil.Trid. ſeſſ.24.cap.*10. Eodem modo ſubiecti ſunt Regulares non exempti. Illi quoque, qui aliàs exempti curam animarum gerunt. Omnes item clerici ſæculares & Vicarii curam

Digitized by Google

curam animarum habentes, cuiuſcunque tandem ſint Vicarii. Neque in his, ubi de morum correctione agitur, exemptio aut ulla inhibitio, appellatio, vel querela etiam ad Sedem Apoſt. interpoſita executionem impedire, aut ſuſpendere debet. *Concil Trid ſeſſ 6.cap 2 & 4.ſeſſ 7.cap.5. & 7.ſeſſ.21.c 8 ſeſſ.24.c.9.10.11.ſeſſ.25.c.8. 11.20.*

4. Viſitare poteſt, & debet quælibet pia loca non exempta privilegio Papæ, cuiuſmodi ſunt hoſpitalia, Collegia, Confraternitates, Fundationes, Montes pietatis, & horum ſimilia. *Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap.8. ſeſſ 25.cap.8. & 9.* Templa item, & res cultui divino conſecratas, quæ ſunt in locis non exemptis, ut Vaſa, veſtimenta, aliamque ſuppellectilem. Imagines quoque, picturas, reliquias, epitaphia, omnemque ſtructuram, ut nihil in ea relinquatur inordinatum. Huc etiam pertinent eccleſiæ in nulla diœceſi ſitæ. *Con. Trid. ſeſſ. 7. c.8. De ref ſeſſ 24.c 9. & 10. ſeſſ. 25. decr. de invoc. Sanct.*

5. Maiora loca epiſcopus per ſe, minora per alios viſitat Famulitium & comitatus honeſtus erit, & modeſtus: cavebitque, ne expenſis nimiis graventur ſubditi. *Concil. Tr. Seſſ.24.cap.3. Barb. in c. inter cætera* XI. *Q.* 1. In viſitatione Regularium utriuſque ſexus nullus ſæcularis ad Capitulum inducendus eſt. Reliqua de modo viſitandi utiliter leges apud *Anton. Reſtam in Directorio Viſitat. Mich Timotheum, Piaſecium par.2.c.3. Rodericum II. Q. 5. Iac. de Graff. l. cit.*

6. Dubitant aliqui, an epiſcopo liceat familiam armatam habere ad exequendum pœnas delinquentibus conſtitutas. *Notat Piaſecius pag.* 128. ceſſare dubium in locis, ubi eccleſia conjunctum habet dominium temporale, adeoque in Germaniâ Superiore tota, & Imperio Romano, ubi epiſcopi ſimul Principes ſunt, & territorium ſæculare habent: in aliis autem locis excuſari poſſe ſi habeat armatam familiam epiſcopus, cautiùs facturam tamen ubi conſuetudo non eſt, ſi in executione facienda non utatur propriis miniſtris ad evitandam offenſionem, & invidiam ſæcularium, ſed utatur auxilio brachii ſæcularis, ita ut judex ſæcularis familiam ſuam armatam epiſcopo præſtet. *c. 1. de off. ord. Innoc & DD. communiter. Ad Franc Leo in theſauro fo. eccl. c.9.n.19* abſolutè pronunciat, licere epiſcopo pro exequenda ſententia familiam armatam alere probatque. *1. ex antiquis Canon. c. Attendendum* XVII *Q 4 & c. Hi qui eadem Qu.* & aliis nonnullis. 2. ex conſuetudine, & obſervatione plurium locorum. 3 quia multa crimina ſunt mixti fori, in quibus præventioni locus eſt. 4 *ex Con. Trid. ſeſſ. 25. c. 3* ubi decernitur in cauſis judicialibus eccleſiaſticos judices poſſe, & debere contra quoſcunque laicos procedere per mulctas pecuniarias, captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem faciendam per proprios vel alienos executores. Ex quibus ſequi videtur armata manu uti poſſe adverſum contumaces: quod facilè perſuadabitur illis, qui ex familia equeſtri ad infulam ſublati ſunt. *V. Imm Roder Tom. IV. pag. 149. Barb de poteſt Epiſc Par 3. allegat. 105. Bozium l. 1. de iure ſtatus cap. 9. cir. fin.*

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS VI.

De ſpecialibus quibuſdam officiis.

1. IN Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopus Lectorem Theologiæ, & Grammaticæ deſignabit: Regulares verò compellet, ut in monaſteriis ſuis Theologum Lectorem habeant. *Concil Trident. Seſſ. 5. cap.* 1. A Cardinalibus declaratum eſt, ſufficere, ſi vel Scripturæ Lectio vel Scholaſticæ Theologiæ doceatur. Vbi tam exigua eſt populi, & cleri multitudo, ut theologiæ lectio haberi non poſſit, ſaltem Magiſtrum habeant, qui clericos alioſque Scholares Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipſa S. Scripturæ ſtudia, annuente Deo, tranſire poſſint.

2. Ad Epiſcopum pertinet examinare, & approbare libros de rebus ſacris ſcriptos & evulgandos: neque ulli licet imprimere, aut imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut apud ſe retinere, niſi prius examinati, approbatique fuerint ab ordinario, ſub pœna anathematis & pecuniæ in Canone Conc. Lateran. noviſsimi appoſita *Con. Tr. Seſſ 4.* ubi additur, approbationem ſcripto dandam eſſe, quæ in fronte libri vel ſcripti, vel impreſſi authenticè appareat: idque totum hoc, id eſt, examen & approbatio gratis fiat.

3. Poteſtatem habet Epiſcopus quoslibet Notarios, etiam Apoſtolicos examinandi, approbandi & minus idoneos removendi *Con. Tr. Seſſ. 22 c.* 10. quia ex imperitia Notariorum plurima damna, & multarum occaſio litium oriri poteſt.

4. Seminario pro nutriendis ſtudioſis erigere debet iuxta formam à *Con. Trid.* præſcriptam *Seſſ. 23. c.* 18. Quod ſi Cathedralium, & aliarum eccleſiarum Prælati in Seminarii erectione, eiuſque conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectarint, epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & Superiores Synodus provincialis acriter corripere, eoſque cogere debet. *Con. Tr l. cit.*

5. Si hæredes negligentes ſint in exequendis ultimis voluntatibus, epiſcopus executionem in ſe recipiet. *Con. Tr. Seſſ. 22. c. 8.* ubi inter Declarationes propoſita quæſtione, An epiſcopi ita ſint piarum diſpoſitionum executores, ut Archidiaconi, Diaconi, & cæteri inferiores non poſſint de iis cognoſcere iuxta eorum conſuetudines etiam immemoriales, Congregatio cenſuit, Epiſcopos cumulativè executores eſſe piarum diſpoſitionum ad alios inferiores.

6. Ad Epiſcopum pertinet confirmatio novorum miraculorum, novarum imaginum, & reliquiarum. *Concil Trid. Seſſ. 25. Decr. de invoc. Sanctor.* Singula igitur accuratè diſcutiet adhibitis theologis aliiſque peritis viris, num quod factum narratur, arte, vel naturali modo fieri potuerit: quod facilè dijudicari poterit comparatione facta cum veri miraculi natura, quod ſubitò in inſtanti fieri, & ex omni parte perfectum eſſe debet. c. Sunt plures. *de pœn. D. 3. Turrecr. ibi S. Thom. 3. p. Q. 44. a. 3*

7. Epiſcopus explorare debet voluntatem Virginum volentium religionem profiteri *Conc. Tr. Seſſ. 25. cap. 17.* quod Congregatio Cardinalium ita declarat. Virgines antequam ingrediantur monaſterium adducantur ad matronas hone-

ſtas,

ſtas, nec ſanguine illis iunctas, nec aliquo modo ſuſpectas, ubi remotis omnibus earum propinquis examinentur ab epiſcopo earum voluntates. Etenim omnimoda libertas requiritur in monaſticæ vitæ delectu, pro qua libertate obtenta eſt cauſa cuiuſdam dominæ ad annullandam eius profeſſionem metu factam. *Anno* 1586. *men. Febr. V. infra tt. 17. §. 1.*

8. Curandum epiſcopo, ut omnia, quæ de Regularibus à Conc. Tr. decreta ſunt, in monaſteriis ſuæ diœceſis ſerventur, idque non obſtantibus privilegiis, ſub quibuſcunque verborum formis conceptis, ac *Mare magnum* appellatis, etiam in fundatione obtentis *Concil. Trident. Seſſ.* 25. *cap.* 22.

9. Rationem exiget à Viſitatoribus, quos miſit, itemque ab œconomis conſtitutis Sede vacante, & à provocatoribus piorum locorum. *Con. Trid ſeſſ.* 24. *c.* 3. & *ſeſſ* 22. *c.* 9.

10. Solus epiſcopus decernit monitiones ſub pœnâ excommunicationis pro revelatione rerum perditarum, aut ablatarum diligenti adhibita conſideratione, an expediat, non aliorum quorumcunque rogatu, ſed ſecundùm ſuam ſolius conſcientiam. *Con. Tr ſeſſ.* 25. *c.* 3. quia bonorum temporalium amor infidus conſiliarius eſt.

CLASSIS VII.

De his, in quibus agit ut Sedis Apoſtolicæ delegatus.

1. Epiſcopus, ut Sedis Apoſtolicæ delegatus agit in compellendis Abbatibus, Prioribus, & ſimilibus, ut in monaſteriis ſuis lectionem theologicam inſtituant ubi commodè fieri poteſt. *Conc. Tr. ſeſſ.* 5. *c.* 1.

2. In quibuſcunque prædicatoribus, quando hæreſes docent, amovendis & iuris ordine condemnandis. *Con. Tr ſeſſ.* 5. *c.* 2. ubi additur, cavendum, ne quis prædicator, vel ex falſis informationibus, vel aliàs calumnioſè vexetur, iuſtamve de iis conquerendi occaſionem habeat

3. In corrigendis Clericis regularibus cuiuſcunque ordinis extra monaſteria degentibus; & clericis ſæcularibus cuiuſcunque privilegii perſonalis titulo ſe tutos præſumentibus, ſi deliquerint *Con Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 3. quod Congregatio Cardinaliũ declarat, locum habere in omnibus Regularibus, qui legunt extra Monaſterium etiam cum licentia ſuorum Superiorum, ita ut ſi deliquerint, puniri queant à locorum, Ordinariis.

4 In non admittendis facilè impetratis privilegiis reorum poſt inchoatum iudicialem proceſſum ad eorum condemnationẽ. *Con. Tr ſeſſ* 13. *c.* 5. quod etiã extenditur ad quoslibet facinoroſos *ſeſſ.* 14 *c.* 4.

5. In viſitandis monaſteriis, commendatis, Abbatiis, Prioratibus, & Præpoſituris, in quibus non viget regularis diſciplina, itemque beneficiis curatis & non curatis, ſæcularibus aut regularibus, qualitercunq; commendatis etiam exemptis, idque ſingulis annis. Si autẽ vigeat in illis regularis obſervantia, monebit Superiores, ut eã ſecundùm ſtatuta ſua obſervent, & niſi intra ex menſes fecerint, epiſcopus curabit, ut fiat. *Con. Tr ſeſſ.* 21. *c.* 8.

6 In tollendis quibuſcunque abuſibus, qui in celebratione Miſſæ obvenire poſſunt, de quibus ſupra *Conc Tr. Decreto de*

S *obſerv.*

obſerv. & evit. in celeb. Miſſar.

7 In recognoſcendis diſpenſationibus à Sede Apoſtolica impetratis extra iudicium *Con.Tr Seſſ 22 c.5.* Nullibi fraudum opulentior Seges.

8. In Notariis examinandis, & ſi imperiti deprehendantur, deponendis *Con Tr. ſeſſ. 22. c* 10. quia, ut *Bald in Conſil 6* dixit, Notariorum ignorantia deſtruit totum mundum.

9. In viſitandis beneficiis in eccleſiis nullius certæ diœceſis ſuæ autem proximioribus. *Con.Trid.ſeſſ 24.c.9.*

10. In exercenda iuriſdictione in omnes clericos, quomodolibet privilegiatos, niſi habitent intra ſepta alicuius Ordinis approbati, aut niſi religionem profeſſi ſint *Con Tr. Seſſ.24.c 11.*

11. In punienda quacunque Simonia admiſſa in beneficiis, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, Conſtitutionibus, conſuetudinibus etiam immemorialibus. *Con.Trid.ſeſſ.24 c 14.*

12. In conſtituenda clauſura Monialium, adhibito etiam, ſi neceſſe fuerit auxilio brachii ſæcularis *Con.Tr ſeſſ 25. c. 5. de Regular.*

13. In gubernandis monaſteriis Monialium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, & in ſua diœceſi conſtitutis *Con. Tr. ſeſſ. 25.c.9. de Regular.* quod de gubernatione ſpirituali tantùm intelligitur.

14 In recognoſcendo & dijudicando jure patronatus diverſorum *Co.Tr.Seſſ.25. c.9. de reform.*

15. In ſuſpendendis beneficiatis Concubinariis notoriis, & poſt primam correctionem perſeverãtibus aut relabentibus: ſi obſtinati maneant graviore pœna caſtigandis. *Con.Tr.ſeſſ.25.c.14.* Congregatio Cardinalium addit, epiſcopũ contra prædictos Concubinarios procedere poſſe de iure non expectata forma textus citati capitis. Eſt enim intolerabile peccatũ. Item contra omnes procedere poſſe etiam incarcerando, quando timetur de fuga iuxta traditam formam in *c.6. huius ſeſſionis*, idque abſque monitione prævia. *V. Pract. Crimin. Diaz. c.* 80.

§. VIII.

Satisfit dubiis quibuſdam circa poteſtatem epiſcoporum.

DVB. I. An epiſcopus ſubditos ſuos ab hæreſi abſoluere poſſit?

R. *Concil. Triden. Seſſ. 24. c. 6.* epiſcopis concedit facultatem abſoluendi ſuos à crimine hæreſis occultæ in foro conſcientiæ: at Congregatio Cardinalium num. 7. declarat, iam neque epiſcopum, neque Inquiſitorem in foro conſcientiæ hominem hæreticum abſoluere poſſe, licet facultas hæc ipſis à Concilio Triden. conceſſa ſit, idque propter *Bullam Pii V. ſeu Cœna Dni.* Inſuper Decreto Concilii derogatum eſſe non tantùm in crimine hæreſis, ſed in omnibus etiam caſibus comprehenſis in dicta Pii V. Bullâ. *Navar. cap.27 num. 265. Piaſec. Par 2 cap.1. pag. 98. Zerola Par.1. V abſolutio num.4. Az. 1 lib.8.cap.8 Q.10 Em. Sa. V. Hereſis nu. 13 Fill Tr. 7. c.10 num. 287. Suarez V. diſp.30 Seſſ 2.num.7.& V.diſp. 43.Seſſ.1. num.7.*

NOTA. Hanc Cardinalium declarationem *Henriq. lib.13 cap.27.num.6.Lit Q.* in fine Comm. ait factam eſſe tantum pro locis Romæ vicinis. Quod ſi verum eſt, Germaniæ epiſcopi beneficio Conc. Trid.

Digitized by Google

Trid. adhuc fruuntur, & à crimine hæreſis occultæ in foro conſcientiæ abſoluere poſſunt. *V. Coninck de Sacram. diſp. 14. dub. 16. nu 243. Ferdinandez Exam. par. 3 cap. 9. §. 16. num. 6. Roderic. Tomo 1. Q. 20. art.* 10. *Kiene de Caſib. reſerv. pag. 325.*

D 2. An epiſcopus abſoluere poſſit à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & ab irregularitatibus?

R. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* ita loquitur. Liceat epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſoluere impoſita pœnitentia ſalutari.

Hanc poteſtatem poſſe Epiſcopum non tantùm Vicario Generali ſed etiam pœnitentiario, aut Vicario ad id ſpecialiter deputato committere, Cardinalium Congregatio declaravit. Epiſcopus igitur abſoluere ſubditos ſuos ab omnibus caſibus reſervatis poteſt quando occulti, nec in forum contentioſum deducti ſunt. Idē (& hic ſecundus modus eſt) licet ipſi, quando pro caſuum reſervatorum abſolutione ſummus Pontifex adiri nō poteſt. de quo *Reginald. l. 1. c. 7. & de prudē Confeſſarii pag. 465 Henriqu in ſumma l. 6 c. 14. §. 7. Piaſecius par. 2. c. 1 p 99. Bonacina V. abſolutio à Cenſuris Bulla nu 4. Chapeaville de Caſ. reſ. c. 6. Zerola in Praxi par. 2. V abſolutio dico ſeptimo Suar. IV. diſp. 30. S. 3. Navar. Man. c. 27 nu. 88. Em. Sa. V. Epiſcopus. n. 34.*

Nota, prædictam poteſtatem competere Capitulo Sede vacante, & Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi epiſcopalem docet *Sanch. l. 8. de Matrim. diſp. 2. n. 10. & ſeq.*

D. 3. Cum quibus poſſit diſpenſare, quod aliqui vocant, à Canone, lege, vel iure communi ſoluere.

R. Diſpenſare poſſe 1. cum bigamo, ut recipiat ordines minores, vel beneficium ſimplex. 2. cum clerico, qui uxorē habet, ut beneficium ſimplex, cuius alioqui capaces laici, retineat. 3. cum eo, qui irregularitatem contraxit ex eo, quia bis baptizavit, modò crimen occultum ſit. 4. Cum clerico, ut habeat duo vel plura beneficia ſimplicia, quando unum ad honeſtam vitæ ſuſtentationem non ſufficit, nec utrumq; reſidentia exigit. 5. cum eo, qui natus eſt extra legitimum matrimonium, ut recipiat primam tonſuram, minores ordines, & habeat beneficium ſimplex *c. Is qui de fil. presb.* etiamſi beneficium unitum ſit cum habente curam animarum. Item ut habeat Canonicatum in eccleſiâ Cathedrali, qui non requirat Ordin. Sacram. *Con. Trid. S. 24. c. 12.* 6. cum habentibus tantùm minores ordines diſpenſat ad Abbatiam, vel aliam dignitatem, dummodò tamen intra annum ad Sacerdotium promoveri poſſint. 7. Cum clerico homicida occulto ut retineat beneficium ſimplex, quod ante habebat, vel ſi non habeat conſequatur, cum laico etiam homicida, ut accipiat ordines minores tantùm. Intellige de homicidio caſuali, occulto, & non deducto ad forum contentioſum, ut in *Par. 3. tit. 16. §. 15. V. de homic. fortuito dicetur. Concil. Tr. Seſſ 14. cap. 7. 8.* cum illis, qui

nium malè initum, violatio voti, transgreſſio præceptorum Eccleſiæ, violatio cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſacrilegium in adminiſtratione Sacramentorum commiſſum, concubinatus Clericorum: quamvis aliqui, ad forum commune trahant, quia legibus etiam civilibus hoc quidem tempore prohibetur. Fori mixti cõmuniter eſſe cenſetur adulterium, Sacrilegiũ. Sortilegium, Blaſphemia, & violatio Virginũ Deo ſacrarum. *Laym. l. 3. tr. 6 c. 1. Barb. in c. 1. de off. Iud. ord & c. Accedentibus de exceſſ. Prel. Azor. II. l. 3. c. 53.*

R. 2. In criminibus mixti fori, cum Laicus judicatur, Epiſcopus vi adhibitâ illum in carceres conjicere poteſt. Ita contra *Iulium Clarum Ign. Lop. in praxi crim. c. 154.* & alii omnes, qui Epiſcopis pro executione familiam armatam concedunt, inter quos *Segura Davalos in Direct ſuo par. 2. pa.* 80. non tantùm carcere conſtringi ab Epiſcopo Laicos poſſe docet, ſed etiam cũ tantâ neceſſitate, & cibi ſubtractione, ut fame moriantur, nec irregulares propterea fieri, ſi pœna fuerit condigna delicto: quia ſi damnatus ad pœnã perpetui carceris fame pereat, naturaliter mori cenſetur. Conſulit nihilominus, ne facilè ejuſmodi pœna irrogetur propter periculũ incurrendæ irregularitatis, & homicidii *V. part. III. tr. 1. §. 2. num. 4.*

Reſp. 3. Epiſcopo cauſas civiles & merè Laicas judicare licet, *Primò* ſi ad peccatũ inducant, vel iniquitatẽ nutriant. *Secundò* ſi Laicus Judex negligens fuerit. *Tertiò* ſi in judicando exorbitet. *Quartò* ſi ad promovendum honorem Dei & pietatem ſpectent, uti ſunt teſtamenta, & pia legata. Deniq; in omnib. illis interponere ſe poteſt, circa quæ aliquid Jure Canonico ſancitum eſt, cenſuræ latæ ſunt, aut ferri poſſunt. *V. Aufrerium, qui in Tra. de iuriſd. Eccl caſus* 149. *collegit. Bern. Diaz. in Praxi Crimin. c. 3. Silveſt. V. Epiſcopus n. 8. Item V. Pœna n. 9. Laym. l. 1. Tract. 1. c. 8. n. 6.*

D. 7. Quis Indulgentias Epiſcopi concedere poſſint? Competere illis poteſtatem Indulgentias largiendi auctoritate Pontificum, & Jure Canonico accuratè probat *Bellar. l. 1. de Indulg c. 3. Franc. Suarius IV. Diſt. 55. Sect. 1. Azor. II. pag.* 487. *Coning. D. 12. Dub. 1. Silv. V. Indulgent. n. 13.* Comitatur autem prædicta poteſtas Epiſcopum Electum & confirmatum jure ordinario, nec opus eſt aliquâ declaratione aut peculiari Pontificis teſtificatione: Nec movere quẽquã debet, quod Auctores aliqui dicunt, ex commiſſione Papæ Epiſcopos habere poteſtatem Indulgentias largiendi, quia nihil aliud volunt, quàm non habere à Deo immediatè, quemadmodum habere Summus Pontifex exiſtimatur. Hoc poſito

R. 1. Epiſcopum in dedicationibus Eccleſiarum concedere poſſe unius anni Indulgentiam, in anniverſario autem 40. dierum. *c cùm ex eo de Pœnit. ci. fin.* Hunc numerum ſi exceſſerit, dando v. g. 50. 60. aut 70. dierum non valebunt niſi pro numero 40 dierum. Diem anniverſarium dedicationis in alium transferri poſſe in ipſo actu conſecrationis, non autem poſtea reſpondit Sacra *Congregatio ſuper negotia Epiſcoporum Epiſcopo Biſinenſi* 14. *Febr. An* 1585. *Gavantus in Rubr. Breviar. n. Sect 8. c. 5. n.* 4.

R. 2. Quam indulgentiam Epiſcopus ſubditis ſuis in Diœceſi ſeu territorio ſuo manentibus, eandem dare poteſt illis in alienâ Diœceſi commorantibus injungendo

gendo opus pium ibi adimplendum. Hoc enim non eſt manum ſuam in alienam Juriſdictionem immittere, ſed propriam exercere in perſonis ſibi ſubjectis. *Fran. Suar. IV. D. 55. Seſſ. 3. n. 17. Card. Lugo de pœnit. D. 27. Sect. 8.* qui notant, Epiſcopi indulgentiam non per modum ſuffragii, ſed abſolutionis dari, adeoque ſolis viventibus prodeſſe.

R. 3. Eaſdem indulgentias Sede vacante Capitulum concedere poteſt. *Abb. in cùm olim de mai. & obed. Silv. Nav. & plures alii. Barb. in c. Illa ne Sede vacante.* quia indulgentias dare eſt actus juriſdictionis, teſte *S. Tho. in 4. D. 20. q. 3.* Nam Legatus Pontificius etiam non Sacerdos concedere poteſt. Cùm igitur Capitulum ſuccedat in locum Epiſcopi, quod juriſdictionem attinet, non poſſumus illi prædictam facultatem negare.

R. 4. Si Epiſcopus excommunicatus ſit, alteri Epiſcopo delegare vices ſuas poteſt, ut ſuo nomine indulgẽtias largiatur. Ita *Paludanus* probabiliter. *Corduba* verò aſſerit ſubditis ſuis facultatem dare poſſe, indulgentias ab aliò Epiſcopo nõ impedito recipiendi: quod falſitatis arguit *Suar. l. cit.* Cùm enim Epiſcopus excõmunicatus ſit, ex hypotheſi, nullam juriſdictionem exercere poteſt, neque ulli dare, aut delegare. *Navarr. c. 27. n. 17. & ſeq. Avila de Cenſur. pag. 255. Em. Sa. V. Excommunicatus num. 7.*

DUB. 8. Quæ ſint jura Epiſcopalia, quæ ſecundùm Canones à Clericis & Religioſis exigere Epiſcopi poſſunt?

Reſp. *Innoc. III. relatus in c. Conquerente de off. Iud. ord.* docet, eſſe Canonicam obedientiam, ſubjectionem, reverentiam, inſtitutionem, deſtitutionem, correctionem, reformationem, & cenſuras eccleſiaſticas, juriſdictionem quoque cauſarum omnium ad forum eccleſiaſticum jure ſpectantium: pœnitentias item, & Sacramentorum omnium, quæ ab epiſcopo ſunt recipienda, collationem, Synodum, & Synodatici, ſeu Cathedratici nomine duos ſolidos, quartam decimationum, & mortuariorum, denique viſitationem annuam. *Et infra.* Non amplius exigas, quàm *Moderatum auxilium*, quod iuxta formã *Conc. Lateran.* ſi manifeſta, & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate poſtulandum. Idem dicitur in *c. Cùm Apoſtolus. §. prohibemus de cenſil.* Plura *Azor II. l. 9. c. 14. ex Archid. par. 3. tt. 9. c. 5. Silv. V. Epiſcopus nu. 6.* Ex prædictis nonnulla vel ubique, vel certis in locis contrario uſu abrogata eſſe uſus ipſe, qui nunc viget, docet.

D. 9. Quotuplex ſit lex epiſcopalis?

R. eſſe duplicẽ, juriſdictionis, cui ſubiiciuntur etiam monaſteria, & Diœceſanã, cui monaſteria non ſubiiciuntur *c. dilectus de off. Ord.* Ad legem iuriſdictionis pertinet datio Curiæ, delictorũ coercitio, ordinatio eccleſiaſtiũ, conſecratio eccleſiarũ, altariũ, Virginũ, & chriſmatis: denique omniũ Sacramentorũ & ordinũ collatio, & alia plura, quæ numerantur in § *præc. c. Conquerente.* Ad legem verò diœceſanam ſpectat, convocare ad Synodũ, & ſepulturas Cathedraticũ, quod ſolvitur in ſignũ ſubiectionis, quarta mortuariorum, decimarũ, hoſpitiorũ & ſimiliũ. Igitur omnia monaſteria ipſo iure exempta ſunt à lege diœceſana *xi. qu. 1. c. 1.* A lege verò iuriſdictionis non ſunt exempta niſi ſpeciali privilegio. *Silv. V. Epiſc. q. 7. Curchus l. 1. c. 12. Co. Tr. ſeſſ. 25. c. 12. & 13. Emman. Rodr. II. q. 64. a. 2. Barb. de pot. Epiſc. l. 1. tt. 1. c. 1. n. 15.*

D. 10.

ab alieno epiſcopo ordinati ſunt per ignorantiam, ut in ſuſcepto ordine miniſtrent. Item, qui ab epiſcopo excommunicato ordinati ſunt, ſi ignorabant. Item cum clerico per ſaltum promoto, ut in ſuſcepto ordine miniſtret. Item cum idiota ut in ſuſceptis ordinibus ſerviat, dummodò inſtruatur, & capax efficiatur Item cum illis, qui in cunabulis vel à dominis ac barbatis aut alia violentia ſecti ſunt, vel qui lepræ alteriuſve morbi motu ſe caſtraverunt, etiam ut ad maiores ordines aſcẽdant. Denique cum eo, qui ordines recepit extra tempora præſcripta, ut miniſtret in ordine ſuſcepto, nõ tamen, ut ad altiorẽ conſcendat. 9. diſpenſat cum Sacerdotibus, qui nuptias contrahunt, quoad executionem ordinũ. Nam ut *c. Sanè de cler. coniug.* dicitur, quas nuptias contrahunt, non nuptiæ, ſed contubernia potius nuncupanda ſunt. Ideò poſt longã pænitentiã reſtitui poſſunt, & executionẽ ordinis ſui habere. 10. Cum clerico cõcubinario, cuius crimen eſt occultum. *Glo in c Quæſitũ de cohab. cler & mulier.* 11. cum adultero, periuro, vel falſo teſte: Sacerdote, aut clerico aliis criminibus adulterio minoribus obſtricto. Item cum presbytero, Diacono, & Subdiacono, qui aliquid de miniſterio eccleſiæ vendens ſacrilegium commiſit, ut in ordine ſuſcepto miniſtret. *12.* Cum Diacono, qui Miſſæ ſacrificium fecit, ut in officio ſuo permaneat, & retineat beneficium, quod habebat. In omnibus denique irregularitatibus occultis, & non deductis in forum contentioſum, ut ex *Con. Tr* diximus *ſupra D. 2. V ſuum. Ang. Silv. & al. in V. Diſpenſatio.* An verò excipiatur Irregularitas per hæreſin contracta multùm dubitat *Suarius V. diſp. 43. S. 1. n. 7. Filliuc. non excipi cenſet Fill. Tr. 20. nu. 246.* Circa Sacramentum matrimonii 1. diſpenſat in gradibus prohibis, quando impedimentum eſt occultum, & difficilis ad Sedem Apoſt. acceſſus, nec abſq; ſcandalo ſeparari poſſunt. 2. in impedimentis, quæ impediunt tantum, non verò dirimunt, excepto Voto Caſtitatis, & Relegionis 3. in denuntiationibus, ut ex iuſta cauſa omittantur. 4. in votis, excipiendo quinque illa Papæ reſervata, nimirum caſtitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis Ieroſolymitanæ, ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & ad S Iacobi Compeſtellam. Vbi *Nota.* diſpenſare epiſcopũ poſſe, ſi Votum caſtitatis non ſit perpetuum, ut ſi voveat quis ad certos annos tãtùm, vel ex parte tantùm quoad certos actus. Item ſi voveat ſe non contracturum nuptias. Denique ſi voverit, ſe ſacros ordines non ſuſcepturum. 5. diſpenſat in iuramentis promiſſoriis, ſi iuſta cauſa ſubſit: ſi dolo, vi, aut metu extorta ſint: item ſi turpia ſint ex parte eius, cui iuratur, ut ſi iures te Titio uſuras ſoluturum. Denique communis opinio eſt, epiſcopum diſpenſare poſſe in omnibus criminibus & caſibus, niſi expreſsè prohibeantur in iure. *Angel. Silv. Navar. Bonacina* Piaſecius *Con. Trid.*

D 4. An poſſit pœnas à iure vel homine conſtitutas remittere?

R. *1.* Epiſcopus poteſtatem habet in utroque foro relaxandi pœnas in iure, & Canonibus ſancitas *c. Tempora. 26. Q. 7. c.* Pœnam *c. Medicinam c. Verbum Dei. c. Iudex de* Pœn. *D. 1. Denique in c. Latorem 33. Q 3. matricidæ* cuidam pœnitentia iniungitur *à Nicolao Papa*, quam tamen, ſi reus bonorum operum ſtudio ſeſe cunctis probaverit, minui poſſe inſinuat.

Vnde

Unde colligitur in aliis quoque idem fieri poſſe. *Diaz. in pract. Crim. c. 146. & ibid. Salzedo.*

2. Sicut relaxare pœnam, ita remittere omninò poteſt, prout expedire viderit. *Ita DD. in c. Licet de pœn. & rem. V Menoch. de arbitr. l. 1. quæſt. 96.*

3. Pœnitentiam à Summo Pontifice injunctam aliqui cenſent ab Epiſcopo remitti non poſſe, neque ex toto, neque ex parte, eò quòd inferior ſuperioris ſententiam mutare nequeat. Verum tamen id minimè inconveniens cenſeo, ſi cognita cauſa, & neceſſitate ſuadente præſumat Epiſcopus à mente Summi Pontificis hic & nunc factam remiſſionem non eſſe alienam. *Azor. II. l. 3. c. 52. 1. Clarus §. fin. quæſt. 85.* & alii multi apud *Barb. in c. Tempora 26. quæſt. 7.*

Dub. 5. An promovendo aliquem ad beneficium, officium, vel ordinem, eo ipſo Epiſcopus cenſeatur diſpenſare, & tollere impedimentum? Negat *Abb. in c. cùm in cunctis de elect.* imò puniendum eſſe Epiſcopum, qui ſic impedito beneficium, vel ordinem tribuit. Melius alii diſtinguunt. Vel enim Epiſcopus novit impedimentum illius, cui beneficium vel ordinem impertit, vel non novit. Si hoc, non cenſetur diſpenſare: ſi illud, diſpenſare præſumitur, quamvis non dicat. *Ego N. diſpenſo.* Satis enim eſt ſecundùm conſcientiam, ſi dicat, illum ſe ex legitima cauſa promotum velle. *Silv. V. diſpenſatio n. 21. Azor. II. l. 3. c. 52. q. 5 Sanch. l. 8. diſp. 4. n. 15. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 23. num. 7. Rodriq. tom. 1. quæſt 22. art. 2.*

Dub. 6. Quænam crimina, & cauſas Laicorum Epiſcopus cognoſcere & judicare queat? *Gloſſ. in c. Licet de fo. comp. ex Oſtienſi Summâ* ponit ſequentes Verſus, in quibus cauſæ ad forum Epiſcopi pertinentes continentur.

Hæreticus. Simon. fœnus. perjurus. adulter.
Pax. privilegium. violentus, ſacrilegusq;.
Si vacat imperium. ſi negligit, ambigit, an ſit.
Suſpectus judex. Si ſubdita terra, vel uſus.
Ruſticus, & ſervus. peregrinus feuda. Viator.
Si quis pœniteat. miſer aut ſit. cauſaq; mixta.
Si denunciat Eccleſia quis, judicat ipſa.

Quæ omnia ut melius intelligantur, & confuſio evitetur.

Nota 1. Crimina quædam eſſe fori Eccleſiaſtici tantùm, quædam profani ſeu Laici tantùm, quædam verò fori mixti ſeu communis, ubi præventioni locus eſt, ut judicet, ad quem primò delata cauſa fuerit. Forum competens dicimus, cui parere neceſſariò reus debet, ecque cogi poteſt. *Extra de fo. comp. Vallenſ. l. 2. tt. 2. §. 1. Silv. V. Crimen. n. 2.*

Nota 2 Huic foro tribus modis ſubjicitur quis *Primò* ratione cauſæ de qua agitur. Nam ſi Eccleſiaſtica fuerit, coram ſolo Eccleſiaſtico Judice tractari debet, & viciſſim, ſi profana, coram ſolo Laico Judice. *Secundò* ratione rei, mobilis vel immobilis. *Tertiò* ratione loci, & hoc tripliciter 1 ratione originis. 2. domicilii. 3. delicti, quod alicubi patravit. *c. ult. de fo. comp. Piaſecius par. 2. c. 4. Azor. c. 23. III. l. 13. c. 15. Gail. l. 2. obſerv. 36. Vallenſ. loc. cit.* His poſitis R. 1. Ad forum Epiſcopi pertinent cauſæ & crimina merè ſpiritualia ſeu Eccleſiaſtica, quorum videlicet prohibitio à ſolo jure Canonico eſt. Talia ſunt hæreſis, Simonia, Uſura, Matrimo-

nium malè initum, violatio voti, tranſgreſſio præceptorum Eccleſiæ, violatio cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſacrilegium in adminiſtratione Sacramentorum commiſſum, concubinatus Clericorum: quamvis aliqui, ad forum commune trahant, quia legibus etiam civilibus hoc quidem tempore prohibetur. Fori mixti cõmuniter eſſe cenſetur adulterium, Sacrilegiũ, Sortilegium, Blaſphemia, & violatio Virginũ Deo ſacrarum. *Laym.l.3.tr.6 c.1.Barb.in c. 1.de off.Iud.ord & c. Accedentibus de exceſſ. Præl. Azor.II.l.3.c.53.*

R.2. In criminibus mixti fori, cum Laicus judicatur, Epiſcopus vi adhibitâ illum in carceres conjicere poteſt. Ita contra *Iulium Clarum Ign.Lop.in praxi crim.c.154.* & alii omnes, qui Epiſcopis pro executione familiam armatam concedunt, inter quos *Segura Davalos in Direct ſuo par.2.pa.* 80. non tantùm carcere conſtringi ab Epiſcopo Laicos poſſe docet, ſed etiam cũ tantâ neceſſitate, & cibi ſubtractione, ut fame moriantur, nec irregulares propterea fieri, ſi pœna fuerit condigna delicto: quia ſi damnatus ad pœnã perpetui carceris fame pereat, naturaliter mori cenſetur. Conſulit nihilominus, ne facilè ejuſmodi pœna irrogetur propter periculũ incurrendæ irregularitatis, & homicidii *V.part.III.tr.1.§.2.num.4.*

Reſp.3. Epiſcopo cauſas civiles & merè Laicas judicare licet, *Primò* ſi ad peccatũ inducant, vel iniquitatẽ nutriant. *Secundò* ſi Laicus Judex negligens fuerit. *Tertiò* ſi in judicando exorbitet. *Quartò* ſi ad promovendum honorem Dei & pietatem ſpectent, uti ſunt teſtamenta, & pia legata. Deniq; in omnib. illis interponere ſe poteſt, circa quæ aliquid Jure Canonico ſancitum eſt, cenſuræ latæ ſunt, aut ferri poſſunt. *V. Aufrerium, qui in Tra. de iuriſd. Eccl caſus 149. collegit. Bern. Diaz. in Praxi Crimin.c.3.Silveſt. V. Epiſcopus n. 8. Item V. Pœna n.9.Laym.l.1.Tract.1.c.8.n.6.*

D.7. Quas Indulgentias Epiſcopi concedere poſſint? Competere illis poteſtatem Indulgentias largiendi auctoritate Pontificum, & Jure Canonico accuratè probat *Bellar.l.1.de Indulg c.3. Franc. Suarius IV. Diſt.55. Sect.1. Azor. II. pag. 487. Coning.D.12.Dub.1.Silv.V. Indulgent.n.13.* Comitatur autem prædicta poteſtas Epiſcopum Electum & confirmatum jure ordinario, nec opus eſt aliquâ declaratione aut peculiari Pontificis teſtificatione: Nec movere quẽquã debet, quod Auctores aliqui dicunt, ex commiſſione Papæ Epiſcopos habere poteſtatem Indulgentias largiendi, quia nihil aliud volunt, quàm non habere à Deo immediatè, quemadmodum habere Summus Pontifex exiſtimatur. Hoc poſito

R.1. Epiſcopum in dedicationibus Eccleſiarum concedere poſſe unius anni Indulgentiam, in anniverſario autem 40. dierum. *c cùm ex eo de Pœnit. ci fin.* Hunc numerum ſi exceſſerit, dando v.g. 50. 60. aut 70. dierum non valebunt niſi pro numero 40 dierum. Diem anniverſarium dedicationis in alium transferri poſſe in ipſo actu conſecrationis, non autem poſtea reſpondit Sacra *Congregatio ſuper negotia Epiſcoporum Epiſcopo Biſinenſi 14 Febr. An 1585. Gavantus in Rubr. Breviar. Sect.8.c.5.n.4.*

R.2. Quam indulgentiam Epiſcopus ſubditis ſuis in Diœceſi ſeu territorio ſuo manentibus, eandem dare poteſt illis in alienâ Diœceſi commorantibus injungendo

gendo opus pium ibi adimplendum. Hoc enim non eſt manum ſuam in alienam Juriſdictionem immittere, ſed propriam exercere in perſonis ſibi ſubjectis. *Fran. Suar. IV. D. 55. Seſſ. 3. n. 17. Card. Lugo de pœnit. D. 27. Sect. 8* qui notant, Epiſcopi indulgentiam non per modum ſuffragii, ſed abſolutionis dari, adeoque ſolis viventibus prodeſſe.

R. 3. Eaſdem indulgentias Sede vacante Capitulum concedere poteſt. *Abb. in cùm olim de mai. & obed. Silv. Nav. & plures alii. Barb. in c. Illa ne Sede vacante.* quia indulgentias dare eſt actus juriſdictionis, teſte *S. Th. in 4. D. 20. q. 3.* Nam Legatus Pontificius etiam non Sacerdos concedere poteſt. Cùm igitur Capitulum ſuccedat in locum Epiſcopi, quod juriſdictionem attinet, non poſſumus illi prædictam facultatem negare.

R. 4. Si Epiſcopus excommunicatus ſit, alteri Epiſcopo delegare vices ſuas poteſt, ut ſuo nomine indulgẽtias largiatur. Ita *Paludanus* probabiliter. *Corduba* verò aſſerit ſubditis ſuis facultatem dare poſſe, indulgentias ab aliò Epiſcopo nõ impedito recipiendi: quod falſitatis arguit *Suar. l. cit.* Cùm enim Epiſcopus excõmunicatus ſit, ex hypotheſi, nullam juriſdictionem exercere poteſt, neque ulli dare, aut delegare. *Navarr. c. 27. n. 17. & ſeq. Avila de Cenſur. pag. 255. Em. Sa. V. Excommunicatus num. 7.*

Dub. 8. Quæ ſint jura Epiſcopalia, quæ ſecundùm Canones à Clericis & Religioſis exigere Epiſcopi poſſunt?

Reſp. *Innoc. III. relatus in c. Conquerente de off. Iud. ord.* docet, eſſe Canonicam obedientiam, ſubjectionem, reverentiam, inſtitutionem, deſtitutionem, correctionem, reformationem, & cenſuras eccleſiaſticas, juriſdictionem quoque cauſarum omnium ad forum eccleſiaſticum jure ſpectantium: pœnitentias item, & Sacramentorum omnium, quæ à b epiſcopo ſunt recipienda, collationem, Synodum, & Synodatici, ſeu Cathedratici nomine duos ſolidos, quartam decimationum, & mortuariorum, denique viſitationem annuam. *Et infra.* Non amplius exigas, quàm *Moderatum auxilium*, quod iuxta formã *Conc. Lateran.* ſi manifeſta, & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate poſtulandum. Idem dicitur in *c. Cùm Apoſtolus. §. prohibemus de cenſil.* Plura *Azor II. l. 9. c. 14. ex Archid. par. 3. tt. 9. c. 5. Silv. V. Epiſcopus nu. 6.* Ex prædictis nonnulla vel ubique, vel certis in locis contrario uſu abrogata eſſe uſus ipſe, qui nunc viget, docet.

D. 9. Quotuplex ſit lex epiſcopalis?

R. eſſe duplicẽ, juriſdictionis, cui ſubiiciuntur etiam monaſteria, & diœceſanã, cui monaſteria non ſubiiciuntur *c. dilectus de off. Ord.* Ad legem iuriſdictionis pertinet datio Curiæ, delictorũ coercitio, ordinatio eccleſiarũ, conſecratio eccleſiarũ, altariũ, Virginũ, & chriſmatis: denique omniũ Sacramentorũ, & ordinũ collatio, & alia plura, quæ numerantur in § *prae. c. Conquerente.* Ad legem verò diœceſanam ſpectat, convocare ad Synodũ, & ſepulturas Cathedraticũ, quod ſoluitur in ſignũ ſubiectionis, quarta mortuariorum, decimatũ, hoſpitiorũ & ſimiliũ. Igitur omnia monaſteria ipſo iure exempta ſunt à lege diœceſana *xi. qu. 1. c. 1.* A lege verò iuriſdictionis non ſunt exempta niſi ſpeciali privilegio. *Silv. V. Epiſc. q. 7. Cucchus l. 1. c. 12. Co. Tr. ſeſſ. 25. c. 12. & 13. Emman. Rodr. II. q. 64. a. 2. Barb. de pot. Epiſc. l. 1. tt. 1. c. 1. n. 15.*

D. 10.

Dub. 10. Quas pœnas Epiſcopus incurrere ſecundùm Canonos queat?

Reſp.1. Nunquam incidere in pœnam ſuſpenſionis, aut interdicti, niſi ſpecialis mentio fiat *c. quia periculoſum de ſen. excõ. in 6.* ſicut de excommunicatione dicendum, ſi Canones non ſervet, & ſervari faciat, vel perjurus ſit, ut notat *Abb. in c Ego de iureiur. & c. Sacerdotes 2. q. 7.* Vnde deſeri poteſt, ſi ex contemptu deliquerit, quemadmodum deſeri ſolent excommunicati. *Gloſſ. in c. cit. Sacerdotes Silv. V. Epiſ. num.* 12.

Reſp.2. Epiſcopus alienum ſubditum ſcienter ordinans ſuſpenſus eſt per annũ integrum, ita ut nullos ordines conferre queat: & Clerici, cùm manifeſta fuerit ſuſpenſio, à vicinis Epiſcopis ordinari poſſunt *c. eos qui de temp. ordin. in* 5. Item ſuſpenſus eſt, ſi ordinet illiteratum, ſolenniter pœnitẽtem, vel bigamum. Item conferens uno die duos ordines vel duobus diebus, licet continuato jejunio. Item ſi conſecret in aliena Eccleſia calices corporalia, & ſimilia. *V. theſaurum Fori Eccl Franc. Leonis part. 3. c. 39. Piaſec. par. 2. cap. 4. num.* 80.

Reſp.3. Con. Trid. certas pœnas præſcribit, ſi intra tres menſes conſecrationem non recipiant *Seſſ. 23. c. 2.* Si in officio fuerint negligentes, præſertim in correctione ſubditorum. *Seſſ. 22. c. 1. & 2.* Si non reſideant. *Seſſ. 6. c. 1. Seſſ. 23. c. 1.* Si negligant, quæ ad Seminarii inſtitutionem ſpectant. *Seſſ. 23. c. 18.* Si ad conſilium provinciale non veniant. *Seſſ. 24. c. 2.* Si munera accipiant in Viſitatione *Seſſ. 24. c. 3.* Si concubinas habeant. *Seſſ. 25 c. 14.* Contra Simoniacos. *V. in Cau Lqu.* 1. 2. 3. 7. Modus correctionis Epiſcoporum præſcribitur. *Seſſ. 24. c. 5. Seſſ. 13. c. 6. & 7.* Quomodo purgare ſe debeat Epiſcopus jure antiquo *V. cap. Illud ſtatu eodem* D. 23. coram ſex Epiſcopis ſcilicet. Qui ritus jam pridem deſiit. *V. Gloſſ. ibid.*

Dub. 11. Quam pœnam mereatur Epiſcopus criminis læſæ majeſtatis reus?

Reſp. Degradationem decerni *in c. ſi. quis Laicus 22. quæſt. 5.* quod tamen aliqui de verbali degradatione intelligunt, eò quòd Epiſcopi, & Clerici non poſſint dici læſæ majeſtatis rei, quia Laicis magiſtratibus ſubjecti non ſunt. Barbatius verò, & alii de reali degradatione intelligi volunt, ſeque ita vidiſſe teſtatur. Certè in *Synodo Toleta. 16.* quam allegat *Lopez c. 12.* *Sìbertus Toletanus Epiſcopus*, quia regem ſuum privare regno, & interimere cogitarat, excommunicatus omnique honore & gradu exutus perpetui exilii pœnam ſubire coactus eſt; idque ut Synodus loquitur, ſecundùm antiquorum Canonum inſtitutionem. Extant quoque apud Platinam non pauca Cardinalium exempla, qui à variis Pontificibus propter delicta minùs atrocia diverſo mortis genere extincti ſunt. *Iul. Clarus l. 5. §. Læſa maieſt. Gigas Tr. de crim. læſa mai. q. 68. Decianus l. 7. c. 9. Zypæus de iuriſdict. Eccleſ. l. 4. c. 32. Diana par. 1. tract. 7. Reſol. 19. & 20.*

§. IX.

De Chorepiſcopis, & Titularibus.

I. CHorepiſcopus aliqui cum *Gloſſ. ad c. Chorepiſcopi D. 68.* denominatos putant à Choro, quòd in illo Epiſcoporum loco præeſſent, uti nunc Cantoris locum

locum ſuccentor obtinet. Veroſimilius eſt, dictos à vicis ſeu pagis, quos Græci χωρᾶις nuncupant. Quam ob cauſam à Papia Regionarii appellantur. In minoribus igitur oppidis conſtituebātur cum minori poteſtate, ut manifeſtè indicatur in *c. quamvis* D. 68. Hos deinde propter delicta quædam & abuſus ſuſtulit *Damaſus Papa epi.* 4. ad Epiſcopos Africæ, ubi de ſuperbiâ & præſumptione notantur. In *Conc. Antioch.* 1. *c.* 10. ſic legimus. Qui in vicis, vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen ſanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, ut gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine, curaque contenti ſint: ordinent etiam lectores, & Subdiaconos, atque exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare. *Ita Concil. Antioch.* 1. *loc. cit. Lorinus in c.* 5. *Eccleſ. V. In provincia. Bellarm. l.* 1. *de Cler. c.* 17. *Barb. in c. quamvis diſt.* 68. ubi alios plures allegat.

II. Quia ex communi doctrinâ, & Eccleſiæ uſu conſtat duos tantum Sacerdotii gradus eſſe, Epiſcoporum videlicet, & presbyterorum, conſequitur neceſſariò Chorepiſcopos nón fuiſſe in medio quodam ordine, ſed revera presbyteros tantùm & in vicis uti Parochos præfuiſſe cum majori quapiam dignitate, & licentiâ conferendi ſubinde minores Ordines, & Subdiaconatum, qui primis illis temporibus cōnumerabatur *c. erubeſcant* 32. *d. c. miramur de ſervis non ordin.* Nam ſi verè epiſcopi erant, quomodo prohibiti ordinare Sacerdotes & Diaconos: quomodo in pagis & villis reſidebant contra ſacrorum Canonum ordinationem, & Eccleſiæ praxin? *Conr. Brunus de Cærem. l.* 1. *c.* 4. *Carranza in Sum. Concil. Henriq. l.* 10. *c.* 23. §. 2. *Fill. tr.* 9 *de Sacram. Ord. Ioan. Fileſac. in l. Paræcia inſcripto. Barboſa in c. quamvis D.* 68. *Turrian. de hierarch. Ordin. l.* 1. *c.* 22. *Anton. Cucch. l.* 1. *Inſtit. tt.* 3. *Gambar. de off. Legati l.* 2. *tt. de var. ordinar. muneribus.*

III. Aliqui Chorepiſcopos cum titularibus confundunt quaſi iidem forent. Quod ſi admittimus, verè Epiſcopi, non autem Parochi erant. Meliori jure nominales dicerentur: niſi malis Chorepiſcoporum duo genera fateri, unum eorum, qui, ut Titulares verè conſecrati ſunt, licet abſque certis, & propriis ſubditis; alterum eorum, qui conſecrationis expertes, reipſa animarum Curatores, Parochi, vel Archidiaconi. De quâ re fuſiùs *Tholoſanus l.* 15. *Syntagm. c.* 12. ubi eoſdem cum *Budæo in comm. lingua Græca* Vicarios Epiſcoporum appellat, de quorum munere, & dignitate egimus *Tit. V. §.* 2. *V. Barb. in c. quamvis diſtinct.* 68. *cum DD. quos laudat.*

IV. Titulares Epiſcopi propriè vocantur, qui in locum & defectum Epiſcoporum in terris infidelium, vel ab hæreticis occupatorum, aut alium finem abſque certis ſubditis conſecrantur, quales in Germania noſtra ſunt Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicarii in Pontificalibus. A nonnullis appellantur Epiſcopi ambulatorii, portativi, titularii, nullatenenſes. His à *Concil. Trid.* præcipitur *Seſſ.* 14. *c.* 2. ne abſque licentia Ordinariorum Epiſcoporum, aut ſine literis dimiſſoriis eorum ulli etiam idoneo, adeo-

que nec ſuis familiaribus aliquem ordinem vel etiam primam tonſuram conferant ſub pœnâ ſuſpenſionis per annum integrum. Illi autem, qui ſic ordinati fuerint, ipſo jure ab executione ordinum ſuſpenduntur, donec proprio Prælato viſum fuerit. *Barb. Collectan. in Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 2. & Seſſ. 23. c. 9. Piaſecius in praxi Epiſcop. pag. 17.*

V. De iiſdem titularibus Epiſcopis ordinavit *Pius V.* in Decreto ſuo conſiſtoriali, ne Pontificalia exercere poſſint abſque expreſsâ licentiâ Sedis Apoſt. niſi in diœceſi, ad quam dati ſunt Suffraganei, & ut deinceps non dentur, niſi in Eccleſiis Cardinalium, & illis, quæ ſolitæ fuerunt illos habere, & cum aſſignatione certi ſtipendii ad minùs ducatorum auri ducentorum de Camerâ, quos propria auctoritate percipere poſſint, quando muneri ſuo ſatisfaciunt. *Franc. Leo in praxi ſuâ c. 39. n. 17. Barb. in Con. Trid. c. 2. de refor. Seſſ. 14. Piaſecius par. 1. c. 1. pag. 10.* Multùm ea Conſtitutio neceſſaria & ſalubris eſt, pro illis potiſſimè, qui ut aliis non admodum laudabilibus negotiis, aucupio fortè, venationibus, ludis, & commeſſationibus tempus, & operarū impendant, Vicarios aut titulares Epiſcopos ſubſtituunt, qui quæ ad Deum ſunt, ſacrificia, ordinationes, & ſimilia peragant. Eoſdem ſi ad reddendum pro ovibus ſuis rationem obligare poſſent, minus peccatum haberent.

TITULUS VIII.

De Archiepiſcopis.

I. Archiepiſcopus licet auctoritate, & dignitate præcellat Epiſcopos, ordinis poteſtate æqualis eſt, juriſdictione verò major, cum ſub ſe Epiſcopos, ut Suffraganeos habeat *c. 1. de fo. comp. in 6* camque ob cauſam Urbi præeſt, quæ aliarum quaſi mater & caput ſit, vulgò Metropolis appellata: ipſi autem Archiepiſcopi Metropolitani vocantur, poſtquam Patriarchæ & Primates ſuperiorem locum, & auctoritatem adepti ſunt. *c. Illis D. 80. c. 1. D. 99. Tholoſ. l. 15. Syntagm. c. 11. Cuc. l. 1. tt. 3. Bar. in c. placuit D. 18. & c. Cleros D. 21. Lanc. l. 1. tt. 5.*

II. Dignitatis Archiepiſcopalis inſigne eſt pallium, geſtandum diebus ſolennibus in ſola celebratione Miſſarum *c. Cùm ſis. de auct. & uſu pallii.* Illius origo creditur eſſe antiquiſſima, ut ex veteri E. R. Rituali colligitur, quod non malè novi teſtamenti Ephod indigitat, & à Lino, qui Apoſtolo Petro ſucceſſit, inſtitutum affirmat in ſingulare poteſtatis privilegium. At *Rupertus Tuitienſis l. 1. de div. off. c. 27.* Maternum ait, à S. Petro miſſum Trevirenſi Eccleſiæ pallium, quaſi hæreditatem reliquiſſe. Epiſcopis etiam quibuſdam concedi ſolitum legimus, & uſus comprobat, videlicet *Oſtienſi, Papienſi, Maſſano, Lucenſi, Dolenſi.* Adde *Bambergenſem,* cui *S. Henricus* Imperator obtinuit, eoque in hunc uſque diem Epiſcopi utuntur. Myſticam ſignificationem accuratè tradit *Durantus l. 2. Rituum pag.* 345.

Sum.

Digitized by Google

Sumi & mitti dicitur à corpore *S Petri*, quia ſuper altare, ubi S Petri corpus ſepultum eſt, Romani Pontificis auctoritate conſecratur, indeque ſumptum ad Archiepiſcopos mittitur: vel ut Rituum antiquorum collector cenſet, quia pallia confecta ad Baſilicam S. Petri deferuntur, & per Canonicos ponuntur ſuper corpora Apoſtolorum Petri & Pauli ſub ara majori, ubi factis vigiliis illa per noctem relinquuntur, deinde Subdiaconis redduntur, qui ea in loco decenti conſervant. *Silv. V. Pallium Lancel. l. 1. c. 11. Barb. in c ſignificaſti de elect. & c. Quoniam diſt. 100. item de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 50. n. 4. Azor. II. l. 3. c. 34. Polyt. Virg. De invent. rer. l. 4. c. 12. Anton. Cucchus l. 1. tt. 10 pag. 92. Serar. in hiſt. Mogunt. pag. 486. ubi formam pallii accuratè deſcribit.*

III. Alia prærogativa Archiepiſcopi eſt, quòd crucem anteferre poteſt etiam in locis exemptis, modò præſens non ſit Summus Pontifex vel Legatus ipſius. Præterea ubique in Pontificalibus Miſſam celebrare poteſt tam publicè quàm privatim: procurare item, ut coram ſe Miſſa celebretur ſine Pontificalibus. *Clem. Archiepiſcopo de privil. Moſconius pag. 232. Barboſa de poteſt. Epiſc. par. 1. tt. 4. n. 39. Lal. Zecchus de Rep. Eccleſ. tt. de ſtatu illuſtr. Patriarch. num 6.*

IV. Quod officium concernit, accepto pallio, & peracta conſecratione, in diœceſi propria Epiſcopalia munia exercere poteſt eo modo, quo Epiſcopus quilibet in ſua diœceſi. Ante conſecrationem verò ne quidem Archiepiſcopi nomen illi tribuitur, *c niſi ſpecialis de auct. & uſu pallii* Pontificalia exercere non licet illi in Eccleſiis Suffraganeorum ſuorum ipſis invitis. *Barb. ad c. 5. Seſſ. 6. Con Trid. Moſcon. par. 1. c. 8. Anton. Genuenſ. in praxi Archi Neapol. c. 75. num. 10. Azor. Tom. II. l. 3. c. 34. Laym l. 1. tr. 4. c. 7 §. 5. Silv. V. Archiepiſcopus. Armilla, & alii Summ. eod.*

V. Poteſtatem habet tanquam Ordinarius in Epiſcopos Suffraganeos ſibi ſubditos, eorumque Eccleſias, & populum, ut infra n. 13. dicetur. Unde abſentiam illorum integro anno cõtinuatam, ſi moniti reſiſtant, Summo Pontifici indicare debet. Præterea poſt octavam Paſchæ, vel alio commodiori tempore Synodum celebrare Eccleſias viſitare, & ſimil. *Con. Tr. Seſſ 24. c. 1. de modo V. Declar. Cardinalium ibidem. Zerola. part. 1. V. Archiepiſcopus. Gemin. in c. 1. de off. Vicarii l. 6. Iac. de Graff part. 1. l. 2. c. 18. n. 30. 31. & ſeq.*

VI. Juriſdictionem ordinariam in ſubditos Suffraganeos ſuorum exercet 1. quando ſubditus deliquit in diœceſi Archiepiſcopi. 2. Si habeat prædium domicilium, vel beneficium in ſua diœceſi. 3. Cùm cauſa defertur ad eum per appellationem. 4. Cùm abſolutus ab Archiepiſcopo non vult parere Epiſcopo. 5. Si cauſa criminalis ſit inter ſubditum Eqiſcopi, & Clericum ſuum. Item ſi Clericus cauſam civilem habeat adverſus Epiſcopum. 6. Quando Epiſcopus in officio ſuo negligens eſt. 7. Cùm evidens eſt, ſententiã Epiſcopi injuſtam eſſe. 8. Quando viſitat provinciã, quod facere debet cauſa prius cognita, ut infra n. 9. dicetur. *Con. Tr. Seſſ. 24. c. 3.* Quo tempore etiam, & non aliàs abſolvere poteſt quoſcunq; de ſubditis Suffraganeorum ſuorum. *Az. II. l. 3. c. 33. & ſeq. Moſc pag. 152 Piaſec. pag. 258. Barb. Coll. Deciſ. Apoſt. 689 Reginald l. 1. c 5. Sect. 1. n. 33. Caniſ l. 1. Inſtit. tt. 15. Cucchus tt. 10*

Digitized by Google

VII. Singulare dubium eſt de Matrimonio, poſſitne ſecundùm Concilii Tridentini Decretum Archiepiſcopus, vel alius Sacerdos de ipſius licentia ſuffraganeorum ſuorum ſubditos matrimonio conjungere? Non poſſe ordinariè ſaltem patet, quia non habet poteſtatem ordinariam in ſingulas aliarum diœceſium perſonas. Poterit tamen primò, cùm actu viſitat diœceſin, deinde cùm à Suffraganeo Epiſcopo petentibus aſſiſtentia injuſtè negata eſt. *c. Paſtoralis de off. Ord. Con. Trid. Seſſ. 24. c. 1. Remlſſ pag. 366. Davalos in Directorio pag. 103.* Conveniens enim exiſtimatur inferiorum defectus à perfectioribus, quoad fieri poteſt, ſuppleri.

VIII. Curare debet, ut pro futuris Clericis in Suffraganeorum ſuorum diœceſibus Seminaria erigantur: item Oeconomos inſtituere debet Sede vacante in Eccleſiis ſuorum Suffraganeorum, ſi id Canonici facere intra octiduum à morte Epiſcopi negligant: item Regulares cogere etiam exemptos, & nullius diœceſis, ut Concil. Trident. Decreta obſervent. Denique regulares exemptos in certas Congregationes redigere idque tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, juxta ordinationem *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 8. Declar. num. 2. Azor. par. 11. l. 3. c. 34. §.* abſolvit etiam Archiepiſcopus.

IX. In Synodo provinciali poteſt cum adjunctis minores cauſas criminales contra Epiſcopos cognoſcere, & decidere: majores autem Papæ judicio reſervabit. *Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 5.* Non tractabit de Viſitatione Cathedralium Eccleſiarum, & diœceſium ſuorum ſuffraganeorum, ſeu comprovincialium epiſcoporum, niſi cauſa cognita & probata in Concilio provinciali *Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 3.* Sic enim labore ſeipſum non neceſſario eximet, auctoritatem ſuffraganeorum tuebitur, cura & impenſa ſubditos levabit.

X. In Concilio provinciali quaſcunque novas quæſtiones emergentes cum comprovincialibus ſuis examinabit: nihil autem novum, & in Eccleſia inuſitatum Romano pontifice inconſulto decernet. *Conc. Trid. loc. cit.* In iiſdem Conciliis iudicabunt de licentia non reſidendi à ſe, vel à ſuffraganeis data. *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 1. Laym. l. 1. tr. 4. c. 7. §. 3. V. quæ diximus in Prolegom. §. 2. n. 6.*

XI. Archiepiſcopus in Synodo Provinciali eſt velut Decanus in Capitulo: eidem quaſi unus de Concilio ſubeſt, & excommunicari poteſt: præterea ab illius ſententia ad Concilium provinciale appellatur. Si negligens fuerit in erigendo Seminario correctioni eiuſdem Concilii ſubiacebit, ab eoque compelletur. *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 18. Navar. l. 1. Conſil. 6. Lorich. V. Archiep. num. 4. Vallenſis l. 1. tit. 8. §. 2.*

XII. Epiſcopos comprovinciales invitos nullius conſuetudinis prætextu, ut ad Eccleſiam Metropolitanam accedant, compellere Archiepiſcopo licet. *Conc. Tr. Seſſ. 24. c. 2.* Addit Congregatio epiſcopos conprovinciales non teneri perſonaliter accedere, nec procuratorem mittere ad præſtandam obedientiam Metropolitano ſuo, non obſtante ulla conſuetudine etiam immemoriali. *Zerola in Praxi* P. 1. *V. Suffraganei Collect. Deciſion. Apoſt. Barboſ 639. & ad c. 2. cita Conc. Trid. ſeſſ. 24.*

XIII. In-

XIII. Intra provinciam ſibi ſubiectam Indulgentias elargiri poteſt, dummodò ſtatutum Generalis Concilii non excedat. Quamvis enim non ſit ordinarius Iudex omnium de provinciâ *c. Paſtoralis de off. Ordin.* nec extra ſuam diœceſin iuriſdictionem contentioſam habeat, Indulgentias tamen concedere poteſt, quia voluntariæ iurisdictionis eſſe cenſentur. *Glo. in c. Noſtro de pœn. & rem Franc. Leo Fo. eccleſ Par. 1. c. 7 nu. 18. Nau. de iubilæo Notabili* 31. *n.* 13.

XIV. Archiepiſcopus non tantùm ex diœceſi ſuâ, ſed & totâ provinciâ relegare in exilium delinquentes poteſt. *c. Cum fortius de calumniatoribus Felinus in c. Poſtulaſti de foro comp. Barb. in c. Non ſine de arbitris. Piaſecius par. 2. c. 4. n. 95.* in multis arbitrariæ pœnæ locus eſt, & cum aliis Præſulibus modus procedendi communis.

XV. Archiepiſcopus ſi in territorio, ſeu diœceſi alicuius ſuffraganeorũ ſuorũ deliquerit, in eaſdem pœnas incidit, quas ex ſimili delicto ſuffraganeus incideret. *Oſtienſ. in ſum. ti. de ſent. excom. §. Quis valeat nu 9. Zerola Par. 2. V. Archiepiſcopus num. 1.*

XVI. In Germaniæ regno ſeptẽ Archiepiſcopi sũt. 1. Moguntinus S. R. I. Elector, & in Germania Archicancellarius. 2. Colonienſis S. R. I. Elector & per Italiam Cancellarius. 3. Trevirenſis S. R. I. Elector, & in Gallia ac regno Arelatenſi Archicancellarius. 4. Magdeburgenſis Germaniæ Primas. 5. Salisburgenſis etiam primas, 6. Bremenſis ad Viſurgim. 7. Veſontionenſis ſeu Biſuntinus. Ex his Magdeburgenſis & Bremenſis ab Hæreticis inſidetur. *Aub. Miræus de ſtatu Relig. Chriſt. l. 1. c. 33. Coſmographia Munſteri Archontologia Gotofredi pag. 26. Braſchius de Epiſc. German.*

TITULUS IX.

De Patriarchis, & Primatibus.

I. PAtriarcharum nomen & origo à primis illis Patribus eſt, qui quaſi principes credentium, & populi à Deo electi fuerunt, uti Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & ſimil. Romæ olim quinque Patriarchales ſedes erant, quarum prima Eccleſia Lateran. 2. S. Petri. 3. S. Pauli 4. S. Mariæ ad præſepe. 5. S. Laurentii extra muros: non quòd ſingulis diſtinctæ provinciæ ſubeſſent cum iuriſdictione, ſed quod in illis ſummus Pontifex, ut Patriarcharum primus ſolennia Miſſarum celebraret, & in illis Patriarchæ aliunde venientes ſedem figerent. *c. Cleros. Diſt. 21. Barb. de poteſt. Abb. p. 118. Dec. in c. ult. n. 2. de confirm. utili. Zecchus de rep. Chr. tt. de Patr.*

II. Patriarchæ olim præcipui quatuor fuerunt 1. Conſtantinopolitanus. 2. Alexandrinus. 3. Antiochenus. 4. Ieroſolymitanus. *c. Antiqua. de privil. c. Sanctæ. & Renovantes. c. definimus, diſt. 22.* Conſtantinopo-

tinopolitano ſubiecti fuerunt omnes provinciæ Græciæ, & Aſia minor: quibus poſtea acceſſerunt aliæ provinciæ, ad fidem Chriſti ſeriùs traductæ, ut Moſcovia, & Ruſſia. In his ille Epiſcopos & Archiepiſcopos, ut nunc quoque licet Schiſmaticus, conſtituebat. In provinciali libro omnium eccleſiarum illi ſubijciuntur 20. Archiepiſcopi. In jure verò Orientali parent illi 80. Metropolitani. Antiocheno ſubjecta erat altera pars Aſiæ, aliæque provinciæ uſque ad Indiam Orientalem. In libro provinciali eccleſiarum parent ei 153. Epiſcopi, & Archiepiſcopi 12. Alexandrino ſuberat Ægyptus, Lybia, Pentapolis, & aliæ provinciæ, quæ ad tropicum Capricorni pertinent. Ieroſolymitano ſuberat Palæſtina, & triplex Arabia uſque ad ſinum Perſicum. *Oſtienſ. in ſum. de auct. & uſu pall. num.* 4. *Pelag. de planctu eccl. l. 2. art. 17. Barb. in c. cleros. D.* 21.

III. Primas reipſa idem eſt, qui Patriarcha iuxta *c. Cleros. diſt.* 21. *& c. Vrbes D.* 80. *c. provincia D.* 99. Nunc autem uſus obtinuit, ut minorum gentium patriarchæ vel Primates vel minores Patriarchæ vocentur. Huius generis apud Latinos (Græci Schiſmatici magno numero) ſex numerantur antiqua conſuetudine, & Pontificum indulgentia, Aquileenſis, Cantuarienſis, Gradenſis, Bituricenſis, Piſanus, & Toletanus. *Vgonius de præſtantia Patriarchali. Germonius l. 3. de ſacror. immunitate. Barb. de poteſt. Ep. par.* 1. *tt.* 3. *c.* 7. Talis etiam, antequam hæreſi corrumperetur, Magdeburgenſis fuit, & nunc quoque Salisburgenſis *Lancel l. 1. tt. 5. Az.* 11 *l.* 3. *c.* 35.

IV. Patriarchæ poſtquam à Summo Pontifice, fidelitatis, & obedientiæ iuramento præſtito pallium obtinuerunt, & confirmationem, eiuſdem pallii uſum conferre poſſunt Archiepiſcopis ſibi ſubiectis exacto ab illis pro ſe, & Romana eccleſia fidelitatis, & obedientiæ iuramento. *c. Antiqua de privil.* Neque obſtat, quod *c. Significaſti de elect.* dicitur, Pallium à corpore S. Petri ſumi, & dari: quia licet Archiepiſcopi à Patriarchis accipiant, id tamen abſque auctoritate; & reſpectu ad ſummum Pontificem non contingit. *Barb. in cit. Antiqua Caniſius l.* 1. *tt.* 14. *Anto. Cuchus l.* 1 *tt.* 10.

V. Patriarcharum (principalium ſupradictorum) quatuor privilegia numerantur 1. eſt pallij uſus, quod plenitudinis officii Pontificalis inſigne *c. Antiqua* 23. *de privileg.* 2. Crucis, quam ubique anteferre licet, præterquam in Vrbe, & ubi S. Pontifex, aut legatus illius utens inſignibus Apoſtolicæ dignitatis præſens eſt. *c. cit. Antiqua Silv. V. Patriarcha.* 3. Privilegia & prærogativas communes cũ ſummis Pontificibus habent. *c. Renovantes* 22. *diſt.* ubi leges ſimilia privilegia, quæ Superior Roma habet, accipiat. *& Iuſtin. in. Auth. de eccleſ. titulis* §. 1. *Coll.* 9. *Alu. Pelag. l.* 2. *art.* 19. 4. In Archiepiſcopos, & epiſcopos ſibi ſubjectos ſupremam & ordinariam iuriſdictionem exercent, ut colligitur *ex Can.* 39 *Conc. Nicæni.* Vnde diſpenſare poſſunt cum Epiſcopo, vel alio beneficiorum collatore ſibi ſubdito, quando propter malã beneficii collationem à Concilio ſuſpenſus eſt *c. grave in fi. de prebendis* abſoluunt præterea excommunicatos à ſuffraganeis ſuis, etiam cum recuſant, ut communiter DD. cenſent per text. in *c. Ad reprimendum* 8. *de off. Ord. Barb. de pote. Ep. par.* 1. *tt.* 3. *c.* 1.

VI. Iidem

VI. Iidem iudicant de cauſis epiſcoporum ſibi ſubditorum, 1. cùm ad eos appellatur. 2. Cùm vacante eccleſia Metropolitana poſtulatur Patriarcha, ut diſponat de rebus ad Metropolitanum pertinentibus. 3 In caſu conſuetudinis vel privilegii. 4. Cùm de negotio arduo, quod in Concilio provinciali decidi nequit, controvertitur. 5. Cùm Metropolitanus eſt negligens, defectum illius ſupplet Patriarcha. 6. In cauſa Archiepiſcopi Patriarcha iudex eſt. 7. An iuſta ſit excommunicatio inferioris, cognoſcit. 8. Iudicat, an appellatio à ſententia Epiſcopi ad Papam facta, ſit legitima. *Vivianus in Ration. pag. 432. Alagona in comp. pag. 155. Lorich. V. Patriarcha. n. 2.*

VII. Patriarchæ ſedem figere ſolent, & debent in nobiliore loco, ſeu Vrbe, ubi Reges & Principes commorari ſolent, quod tempore Clementis Papæ conſtitutum *Anacletus in epſt. 2. ad* Epiſcopos Italiæ indicat his verbis. Provinciæ multò ante Chriſtum tempore diviſæ ſunt maxima ex parte, & poſtea ab Apoſtolis, & B. Clemente prædeceſſore noſtro iſta diviſio eſt renovata. In capite omnium Provinciarum, ubi dudum erant primates ſæculi, ac prima iudiciaria poteſtas &c. ipſis quoque in civitatibus & locis noſtros Patriarchas vel Primates, qui unam eandemque formam tenent, licet diverſa ſint nomina, leges divinæ & eccleſiaſticæ eſſe iuſſerunt, ad quos Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, confugerent, eoſque appellarent, & ipſi Primatum nomine fruerentur. *Moſconius l. 1. c. 8. Lancel. l. 1. tt. 5. Alexand. ab Alexandro. l. 2. Genial. dierum c. 27. Bellarm. l. 1. de Pontifice c. 23. & 24 Tholoſan l. 47. Syntagm. c 32. Barb in c. Humilis. de Maior. & obed.*

TITULUS X.

De Cardinalibus.

PRimum in Hierarchia eccleſiaſtica locum à ſummo Pontifice Cardinales obtinent, qui Conſiliarii, Coadiutores, & adminiſtri ſunt in rebus arduis. *c. Per Venerabilem l. 4. Decr. tt. 17.* Iidem oculi vocantur, & lucernæ unius candelabri à Petro Damiani: item pars prima & membra ipſius Papæ, ut tradit *Paulus IV. in Bulla Romana c 8.* & purpurati *in Rubr. de iuriſd. omn. Iud. n. 15.* Illorum dignitas regiæ comparatur *à Sixto V. in Conſt. 50. in princ. & §. Præterea Laert. in Bullar. tom. 1. pag. 282, Collect. Deciſ. Apoſtol. 131. Martin. Polon. in Chron. l. 2. pag. 96. Henriq. l. 10. c. 27. Barb. in c. Execrabilis de præben. in 6.* Ad *Contzen l. 6. c. 37.*

§. I.

Nomen, & Origo Cardinalium.

I. CArdines in cœlo duo poli appellantur Arcticus, & Antarcticus, quia circa illos immobiliter fixos cæli globus voluitur. Legimus etiã ventos Cardinale

Digitized by Google

nales & quatuor mundi partes Cardinales: Virtutes Cardinales apud *S. Ambr. l.5. in Luc.* Primarios Donatiſtarum S. Auguſtinus Cardinales nominavit. Simili modo Cardinalia appellamus, quæcunque magna & eminentia ſunt. Quod igitur Conſiliarij & adminiſtri proximi ac primarii ſummorum Pontificum Cardinales dicantur, dignitatem illorum, & ſupremam eminentiam arguit, cuius rei cauſa recens ab *Vrbano VIII.* Eminentiſſimi titulo aucti ſunt. *Silv. V. Cardin. Aluar. Pelag. de plan. eccl. l.2. art.16. Moſcon. l.1. c.5.*

II. De prima origine variant Scriptores, ſed rem ipſam intuenti facilè apparebit ab initio Eccleſiæ fuiſſe. Nam à S. Petro uſque, cuius collaterales fuerunt Linus, Cletus, & Clemens, ſemper aliqui ad conſilia intima à ſummis Pontificibus adhibiti ſunt. Sub *Silveſtro Papa* Victor & Vincentius in Concilio Nicœno præſederunt, quod munus eximium, & Cardinalium proprium eſt. Nomen quod attinet, ante Gregorij M. tempora raro auditum, & paucis tributum videtur. Nec *Onuphriũ* audio, qui cœpiſſe ait *Cleti & Evariſti* ætate. Diſtingui autem ſub *Silveſtro* primùm cœperunt, cùm antea commune nomen omnibus eſſet, qui vel maiori eccleſiæ, vel cæteris epiſcopis & Diaconis præſiderent. *Laudent. Q.7. Moſconius l.1. Par. 1. c.5. Stapleton. de magnit. Rom. Eccl. l.2. c. 13. Loricbius in theſaur. V. Cardinalis. Polydor. Virg. de invent. rer. l.4. c.9.*

III. Numerum ſi quæris, uſque ad annum Chriſti 1125. ſub Honorio Papa 53. fuere. Inde incertus manſit uſque ad annum 1276 Poſtea augeri cœpit, ita tamen, ut ſub Bonifacio VIII. tantùm 20. eſſent. In Concilio Conſtantienſi decretum eſt, ne 24. numerum excederent. At Sixtus IV. plures quàm 30. creavit. Alexander VI. quinquageſimum attigit. Leo X. ad 65. una vice ſupra 30. creando. Paulus IV. quinque ſuppetaddidit. Pius IV. ſeptuaginta ſex habuit. Sixtus V. denique ſeptuageſimum numerum definivit exemplo Moſis, cui 70. ſeniores in adiutorium à Deo dati ſunt. Illum poſtea numerum *Clemens* VIII. complevit. *Turrecrem. l.1. c.80. Franc. Leo in theſau fo. ccel. Par.1. c.2.*

IV. Ex his liquet, errare Panormitanum cum aliis quibuſdam exiſtimantibus, à Chriſto Domino Cardinales inſtitutos eſſe in 72. diſcipulis, quos elegit, & ad prædicandum miſit. Nam ſi ordines ſacros excipias, quibus alii ſunt epiſcopi, alii Sacerdotes, alii Diaconi, nihil remanet Cardinalibus, quàm aſſiſtere ſummo Pontifici, negotia eccleſiæ tractare & providere ea, quæ ad totius eccleſiæ incolumitatem pertinent, quod totum humani juris & arbitrii eſt. Pontifex igitur, & quidem ſolus Cardinales eligit & creat, ita ut nec ipſe Cardinalium Senatus, cùm Eccleſia Pontifice viduata eſt, ullum Cardinalem creare poſſit. *Glo. in Clem ne Romana V. Poteſtatis de elect.* Imò nullibi legimus à Conc. Generali quempiam Cardinalem nominatum eſſe, cui tamen eam poteſtatem negare non auſim. *Flamin. de reſig. l. 2. q. 1. Barbos. in c. Excommunicatis de off. legati.*

V. In *Conc. Tr. Seſſ. 24. c. 1.* definitur, in electione Cardinalium eadem obſervanda eſſe, quæ in electione epiſcoporum, ut nimirum de vita, ætate, doctrina, & reliquis dotibus inquiſitio fiat, & non ex una tantùm ſed omnibus totius orbis nationibus ſumantur, prout idonei reperti fuerint:

ſint: ne videlicet Dignitates & munera non hominibus, ſed meritis & virtutibus debita ab illa natione, in qua ſummus Pontifex reſidet, per ambitionem, quaſi propria ſibi arripiantur. *Franc. Leo in Theſauri eccl. Par. 1. c. 2. Efferen in Manuali polit. p. 656.*

VI. Creatio Cardinalium quamvis unico verbo perfici queat, à ſummo Pontifice, communiter tamen certæ quædam cæremoniæ adhibentur puta traditio pilei, immiſſio annuli &c. Abſentibus ſubinde per literas indicatur, & inſignia mittuntur. *V. Paleotum de Cardinal. Par. 1. Q. 5. Zerolam Par. 1. V. Cardinales.*

§. II.

De Cardinalium Dignitate, & officio.

I. CArdinalium gradus triplex eſt, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Epiſcopi ſex ſunt, presbyteri 50. Diaconi 14. Atque ex his conflatur numerus 70. quem Sixtus V. præſcripſit. Quæ cuique attributa ſit Eccleſia, invenies apud *Moſconium pag. 26. & ſeq.* qui recenſitis omnium titulis, ſubdit Cardinales in illis habere iuriſdictionem epiſcopalem. *c. His quæ de mai. & obed.* Vnde cōferre poſſunt omnia beneficia, Canonicatus, præbendas, aliaque officia, ſive curata, ſive non curata ſint. *Azor 11. l. 4. c. 1. Polyd. de inve rer. l 4. c. 9.* Addit *Zerola*, modò Sacerdotes ſint, ordines minores conferre. V. Cardin. ci. fin.

II. Dignitas Cardinalium æſtimari poteſt 1. ex comparatione cum ſtatu politico. Cùm enim multò nobilior ſit eccleſiaſticus Status, in quo Sacerdotes, epiſcopi, & alii Prælati fulgent, eorum, qui hiſce præſtant, maxima dignitas erit. 2. ex officio illorum, de quo paulò poſt. 3. ex titulis, quibus iam olim honorati fuerunt. *Conſtantinus M.* in Edicto ſuo. Viris, *inquit*, diverſi ordinis, Reverendiſſimis clericis, S.R.E. ſervientibus illud culmen ſingularis potentiæ, & præcellentiæ habere ſācimus, cuius ampliſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari, id eſt, Patritios, & Conſules effici: nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari, & ſicut imperialibus extat decorata militia, ita Clerum S.R.E. adornari decernimus. Iidem à *S. Bern. l 4. de Conſid.* vocantur Collaterales, & Coadiutores ſummi Pontificis. In decretalibus verò *tt. de elect. in 6.* principales Aſſeſſores, Conſiliarii, & in executione Principalis officii Cooperatores. 4. ex privilegiis multis, & magnis, de quibus infra. §. 3. Summum gradum & Dignitatem Cardinalium, *Barb. & Manfr. apud Moſcon. pag. 19.* probat 1. quia cum Papa iudicant orbem terræ, & à nemine, quàm à Papa iudicantur. 2. quia eorum conſilio totus mundus regitur. 3. quia ſunt cardines, ſuper quibus univerſi orbis machina voluitur 4. quia in Eccleſia Dei tenent principatum. 5. quia à Papa membra appellantur. 6. quia Senatus illorum divinus eſt. 7. quia locum Apoſtolorum tenent. 8 quia eligunt Pontificem, & eliguntur. 9. quia ſpeciali ornamento decorantur. 10. quia maioribus negotiis præſunt. 11. quia Papa inter Cardinales connumeratur. Ita illi rem eandē diverſis nominibus exaggerando. *Viguer. Inſtit p. 631 Lorich. in. theſau. V. Cardinalis num. 5. Cardin. Tuſchuſ concluſ. 96. & ſeq.*

V   III. Car-

III. Cardinales veſtiuntur purpura, quæ diverſarum Virtutum Symbolum eſt, Charitatis, Fortitudinis, regiæ poteſtatis. *Moſconius* fieri cenſet propter myſterium Salvatoris noſtri, qui à Iudæis purpura ornatus fuit, & præter intentionem Rex ſalutatus. Nec aliæ cauſæ deſunt Nam ſi purpura Regum propria eſt, & Cardinales Regibus honore ſuppares, iiſdem frui inſignibus convenit. Et hæc fortè Pontificum prima cura fuit. *Barbat de Card. par.* 1. *Q.* 1. *Manfr. c.* 8. *privil* 24. *Laſſan. in Catal. par.* 4. *Conſ.* 10. *Bozius de iure Status l.* 1. *c.* 13. *Tholoſ l.* 2. *tt.* 9. *c.* 3. *Buſaus de ſtatu* Cardinal. *c.* 2. *Lorich. in Theſ V. Cardinalis num.* 6. *Viguerius de Statibus.* §. 11.

IV. Officium Cardinalium, ſummotis quæ communia ſunt, in duobus conſiſtit. Primò enim in demortui Pontificis locum eligere & ſubrogare alium poſſunt, ac debent. Deinde ſummo Pontifici aſſiſtere, eum in adminiſtranda eccleſia conſilio & opera fideliter adiuvare. *Bellarm. l.* 9. *De cler. cap.* 9. *Sanch. l* 2. *Conſ. cap.* 1. *D.* 10. *Muſſus in Conc. de Cath Petri.* Quem in finem bis in hebdomada apud ſummum Pontificem olim conveniebant, nunc verò cùm negotiorum moles decreverit, ſemel tantùm. Vocatur is conventus Conſiſtoriũ. Summa igitur prudentia præditi ſint oportet, in quorum directione, & conſiliis Reſpublica Chriſtiana tuto conquieſcat. *c. Excommunicatis de off. leg. & ibi Barb. Tholoſan. l.* 15. *Synt. cap.* 4. *VV. Ferdin. ab Efferen in Idolo polit. p.* 659. *Buſaus de Statu Card. c.* 3. *Az.* 11. *l* 3. *c.* 4. *Diana Par.* 5. *tr.* 2. *reſ.* 73.

V. Quia Pontificem eligendi poteſtas in Senatum Cardinalium translata eſt, quemadmodum electus Pontifex dignitate præcellit Imperatorem, ſic Electores Imperatoris Cardinalibus minores eſſe cenſentur. Certè Pontifice è vivis ſublato Eccleſiam ipſi regunt, & adminiſtrant, uſque dum alius ſurrogatus fuerit. *c. Licet. De elect. c. Vbi periculum eo. in* 6. *c. in nomine. Diſt.* 23. *Silv. V. Cardinalis. Az. l. cit. Contzen l.* 6. *polit. c.* 35. Quomodo autem Suprema Pontificum poteſtas in Cardinalibus maneat à *Silveſtro explicatur V. Cardinalis. & Az.* 11. *l.* 3. *c.* 4. Manet nimirum quaſi in radice ſeu cauſſa, non verò quoad actualem iuriſdictionem, & plenitudinem poteſtatis. De poteſtate legislativa Collegii Cardinalium. *Suar. l.* 4. *de leg. c.* 6. docet, non extendere ſe ad novas leges toti Eccleſiæ præſcribendas, ſed ea tantùm ordinanda, quæ ad electionem Pontificis, defenſionem Eccleſiæ, & avertenda pericula pertinent. *Clem. ne Romani. de elect. c. ubi periculum. eod. in* 6.

VI. Ex Conſtitutione Nicolai II. quæ refertur *in c. ſi quis pecunia, diſt.* 79. poteſtatem habent Cardinales Pontificem, pecunia, metu, aut favore intruſum expellendi, & alium ſubſtituendi, adhibito etiam brachii ſæcularis auxilio. Similiter in electione duorum, ſeu Schiſmate licet illis Concilium cogere, & decidere controverſiam. Quod ſi hec, (*ait Nicolaus Papa*) intra Vrbem perficere nequiverint, in loco, qui eis placuerit, eligant, quem digniorem, & utiliorem Apoſtolicæ Sedi perſpexerint, conceſſa ei auctoritate regendi, & diſponendi

Digitized by Google

ponendi res ad utilitatem S. R. E. ſecundùm quod ei melius videbitur. *Boerius in Tr. de auctor. Conſilii p. 202. Azor* 11. *l. 4. c. 2. Barb. Collect. Deciſion Apoſt.* 131.

VII. Præter alia officia maiora ſolis Cardinalibus committi ſolita, legationes ſingulari virtute, & doctrina ornatis demandantur cum multis gratiis, & privilegiis. Vnde Cardinalis Legatus conferre poteſt beneficia eccleſiaſtica etiam devoluta ad Papam. *c. Officii de off. leg. in 6.* quod aliis Romanæ Eccleſiæ legatis non tribuitur: Idem abſoluere poteſt ex communicatos propter iniectionem manuum in clericos, undecunque adveniant. Mare tranſiens utitur inſignibus Sedis Apoſtolicæ, equo albo, veſtibus rubris, freno, calcaribus deauratis, & id genus aliis. *c. Antiqua de privil. Caniſius l.* 1. *Inſt. tt.* 17. *Franc. Leo in theſ. l* 1. *c.* 2. *num.* 17. *Barb. Collect. Deciſ Apoſt. n.* 131. *V. inf. tt.* XI.

VIII. Cardinales licet Epiſcopi non ſint, in eccleſiis tituli ſui poſſunt, ut veri Epiſcopi inſignibus Epiſcopalibus uti: minores ordines conferre, & dare benedictionem ſolennem: Item viſitare prædictas eccleſias, Clericos illius corrigere, ſuſpendere, interdicere, excommunicare. *c. His quæ de mai. & obed. Franc. Leo in theſau. fo. eccl. l* 1. *c.* 2. *n* 6

IX. Cardinali à ſummo Pontifice habenti cõmiſſionẽ creditur etiã in præiudicium tertij. ſi teſtetur de commiſſis ſibi à Papa, vel aliis ad eum deferendis, eaque ſolita ſint a Papa concedi, & non niſi indirectè cedunt in præiudicium alterius. Creditur quoque illi in Romana Curia de geſtis coram ſe abſque actis & ſcriptis. *Navar. l.* 3. *Conſil* 6. *Cardin. Tuſchus concl* 103. *Zerola Pa.* 1. *V. Cardinales.* Nam ſicut ea pars aeris, quæ à terra plus diſtat, purior, ita Eminentiſſimorum fides Sanctior eſſe præſumitur.

X. Quæ propria perſonæ ſummi Pontificis cenſentur, Cardinalibus minimè licent Neque enim alios Cardinales creare, nec Cardinalem legatum mittere, niſi ad id paratum poſſunt, nec à Papa miſſum, niſi gravi cauſa revocare. Nova Statuta quoque, & Indulgentiarum elargitio prohibita illis. *Glo. in c. Vbi periculum. de elect. in 6. Moſconius l.* 1. *c.* 6. *Azor* 11. *l.* 4. *c.* 3.

§. III.

De Privilegiis Cardinalium.

MVltis privilegiis gaudere compertum eſt. Non pauciora ducentis aliqui enumerant. Alii minore numero contenti ſunt. Potiora vide.

1. Qui in Cardinalem eligitur, hoc ipſo ab omni patria poteſtate liberatur. *Glo in Extrav Execrabilis de preb inter Ioann. XXII. Barb. in c. officii de off. leg.*

2. Cardinalis inops à ſummo Pontifice alendus eſt, quia convenit membris à capite ſubveniri. Tales ferè ſunt aſſumpti ex Ordinibus mendicantium, & qui carent reditibus Commendarum & Epiſcopatuum. *Card. alb. q.* 42 *Azor* 11. *l.* 3. *c.* 3. *ci. fin. Barbat de Cardinalib. Q* 6. *Manfr. Deciſ.* 224

3. Nulla ſententia ſuſpenſionis vel interdicti, quomodocunque promulgatâ afficiuntur, niſi eorum mentio ſpecialis fiat. Quomodo autem aliis Con-

 ſtitutio-

Digitized by Google

ſtitutionibus & Bullis teneatur *V. ap. Azor* 1. *l.* 5. *c.* 11. *Q.* 5. Non teneri Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ tradit *Franc. Leo in theſ. fo. eccl. l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. *Felinus c. in eos n.* 2. *de haret.*

4 Quamvis Summi Pontificis Vicarius in Vrbe plenam iuriſdictionem habeat, illi tamen, qui Cardinalibus ſerviunt, vel ſubiecti ſunt, non à Vicario Vrbis ſed à propriis iudicibus iudicantur *Card. Alb. Q.* 42. *Azor.* 11. *l.* 3. *c* 3.

5. Qui Cardinalem offendunt, ut rei læſæ maieſtatis puniuntur, quia ſummi Pontificis quaſi membra ſunt: præterea ipſo jure excommunicati ſunt. *c felicis de pænit. l.* 6. De aliis excommunicationibus *V. Bonacinam in Comp. V. Cardinales. Adam. Contzen l.* 6. *c.* 35.

6. In condendis teſtamentis gaudent militum privilegio: nec legibus civilibus, quæ certam formam præſcribunt, obſtricti ſunt. *Card. Alb. q.* 15. *Azor* 11. *l.* 4 *cap.* 3. *Cardin. Tuſchus Concluſ.* 100.

7. Conſuetudo obtinuit, ut ſi Cardinalis reo ad patibulum ducto occurrat, eum que veſte aut pileo tegat, immunis dimittatur. *Saluetus. Caſtrenſis. Laudenſis. Baldus. Capola. Panorm. Zaſius. Afflictus. Mart. de Bellenzinis. Remig. de Conuti.* Excipe damnatos ob crimen falſi, hæreſis, læſæ maieſtatis, & quodlibet aliud horrendum & atrox crimen. *Paris put. de Syndicatu p.* 356. *Duenas reg.* 81. *Iulius Clarus tamen l* 5. §. *fin. cap* 98. nunquam id à ſe viſum teſtatur, ſuadetque ſi eiuſmodi caſus eveniat, liberandum à præfixo ſupplicio reum, & ad triremes dimittendum.

8. Non obligantur ad reſidendum in beneficiis, ſed quia in Curia Romana Pontifici aſſiſtunt, pro reſidentibus agnoſcuntur. Similiter illorum familiares. Excipe beneficia, quibus cura animarum adiuncta eſt, iuxta præſcriptum *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *c.* 1. cui fruſtra ſe opponunt nonnulli apud *Azor* 11. *lib.* 3. *cap.* 4. *Q.* 3.

9. Liber ſunt à ſolutione decimarum, & obſequio Charitativo à Papa impoſito. *Lancel. l.* 2. *c.* 2. Tenentur autem contribuere de fructibus beneficiorum pro Seminario in diœceſi, ubi erigitur. *Con. Tr. Remiſſ. Seſſ* 23 *pag.* 341. *Barb. de poteſt Epiſc P.* 3. *Alleg.* 77.

10. A ſententia Collegij Cardinalium non datur appellatio. Quin nec ab unius Cardinalis lata ſententia in cauſa, cuius cum ſummus Pontifex conſtituit Iudicem, cum clauſula Appellatione remota.

11. In Cardinalem electus priora beneficia retinere poteſt. V. g. Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, quem habet in titulū, non tam jure, quàm tacito Pontificis conſenſu & indulgentia, ut cum *Card. alb. Mart. Land. & aliis quibuſdam loquutur Azor* 11. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 5.

12. *S. Silveſter in Rom. Synodo:* conſtituit, ut presbyteri Cardinalis, ſi contingat eū graviter labi, non niſi 44. teſtibus condemnetur: Diaconus autem Cardinalis urbis Romæ non niſi 27. teſtibus, qui omnes ſint abſq; ulla infamia *c. Præſul.* 2. *q.* 5. Abb. ibid. *Decianus l.* 2. *c.* 21. *n* 35.

13. Cardinales non epiſcopi nec legati, quamvis communi iure nō habeant poteſtatem eligendi confeſſarium, habent tamen ex conſuetudine, non ipſi modò, ſed familiares quoque commenſales *c. Ne pro dilatione de pœn. & remiſſ. Soto in* 4 *D.* 18. *ar.* 2. *Henriq. l.* 10. *c.* 27. *n.* 3. *Tolet. l.* 3. *c.* 13. *n.* 5.

14. Pres-

Digitized by Google

14. Preſbyteri Cardinales eſt conſuetudine poſſunt minores Ordines conferre ſuis familiaribus *Ioan. Andr. in c. 1. de ſupplen. negl. Pral. Barb. de poteſt. ep. par. 2. alleg. 3.* Familiaris cenſetur, qui victum, & miniſterium aliquod certum obtinet, uti *à Rotâ deciſum eſt, deciſ.* 584.

15. Palmarium eſt, quod ordinariè de illorum Collegio & corpore tantum eligendus eſt, qui toti Eccleſiæ præſit, S. Petri ſucceſſor, & Chriſti in terris Vicarius. *c. ubi periculum de elect. in 6. Can oportebat diſt. 79. Azor. II. l. 4. c. 1 q. 3. Tholoſ. l. 15. Synt. c 4. n. 2.* Non repugnat tamen ſubinde alium non Cardinalem extollere, & coronare, cùm ad id muneris totius orbis digniſſimus quæri debeat. *Henriq. l. 10. c. 27.* NOTA. Cardinalis qui ab obedientia Papæ recedit, non gaudet privilegiis ſibi conceſſis, ita ut excommunicationem incurrat, qui ipſum lædunt. *Cardin. Tuſchus Concl. 102.*

§. IV.

De Veſtitu Cardinalium ordinario.

I. CArdinalium habitus ordinarius coloris rubri & violacei eſt: ſub rubro, qui ex prædictis mixtus videtur, in tertiâ Adventus Dominicâ, & quartâ Jejunii majoris utuntur. Materia eſt lana, aliquando tela ſericea: holoſericum, & qui cognatus illi, non attingunt. Cum toga violacea utendum, Pileus & reliqua ejuſdem coloris ſunt. In luctu ſimiliter, niſi quod aurum omne deſit, etiam in limbo Pilei. Rubræ togæ jungitur Pileus ſubrubri coloris, cum ornamentis ejuſdem generis.

II. Tempore Adventus excepta Dominica tertia, à ſeptuageſima uſque ad tempus Paſchale, feriis ſextis, vigiliis, quatuor temporibus, die commemorationis animarum, & quocunque alio exequiarum violaceo habitu utuntur: neque tunicam ex ſericeo filo geſtare fas. Excipe quatuor tempora poſt Pentecoſten proximè, ubi rubro colore utuntur: feſta item duplicia, quæ in feriam ſextam incidunt extra Adventum, & Quadrageſimam: præterea Feſtum Annunciationis B. V. cùm in Quadrageſima celebratur: Vigiliam Nativitatis Dominicæ uſque ad Octavam trium Regum, Dominicam Paſchatis uſque ad Feſtum SS. Trinitatis, totam Octavam Corporis Chriſti, & Aſſumptionis Deiparæ, omnium Sanctorum, Patroni Urbis Romæ, & Eccleſiarum titularium, creationis, & coronationis Papæ, Feſtum Cathedræ S. Petri: denique ſolennia Feſta, dies publicæ lætitiæ dedicatos, quibus omnibus coloris rubei uſus eſt.

III. Quando in Eccleſia ſua Cathedrali vel titulari reſident, rubro veſtiuntur officio aſſiſtentes divino: item in proceſſionibus publicis ex urgente neceſſitate inſtitutis in prædictis Eccleſiis, modò nõ ſint excepti dies juxta ſuperius dicta.

IV. Extra Urbem & Italiam potiſſimè quolibet tempore, ut commodum videbitur, Cardinales legati à latere purpureo vel violaceo colore utuntur. Diebus jejunii & indulgentiarum in forma Jubilæi tam intra, quàm extra proceſſionem violaceus habitus defertur.

V. In Jubilæo anni ſancti, cùm quatuor Urbis Eccleſias viſitant, quod tempus illud pœnitentiæ cenſeatur, viola-

Digitized by Google

ceo induuntur, ut ſub Greg. XIII. *Anno ſalutis* 1575. *& Clemente VIII. Anno* 1600. factum eſt, cum ſeptem Eccleſias inviſerent extra tempus Paſchale.

VI. Quando Pontifex equitat ſolenni ritu, ut in Feſto Annunciationis Deiparæ, mulis vecti Cardinales ſimul tunicâ rubrâ induuntur. Extra ſolennem equitationem pallii uſus eſt, & moſetti ſupra roquetum cum pileo non Pontificali coloris, quem tempus exigit.

VII. Cum Legatus aliquis Cardinalis, vel recens creatus à Collegis ſuis deducitur, poſtquam Vrbem intravit, habitu violaceo utuntur: ſimiliter cùm mulis vehuntur ad Conſiſtorium publicum: rubro autem, quãdo ad ſacella ſolennia. Extra tempus Adventus, Septuageſimæ, & Quadrageſimæ, idem mulo, qui domino habitus tribuitur; pluviæ arcendæ lacerna ſuperinjicitur.

VIII. Quocunq; tempore (*exceptis, de quibus ſupra n.* 2.) in Eccleſiâ titulari alicujus Cardinalis ſolennis Miſſa agitur, habitum rubrum præferent, non obſtante, quod Collegæ violaceo induti ſunt: poſtremo nihilominus loco ſedebit, nec benedictionem impertiet, niſi fortè idem ipſe ſolenne officium peragat. Si ordinaria Miſſa dicatur in titulari Eccleſia aliqua, Pontifice abſente, puta, in S. Sabinæ in die Cinerum; ad S. Mariam de Minerva in Feſto Annunciat. B. M. V vigiliis, vel exequiis propter Principem ſæcularem defunctum, Cardinalis ejus tituli eodem cum reliquis colore utetur, tenebitque locum aliàs ſibi debitum.

IX. Cardinales Archipresbyteri trium Eccleſiarum Patriarchalium, S. Joannis Lateran. S. Petri, & S. Mariæ majoris privilegiati ſunt, eiſdemque gaudent prærogativis in Eccleſia ſua, quibus alii Cardinales in ſua titulari.

X. Qui ex ordinibus religioſis aſſumpti ſunt, ordinis habitum & colorem non mutant, excepto caputio, & bireto, quæ rubri coloris ſunt ex Conſtitutione *Greg XIV*. & quia roqueto non utuntur in ſacris, ejus loco albam induunt. De Societ. Jesu Patribus aliter dicendum, quia certum habitum non geſtant. In *Rober. Card. Bellarm.* eundem cum aliis Cardinalibus non Monachis habitum vidimus, quamvis infra illum nigro ordinis ſui & clericali induceretur. *Claudius Vaure in Deſcr. Curiæ Romanæ c.* 21.

TITULUS XI.

De Legatis Apoſtolicis.

I. QUia ad Sedem Apoſtolicam non unius Provinciæ, ſed univerſi orbis cauſæ, & negotia deferuntur, nec omnes cognoſci & decidi poſſunt in abſentia eorum, quorum intereſt, neceſſitas exigit, per Nuncios & Legatos expedire. Mittuntur itaque auctoritate Pontificia nunc Cardinales, nunc alii de Clero, aut Curialibus Romanis, qui maximè idonei videntur. *c.* 1. *&* 2. *diſt.*

2.*diſt* 84.*c.decreto* 2.*q* 4. *Silv. V. delegatus n.16.Barb.in tt. de officio Legati.*

II. Legatorum tres ſpecies ſunt. Alii de latere, alii nati, alii miſſi *Gloſſ. communiter allegata in c.* 1. *de off. legati & c.* 1. *eo.in* 6. *Manrique q* 29.*n.* 2. Legatus à latere dicitur ille, cui à Pontifice committitur certa Provincia ſuo nomine gubernanda, qui propterea ordinarius Provinciæ nuncupatur. *c.novit.de Iudic.& l.un. C. de mand.* Hujuſmodi legati exemplo Veterũ proconſulũ creantur, quos ad gubernãdum provincias Romanus populus mittebat. *Barb.in vol.*8. *Tr.Fran Leo in theſ.fori Eccl par.*1.*c.*2.*Barb. in tr.de Legatu à latere.*

III. Legati nati ſunt, qui legationis titulum & officium habent vigore Dignitatum ex privilegio Apoſtolico indultũ, cujuſmodi eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Eboracenſis in Anglia. In Gallia Remenſis, Bituricenſis, Burdigalenſis, Viennenſis, & Lugdun. In Italia Piſanus. In Germania olim Magdeburgenſis, nunc autem Saliſburgenſis. *c.* 1. *de off. legati Abb n* 1.*&* 2.*Vallenſ.l.*1.*tt* 30.*Moſcon. de majeſt. Eccleſ.par.*1.*c.*6.

IV. Legati miſſi ordinariè non ſunt Cardinales, & recepto uſu Nuncii Apoſtolici appellantur, qualis Coloniæ ad Rhenũ, Lucernæ in Helvetia, & Bruxellis in Belgio reſidere ſolet. Quærunt aliqui, an juriſdictionem ordinariam habeant in provinciis ſuis? Hoc tempore illam ne quidem Cardinales legatos à latere habere. *Fran Leo pag.* 29. tradit allegando Facultates *Clem. VIII.* qui adhuc Cardinalis ad Regem Poloniæ miſſus eſt, in quibus manifeſtè cavetur, ut ſine præjudicio ordinariorum munere ſuo fungatur. At *Suar.l.*4.*de leg. c.* 5 eos dicit habere poteſtatem plus quàm Epiſcopalem & ordinariam, ut patet ex *tt.de off. legat.* quia opinio haud dubiè juri & veritati conſonat quia nihil obſtat, quo minus in hoc vel illo reſtringatur. *V. Barb in tt. de off. leg.init.V.Zyp in enarr.Iu.Can.l.*2. *de of leg.*

V. Eſt alia quoq; legatorum differentia. Aliqui enim ſimul Judices ſunt alii nudum miniſterium, exercent *c. Nobiliſſ. D.*97. *Abb.in Rubr. de off. leg.* Nam duplex generatim loquendo cauſa mittendi eſt, una, ut provinciæ cum poteſtate præſit, altera ut cum Regibus & Principibus negotia tractet. *c. Legatus de offic. Legati in* 6. *Azor par.II.l.*5.*c.* 27. *q.*5.

VI. Ne poteſtas Ordinariorum, & judicia per Legatos Apoſtolicos turbentur, *Con Trid.Seſſ.* 24. *c.*20. ita ſtatuit. Legati quoq; de latere, Nuncii, Gubernatores Eccleſiaſtici, aut alii quarumcunque facultatum vigore non ſolùm Epiſcopos in prædictis cauſis (ad forum Eccleſiaſticũ ſpectantibus) impedire, aut aliquo modo eorum juriſdictionem iis præripere non præſumant, ſed nec etiã contra Clericos aliasq; perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito, eoq; negligẽte procedant: aliàs eorum proceſſus ordinationesve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem partibus illati teneantur. Ob eandem cauſam de beneficiis, quorum jus conferendi litigioſum eſt, non poteſt diſponere.

VII. Modum creandi legatum à latere *Claud.Vaure.* Sic deſcribit, Pontifex Senatu Patrum coacto inquirit, an & qui mittendi videantur. Qui nominati fuerint, exeunt, & poſtquam approbati ſunt, revertũtur, de novo legati munere per Pontificem edocendi. Illi re cognita gratias agunt,

agunt, virium & ingenii tenuitatem excuſantes: acquieſcunt tamen non ſuo magis, quàm aliorum de ſe judicio confidentes. Tum pedes manuſque Pontificis oſculantur, ac tandem ad oſculum pacis quoque admittuntur. Vbi diſcedendi tempus advenit, in Conſiſtorium Patres iterum conveniunt, è quo cum diſcedendum, Legatus à latere Pontificis exit, quem ad portam civitatis uſque Patres purpurati proſequuntur, & pace viciſſim gratiiſque impertitis recedunt. Legatus poſtquam Vrbis portas attigit egreſſurus benedictionem dat, pallio rubro induitur, crucem præferri jubet, eoque ritu proficiſcitur. *Gambar. de off. Legati l. 1. c 2. Azor. l. cit. q. 1.*

VIII. Legatus Apoſtolicus ingrediendo civitatem ſuam, non niſi via ordinaria & conſueta uti debet, ne à civibus irrideatur, & contemnatur. *Gambar. l. 1. tt. de poteſt. Legati.* Bononiæ ingreſſus quidam dicitur per inſolitam portam, quem idcircò averſis vultibus exceperunt, nec pro Legato agnoverunt. Similiter alias cæremonias ſervare debet. A Clero & populo ſolenni proceſſione excipiendus eſt. Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati minores crucem ſibi præferri ſolitam deponunt *c. Antiqua de privil.* Antequam hoſpitium ſubeat, Cathedralem vel primariam Eccleſiam intrat, & populo benedicit. Poteſtatem nullam exercet, niſi prius monſtrarit, legationis officium ſibi demandatum eſſe in ea provincia exercendum. Legatis, qui Cardinales ſunt, abſque literis fidem adhibendam eſſe aliqui putant: alii contrarium tenent: in Gallia verò obtinuit, ut poteſtas illorum à Senatu regio priùs diſcutiatur, quàm permittantur ea uti. *Tholoſ. l. 15. c. 4. n. 17. Zypæus l. 3. Reſponſorum §. Mandati. Reſponſo I.*

IX. Legati Cardinales extra Vrbem utuntur inſignibus, & juribus quæ ipſis tantùm conveniunt, cujuſmodi eſt, benedictionem dare, & anteferre crucem. Inſignia ſunt rubri coloris habitus, frenum, & calcaria deaurata. *Abb. in c. antiqua de privil. c. Excommunicatis de off legati §. ſupereſt n. 6. Moſconius pag. 137. Barb. de poteſt. Epiſc. par. 1. tt. 3. c. 1.*

X. Quod poteſtatem Legatorum attinet 1. Statuta perpetua facere poſſunt, non ſecus atque Epiſcopi Ordinationes Synodales. 2. Similiter perpetuæ erunt Indulgentiæ, quas dederint. 3. Legatus à latere abſolvere poteſt ab excommunicatione propter injectionem manuum in Clericum: ab aliis quoque niſi expreſsè additum ſit, à nemine, quàm Papa abſolvi poſſe. Aliis Legâtis id minimè licet *c. 3. & 4. de off. Legati.* 4. Legatus pro pluribus locis, ſeu provinciis, in quolibet loco illarum exercere poteſtatem ſuam poteſt, & unius provinciæ negotia in alia expedire propter connexionem territorii *c. Novit. ille 7. de off. leg.* 5. Legatus à latere conferre poteſt beneficia Eccleſiaſtica *c. dilectus filius eo. tt.* Eadem beneficia ſibi reſervare poteſt: neque opus eſt conſenſu Epiſcopi aut patroni. Excipe beneficia, quæ ad Epiſcopum ut delegatum ſpectant. 6. Legato à latere præſente minor legatus v. g. Provinciæ officium ſuū exercere non poteſt. *c. volentes 8. de off leg. Az. II. l. 5. c. 28. Selva. par. 4. q. 9 tr. de benef.*

XI. An poſſit Legatus in provincia ſua Indulgentias concedere multi dubitant: *Suarius IV. diſp 55. ci fin.* rem incertam eſſe

pronun-

pronunciat, & praxin conſulendam eſſe. *Fran. Leo in theſſo Eccl. l. 1. c. 7. n. 18.* abſolutè affirmat Indulgentias à Legatis dari intra fines ſuæ legationis. Addit tamen, limitatam eſſe poteſtatem, ut non poſſit, niſi 40. dierum concedere, & annum in Dedicatione Eccleſiæ: quâ in re Epiſcopis æquiparantur. *Rodericus par. 2. q 98 a. 2* cum Gambaro docet reſtitutionem ad 40. dies factam à *Concil. Later. IV.* non pertinere ad Legatos: adeoque majores Indulgentias concedere poſſe. Præſumitur enim, quòd quæ ſunt immediata pars Apoſtolicæ Sedis, futurum, ut non excedant in diſpenſatione theſauri Eccleſiaſtici. *Azor. II. l. 5. c. 32. Bellarm. l. 1. de indulg. c. 11.*

XII. Ad Judicium Legati omnes cauſæ pertinent, quæ Eccleſiaſtici fori ſunt, ſive ſacræ illæ ſive profanæ reputentur: nec opus ubique, & ſemper conſuetam judicii formam obſervare. De plano, ſimpliciter, & ſummariè cognoſcere, ac judicare poteſt. *Gambac. de immun. Eccl. l. 6. c. 11. Azor II. l. 5 c. 31. Piaſecius par. 2. c. 5. pag. 385.*

XIII. Legatum Apoſtolicum diſpenſare poſſe in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis Jure Canonico tantùm prohibitis *Gofredus affirmat, teſte Gambaro de off legati l. 7. n. 375. & ſeq quia in c. quod dilectio de conſang. & affin.* dicitur, legatum diſpenſaſſe cum quibuſdam in ſexto gradu, qui tunc prohibitus erat, ſicuti nunc quartus. Sed alii DD. communiter negant, id poſſe Legatum, quam ſententiam tenendam eſſe pronunciat *Azor. tom. II. l. 5. c. 30 q. 15. addit, cauſam Sanchez. l. 8. diſp 6. n. 15.* quia Legatus etiam à latere circa diſpenſationes ea poteſt ſolùm in provinciâ ſibi commiſſâ, quæ poteſt Epiſcopus in ſuâ diœceſi, quemadmodum docet *Gloſſa c quia circa. V. à Sede & c. q od dilectio V. Indulgentiam de conſangv. & alii multi citati ibidem.* Iidem Legati tamen intra fines provinciæ ſibi commendatæ facultatem dare poſſunt, eo modo, quo Ordinarius quilibet, alicui Sacerdoti ut aſſiſtat matrimonium contrahentibus, ut ratum & validum ſit. *Con Trid. ſeſſ 24. de ref Matrim in remiſſ pag. 366.* De diſpenſatione cum Spuriis ad ordines & beneficia Eccleſiaſtica legi poteſt. *Azor. II. l. 5. c 30.*

XIV. Legatorum officium quatuor modis terminatur. *Primò* revocatione ultroneâ Summi Pontificis. *Secundò* tempore, pro quo miſſus erat, finito. *Tertiò* re expedita. *Quartò* morte legati Juriſdictionem ipſius ceſſare ab ipſo die revocationis, quamvis id Legatus ignorat. *Felinus tradit. c. ex parte de reſcriptis. num. 12. Oſt. & Gofr. in Summa eo tt. Gambar. de offic. Legati à lat. l. 5. pag. 278.*

* * *

Digitized by Google

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

PLures ſunt Romæ Congregationes ſub cura Cardinalium, & gubernatione pro rerum & cauſarum magnitudine, ac multitudine.

Prima Congregatio eſt ſancti Officii, ſeu Inquiſitionis contra hæreticos. quæ bis qualibet hebdomada ad deliberandum cogitur, nimirum Feria quarta coram Seniore ejus Congregationis: feria quinta autem coram ipſo Summo Pontifice. Plures in ea Officiales ſerviunt. Exoſa hæreticis & Libertinis Congregatio, ut quæ fidei ſimul vindex & errorum ſit. Inſtituta eſt à Paulo III. & confirmata à Sixto V. *V. Barb. Collect. Deciſion. Apoſtol. pag.* 156.

Secunda Congregatio pro Epiſcopis, & Regularibus conſtituta eſt. Inter hos ſi quid de juriſdictione, diœceſi, finibus, aliiſque controverſum fuerit, dijudicatur. Singulis hebdomadis conveniunt. Præſes ſacri Collegii Decanus eſſe ſolet.

Tertia Congregatio ſanctiones, & Decreta Conc. Trid. interpretatur. Conveniunt apud Seniorem Cardinalium, feria quinta, vel Sabbato.

Quarta Congregatio Rituum vocatur, quia de moribus Eccleſiæ judicat. Ad canonizationem Sanctorum pertinentia eò referuntur. Semel in menſe cogitur, niſi extra ordinem evenerit quicquam. Tunc enim congregantur pro præſenti neceſſitate in palatio præſidis.

Quinta Congregatio fabricæ S. Petri dicitur, quòd piarum largitionum curam habeat è quibus decerptam portiunculam Eccleſiæ S. Petri attribuit, ut abſolvatur incœptum opus. Apud Præſidem ſemel qualibet hebdomada conveniunt.

Sexta Congregatio fluviorum pontium, & his ſimilium curam gerit, ut conſerventur & reparentur. Pro occurrenti neceſſitate conſilia ineunt. Certus ad deliberandum dies minimè conſtitutus eſt.

Septima Congregatio non multùm diverſa fontes & compita curat. Caput illius Sacellanus major eſt, qui cùm res urget ad conſultandum collegas evocat.

Octava Congregatio Indicis librorum eſt, quia examen, approbationem, & reprobationem ſcriptorum ſibi commendatam habet Arbitrio præſidis, cùm neceſſarium videtur, conveniunt.

Nona Congregatio Cardinalem nepotem præſidem habet. Feria ſecunda, & ſexta celebratur. Argumentum judicii eſt, quicquid ad Eccleſiæ ſtatum pertinet. Quatuor aut ſex Cardinales: ſex vel octo Prælati cum Secretario Senatum faciunt. Habitu violacei coloris utuntur, & familiares ſeu commenſales Papæ vocantur.

Decima Congregatio eodem, quo prior capite regitur. De bono regimine conſultat, querelas ſubditorum, qui fortè premuntur, auſcultat, reſolutiones, & proviſiones ſupremâ cum poteſtate facit. Apud Cardinalem nepotem, qui præeſt, conveniunt.

Undecima Congregatio rem nummariam curan-

curando fraudes à Rep. & ſtatu Eccleſiaſtico depellit, juſtitiam in lubricis pecuniæ commerciis tuetur. Non certo tempore, ſed pro neceſſitate conveniunt. Quatuor Cardinales, & ex Camerâ Prælati quidam eo pertinent.

Duodecima Congregatio Epiſcoporum vocatur. In eâ quorundam Religioſorum ordinum Patres, octo vel decem Cardinales, aliive Prælati conſpiciuntur. Quibus ipſe præeſt Summus Pontifex. De Epiſcopis in Italia conſtituendis agitur. Examine prævio doctrina & virtus exploratur. Clemens VIII. fuiſſe auctor perhibetur examinare per ſeipſum ſolitus, eos cumprimis, qui ſcientiam legalem profiterentur.

Decima tertia Congregatio iis potiſſimùm negotiis occupatur, quæ ad Conſiſtoriũ pertinent. Cardinalium Decanus præeſt. nulla lege, præterquam neceſſitatis conveniunt, ideoque rariùs. Quæ ſua Sanctitas proponit, ibi deciduntur, cujuſmodi ſunt renunciatio Epiſcopi, fructuum Eccleſiæ, Abbatiæ conſiſtoriales, & his affinia. In palatio præſidis ad deliberandum congregantur. Interſunt prædictis Congregationibus plures Cardinales, illi potiſſimùm, quæ Epiſcoporum & Regularium dicitur, ubi viginti quatuor inveniuntur. Suum quæque Secretarium habet, qui acta excipiat. Literas Præſes conſignat. Literarum apographa Secretarius in Codicem relata conſervat. His addenda eſt *Congregatio de propagandâ fide à Gregor. V.* inſtituta eo fine, ut media congrua inquirat, impedimenta omnia, & obſtacula removeat, fidei ac doctrinæ Chriſtianæ amplificandæ. Quolibet menſe feria ſecunda coram Summo Pont. habetur: ſæpius verò in palatio ad id conſtructo. Ex Cardinalibus plures interſunt, cum Protonotario, Secretario ſtatus, & Judice, qui ſolet eſſe de numero Referẽdariorum ſancti Officii, ejuſdemq; Congregationis Secretarius. Extructum recenter eſt in campo SS. Trinit. de monte ampliſſimum palatium pro illis recipiendis, qui ad fidem converſi pietatis cauſa in Urbem veniunt. Eodem divertunt Sacerdotes, & Epiſcopi pauperes, quibus omnibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt, largè ſuppeditantur. Habet præterea Cõgregatio peculiarem officinam typographicam pro imprimẽdis Miſſalibus, Breviariis, aliiſq; ad fidei Catholicæ doctrinam ſpectantibus libris. Anno ab hinc tertio præerat Antonius Cardinalis Barberinus. Quando indictum Conſiſtoriũ eſt, alia Congregatio nulla habetur etiam ſi à Cardinali præſide indicta ſit. A prandio tamen, quæ omiſſa manè, celebratur. Præter hæc omnia tres Archipresbyteri ſunt, videl. S. Joan. Lateran. S. Petri, & S. Mariæ majoris, quorũ magna dignitas, & poteſtas Vicarium deſignant, ex Epiſcopis, qui reditus ex presbyteratu capit, vel titulo Canonicali. Beneficia omnia ipſi conferũt, Canonicalibus exceptis. Præterea Archipresbyter S. Joan. Later. juri dicundo præeſt, criminali, & civili eorum omnium, qui circa Lateranum habitant. Tempore Jubilæi Portã ſanctam ſolenni ritu aperiunt. At Decanus Cardinaliũ eã, quæ S. Pauli eſt, aperit: & quibus cæremoniis aperiunt primò iiſdem ſuo tempore claudunt. (*Claud. Vaure in Curiâ Romanâ c. 25 V. Barb. collect. Deciſion. Apoſtolicar collectione 210 & ſeq Relatione d. lla Corte Romana di Girolamo Lunadoro.*

Digitized by Google

TITULUS XIII.

De Rotâ Romanâ, & Conſiſtorio.

Congregationes quæ à Cardinalibus conſtituuntur, vel reguntur, proxima dignitate, & auctoritate Rota ſequitur, quæ nihil aliud, quàm Senatus, aut Concilium duodecim Prælatis conſtans, quorum aliqui Itali, & Galli, alii Hiſpani, & Germani. Quatuor Notarios ſinguli Auditores habent. Feria ſecunda, & ſexta congregantur, excepto Vacationum tempore. Cauſæ beneficiorum omnes & profanæ ibi aguntur. Initium vacandi prima Julii hebdomada eſt. Poſt ultimam Seſſionem in palatio Apoſtolico Officiales omnes Rotæ à Summo Pontifice ad epulum invitantur. Singulis præterea centum aurei dantur; Decano alterum tantum: qui mos à *Clemente VIII cœpit*. Kalendis Octobris ad inſtitutum redeunt, ubi poſtremi Auditores duo mulis vecti ad Curiam tendunt pluribus equis comitati, eo ſervato ordine, ut primi Auditores incedant, equites ſequantur, idq; propterea, ne cum Cardinalibus eundem ſtatum habere videantur. Cardinales enim poſtremo loco vehuntur. Officium Auditoris annuè mille ſcuta numerat. Poſtremus Auditorum habita oratione initium dat conſiliis, & Congregationi deinceps habendæ. *Ita Claud. Vaure. Barb. Vot. Deciſ.* 11. *p.*64. De eodem Senatu agens *Azor. II. l.*5.*c* 41. Cauſas *inquit* ex toto orbe allatas Summus Pontifex per viros utriusq; juris peritos expedire ſolet: qui quoniam in Capella Pontificia illi aſſiſtebant, Capellani Summi Pontificis olim dicebantur, & Auditores ſacri Palatii. Hodie Auditores Rotæ vocantur, quod in orbem ſedentes controverſias, & cauſas examinent. In hoc Auditorio cuncta juxta doctrinam, prudentiam, & æquitatem definiuntur. Sunt Auditores duodecim. Ad hunc enim numerum eos *Sixtus IV.* reduxit. Eſſe Judices delegatos cenſet *Archid. in c. experientia* 11.*q.*1.*Bartol.* vero habere juriſdictionem ordinariam. *l. præcipimus* §.1.C.*de appell.*

De Conſiſtorio Romano.

Pro Conſiſtorio aulæ duæ ſunt in Palatio Apoſtolico, S. Petri, quarum *Prima* ampliſſima, ubi Conſiſtorium publicum habetur, Legati Regum, & Principum excipiuntur. *Secunda* pro Legatis Principũ eſt, & rerumpubl. quando gratulaturi Summo Pontifici, vel exhibituri obſequium veniunt. Item pro publicatione Cardinalium: pro Legatis Apoſtolicis quando reverſi ſunt, pro novis Cardinalibus ad Curiam venientibus. Ibidem cauſæ aguntur ad Conſiſtorium pertinẽtes. In fronte thronus eminet quatuor graduum altitudine, ubi ſcabellũ aureo periſtrômate veſtitum. Ad dextrũ latus Cardinales epiſcopi & presbyteri conſident, ad ſiniſtrã Diaconi. Sedilia circum

circa rubro purpurant. Pontifex ad Conſiſtorium vadit amictu Pontificali, ante illum crux, & Cardinales. Pontifici poſtquam de more reverentiam fecere Cardinales, ſuo quiſque loco reſidet. Archiepiſcopi, epiſcopi, Protonotarij, & Prælati omnes in tribus gradibus ſolij pontificalis ſedent cum Auditoribus Rotæ, clericis Cameræ, & acoluthis cappâ laneâ veſtitis. In imo reliqui aulici, Camerarii, & Secretarii. Ad latus Pontificis nepotes in Conſiſtorio locantur: qui honor aliis quoque magni nominis Principibus defertur. Legatis Regum à dextra locus eſt: familiaribus Papæ, & nobilibus à ſiniſtra, ſed intra ſolium, & murum. Poſt Cardinales presbyteros & Diaconos Advocati Conſiſtoriales locum habent. Poſt Cardinales Epiſcopos Procuratores Regum, Principum, & Ordinum cum procuratore fiſcali, qui inter Procuratores primum locum obtinet. Clerici cæremoniarum ante Cardinales Diaconos iuxta Papam ſedent, ut ad mandata prompti ſint. Magiſtri ſacri Palatij locus infra Cardinales presbyteros eſt.

Quando Conſiſtorium habetur pro cauſis audiendis Advocati proponunt litem, & ſupplicationem ſuam conijciunt in manus Curialium, qui humi conſident: illi de manu in manum promovent, donec ad Vice-Cancellarium ipſum deferatur. *Si quis* contradicere ſupplicanti velit, permittitur: quo facto, ſiquidem videtur congruum, Pontifex reſpondet. *Placet*, abſolutè, vel limitatione. Eam deciſionem recipiens Vice-Cancellarius ſupplicationem manu propria conſignat, & referri in Codicem, ſeu Regiſtrum mandat.

Conſiſtorium, quod *Secretum* vocant, in aula minùs publica celebratur. Sedes Pontificis ibi duobus gradibus altior non eſt ſedilibus Cardinalium, quæ aulæis vacua ſolo colore rubent additis Papæ inſignibus. Solius Pontificis aureo periſtromate tegitur. Qui poſtremo loco inter Cardinales Diaconos ſedet, campanula vocat eos, quorum opera neceſſaria eſt. Cùm nominandi, aut deſignandi Cardinales, & Prælati ſunt, Pontifex mitratus ingreditur, aliàs in conſuetâ togâ & paruo capuccio. Hodie vix unquam cum cappa, & mitrâ apparet, niſi fortè poſt electionem ſuam. In Conſiſtorium Secretum præter Cardinales nemo admittitur exceptis duobus Secretariis, qui ad portam præſtolantur. Cauſam Pontifex proponit, collectiſque Cardinalium ſuffragiis ex pluralitate definit.

Claud. Vaure. Archontologia Gotofredi pag. 27.

TITULUS XIV.

De Summo Pontifice.

I. SVppono Vicarium à Chriſto Eccleſiæ ſuæ relictum eſſe cum ampliſſima poteſtate, qui ſupremus Paſtor, Iudex, & caput omnium credentium eſſet: quod tota antiquitas, & Sancti omnes agnoverunt, adeoque diverſis titulis ac nominibus ſummam poteſtatem indicantibus honorarunt. Illorum.

Primum eſt Papæ, ſeu Patris, communis videlicet omnium Chriſti fidelium. Nam quando abſolutè ponitur, aut pronũciatur, de ſolo Vrbis Romæ Epiſcopo ſeu Põtifice intelligitur *Conc. Chalced act. 16. Liberati Breviarium c. 22. Conc. ſecundum apud Theodoretum l. 5 c. 10. Epiſt. Chalced. Concil. ad Leonem.*

Secundum, Pater patrum, quod Stephanus Archiepiſcopus Carthag. Damaſo Pontifici tribuit in epiſt. trium Concil. Africæ nomine ſcripta. Aliqui alii tamen eodem nomine honorati fuiſſe videntur.

Tertium eſt Pontifex Chriſtianorum. *Euſebii Chron Anno* 44. aut *Magiſter mundi Corn. Muſſus in Conc. de cath. Petri.*

Quartum. Summus Pontifex, quo utitur præter Stephanum ſupra citatum. *Greg. M. l. 1. c. 4. Dialog. B. Anſelmus in præf. libri de incarn Verbi. & B. Bernardus in omnibus epiſtolis ad Romanos Pontifices.*

Quintum, Princeps Sacerdotum. Legitur in *ep. Valentiniani ad Theodoſium Concilio Chalced. præfixa. Proſper l. 1. de vocat. Gent. c. 6.*

Sextum Vicarius Chriſti. *S. Bern. l. 2. de Conſid. Conc.* Lugdun. *ſub Gregorio* X. *relat. in c. Vbi periculum de ele in 6.*

Septimum. Caput Eccleſiæ. *Conc. Chalced. in ep. ad Leonem. act.* 1. *eiuſdem Concilii* Eccleſia Romana omnium eccleſiarum mater appellatur.

Octavum. Fundamentum. *Hieron. in ep. ad Damaſum* de nomine hypoſtaſis, ſuper hanc, *inquit*, Petram (*Damaſum*) ædificatam eccleſiam ſcio.

Nonum. Paſtor ovilis Dominici. *Ambroſ. ep. 81. ad Siricium Papam.* Recognovimus, *ait*, quàm fideliter tibi commiſſam ianuam ſerves, & pia ſollicitudine Chriſti ovile cuſtodias.

Decimum. Rector domus Dei. *S. Amb. in ep. 1. Tim. 3.* Domus Dei eſt eccleſia, cuius hodie rector eſt *Damaſus.*

Vndecimum. Cuſtos Vineæ. *Conc. Chalced. in ep ad Leonem.* Contra ipſum cui Vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt, id eſt, contra tuam Apoſtolicam ſanctitatem extendit inſaniam.

Duodecimum Pater & Doctor omniũ Chriſtianorum. Conc Flor. ſeſſ. ult. ſimili modo Romana Eccleſia mater & magiſtra omnium eccleſiarum appellatur. *Conc Lateran. ſub Innoc. III. c. 5.*

Decimum tertium Sponſus Eccleſiæ, quo

quo appellatur Papa in Conc. Lugd. Generali. *c. Vbi periculum de ele. in 6.*

Decimum quartum Apoſtolicæ Sedis præſul, intellige per Antonomaſiam. Cùm enim abſolutè, & nullo addito ponitur, de ſola Romana intelligitur. *S. Aug. in ep.* 106.

Decimum quintum Epiſcopus Vniverſalis. *Conc. Chalced. act.* 3. in tribus epiſt diverſorum Græcorum ad Leonem Papam, quæ incipiunt, Sanctiſſimo & beatiſſimo Vniverſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni. Cæterùm Epiſcopus univerſalis nuncupatur, non quòd ſolus omnium urbium & eccleſiarum Epiſcopus ſit, ſed quia totius eccleſiæ generalem curam gerit quod pro diluenda hæreticorum calumnia ſervit. *Bellarm. l.* 2. *de Pont. c.* 31. *& l.* 1. *de offic. Princ. Chriſt c.* 4. *Tuſchus Concluſ.* 40. *Barb. in Proœm. Decretalium.*

II Præter hæc aliqua ſummo Pontifici tribuuntur, quæ ab hæreticis ridentur, & Catholicos quoque offendere poſſunt, niſi cum grano ſalis accipiantur Exempli cauſa 1. quòd Papa ſit contra Ius, ſupra Ius & extra Ius. 2. quod habeat idem cum Deo conſiſtorium. 3. quod data illi ſit omnis poteſtas in cœlo in terra 4. quòd ſit Deus *Diſt.* 96. *c. Satis* 5. quòd mutare poſſit formam Sacramentorum, ut tribuitur Archidiacono. 6. quòd poſſit ea in terris, quæ Deus in cælis. 7. quod nulli ſit par. Hos titulos ſuperbiæ vocat *Calu l* 4. *Inſt. c.* 7 *num* 3 addens. quàmdiu duravit Eccleſiæ vera, & pura facies, iſta omnia ſuperbiæ nomina, quibus inſoleſcere cœpit Romana Sedes, prorſus fuiſſe inaudita. Cui repono, calumnias ipſius. & aliorum hæreticorum contra Eccleſiam Romanam, illo Veterum tempore etiam inauditas fuiſſe. *Lucas Oſiander in Enchir. Controv. c.* 8. cùm ſupra dicta encomia retuliſſet, interrogat. Cur Papa has adulationes non damnat, cur non inhibet, cur non anathemate ferit? Vt igitur Herodes non reijciens impias Vulgi acclamationes, illarum blaſphemiarum coram Deo reus factus eſt, & miſerrime periit, ſic Papa non damnans iſtas Canoniſtarum impias adulationes eaſdem approbat, & æternæ damnationis reus eſt. *Sic Oſiander.* Ex quo viciſſim quærere lubet. Cur ipſe & tota Lutheranorum Synagoga non damnant, non reiiciunt, non anathemate feriunt blaſphema encomia, quæ *Luthero* à quibuſdam evangelicis Gnathonibus tribuuntur, appellantibus verum Eliam, Apoſtolum, Evangeliſtam, Dei electum organum, Angelum teſtamenti, & ſim. Nunquid quia approbant, cum eiſdem rei fiunt, & æternùm cruciabuntur? Ad rem verò quod attinet, qui Pontifici tam amplos titulos tribuunt, certo quodam ſenſu utuntur, qui id, quod durius ſonare videtur, facilè mitigat. Nomen Deitatis offendit? Illud Chriſti attende. *Ioann.* 10. *Ego dixi Dii eſtis.* Si quilibet fidelis divinitatis nomine honoratur, quid criminis eſt, quòd Conſtantinus Imperator Papam Deum appellavit? *V Damhouder. in Promptuario, in expoſ Primi prac. p* 4 3 *Becan de priv. Calviniſt n.* 10.

III. Præclarè *Ferdinandus ab Efferen in Manuali polit. l.* 4. *Puncto* 2. propoſita quæſtione *de iuriſd. Summi Pont.* In hac quæſtione, inquit, duplex error emergit: alter in exceſſu adulatorum, alter in defectu invidorum & malignantium. Illi poteſtatem ſummi

Digitized by Google

Pontificis extollunt ſuper omnia humana, ut in Reges, Principes, & univerſos ſubditos abſolutum à Chriſto habeat imperium: hi tam malitioſè deprimunt, ut nec ſupremam Spiritualem, nec ullo modo temporalem iuriſdictionem agnoſcant. Vt facilitetur deciſio, adſit Doctorum Eccleſiæ diſtinctio, qui docent, ſummum Pontificem non eſſe Deum, ſed Vicarium Dei in terris, & ſucceſſorem D. Petri: habere à Deo ſupernaturaliter poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis in regimine eccleſiæ militantis: habere etiam per aſſignationem Dei decimas frugum, & per donationem Principum ſæcularium provincias, feuda, civitates, bona, & hæreditates diverſas, immunitates & privilegia, ut in tanta ſublimitate ſecundùm leges politicas ſtatui ſuo cum honore præeſſe & ab iniuriis defendere poſſit. Qui plura volet, conſulat Eccleſiæ Catholicæ Theologos, & hauriet ſufficientiſsimam intelligentiam. *Ita Ferdin. ab Efferen. V. Baron. in Not. Martyrol. ad diem 9. Apr Daniel. Templo Iud. l. 2. c. 1. Moſcon. l. 1. c. 1 Fr. Leo l. 1. c. 1. Bellarm. de Pont. l. 2. c. 31. Valent. in Anal Fidei l. 7. c. 11. Lorich. in theſau. V. Papa pag* 1489. *Becan. Opuſc. de Pont. V.* T.

§. I.

De electione ſummi Pontificis.

I. PEtrum ſibi ſucceſſorem nominaſſe Clementem teſtatur *Epiphanius hæreſi vigeſima ſeptima*, qui tamen non acceptarit uſque poſt Lini, & Cleti obitum. Vnde colligi videtur nulla electione opus eſſe, niſi fortè anteceſſor nullum nominarit. Verum Eccleſiæ praxis contrarium docet, ſecundùm quam huc uſque electi Pontifices fuerunt. *V. Barb in c. ſi Petrus* 8 *q* 1. ſed non una forma, modoque, ut accuratè declarat *Card. Bellarm. l. 1 de Cler. c. 7.* Apoſtolorum *inquit* temporibus ſoli ipſi populo Paſtores eligeban, tur; deinde adhibitus eſt populus ad teſtimonium ferendum de eligendis, uſque magis diligerent ſuos Paſtores, non niſi quos voluiſſent, ordinati ſunt. Tandem in quibusdam locis obtinuit, ut jus Suffragii uſurparet ſibi. At poſtquam apparuit confuſio, ſublatâ electione & Suffragio remanſit ſolum ius teſtimonii ferendi. Accidit deinde, ut propter hoſtes ſuos patrocinio Imperatorum Eccleſia indigeret: quocirca permiſſum eſt Imperatoribus, ut cum clero ſummum Pontificem nominarent. Conſtat Iuſtinianum Seniorem noluiſſe creari Pontificem ſine approbatione ſua, quod ſervatum eſt uſque ad Conſtantinum IV. qui iuri prædeceſſorum ſuorũ ceſſit, *teſte Platina Adrianus* I. idem ius Carolo Magno tribuit, & Leo VIII. Ottoni primo, ut liquet ex *c. Adrianus D. 63. & Can. in Synodo.* Cui iuri mox renunciavit *Ludovicus Caroli M. filius. & Otto ipſe c. Ego Ludovicus D.* 63 *&c Conſtitutio ead diſt. Bellarm. in Apolog. con. Reg. Angl. c. 6.* His poſitis dubium eſt, quis modus eligendi Pontificem optimus videatur?

II. Modus eligendi Pontificem per ſolos S. R. E. Cardinales optimus videtur, ut patet conſideranti omnes modos electionis poſſibiles. Vel enim eliget tota Eccleſia, quod impoſſibile eſt, vel ſoli & omnes Clerici, quod etiam impoſſibile, & multò minùs de laicis dici poteſt. vel aliqui

aliqui ex Clero, & aliqui ex populo, & fiet ingens confuſio. Vel denique Imperatori, ut olim, relinquetur, quod tam eſt inconveniens, quàm ſi Imperatoris electio Clericis committeretur. Supereſt igitur ſupremus Eccleſiæ Senatus ex omni gente & natione delectus, qui quod Eccleſiæ ſtatum optimè norint, ſcire poſſunt, quæ perſonæ aptiores ſint. Accedit ad confirmationem experientia. Etenim ab Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono uſque huc omnes Pontifices à Solis Cardinalibus electi ſunt iuxta Decretum Alexandri III. promulgatum in *Conc. Lateran.* ut habetur in *c. Licet de elect.* ex quo ſimul colligitur, antè id tempus à Cardinalibus factam electioné eſſe, quia tantùm determinat, duas Cardinalium partes requiri & ſufficere, ut qui ſic electus fuerit, legitimus Pontifex habeatur. *V. Barb. de poteſt. Epiſc. Par.* 1. *tt* 1. *c.* :. *n.*12. *Baron. An.* 526. 555. *& alibi. Tholoſ l.*15 *c.*3.

III. Si, quod fieri non repugnat, vel prædictus modus mutaretur, vel Cardinalium Collegium omnino periret, ius electionis vel ad Concilium generale, vel ad Clerum Romanum, & vicinos epiſcocopos, aliis non cõtradicentibus devolueretur. De Concilio Generali manifeſtum eſt, quia totam Eccleſiam repræſentat. Poſſet igitur congregari tunc &, vel ab illo eligi Pontifex, vel committi certis perſonis: non niſi Romano Clero, & vicinis epiſcopis putat committendam *Bellarminus*, tum quia ab iiſdem ad Cardinales translatum ius eſt, tum quia antiquiſſima conſuetudo habet, ut epiſcopũ tam Romanum, quàm alios eligant epiſcopi vicini. Nec unquam auditũ eſt, quod Archiepiſcopi, & epiſcopi totius orbis convenirent ad electionem ſummi Pontificis, niſi in caſu, quo dubitatur, quinam ſint legitimi electi. Hoc enim dubium à Concilio Generali explicandum eſt, ut factum in Conc. Conſtantienſi. *V. Anton. Peregrinum l.* 1. *de iuribus Fiſci pag.* 19. *Az.* 11 *l.*4 *c.*2. *Q.*11.

IV. Cæterùm Pontificis maximi electio quatuor modis inſtitui poteſt, quorum primus eſt per viam Spiritus ſancti. Secundus per Compromiſſum. Tertius per ſcrutinium. Quartus denique per acceſſum. Electio per viam Spiritus ſancti facta dicitur, quando is, qui à Decano ſacri Senatus primò rogatus ſententiam, ſe prætermiſſis omnibus aliis NN. ob ſingularem virtutem, & prudentiam dignũ iudicare ſummo Pontificatu dicit, & maior pars electorum, id eſt, ex tribus partibus duæ mox aſſentiuntur. Compromiſſum eſt, quando tribus ex omni numero poteſtas fit deligendi Pontificem: quibus integrum eſt vel ex ſuo numero unum vel quemlibet alium nominare. Illorũ poteſtas ad cerei extinctionem uſque durat: quo facto mortua ipſorum vox cenſetur pro electione præſenti, & ſcripto comprehenſa ſervatur. Scrutinij praxis uſitatior eſt, cuius hic modus In Scheda ſinguli eius, quem eligunt, nomen ſcribunt. Decanus Sacri Collegii primus ante aram proſtratus divinum auxilium brevi oratiuncula implorat, tum electionis Schedam in calicem altari impoſitum mittit, quem detegit primus ex Diaconis Cardinalibus ac claudit, ſingulis per ordinem importantibus ſuffragium ſuum. Datis hoc modo ſententiis ad dextram altaris recipiunt ſe. Porrò plurium aliquando

Digitized by Google

nomina inſcribuntur, qui Pontificatu digni videantur, ita ut non tam electio, quàm propoſitio videatur. Abſentium nomina extrinſecus ſcribuntur, intus verò præſentium.

His ita peractis, ſuo quiſque loco reſidet habens ante ſe atramentum, & calamum, omniumque Cardinalium nomina ordine deſcripta ſine titulis, & qualitatibus. At primus Cardinalium epiſcoporum, & primus Cardinalium Diaconorum calicem aperiunt, Schedas ſortuitò extrahunt, quas primus Cardinalium Diaconorum dum legit, reliqui omnes notam apponunt ei, qui promulgatur. Perlectis omnibus initoque numero, qui ſuperat, electus legitimè cenſetur, & clara voce promulgatur. Cùm paria ſuffragia ſunt, per acceſſum electio tentatur, quo etiam deficiente receditur, quaſi re infecta. Neque enim niſi unum Scrutinium pro die admittitur. Sequenti die ad electionem redeunt ſervatis eiſdem ritibus. Si trinis vicibus non abſolvant, ſubtractione cibi puniuntur. Si contingat unius alicuius ſuffragium deeſſe, & per acceſſum ſupplere velit, accedens ad electum dicit *Ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum meum, N. eumque facio Papam.* quo facto ſacri Collegii Decanus eligit eundem, & conſenſum ipſius requirit. Obtento illo congratulatio fit, & ad thronum deducitur, annulo piſcatoris ornatur, nomen exquiritur, ac tandem ea, quæ à Cardinalibus ante electionem decreta ſunt, confirmat, & obſignat. *Azor Par. II. l. 4. c. 5. Q. 11.*

V. Pontifex electus, ſi epiſcopus non ſit, à Cardinale Oſtienſi conſecratur, ſi verò Epiſcopus ſit, alia conſecratione non indiget, ſed maiorem iuriſdictionem recipit. Quod inſignia attinet, baculo non utitur. *Extra c. Un. de ſacra unct.* tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam ſignificationem. Propter hiſtoriam S. Martialis, vel Materni, *inquam*, ad quem reſuſcitandum S. Petrus baculum miſiſſe creditur, quem non relatum, ſed Treviri aſſervatum tradunt. Myſtica ſignificatio in eo conſiſtit, quòd baculus ſignificat potentiam ab aliquo acceptam, & neceſſitatem attrahendi oves, vel ſubditos. Ideò enim curvus ſupernè eſt. Pontifex autem, neque ab alio præterquam Deo poteſtatem accipit, neque attractione opus habet, quia omnia illi ſubiecta ſunt. Aliquando mitram fert, aliquando Coronam, quæ triplex, & regnum vocari ſolet in ſignum imperii, ſeu poteſtatis, ut *Innoc. III. ait in Serm. 1. De feſto S. Silveſtri*, cui *Conſtantinus* Imperator coronam ex auro, & gemmis pretioſiſsimis obtulit. Decretum Conſtantini extat apud *Leonem IX. in libro adverſus præſumptiones Michaelis c. 13. & in Actis B. Silveſtri.* Dicunt aliqui, à Papa coronam triplicem geſtari, ut cognoſcant omnes, illum habere poteſtatem in ſuperos, medios, & inferos, Cœlum, Mundum, & Tartarum: quod cum grano ſalis accipiendum, ne piorum aures offendat. Superos honorat, declarando beatos, & canonizando: conſtitutos in Purgatorio iuvat per indulgentias, & ſuffragia: eorum, qui adhuc in via ſunt, propriè Paſtor, & Iudex eſt. Triplex igitur ei poteſtas competit, Ordinis, iuriſdictionis ſpiritualis, & iuriſdictionis temporalis,

Digitized by Google

poralis, cuius rei Symbolum ut triplex corona dicatur, nihil alienum eſt. *V. Durantum l.2.c.9 n.36. Ioſeph. Stephanum de coron. Pontif.*

VI. Pontifex legitimè electus non indiget confirmatione aliqua, quia Superiorem inter homines non agnoſcit, ſed poteſtatem ſuam à DEO immediatè accipit. Poteſtatem ſeu iuriſdictionem eccleſiaſticam dico, quam qui omnibus Epiſcopis immediatè à Chriſto communicari ſentiunt, à fortiori de ſummo Paſtore, & Epiſcopo concedent, nixi iiſdem teſtimoniis, quibus S. Petri confirmatur auctoritas. *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum. Ioan. 21. Paſce oves meas.* Nam ſi ſucceſſoris par iuriſdictio, & auctoritas eſt, ſequitur, eandem Petri, & Pontificis poteſtatem eſſe, & à Chriſto immediatè communicari. Cuius rei figura in Moyſe fuit, quem Deus ipſe ordinavit ducem populi: cumque non ſufficeret tantæ multitudini 70. ſeniores additi ſunt, quibus ex Spiritu Moyſis Deus tribuit virtutem, non quod minueret in Moyſe illam, ſed ut oſtenderet, in illo plenitudinem poteſtatis tanquam ſupremo capite reſidere, aliis inde partem eſſe attributam: quod nunc etiam in epiſcopis contingit, qui à ſummo Pontifice accipiunt poteſtatem ſuam, ut pluribus explicat *Card. Bellarm. l.4 de Pont. c 24. Thom. Bozius l 18 c 6. Barb in cap. In nomine Domini Diſt. 23. & de poteſt. Epiſc Par. 1. tt 1. c. 1. Azor 11. l 30. c. 3. Q 13. Piaſec. par. 2. c. 1.*

VII. Contra Pontificem electum excipi poteſt crimen hæreſis, ſi notorium ſit. Ita colligimus ex *c ſi Papa Diſt. 40. Conſtitut. Iulii 11. in Conc. Lateran. Seſſ. 5. Cum iam divino &c. Item Reg. Iur. 71. in 6.* Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus. Adde rationem. Pontifex in manifeſta hæreſi deprehenſus ab Eccleſia, ſeu Concilio Generali accuſari, & damnari poteſt, vel, ut quorundam opinio eſt; minimum declarari poteſt, hæreticus, & incapax ſummi Pontificatus. Ergò multò magis in electione contra illum excipere licet, ſi manifeſtus hæreticus ſit. *Abb. Gofr. Francus in c. Licet de elect. Moſcon. l. 1. p. 1 c. 2. Azor 11. l. 4. c. 5. Q. 7. Barb. Collect. Deciſ. Apoſt. num. 31. Silv. num. 4.*

Aliorum criminum alia ratio eſt. Inficiunt, non abiiciunt. Quamobrem ſi Simonia, luxuria, crudelitate, aut alio ſimili morbo laboret Pontifex, orationibus apud DEUM primò iuvandus erit: monendus deinde ut in viam redeat, & mores officio ſuo dignos induat. Denique, ſi contumax appareat, Concilio indicto de corrigendo, vel tollendo agendum erit. *Silv. V. Papa n 4. Bellar. l. 2. de Conc. c. 18. & 19. Anton. Peregrinus l. 1. de iur. Fiſci p. 20 Barb in c. ſi Papa D 40. Az. 11. l 4. c. 7. Q. 4.* dicens communem ſententiam eſſe & omninò tenendam.

VIII. Pontifici licet renunciare & abdicare ſe Pontificatu. *c. 1. de renunc. in 6 ubi Bonifacius* VIII. ait *Cæleſtinus Papa V.* ſtatuit & decrevit, Romanum Pontificem poſſe liberè reſignare. Quod ſtatutum ne per temporis curſum oblivioni detur, aut dubitari iterum contingat, inter Conſtitutiones alias ad perpetuam memoriam duximus redigendum. Cauſa reſignandi poteſt eſſe, impotentia virium, & inſufficientia ipſi

maximè perſpecta, vel etiam ſolitudinis, & tranquillioris vitæ amor. Vnde legimus, quatuor PP. reſignaſſe, Clementem I. Cyriacum Marcellinum & Cœleſtinum V. licet non ex iiſdem cauſis quemadmodum *Azor declarat t. 2. l. 4. c.6. Comitol l.1.Q.100.* At cui reſignabit, *inquis?* Reſpondent aliqui in manus Cardinalium reſignare, quia illorum ſuffragiis electus eſt: ſed hi ipſius Pontificis ſuperiores non ſunt. In manibus Dei, alii dicunt, à quo immediatè accipit poteſtatem. Melius dicitur. Vbi ſuperior non eſt, renunciationem nullius in manus fieri: & ſufficere, ſi ſummus Pontifex poteſtatem, & iuriſdictionem ſuam dimittat, declarando, vel coram Cardinalibus, vel aliis fide dignis teſtibus, ſe deinceps uti poteſtate ſua nolle, eamque hic, & nunc relinquere, & abdicare. *Silv.n. 3. Pelagius de plan.eccl l.1.c. 18. Azor l.cit. Vivian in Ration. l. 1. p. 264. Alagona Comp. p. 91. Barb. in c. 1. de renunc.in 6. Comitol. l. 1. Q.100. Lancel.l.1.tt.19* Moſcov. *l. 1. par. 1.c.2. Anto. Peregrinus de iure Fiſci l. 1. p. 55. Tuſchus* Concluſ. *48. Alexand. Conſil. 224.l.6.Zabar.Conſil 150.*

§. II.

De poteſtate Spirituali Pontificis.

IOſephus Stevanus *l. de adoratione pedum c.* 8. ſummo Pontifici convenire tradit ſequentia:

1. Quòd ſolus poſsit deponere epiſcopos, & reconciliare.

2. Quòd abſentes deponere poſſit.

3. Quòd Legatus illius omnibus Epiſcopis præſit in Concilio.

4. Quòd Soli illi liceat pro neceſsitate novas leges condere, novas plebes congregare: de Canonia Abbatiam facere, & è contra: divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.

5. Quòd ſolus uti poſsit inſignibus imperialibus.

6. Quòd ſolius Papæ pedes cuncti principes deoſculentur.

7. Quòd liceat illi Imperatores deponere.

8. Quòd poſsit de Sede in Sedem, cùm neceſsitas exigit, Epiſcopos mutare.

9. Quòd de omni eccleſia, quandocunque voluerit, poſsit clericum ordinare.

10. Quòd ab illo ordinatus aliis eccleſiis præeſſe queat, ſed non militare, & quòd ab alio Epiſcopo non poſsit Superiorem gradum accipere.

11. Quòd nulla Synodus abſque præcepto eius nominari poteſt generalis.

12. Quòd illius ſententia à nemine retractetur.

13. Quòd à nemine iudicari debeat.

14. Quòd nullus audeat condemnare illum, qui ad Sedem Apoſt. appellavit.

15. Quòd maiores cauſæ cuiuſque eccleſiæ ab illo debent iudicari.

16. Quòd Romana Eccleſia nunquam erravit, nec errabit unquam.

17. Quòd illius præcepto, & licentia ſubiectos liceat accuſare.

18. Quòd abſque Synodali conventu poſſit epiſcopos deponere, & reponere.

19. Quòd à fidelitate iniquorum ſubiectos poſsit abſoluere.

20. Quòd ſolus dicatur Univerſalis.

Ita Stevanus.

Non

Non placent hæc noſtri temporis Sectariis, inter quos *Matthias Hafenrefferus Tubingenſis Miniſter in loc. Theol. tt. de Eccleſiâ pag.* 457. ejuſmodi prædicata tribui, *ait*, Idolo Romano, indeque colligi, Antichriſtum eſſe, qui in templo Dei ſedens ſuper omnia ſe elevaturus ſit. Verùm Catholici aliter ſentiunt, ſcientes illum Chriſti Vicarium eſſe, & totius Eccleſiæ caput viſibile: cui omnis poteſtas ad ſpiritualem animarum ſalutem pertinens jure debetur. Brevis dici poteſt, poteſtatem Summi Pontificis conſiſtere in eo:

I. Quòd poſſit ac debeat judicare de controverſiis fidei, & morum. Vel enim nullus eſt in Eccleſiâ Judex, vel Pontifex eſt. Si nullus eſt, melior Synagogæ conditio fuit, in quâ Summum tribunal Pontifex habuit. *Deuteron. c.* 17. Agnoverunt hoc Sancti olim, qui in dubiis rebus ad Sedem Apoſtolicam recurrebant. *S. Hieron ad Damaſum epiſt.* 57. A paſtore præſidium ovis flagito: diſcerne, ſi placet: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubebis. *Theodoretus ad Leon. I.* Nos puſilli ad Apoſtolicam veſtram Sedem currimus, & Eccleſiarum ulceribus medicinam à vobis accipimus. *S. Greg. ep. ad Epiſcopos Galliæ.* Si quam contentionem de fidei causâ evenire contigerit, & ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congruâ ſine dubio ſententiâ terminari. Non poſſe errare Pontificem in judicio de rebus fidei, & moribus ad univerſam Eccleſiam pertinentibus, probat multis cum multis *Bell. l. 4. c. 1. 2. & ſeq. Stapleton. Controv. 2. l. 6 c.* 15. *Tuſchus Concluſ* 41 *Bozius l. 1 de jure ſtatus c. 9. Valent. in Analyſi l. 8 c. 1. Becan. Manu. c. 5. Comitol. l. 1. q. 113. Tanner. 22. D. 1. q.* 4. *n.* 160. *Barb. in c. ſi Papa D.* 40. *Coſter. c* 3.

II. In Summo Pontifice poteſtas eſt, leges condendi, quæ in conſcientia obligent, & puniendi tranſgreſſores ſpirituali pœna, qualis eſt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, irregularitas. Neque enim minoris auctoritatis eſt, quàm in Veteri lege Pontifex fuerit, de quo *Deuteron.* 17. Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio ex decreto judicis moriatur homo ille. Ea poteſtate uſi ſunt Apoſtoli *Act.* 15. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra nobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato & ſanguine, & fornicatione. Nova lex erat, abſtinere à ſuffocato & ſanguine. Idem patet in Canonibus Apoſtolorum, de quibus actum in *Prolegomenis* §. 12. Ex quibus colligitur *Primò*, quòd omnes Chriſtiani, quando de rebus fidei diſſenſio eſt. Summo Pontifici adhærere debent, ut ab errore & anxietate liberi ſint. Ita *SS. PP. Ireneus l 3. con hæreſes cap.* 3. Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes, qui ſunt ubique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis traditio. *Cyrillus in ep. ad Cœleſtinum Papam.* Quamvis hæc ita ſe habeant, non prius tamen Neſtori communionem confidenter deferere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic ſentias, declarare. *S. Aug. l. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum ad Boniſacium Papam.* Hæc, quæ duabus epiſtolis eorum reſpondeo, ad tuam dirigere potiſſimùm ſanctitatem, non tam

diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui. Similia habet *Theodoretus ep. ad Leonem Papam. Sozamenus l.6. hiſtor. c.22. & alii paſſim.*

Secundò Nihil in Eccleſia magnum agi, aut decerni poſſe, Summo Pontifice inſcio, aut invito, ita ut niſi accedat ipſius conſenſus, irritum & inane ſit, quicquid definitum fuerit. *Concil. Chalced. initio, & Act.16. Anaſtaſius Ieroſol. in ep. ad Felicem. S. Aug. cum aliis epiſcopis ep. 90 ad Innocentium Papam. S. Ambr ep. 78. ad Theophilum. Proſper in Chron. Stapleton de magnit. Eccl Rom. l.1.c.9. Becanus in Manuali c 5. num.117. Muſſus in Conc. de cath. Petri.* Quibus accedit *Ratio.* Pontifex non minus habet curam, & gubernationem Eccleſiæ, quàm totius regni rex: At nemini in regno ſtatuere quicquam licet cum obligatione, abſque conſenſu regis. Ergò nec in Eccleſia abſque conſenſu Pontificis, licet ulli ſtatuere, aut præſcribere aliquid, quod totam eccleſiam concernat, & obliget. *Dico, totam eccleſiam*, ut epiſcopis ſalva & intacta maneat auctoritas pro ſuis ſubditis ea diſponendi, quæ ipſorum ſaluti & incolumitati proſint. *Conc. Tr. ſeſſ 25. c. 6. de refor item Remiſſ init. & in fin. p. 6 o. Az 11 l.4.c.20. Piaſecius Par. 2.c.14.p.258. Tuſchus Co.41. Becan Tr. de Eccleſia Q.2. V. quæ dix. tt.7.§7.*

III. Sequitur præterea quod epiſcopi aliique de clero, cùm ſe gravari, aut premi iniquè putant, ad Sedem Apoſtolicam confugere queant. Patet *ex Concil. Sardicenſi*, ubi *Hoſius* Epiſcopus. Si aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum iudicium renovetur. Sancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur Romano Pontifici. Synodus reſpondit. *Placet.* Et *c. 5.* Cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, & proclamaverit agendum ſibi negotium in Vrbe Româ alter Epiſcopus in eadem cathedra (poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus) non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata. Hæc appellandi conſuetudo non niſi ex traditione Apoſtolica manavit, ut colligitur ex epiſtola Theodoreti ad Rhenanum presbyterum, ubi Deprecor te, *ait*, ut ſanctiſſimo Epiſcopo (*Leoni Papæ*) ſuadeas, ut Apoſtolica auctoritate utatur, iubeatque ad veſtrum Concilium adire. Idem in *epiſt ad Leonem Papam*. Suffragium Sedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, ut ea me tribunal veſtrum iuſtum, ac rectum defendat, ac protegat. *V. tt. de appell Silv. & Zerola V. Appellatio Silv. ead. nu. 9. & 12. Armilla V. Papa n.6.*

§. III.

De poteſtate temporali Summi Pontificis.

I. QVæ hic ſe dicenda offerunt, à maximis Scriptoribus, tam accuratè & copioſè explicata ſunt, ut amplius quid deſiderare nemo queat? Miſſa proinde faciemus, huius ævi delicatæ moroſitati indulgentes Mirari nihilominus, & prædicare iuvat divinæ providentiæ ſuavem efficacitatē, qua factum eſt, ut poſt aliquot ſæculorū horribiles, & ſanguinarias perſecutiones, Imperium adepti Catholici principes Eccleſiā magnis opibus locuple-

Digitized by Google

locupletarent, Chriſtum ejuſque Vicarium Pontificem præ filiis, & nepotibus hæredem conſtituerent. Irriguum Eccleſia ſuperius bonorum ſupernaturalium habebat fidelium cohors: irriguum inferius terrenarum opum Regum & Dynaſtarum adjecit pia munificentia, ne hoſtibus ſuis vel ludibrio eſſet tenuitas, vel in prædam ac direptionem cederet infirmitas. Hoc igitur tempore præter poteſtatem Eccleſiaſticam habet Summus Pontifex, ut Princeps ſæcularis dominium temporale in multis Provinciis, & civitatibus. De qua re *Ludov. Gotofredum in Archontologiâ ſuâ l. 1. init.* Dominium Pontificis, ſeu ſtatus Eccleſiæ, ut de agro Beneventano, & Comitatu Avenionis; taceam, noſtro ævo amplior eſt, quàm unquam fuerit, poſtquam principatus Ferrarienſis, Comachia, & Flaminia acceſſit. Complectitur enim in longitudine circiter 300. millia paſſuum, in latitudine ultra millia centum. Regiones continet duas, Ducatum Ferrarienſem, Agrum Bononienſem, Sabinum, Peruſinum, Marcam Anconitanam, Umbriam cum parte Hetruriæ, Patrimonium S. Petri, Flaminium, & Latium cum ipſa Urbe Roma, quam Conſtantinus Imperator donavit. In hoc terrarum tractu numerantur Epiſcopatus circiter 50. & ultra quindecies centum millia hominum. Urbium prima eſt Roma, ſecunda ponitur Bononia, in tertiis, & quartis numeratur Ferraria Peruſia, Aſculum, Ancona, Forum Livii, Ravenna, Firmium, Viterbium. Complectitur inſuper hæc Italiæ pars ducatum Spoletanum, & partem longè maximam Exarchatus Ravennenſis. Præterea agrum Anconitanum Marchionatus titulo inſignem. Quicquid intereſt terrarum inter Romam, & Regnum Neapolitanum appellatur hodie Campania Romana, ſive ager Romanus. Altera pars terræ verſus Florentiã nominatur patrimonium S. Petri. Anconitanus Marchionatus eſt verſus apuliam, Campaniamque Flaminia in Ducatum Ferrarienſem vergit, tangitque limites agri Bononienſis. Umbria velut umbilicus inter utramque Provinciam obtinet. Comprehenditur hoc ſpacio præter Urbes ſupra nominatas Ariminium, Caſena, Faventia, Imola, Macerata, Camerinum, Spoletum, Nuceria, Reate, Interamna, Narnia, Ovietum, Aſſiſium, Foliniun, Tudertum cum aliis circiter 30. Præter hæc juris Pontificii ſunt Comitatus Avenion. in Gallia, & Urbs cum agro Beneventano in Regno Neapolitano. Inſuper dominii directi jus velut patroni Pontifices ſibi vendicant in Regnum Neapolitanum & Siculum, Ducatum Urbinatem, Parmenſem, & Meſſetanum. Ex his in ærarium quotannis inferri putãtur 15. auri vaſa, ſeu quindecies centum aureorum millia. Si computare velis fructus legationum, & gubernationum in diverſis oppidis: ea item quæ pro Bullis, & beneficiis Eccleſiaſticis, penſionibus & annatis ſolvũtur magnum priori ſummæ augmentum facies. De robore militari, quod in viris poſitum, nihil dico, quandoquidem ex hiſtoriis liquet, magna olim bella geſſiſſe pontifices, ut meritò Reges, & principes illum hac quoque ex cauſa cupiant

amicum

diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui. Similia habet *Theodoretus ep. ad Leonem Papam. Sozamenus l.6. hiſtor. c.22. & alii paſſum.*

Secundò Nihil in Eccleſia magnum agi, aut decerni poſſe, Summo Pontifice inſcio, aut invito, ita ut niſi accedat ipſius conſenſus, irritum & inane ſit, quicquid definitum fuerit. *Concil. Chalced. initio, & Act.16. Anaſtaſius Ieroſol. in ep. ad Felicem. S. Aug. cum aliis epiſcopis ep. 90 ad Innocentium Papam. S. Ambr ep. 78. ad Theophilum. Proſper in Chron. Stapleton de magnit. Eccl Rom. l.1. c.9. Becanus in Manuali c 5. num.117. Muſſus in Conc. de cath. Petri.* Quibus accedit *Ratio.* Pontifex non minus habet curam, & gubernationem Eccleſiæ, quàm totius regni rex: At nemini in regno ſtatuere quicquam licet cum obligatione, abſque conſenſu regis. Ergò nec in Eccleſia abſque conſenſu Pontificis, licet ulli ſtatuere, aut præſcribere aliquid, quod totam eccleſiam concernat, & obliget. *Dico, totam eccleſiam*, ut epiſcopis ſalva & intacta maneat auctoritas pro ſuis ſubditis ea diſponendi, quæ ipſorum ſaluti & incolumitati proſint. *Conc. Tr. ſeſſ 25. c. 6. de refor item Remiſſ. init. & in fin. p. 6 o. Az 31 l. 4. c. 20. Piaſecius Par. 2. c. 14. p. 258. Tuſchus Co. 41. Becan Tr. de Eccleſia Q. 2. V. quæ dix. tt. 7 § 7.*

III. Sequitur præterea quod epiſcopi aliique de clero, cùm ſe gravari, aut premi iniquè putant, ad Sedem Apoſtolicam confugere queant. Patet *ex Concil. Sardicenſi*, ubi *Hoſius* Epiſcopus. Si aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum iudicium renovetur. Sancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur Romano Pontifici. Synodus reſpondit. *Placet.* Et *c. 5.* Cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, & proclamaverit agendum ſibi negotium in Vrbe Româ alter Epiſcopus in eadem cathedra (poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus) non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata. Hæc appellandi conſuetudo non niſi ex traditione Apoſtolica manavit, ut colligitur ex epiſtola Theodoreti ad Rhenanum presbyterum, ubi Deprecor te, *ait*, ut ſanctiſſimo Epiſcopo (*Leoni Papæ*) ſuadeas, ut Apoſtolica auctoritate utatur, iubeatque ad veſtrum Concilium adire. Idem in *epiſt ad Leonem Papam.* Suffragium Sedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, ut ea me tribunal veſtrum iuſtum, ac rectum defendat, ac protegat. *V. tt. de Appell Silv. & Zerola V. Appellatio Silv. ead. nu. 9. & 12. Armilla V. Papa n. 6.*

§. III.

De poteſtate temporali Summi Pontificis.

I. QVæ hic ſe dicenda offerunt, à maximis Scriptoribus, tam accuratè & copioſè explicata ſunt, ut amplius quid deſiderare nemo queat? Miſſa proinde faciemus, huius ævi delicatæ moroſitati indulgentes. Mirari nihilominus, & prædicare iuvat divinæ providentiæ ſuavem efficacitatẽ, qua factum eſt, ut poſt aliquot ſæculorũ horribiles, & ſanguinarias perſecutiones, Imperium adepti Catholici principes Eccleſiã magnis opibus locuple-

locupletarent, Chriſtum ejuſque Vicarium Pontificem præ filiis, & nepotibus hæredem conſtituerent. Irriguum Eccleſia ſuperius bonorum ſupernaturalium habebat fidelium cohors: irriguum inferius terrenarum opum Regum & Dynaſtarum adjecit pia munificentia, ne hoſtibus ſuis vel ludibrio eſſet tenuitas, vel in prædam ac direptionem cederet infirmitas. Hoc igitur tempore præter poteſtatem Eccleſiaſticam habet Summus Pontifex, ut Princeps ſæcularis dominium temporale in multis Provinciis, & civitatibus. De qua re *Ludov. Gotofredum in Archontologiâ ſuâ l.1. init.* Dominium Pontificis, ſeu ſtatus Eccleſiæ, ut de agro Beneventano, & Comitatu Avenionis; taceam, noſtro ævo amplior eſt, quàm unquam fuerit, poſtquam principatus Ferrarienſis, Comachia, & Flaminia acceſſit. Complectitur enim in longitudine circiter 300. millia paſſuum, in latitudine ultra millia centum. Regiones continet duas, Ducatum Ferrarienſem, Agrum Bononienſem, Sabinum, Peruſinum, Marcam Anconitanam, Umbriam cum parte Hetruriæ, Patrimonium S. Petri, Flaminium, & Latium cum ipſa Urbe Roma, quam Conſtantinus Imperator donavit. In hoc terrarum tractu numerantur Epiſcopatus circiter 50. & ultra quindecies centum millia hominum. Urbium prima eſt Roma, ſecunda ponitur Bononia, in tertiis, & quartis numeratur Ferraria Peruſia, Aſculum, Ancona, Forum Livii, Ravenna, Firmium, Viterbium. Complectitur inſuper hæc Italiæ pars ducatum Spoletanum, & partem longè maximam Exarchatus Ravennenſis. Præterea agrum Anconitanum Marchionatus titulo inſignem. Quicquid intereſt terrarum inter Romam, & Regnum Neapolitanum appellatur hodie. Campania Romana, ſive ager Romanus. Altera pars terræ verſus Florentiã nominatur patrimonium S. Petri. Anconitanus Marchionatus eſt verſus apuliam, Campaniamque Flaminia in Ducatum Ferrarienſem vergit, tangitque limites agri Bononienſis. Umbria velut umbilicus inter utramque Provinciam obtinet. Comprehenditur hoc ſpacio præter Urbes ſupra nominatas Arminium, Caſena, Faventia, Imola, Macerata, Camerinum, Spoletum, Nuceria, Reate, Interamna, Narnia, Ovietum, Aſſiſium, Folinium, Tudertum cum aliis circiter 30. Præter hæc juris Pontificii ſunt Comitatus Avenion. in Gallia, & Urbs cum agro Beneventano in Regno Neapolitano. Inſuper dominii directi jus velut patroni Pontifices ſibi vendicant in Regnum Neapolitanum & Siculum, Ducatum Urbinatem, Parmenſem, & Meſſeranum. Ex his in ærarium quotannis inferri putãtur 15. auri vaſa, ſeu quindecies centum aureorum millia. Si computare velis fructus legationum, & gubernationum in diverſis oppidis: ea item quæ pro Bullis, & beneficiis Eccleſiaſticis, penſionibus & annatis ſolvũtur magnum priori ſummæ augmentum facies. De robore militari, quod in viris poſitum, nihil dico, quandoquidem ex hiſtoriis liquet, magna olim bella geſſiſſe Pontifices, ut meritò Reges, & Principes illum hac quoque ex cauſa cupiant

Digitized by Google

amicum habere. Certè majores noſtri ſummoperè laborarunt placere Pontificibus, ut ſi boni eſſent, eorum favore, & gratia fruerentur, ſi verò mali, ne nocerent, cùm præſertim non deſint unquam malè feriati homines, qui eos in tranſverſum agere moliantur. *Ita Gotofredus cum Ioanne Botero in Coſmograph. l. 4. pag. 161. Anton. Peregrin. de juribus Fiſci l. 1. pag. 21.*

II. Non ignoro hanc bonorum temporalium abundantiam, & regales divitias Hæreticis noſtri temporis Lutheri, & Calvini aſſeclis bilem ciere, & maledicentiam acuere, ut nullum in criminando exitum inveniant. *V. Coronid. omnium jubilor. ad Contzen. c. 54.* Hoccine eſt Chriſti pauperis Vicarium agere, crucem illius tollere, non habere, ubi caput reclinet? Servus ſervorum verbis dici, viribus anteferri gaudet. Sed meminiſſe, velim, Catones iſtos parum catos. Si Chriſtus Eccleſiæ ſuæ irriguum ſuperius, & inferius dedit, ſi Reges & Principes in illam benigni, & munifici ſunt, ut impleatur ſcriptura. *Iſai 49. Erunt Reges nutritii tui.* obturandus eſt oculus nequam, ne ſcandalizetur, & intueri ſe falsò putet iniquitatem in domo juſti. Odium & invidia, non opum copia vitioſa eſt. *V. Roderic. II q. 63. art. 8. Becan. de Pontif. Vet. teſtam. c. 9. Gretſer in Myſta Salmur. pag. 75.*

§. IV.

Satisfit Dubiis quibuſdam.

DUB. I. An Summus Pontifex, bonorum, beneficiorum, & jurium Eccleſiæ verum, ac reale dominium habeat? Affirmant aliqui, inter quos Franc. *Leo in Theſau. ſuo par. 2 c. 20.* ubi dominium omnium beneficiorum vocat. *ex c. de præben. in 6. Gloſſ. fin. in c. felicis de pœn. eo. li Clem. 1. in fi. Ut lite pendente Bald. in l. Reſcripta n. 8. C. de prec. Imp. & Gomez in proœm. Reg. Canc. V. conſiderata Barb in c. ſuſcepti de præben. in 6. Boer. Deciſ. 1. n. 66.* Alii bonorum Eccleſiaſticorum dominium privatis Eccleſiis tribuunt v. g. bonorum Eccleſiaſticorum Coloniæ, Eccleſiæ ibid. exiſtenti, & ſic de aliis, ita, ut communitas ipſa cenſeatur dominium habere, Epiſcopi verò, & Prælati adminiſtrationem; eo modo, quo in Ordinibus, & Monaſteriis Religioſor. contingit *Adrian. in 4 de reſtit. Cajet. 22æ q. 53. a. 8. Turrecr. l. 2. c. 113. Propoſ. 6. Leſſ. c. 4. D 7. Regin. l. 30. tr 3. c. 6.* Sunt alii, qui conſiderantes, quàm exile & inutile ſit dominium ejuſmodi, cùm neque Pontifex, neque alii Prælati uti poſſint bonis Eccleſiaſticis pro libitu, ſolum Chriſtum ajunt redituum, & bonorum Eccleſiæ dominum eſſe. *Ita Maior. in 4. D. 24. q. 18. Nav. in Apologiâ de redit. Eccl. q. 1. Monito 24. & ſequentibus Gloſſ. in c. Salvator 1. q. 3 & c. Cùm verior 23 q. 8. Innoc. in c. cùm ſuper eo de cauſa poſſ. & propr. Abb. in c. cùm eſſes de teſtam. in Repe. n. 29.* quibus ſervit S. Scriptura 1. ad Cor. ubi Apoſtoli, & ſucceſſores illorum diſpenſatores vocantur. Idem ex effectibus dominii colligitur. Nam qui dominus proprietatis eſt, pro arbitrio ſuo, & propria auctoritate diſponere poteſt de bonis ſuis, donando, vendendo, alienando, deſtruendo, &c. ita ut nemini injuriam faciat. Horum nihil in bonis Eccleſiaſticis invenitur. Di-

cere

Digitized by Google

cere autem Pontificem, & Prælatos habere dominium, ſed limitatum, & impeditum, nihil aliud eſt, quàm unâ manu dare, alia eripere. *Azor. II. l. 6. c. 1. Gomez. Tuſchus Concl. 49. Anton. Peregrinus de juribus Fiſci l. 1. p. 86.*

Reſp. igitur. Quod rem ipſam attinet, nihil intereſt, hanc vel illam ſententiam præferas. Mihi tamē verior apparet, quæ ipſis Eccleſiis bonorum immobilium dominium tribuit. Nam idem in profanâ Republ. cernimus, ubi nemo ſibi dominium arrogat bonorum communiũ, ſed ipſius populi, ſeu communitatis eſſe cenſentur, à quâ rectores, custodes, & adminiſtratores deſignantur. §. *Univerſitatis Inſtit. de rer. diviſ. l. in tantum. ff eod. Sarmiento de redit. Eccl par 1. c. 1. Azor. l. cit. Layman. in defenſ. juſtâ q. 1. praamb. fol. 5.*

Dub 2. An Epiſcopi juriſdictionem ſuam à Summo Pontifice accipiant? Affirmativam opinionem. *Azor II. l. 3. c 30.* pronunciat veriſſimam eſſe, & omnium Theologorum Doctorumque calculo comprobatam. Chriſtus enim nullum præter Apoſtolos Epiſcopum per ſe immediatè elegit, & conſervavit. Quod ſi dederimus, non ſequitur illicò juriſdictionem immediatè à ſolo Pontifice dari. Fieri enim poſſet, ut quemadmodum Papa ab hominibus electus poteſtatem ſuã à Chriſto, ita electi à Pontifice ab eodem poteſtatem & juriſdictionem accipiant. Non eſt ergò affirmativa opinio tã certa, ut aliqui putant, ſed oppoſitã tuentur multi, *Major. in 4 diſt. 24. q. 3. concl. 2. Henr. quodl 9. q 52 Selva tract. de ben q 4. Barbat. in tr. de praſt. Card q. 1. Gigas de penſion. q 2. n 3 & alii.* quib. favet illud *Act. 20. v. 28.* Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus San. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. In confirmationē venit Petrus. *Petrus Sotus l. de Inſtit. Sacerd. lect. 5.* Non eſt negandum, *inquit*, quin à Chriſto ipſo, & divino jure habeant poteſtatem in ſuos ſubditos omnes Epiſcopi, & omnes Parochi. Data quidem Petro eſt ſuperioritas in omnes, ſed non propterea ablata eſt ab aliis propria poteſtas, & juriſdictio. *Ita ille V Barb. c. inter corporalia de trans. Epiſ. & de poteſt Epiſ par. 1 c. 1.*

Dub 3. Si contingat aliquem Pontificiæ dignitatis incapacem eligi, an decreta illius vim aliquam habitura ſint? Conſtans, & indubitata Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam fides tam multis S. Scripturæ teſtimoniis expreſſa, confirmataq; *Matth. 28 V. 19 Ioan. 14. V. 18. Ioan. 16. V. 35. & alibi.* tutam fore ſuadet ab omni periculo, illo præſertim nocentiſſimo, quod à non vero, ac ſano capite provenire poteſt. Etenim ſi inter mortales quorum fluxa & incerta omnia, non niſi in ſceleratiſſimo tanta negligentia præſumitur, nefas omnino ſit, in Chriſto, qui eſt ipſa ſanctitas & veritas, eam metuere. Hoc igitur poſito ſupervacanea videri poteſt in medium adducta dubitatio. Nihilominus pro majori puſillorum ſolatio dicendum videtur cum Greg. de Valentia, licet incapax aliquis in Pontificem eligeretur, non fore unquam, ut contra univerſalem Eccleſiam aliquid decernat, ſed vel ipſius indignitas pateſiet, vel priuſquam noceat, è vita tolletur. Nec ad id miraculo opus fuerit, quoniam Eccleſiæ debetur talis providentia, & ex ordinariâ Chriſti lege conſequitur, qui non per alium, quàm legitimum paſtorem gubernari voluit Eccleſiam. Quod

verò particulares eccleſias attinet, vel perſonas, non videtur nimioperè inconveniens concedere, conſtitui aliquid ab eo poſſe, qui non eſſet verus Pontifex. Quo in caſu (: quemadmodum in ſimilibus piè credi poſſe S. Thomæ, & aliorum Theologorum opinio eſt:) Deus per ſe ſuppleret veri Paſtoris miniſterium, illorum cauſa, qui innocentes alioqui ſpirituali fructu deſtituerentur. confirmando, ex. gr. per ſe illos epiſcopos, quos putatitius pontifex verè confirmaſſe per deceptionem crederetur. Ita ferè *Greg. de Valent. in l. 6. Analyſis fidei* c. 13. §. Ex quib. rebus.

DVB. 4. Quam poteſtatem habeat Pontifex in paganos & infideles?

R. Ex dictis conſtat, infideles cum bonis, & poſſeſſionibus ſuis extra dominium, & poteſtatem Eccleſiæ eſſe: non tamen omnis omninò eccleſiæ in illos neganda poteſtas eſt: ſed *Primò* offerre illis poteſt, & debet Evangelium, ut ad ovile Chriſti aggregentur. Si Evangelii nuncios & præcones per iniuriam repellant, aut quoquo modo immeritos lædant, armis coerceri, ac puniri fas eſt. *Secundò* ſi qui temporaliter Pontifici ſubſunt, vel alii cuipiam Chriſtiano principi, cogi ab illis ad legis naturalis obſervationem poſſunt: caſtigari etiam, ſi violent vel naturæ leges, vel à Magiſtratu politico latas. *Denique* expellere licet à regno, vel provincia, cum oblata venia retinendi eos, ſi fidem & baptiſmum amplectantur. Et hæc communia & permiſſa ſunt omnibus Chriſtianis Dominis, & Dynaſtis. *Azor* 1. *l* 8. *c*. 24. *Suar. l. 4. con. error. Angl. c.* 6. *num*. 7. *Silv. V. Papa numer*. 7. *Layman l.* 2. *Tract*. 1. *c*. 17. *Valent*. 3. *Diſp*. 1. *Q*. 16. *pun*. 7.

DVB. 5. An ſibi ipſi Pontifex ius dicere poſſit?

R. Quamvis ſeipſum abſoluere nequeat, cùm reus & Iudex neceſſariò duæ perſonæ ſint, poteſt tamen ex communi theſauro ſibi quoque Indulgentias dare, vel applicare: item diſpenſare ſecum, quemadmodum cum aliis, & communibus legibus ſoluere. Quod exemplo Principis explicat *Silv. V. Indulgentia num*. 7. Princeps enim legitimare filios ſuos poteſt, non ut pater, ſed ut princeps, & ſic gaudet privilegio, quo & ceteri participes. *Suar. l. 8. de leg. c. 9. Vaſquius l.* 1. *c* 45. *Henriq. l. 6. c. 4. Comitolus l. 1. q.* 101. *Barb in c. Omnis utriuſque de pœnitent.* Quod vero Canoniſtæ dicunt ſolutum cunctis legibus eſſe Pontificem, non eſt ita capiendum, quaſi quidlibet illi permiſſum ſit, ſed quod ex rationabili cauſa prætermittere legem, ſeque immunem præſtare queat. Cæterùm illi commendatur, ut ſit forma gregis, & quæ alii neceſsitate præſtant, libera, voluntate, exequatur. *Decius l* 2. *c*. 9. *nu*. 20. Adde, quod in propria cauſa iudex eſſe poteſt. *c. Cùm veniſſent de iudiciis. Tuſchus Concl*. 50. *V. qui dix. in* 3. *par. ſum. tt*. 2. §. 1. *dub*. 1.

DVB. 6. Quid iuris habeat Pontifex in Purgatorium?

R. *Silveſt in V. Papa* dicit, poſſe indulgentias dare, eo modo, quo in *V. Indulgentia* explicarat. Purgatorium verò voluntate, aut libitu ſuo ſpoliare non poſſe, ſed mediante Indulgentiarum theſauro: & ſicut liberare poteſt pœna in hoc mundo omnes, ſi faciant, quod ipſe mandat,

dat, quamvis eſſent millies plures, quam ſunt, ita liberare poteſt omnes qui ſunt in purgatorio, ſi quis pro eis faciat, quod jubet: peccaturum tamen indiſcretè cōcedendo. & in iſto ſenſu dicunt Doctores, quòd non poſſit ad libitum, exſpoliare Purgatorium. *Ita Silv. Cui Filliutius accedens Tr. 8. de ſatisf. c. 9 n. 216.* Si ſpectetur, *ait*, poteſtas Pontificis, & amplitudo theſauri Eccleſiaſtici, procul dubio fieri poteſt, ut Pontifex uno die omnes animas ex purgatorio liberet. Sed quia etiam requiritur juſta cauſa, & opera facta à viventibus debita, ideò caſus eſt moraliter impoſſibilis. Nam illa cauſa non videtur dari poſſe, ut *S. Thom. dicit q. 71. add. a.* 10. nec opera fiunt ab omnibus debita. Poſitâ tamen juſtâ causâ, & tot, qui opera debita facerent, ut ſufficerent ad numerum defunctorum, tunc nullum eſſet inconveniens, ut docet *Gab. add. ad lect. 57. ad 3. Navar. Notab. 31. Armilla V. Papa n* XI.

Nota. Prædicti Auctores ſupponunt Indulgentiarum effectum eſſe infallibilem, quod cum Cajetano & Cano multi negant. Etenim qui pro damnatis ad triremes litrum ſufficiens offerret, non liberaret ideò, niſi liberè acceptaret dominus; ita videtur in libera Dei voluntate poſitum eſſe, ut liberet animas, pro quibus ſuffragia à viris offeruntur. Dicendum ergò videtur *cum Layman. de Indulg. cap. 7.* effectum indulgentiarum pro defunctis non eſſe omnino infallibilem, cùm uti ſuffragia tantùm valeant per modum impetrationis, quia Chriſtus non obligavit ad acceptandum ejuſmodi preces, & oblationes. Nec id colligi poteſt ex illo *Matth. 16. Quicquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cælis.* Nam verbis illis Petro, & reliquis Apoſtolis conceſſa eſt judiciaria poteſtas, quemadmodum indicat Concilium Trident. Seſſ. 14. cap. 6. quæ ad defunctos non pertinet. Hoc poſito ceſſat metus, ne per Indulgentias aliquando exhauriatur Purgatorium. *Navarr. de Indulgent. num. 37. Reginald. l. 7. num. 196. Tabiena V. Indulgent. num. 19. Fo. acina tom. 1. pag 209. num. 14. Henriq l. 7. cap. 4 Filliut. Tract. 8. c. 8. q. 11. num. 216. Eſcobar. Tr. 7. Exam. 5. c. 7. n. 48.*

Dub. 7. An Summus Pontifex diſpenſare poſſit in primo gradu matrimonii, ut quis ex g. pro uxore habeat ſororem ſuam?

Reſp. Angelus in Summâ V. Papa n. 1. ex Archid. refert *Martinum V.* habita conſultatione cum viris doctiſſimis tam in jure Canonico, quàm Theologia diſpenſaſſe cum quodam, qui ſororem in uxorem acceperat, propter multa mala & ſcandala, quæ eveniſſent, ex ſeparatione, & quia evitari non poterant, niſi ſic diſpenſaretur. *Addit.* Idem dico de ſimilibus. Eandem rem narrat *Silv. V. Papa num.* 17. ſubjungens. Ante factum nulli conſulendum, ut petat diſpenſationem, & dimittendum eſſe negotium judicio Dei. Denique addit. Quamvis in gradibus jure divino & naturali prohibitis non poſſit Pontifex diſpenſare, ex mente *Richardi* tamen interpretari poſſe in caſu, ubi ceſſaret cauſa, vel ratio prohibitionis matrimonii inter parentes & affines, quæ ſunt reverētia, amicitia, & his ſimiles. *Ita illi*, à quib. ut recedā lubentius, conſenſus Theologorū ſuadet, qui primum Matrimonii gradum

 indiſpen-

Digitized by Google

indiſpenſabilem eſſe volunt: videorque mihi in præallegatis ſcriptoribus advertere, quòd diſpenſationis termino abutantur. Diſpenſaſſe Martinum V. dicunt propter ſcandala, quæ aliter non vitarentur, permiſiſſe, aut toleraſſe dicendum erat. De ſecundo gradu affinitatis & conſanguinitatis inter magnos Principes ob publicam cauſam diſpenſari liquet. *Greg. XIII in Bulla 1. Mart. 1591. Paulus IV. in Conſtit. ab ea ipſa die. & Clem. VII. in eâ qua incipit Quia plerumque V. Zerolam 1. Par. V. Diſpenſatio. ad ſecundum. Henriq. l. 12. c. 9. Piaſecius par. 2. c. 1. pag.* 104. *Eſcobar. tract. 7. Exam. 9. c. 8. §. 1. Roſella V. Papa n. 3. & 4. Tuſchus Concluſ.* 54.

TITULUS XV.

De Regularibus.

IN Eccleſiâ Chriſti, ſi vitæ conditionem ſpectes, ſublimem locum obtinent Religioſi, quorum inſtitutum propterea à Sanctis Patribus ſummoperè commendatur, ut videre eſt apud *Caſſian. Bellarm. Valentiam tom. 3. Lud. de Ponte. Platum, Buſæum & alios.* Et meritò Cùm enim voto paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ DEO ſe conſecrent, ab humanæ vitæ periculis longiſſimè abeunt, & cœleſtium incolarum puritatem proximè attingunt. De quibus acturi, quia genera illorum & ordines permulti ſunt, partitione conſuetâ utemur.

§. I.

De origine & diverſitate Regularium.

I. REgularium ſtatus, & vivendi ratio adumbrata in Veteri Teſtamento fuit per Nazaræos, de quibus *l. numer. c. 6.* vel per Prophetas, eorumque filios, teſte *S. Hieron. ep. ad Ruſticum.* Filii, *inquit*, Prophetarum, quos Monachos in Veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Jordanis, & turbis urbium derelictis polenta & herbis agreſtibus victitabant. Item *in epiſt. ad Paulinum de Monachis* loquens, Noſter, *ait*, Princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Jordanis. *Iterum.* Hujus vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & ut ad ſuperiora conſcendam, Princeps Joannes Baptiſta. *Chryſoſtomus* in eundem ſenſum. Sicut Sacerdotum Principes, Sancti Apoſtoli, ſic Monachorum Princeps Joannes Baptiſta eſt. *Eadem alii PP. apud Bellarm. l. 2 de Monachis c. 5. Azor. 1 l. 11. c. 23. q. 8. Sanch. in Decal. l. 5. c. 1. Polyd. Virg. De invent. rer. l. c. 1. Roderic. tom 1. q. 1. art. 1.*

II. Idem vitæ genus Chriſtus propoſuit & conſuluit. *Matth. 19. v. 21.* Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, & da pauperibus. *Ecce paupertatem.* Ibid. *v. 12.* Sunt eunuchi

eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. *Ecce caſtitatem.* *Matt.* 16. *V.* 24 ſi quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Ecce obedientiam.* Conſilia hæc amplexi ſunt, & reipſa compleverunt primùm Apoſtoli & diſcipuli Chriſti. Deinde primi Chriſtiani Ieroſolymis. *Act.* 4. *V.* 32. ubi legimus. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Meritò igitur *S. Hieronymus l de vir. illuſtr. in Philone.* Apparet, talem primam Chriſto credentium fuiſſe eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur. Nec deſunt, qui tam Apoſtolos, quàm eorum diſcipulos primos Chriſtianos vota quoque nuncupaſſe exiſtiment: imò Chriſtum ipſum, quemadmodum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perfectiſſimum exemplar fuit, ita ſe ad obſervationem illarum virtutum obligaſſe voto, ut eatenus perfectiora ipſius opera eſſent. Colligunt ex illo *pſalmi* 21. *V.* 26. Vota mea reddam in conſpectu timentium te. Vota *ait S Baſilius* vocantur ea, quæ promiſerat ſe facturum, vel ut S. Auguſtino placet, Sacrificia, quæ pro ſalute mundi obtulit, nominatim paſſionis, ac mortis Sacrificium. *S. Thom* 22. *q.* 88. *a* 4. *Suar.* II. *D.* 28. & III. *de Relig. l.* 3 *c.* 3. *Lud. pont.* III. *pag.* 170. *Platus l.* 2. *c.* 20. & 21. *Bannez in* 22. *Q.* 1 *art.* 10. *Grets. l.* 1. *Apol. Bellarm. l.* 2. *de Monachis c.* 5. *con. Miſenum.*

III. Quanquam Religioſorum Ordinum numerus & varietas maxima eſt, attamen ſpectando fines illorum particulares fini ultimo ſubordinatos ad ſeptem genera reduci poſſunt.

Primum eſt Eremitarum, qui Eliæ & Ioannis Baptiſtæ exemplo ſilvas incolunt, hominum conſortia pertæſi ſolitudine, ac ſilentio delectantur.

Secundum Monachorum ſeu Cœnobitarum, qui communem vitam ſub obedientia Prælati agunt, quibus hoc tempore Civitates paſſim abundant.

Tertium eorum, qui propriæ perfectioni tantùm ſtudent, ita ut proximo præter orationem, & boni exempli odorem nihil impendant.

Quartum illorum, qui è contra per opera miſericordiæ corporalia miſeros iuvare laborant, miniſtrando infirmis, excipiendo peregrinos, ſepeliendi mortuos &c. quorum vita mere activa, & practica eſt.

Quintum eſt militum, quorum finis Eccleſiam armis tueri contra infideles, & perſecutores. Eiuſmodi ſunt Teutonici noſtri, & Melitenſes.

Sextum eorum qui vitam mixtam profitentur, quorum finis in Conſtitutionibus Societatis noſtræ eſſe dicitur, non ſolùm ſaluti, & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere. Hoc vitæ genus omnium perfectiſſimum eſſe, probat *S. Thom.* 22. *q.* 188. *art.* 6. *Caietanus, Moſconius l.* 1 *par.* 4. *c* 1. *Bell l.* 2. *de Mō. c.* 3. *Leſſ l* 2. *c.* 41. *D.* 2. *Azor* 1. *l* XI. *c.* 24. *q.* 6. *Silv V. Religio I. n.* 4. *Reginald. l.* 18. *nu.* 370. *Suar* IV *l.* 1 *c.* 6.

Septimum denique eſt Clericorum regularium, qui eundem cum prædictis finem intendunt, itaque contemplationi vacant, ut concionando, docendo, aliiſque

que miniſterijs Epiſcopos & Paſtores animarum graviter ſublevent. Atque hic Ordo Apoſtolorũ vices quia ſubit, antiquiſſimus videtur *Navar. in Comm. 4. de Regular. n. 7. & 8. Suar 3. de relig. l. 3. c. 3 n 6. Lud de ponte To. 3. tr. 3. c. 8.*

IV. Si cauſam quæris tantæ varietatis, quatuor invenies. *Prima* eſt Eccleſiæ dignitas, quæ ut caſtra benè ordinata diverſis militum ſignis & ordinibus præfulget. Vnde fit, ut ſua cuique ordini peculiaris gratia reſpondeat. *Laym. in Defens. iuſta c. 3.* *Secunda* eſt utilitas. Cùm enim omnes omnia præſtare nequeant, oportet eſſe, qui ex profeſſo ſpiritualia tantùm, & qui tantùm corporalia ex profeſſo tractent: alios præterea, qui in utriuſque, Deo, & proximo deſerviant. *Tertia* cauſa eſt, ut ſatisfiat diverſis hominum deſideriis, quorum alii ſolitudine delectantur, alii conſortio parium, alii pſalmodia, alii ſtudiis, aliis alii exercitationibus. *Quarta* denique cauſa neceſſitatis eſt. Nam ſubinde noviter exortis hoſtibus Eccleſia impugnatur, Satana novas hæreſes excitante. His opponendæ novæ copiæ ſunt: quemadmodum, ut vetera omittam, de Societate IESU tum viri boni ac ſancti, tum Pontifices ipſi fatentur. *Bellar. l. 2. de Monach c. 3. Ramond de orig. har. l. Par. 5. c. 2. Ribadin. l. 2. Vit. Ign. c. 18. Suar. IV. l. 1. c. 4. Lud. de Ponte III. l. 3. tr. 3 c. 3. Laym l. 4. tr. 5 c. 3. Surius in Comment rer. geſtar. Anno* 1540.

V. Status Religioſus ita definitur. *Eſt tendentium ad perfectionem Chriſtianæ charitatis per vota perpetua paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ ſtabilis in communi vivendi modus, ab eccleſia approbatus.*

Explico 1 *dicitur eſſe eorum, qui ad perfectionem tendunt*, contra vulgi errorem, à quolibet Religioſo ipſam perfectionem exigentis, cum id neque neceſſariũ, neque poſſibile ſit. Satisfacit enim, quicunque ad perfectionem per obſervationem Regulæ & inſtituti ſui tendit. Sicuti, qui Scholam frequentat, non continuò habere ſcientiam, ſed eam ſtudio & labore acquirere debet. 2 *Editis Votis Paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ.* Solennia intellige, vel ſimplicia illis quadantenus paria. De illis nemo unquam dubitavit: de his ſub initium Ordinis Clericorũ Societatis IESU nonnulli diſceptarunt: decidit autem *Greg.* XIII. *in Bul. Aſcendente.* ut iam nullum dubium remaneat, per ſimplicia Vota conſtitui religioſum poſſe. 3. R*equiritur ſtabilis in communi vivendi modus* puta, ſub aliqua regula approbata, vel ſtatutis, aut Conſtitutionibus. Vbi excluduntur, quicunque ad tempus, vel extra communem vivendi ritum, & abſque certo capite vivunt, quamvis in rigore, aut zelo operandi ſuperarent. *Denique* additur *ab eccleſia approbandum Ordinem eſſe*, ut nimirum confuſio evitetur, & vaga hominum res novas molientium cupiditas. Ita decretum eſt in *Concil. Lateran. ſub Innoc. 3. relat. in c. Ne nimia. de relig domib & Conc. Lugdun. ſub. Greg. X. ut videre eſt in c. Vn. eod in 6. Oſtienſ. l. 3. tt. Regularib. Bellarm. l. 2. de Monachis. c. 4. Suar. 3. de Relig. l. 2. c. 1. & ſequ. Lud. de ponte 3 tr. 3 c. 1. Layman l. 4. tr. 5. c. 1. Sanch. in Decal l 5. c. 1. Vaſqu 1 2. qu. 96. a. 4. Azor I. l. 11. c. 23. qu. 5. Reginald. L. 18. c. 24 n. 563 & ſeq.*

VI. Ex dictis ſequitur 1. Ordines religioſos, quamvis in habitu, ac modo vivendi

vendi plurimùm differant, omnes tamen eſſentialiter idem eſſe: quia religioſæ profeſsionis eſſentia in nuncupatione trium Votorum, Paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ conſiſtit, quæ cum approbatione eccleſiæ in manu Prælati eduntur iuxta uniuſcuiuſque Ordinis præſcriptum, & uſum. 2. Non obſtare, quod in quibuſdam ordinibus vota ſoluantur, & qui ea nuncuparant, liberentur. Sufficit enim, quod ſeipſum nemo liberare queat, & tollere perpetuitatem. 3. Militarium ordinum profeſſos, qui coniugalem continentiam tantùm profitentur, propriè religioſos non eſſe, at *S. Thom. docet 22. q. 186 a. 4.* quem plurimi ſequuntur à *Paulo Layman citatis l. 4. tr. 5. c. 1. de quo latius infra §. 6. num. 4.* E converſo Ordinis S. Ioannis, & Teutonici equites, B. Mariæ quia caſtitatem ſimpliciter profitentur, & incapaces matrimonii fiunt, inter veros ac propriè dictos religioſos numerari 4. errare Moſconium, cùm *pag.* 505. affirmat. propriè religioſos dici poſſe, qui ſe aſtringunt ad vivendum ſecundùm aliquam regulam, licet profeſsionem non emiſerint, dummodò ſe, & bona ſua Deo dicaverint, ſicuti *Converſi re ligionum c. Quod Dei timorem. de ſtatu* Monach. Idem de *Beguinis, & Canoniſtis Vallenſis tradit l. 3 tt 31. § 1.* 5. Summum Pontificem diſpenſare non poſſe, ut aliquis manens religioſus liber ſit à Voto Paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ, quia hæc ad eſſentiam Religionis pertinent. *c. Cùm ad monaſterium. de ſtatu Monach.* At cùm neceſsitas fuerit, extrahere poterit ab ordine & abſoluere ab obligatione, prout factum ſæpiùs multa exempla docent. *Henr. quodl. 5. q. 28. D. Thom. in 4. d. 38. q. 1 a. 4.* Rich *ead. art. 9. q. 1. Scotus ibid. q. un. Durand. ibid. q. 2. Antonin. 2. pa. tt. 11. c. 2* Aug. Caiet. *& plerique recent. V.* Leſſ *l. 2. c.* 40. D. 19. *Franc. Leo in theſauro par. 2. cap. 26. n. 55.*

VII. Vſque ad ætatem S. Baſilii id eſt, *An. Chr.* 362. licet multi ſimul habitarent, interno Spiritus Sancti ductu potiùs, quàm præſcripta regula & certis legibus vivebant. *Spondan. An. Chr.* 328. Primus *Baſilius* non tantùm regulam ſcripſit, ſed ex agris intra civitates, & oppida tum ſecuritatis cauſa, tum ut monachi aliis exemplo præluccrent, collocavit. *Barb. in tt. de ſtatu* Monach. Aliam regulam non multò pòſt, circa *Annum Chr.* 392. *S. Auguſt.* in Africa propoſuit, ſub qua hodieque multi Ordines vivunt. Tertiam in Occidente ſub annum 520. *S. Benedictus* condidit: quibus tandem ſuam addidit *S. Franciſcus* circa Annum 1209. Atque ita quatuor tantùm Regulæ religioſorum ab Eccleſia approbatæ habentur. Nec facilè ordo reperitur, qui non ſub aliqua illarum vivat: quamvis varias Conſtitutiones ſuperaddiderint. Soli Carthuſiani, & Societatis IESV clerici propriis Conſtitutionibus utuntur. *Antonin. Par. 3. tt. 16. § 5. Silv. V. Religio 1 nu. 7. Azor l. l. 1. c. 24. Leſſ. c. 41. D. 2. Laym l. 4 tr. 5. c. 2.* De prædictis quatuor Regulis ita *S. Antoninus cenſet Par. 2. Chron. tt. 15.* Regula S. Baſilii ſatis intricata eſt. Regula S. Auguſtini multũ generalis, & ad particularia parum deſcendens Regula S. Franciſci brevis, & ob multitudinem præceptorũ plena ſcrupulis. Sed Regula sãctiſ-

ſimi

ſimi Patris Benedicti ſingula quæque clarè deſcribit. Quo autem ſenſu omnium Monachorum patriarcha S. Benedictus appelletur, ab *Antonio Perez* explicatum invenies *in Comm. Reg. S. Bened. ſub init. pag.* 13.

VIII. In quibuſdam Ordinibus præſertim Mendicantibus reperiuntur *Converſi*, quorum non una ſpecies. *Tuſchus V. Monachus. Concl.* 113. Alii enim tria vota nuncupant, & eandem cum aliis regulam profitētur: & hi veri religioſi ſunt: alii monaſterio ſervientes votū Caſtitatis tantùm edunt, & pro ſæculari aliū habitū ſumunt, diſtinctum tamen ab habitu Profeſſorū. Hoc nō eſſe verè religioſos ex n. V. patet. Alii denique domi ſuæ manentes habitū aliquo modo, ſeu quoad ſpeciem ferunt, de piis quibuſdam operibus V. g. ieiunio, & certis orationibus vovent: qui cum præcedentibus non merentur regulariū, aut religioſorum nomen. De tertiariis *S. Franciſci* ſeparatim viventibus & coniugatis in utramque partem diſſerit *Roderi cus Par. 2. Q. 66. art* 5. contendens, ſaltem perſonas eccleſiaſticas vocari poſſe: ideoque immunes eſſe, à tributis, & vectigalibus. At contrarium Leo X. definivit in Conc. Lateran ſubiecitque tam propriis Parochis quoad Sacramentorum uſum, quàm Magiſtratui ſæculari, quoad onera, & iudicia *Congr. Rituū in Spoletana terra. de Viſſo* 20. *Iun.* 1609. *teſte Lezana in ſum quaſt. Regul. to.* 2 *c.* 14 *nu* 34. *Collect. Deciſ. Apoſt. Barboſa pag* 451. *Decius in c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtitutionib. De tertii Ordinis* fratribus, & ſororibus, qui ſimul collegialiter vivunt, & cum habitu Virginalem aut vidualem caſtitatem expreſſo voto profitentur, idem Leo Pontifex declaravit, gaudere omnibus privilegiis, quibus ipſi Fratres gaudent. Denique *Donatos & Oblatos* quod attinet, illi ſe Ordini alicui, vel Monaſterio ſine habitu, & profeſſione addicunt ad perpetuum ſervitium: & quamvis privilegia Ordinis non participent, in quibuſdam tamen connumerantur aliis, quaſi verè religioſi forent. *V. Armilla. V. Monachi.*

§. II.

De aſpirantibus ad Statum religioſum.

I. Electio, & aſſumptio Ordinis, ſeu habitus religioſi omninò libera eſſe debet. *c. Puella* 12. *Q.* 2. *Conc. Triden. Seſſ* 25. *c.* 17. & 18. Quocirca peccant *Primò* parentes & cognati, qui quocunque modo impedire conantur. Nam invitis quoque illis poſſunt filii expleto pubertatis anno religionem ingredi, iuxta illud *S Hieron ep. ad Heliodorum.* Licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. *Secundò* peccant, qui illicitis modis ad ſuum ordinem potiùs, quàm alium incautos iuvenes pelliciunt, deprædicando, & extollendo ea, quæ commoda, & honorifica ſunt, elevando autem, vel celando, quæ aſpera: imò aliorū Ordinum inſtitutum, & mores contemnendo. Benè *Silveſter n* 2. monet, abſtinendum à violentia, à Simonia, & mendaciis permitti tamen, ut quis nutriat aliquem in ſæculo ad religionem, vel munera offerat ad contrahendam familiaritatem. *Az. I. l.* 12 *c.* 1. *Q.* 2 *Silveſt. V Religio* 11. *nu.* 10. *Vallenſis l.* 3. *tt.* 31. *§.* 3. *Sanch. l.* 4. *Moral. c.* 4. *num.* 6. *& ſeq.*

II. Ut

II. Vt ingrediantur Ordinem religioſum compelli poſſunt 1. qui ſe Voto obſtrinxerunt Neque enim deterior eſſe debet conditio eius, qui ſponſalia contraxit, quem ad Matrimonii ſponſionem complendam leges adigunt. *c. Propterea. de ſponſalibus.* 2. Coniunx, qui cùm ſciret Iuris diſpoſitionem, in alterius profeſſionē, vel Sacri ordinis ſuſceptionem conſenſit. *c. Vxoratus c. Cum ſis. De converſ. coniugum.* 3. Quibus ob delicti reatum à Iure conſtituta eſt pœnalis incluſio, vel detruſio in Monaſterium: ita tamen, ut ad profeſſionem faciendam inviti non cogantur. *Sanch de Matrim. l 7. Diſp. 39. Fill. Tr. 10. Par. 2. n. 149. Leſſ. c. 41. D. 4. Roderic. Tom. III Q 13. art. 2.*

III. Etſi ſervus naturalis, vel emptitius, vel bello iuſto captus ab ingreſſu Religionis arceatur *c. Si quis 17 q. 2.* illi tamē, qui ære alieno obſtrictus eſt, licet appetere, & admitti poteſt, maximè ſi bonis ſuis ceſſerit: nec in Monaſterio laborare tenetur, ut ex mercede ſua debita ſolvat. Quòd ſi ab illo monaſterium bona acceperit, onus ſatisfaciendi Creditoribus in ſe derivat. At, *inquis*, iniuriam facit creditoribus. Rt. *Raym. & Silv.* excuſari auctoritate Spiritus Sancti, cuius inſtinctus lex quædam privata eſt, cui publica ſeu communis cedere debet. *c. Duæ ſunt 19. Q. 2. Sanchez l 6. Moral c. 4. nn. 42.* Aliqui tamen datam doctrinam ad illos reſtringunt, qui nullam ſpem habent intra paucos annos ſoluendi, quamvis extra religionem in priori ſtatu manerent. *Azor. 1. l. 12. c. 1. Q. 5.* Hi multò magis negabunt licere Ordinē aſſumere illis, qui vel reip. vel aliis obligati ſunt vi muneris ſui ad ratiocinia, ſeu Computum: quanquam *Silv.* cum quibuſdam aliis eam facultatem ſolis quæſtoribus publicis negent. Conſulendum certè omnibus, ut ſatisfaciant prius, quoad uſque fieri poteſt. De illis, qui ære alieno gravati ſunt, legi utiliter poteſt. *Roderiq tom. 3. Q. 10. ar. 9. & Comitolus l. 2. Reſponſ. Moral. Qu. 16.* qui circa finem monet, hoc tempore per Bullam Sixti V. ius ingrediendi religionem decoctoribus, & quorum æs alienum ſuperat eorum bona, ſi ob eam rem timendum ſit. Ne lis eis inferatur, aut iam ſit moleſtia illata.

IV. Ingreſſum religionis prohibet parentum gravis neceſſitas, quam filius ſublevare poteſt. *Matth. 9. V. 13. Miſericordiam volo, non ſacrificium.* Quin etiam profeſſus, ut ſubveniat Patri extremè laboranti monaſterio egredi poteſt, & debet, etiam invito ſuperiore. Idem cuicunque alteri præſtandum, ſi præter te religioſum nemo alius eſſet, qui iuvare poſſet. Id namque Naturæ lex, & charitatis exigit, cui omnis alia obligatio cedit. *Dixi extremè laboranti.* Nam ſi gravis tantùm fuerit neceſſitas, nec aliud medium occurrat, poſt profeſsionem non ſine conſenſu Prælati ad tempus ex bit. *Alenſ. Par. 3 q. 31. S Thom. 22 qu. 101. art. 1. Silv V. Religio n. 6. Angel. n. 11. Nav c. 14. n. 14. Fillint. Tract 28 par. 2 c. 1. n 8. Emm. Sa. V. Religio n 1 Leſſ c. 41. D 3. Laym. l. 4 tr. 5. c. 4. Suar. 3. de Relig l. 5 c. 5. §. Vtrum gravi.]* Eadē eſt obligatio parentū erga filios, ſi ſimili neceſſitate premantur. *Leſſ l cit.*

V. Qui ingreſſum religionis vovit indeterminatè reiectus ab uno ad aliū Ordinem accedere, & petere debet: ſi nulli bi recipiatur, ſub obedientiâ Epiſcopi regularem vitam agere poteſt, quamvis ad

hoc non teneatur: quia à voto ſuo liber eſt, in quo ut Archid. benè notavit, incluſa conditio erat, *Si volunt me recipere*, quâ conditione extinctâ perit voti obligatio: ac proinde, ſi velit, nubere poteſt. Quòd autem ab uno ordine non admiſſus, alium petere debeat, *Comitolus l. 2. Q. 16.* probat hiſce tribus rationibus. *Prima* eſt, quemadmodum ſpecies non perimit genus: neque enim ſublata equi vel bovis ſpecie animal extinguitur, ita obligatio ſpeciei, generis obligationem non tollit. *Secunda*, Non, quia una familia diſplicet V. g. Carthuſianorum propter auſteritatem, aliæ ſimiliter diſplicebunt. Tentandum igitur, & experiundum, num S. Benedicti, Franciſci, aut alia quæpiam conveniat. *Tertia.* Qui communitati alicui, aut Senatui obligatus eſt, non liberatur onere ſervitutis, ſi unus vel alter illius famulatum reſpuat: ita qui Vniverſitati Religionum obſtrinxit ſe, non liberatur obligatione, ſi ab una, vel altera non acceptetur. *Ita Comit.*

VI. Qui vovit certum ac determinatum ordinem, plura monaſteria adire & ſupplicare debet, non tamen in exteris & remotis provinciis poſita. Non credo *ait Silveſter*, quod teneatur diſcurrere per mundum, ut inveniat ſe recipientem, quia non eſt veroſimile, quod ad id voluerit ſe obligare. Quod ſi unum aliquod monaſterium propter ſpecialem complacentiam illius animo ſuo deſtinaſſet, ab eoque reijciatur, non tenetur aliud eiuſdem ordinis pulſare: quia ſicût effectus non excedit virtutem cauſæ ſuæ, ita nec voti obligatio intentionem voventis. Nec Paludani ratio ſtringit, voviſſe receſſum à ſæculo, cùm certum aliquem ordinem, aut monaſterium deligeret. Non enim aliter receſſum illum, quàm per talem ingreſſum, & receptionem intendit. *Navar. c. 12. num. 46. Em. Sa. V. Votum numer. 12. V. Suarez. III. De Relig l. 4. c. 2. num. 9. Leſſ. c. 41. Dub. 5.*

VII. Dubium eſt, an qui certum aliquem ordinem vovit, teneatur in eo manere, & profeſſionem edere? Si ſimpliciter vovit ingreſſum iuxta communem modum cogitandi, & vovendi Ordinem, non videtur obligatus, niſi ad ſuſcipiendum ordinem, & illius conſuetam probationem. quâ peractâ ſi propter impedimentum aliquod non admittatur ad profeſſionem, ſatisfeciſſe cenſetur voto ſuo, & liber ad quemcunque alium ſtatum. Perſuaſum habeo, *ait Navarrus c. 12. num. 47.* illum, qui ſic vovit, poſſe intra annum probationis, religionem, quam elegit relinquere, eo Solo, quòd modus ille vivendi diſpliceat. *Ibidem num. ſequ* peccare illum, dicit, qui cùm voviſſet ſtrictiorem ordinem, poſtea aſſumit laxiorem: in quo tamen ſi profeſſionem fecerit, manere poterit. Vnde ſequitur, multò magis peccare illos, qui ideo hoc illudue monaſterium eligunt, vel ut eligatur, ſuadent, quia laxior inibi diſciplina eſt, ubi, ut nonnemo dixit, *Saginatur corpus, & occiditur animus. Sanch l. 4. Moral. c. 16. numer. 86. Suar. l. 4 de Voto c. 8. num. 7 Rodericus Par. 2. Summa c. 95. Concl 6. Sanch. l. 1. De Matr. Diſp. 34. Laym l. 5. Tr. 5. c. 6. num. 12.* qui benè animadvertit, in eo, qui prædicto modo vovit, debere ſincero animo Religionem ingredi, & habi-

Digitized by Google

habitum ferre cum propoſito perſeverandi, & profitendi, ſi eam ſibi conſentaneam expertus fuerit. Quod ſi abſque rationabili cauſa retro vertitur, dimiſſo habitu; reum ſe mortalis culpæ facit. *Navar. l. 3. Conſil. 25. num. 3. de Voto.*

Denique quam graviter offendant Deum, & noceant, parentes, cognati, aliique impedientes & avertentes eos, qui de vita Religioſa propoſitum ſuſceperunt, multis rationibus & exemplis accuratè docet Hieron. *Platus de bo. Status religioſi l. 3. c. 35.* Si ſeparans pretioſum à vili, nempè animam à ſæculo, erit tanquam os Dei, ille, cuius os, & manus extrahit animam adhærentem Deo ad ſæculum, quid erit? *Anſelm. ep. ad Goffridum.*

§. III.

De Novitiis.

I. QVi ad annum probationis admiſſus eſt, Novitius propriè cenſetur, & vocatur Regularis novitius. *Tuſchuſ Concluſ. 121.* Annum probationis, quem plerique Ordines ſervant, ætatis quinto decimo inchoare convenit, ut expletu ſexto decimo profeſsionem edat, de qua re ſic ſtatuit *Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 15.* In quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum (: intellige tam phyſicè quàm moraliter:) nec qui minori tempore, quàm per annum (: non interpolatum,) poſt cæptum habitum in ordine ſteterit, ad profeſsionem admittatur: profeſſio autem facta ſit nulla; nullamq; inducat obligationem alicuius regulæ vel religionis, vel ordinis obſervationem, aut alio. quoſcunque effectus. *Ita Concilium.* At Congregatio declaravit. *Primò* eum qui emiſit profeſsionem intra annum probationis non eſſe obligatum neque ad Religionem in genere, neque in ſpecie; & diem computandum à die poſt decimum ſextum annum expletum eius, qui monaſterium ingreſſus eſt. *Secundò.* Non comprehendi prædicto decreto quoad tempus probationis, & profeſsionis Ordinem militum Regularium Ieroſolymitanum, quia in odioſis non comprehenduntur nomine Regularium. *V. Azor. Tom. 1. l. 13 c. 4. p. 4. Suar. 3. De Relig. l. 5. c. 13. & ſeq. Roderic. Tom. 3. Q. 15. art. 3.*

II. Nihil prohibet abſoluto probationis anno differri profeſsionem, modò id rationabilis cauſa exigat, puta ſi Novitius morbo laboret, ſi quid adhuc corrigendum, vel diſponendum. Si verò poſt annū probationis deficiat & pœnitentia ductus redeat, recipi poſſe ad profeſsionem abſque nova probatione cenſet *Layman citans Rodericum tom 3. q. 15.* Quod rigorem, & rem ipſam ſpectando admiſerim: quod verò praxin attinet, neminem fore adeò benignum, & cupidum exiſtimo, qui ad profeſſionem recipiat hominē inconſtantem, qui pro arbitrio eat, & redeat, manum ad aratrum mittat, cōtinuò reſpiciat, deſerat & brevi intervallo reſumat. Minimùm pœnitentia aliqua caſtiganda levitas erit, & ſcandalum parvulorum avertendum. *Sanchez l. 5. c. 4.*

III. Quo modo annus probationis continuus eſſe debeat, multis expendit

Digitized by Google

Rodericus to. 3. *Q.* 15. *art.* 4. Et definit 1. annum probationis non computandum de momento ad momentum, ſed poſſe Novitium ipſo die, qui anni ſui ultimus eſt, profeſſionem edere: licet inde propter bonorum diſpoſitionem alii damnum ſentiant. Hanc doctrinam probat argumento Vlpiani de Vſucap. In uſucapionibus enim non computamus à momento ad momentum, ſed totum ad poſtremum diem computamus, ideoque qui hora 6. Calend. Ian. poſsidere cœpit, horâ ſextâ diei pridie Cal. Ian. implet uſucapionem. Contrarium verò *Suarez tradit To 3 de Relig. l* 5. *c.* 15. adeò, ut ſi Novitius habitum induerit primo die Ianuarii poſt meridiem, non poſſit eodem die recurrente profiteri ante meridiem. Idem tenet *Sanchez l.* 1. *de Matr. D.* 24 & *Leſſ. l.* 2. *c.* 41. *D.* 7. *num.* 59. dicens, expedandum eſſe punctum ſuſcepti habitus. Similiter in ætate expectactandum, ut recurrat punctum Nativitatis. Et hoc ad mentem *Conc. Trid.* haud dubiè accommodatius eſt. 2. definit Rodericus in anno biſſextili duos dies pro uno computandos. Cum enim materia hæc politica & civilis ſit, de ea politicè & civiliter loqui debemus. Vnde ſequitur, quòd annus probationis non debet eſſe ſolaris & naturalis, hoc eſt, dierum 365. & 6. horarum, ſed debet eſſe annus à rep. pro tali declaratus. 3. ex indulto Pii V. Moniales novitias, quæ legitimam ætatem ad profitendum habent, in articulo mortis conſtitutas edere profeſsionem poſſe, etiam nondum finito probationis anno, ſed profeſsionem illam, quæ pro conſcientiæ ſolatio indulgetur, non præiudicare ulli qui ius habet ab inteſtato ſuccedendi. *Roder.* 3. *q* 15. *ar.* 6. *Caramuel in Reg. S. Bened num.* 464. *Barb. in c. ad Apoſtol. de Regularibus* 4. Novitium, quamvis contrarium diſputando defendi queat, renunciare non poſſe iuri ſuo, & ante annum probationis expletum profiteri: aliàs idem de ætate 16 annorum dicere liceret. 5. Non requiri, ut annus probationis continuus ſit, ſed ſufficere, ſi integer ſit, citatque pro confirmatione Iulii II. indultum, quo Fratribus Minoribus concedit, ut ſi quis ex Novitiatu receſſerit & redierit, tempus primæ receptionis cum poſteriore iunctum computetur: neque huic favori derogatum videri à *Concil. Trident.* Verùm modo Cardinalium Congregatio aliter decidit, ut videre eſt lo. citato, videlicet annum requiri non interpolatum, & quidem intra clauſtrum, (intellige non materialiter, ſed formaliter:) manendo ſub obedientia Prælati. *Leſsius tamen l. cit.* putat paucorum dierum interpolationē nō obeſſe continuitati: *Diana Par.* 3. *tr.* 2. *Reſ.* 57. *Suar. tom.* 3. *De Relig. l.* 5. *c.* 15. *Sanchez in Decal. tom.* 2. *l* 5. *cap* 4. *Silv Religio V. num.* 4. *Zerola Par.* 2. *V. Profeſsio nu.* 3. *Eſcobar Tract.* 7. *Exam* 6. *c.* 7. *Caramuel, in Reg. S. Bened. n.* 463.

IV. Eſſe de ſubſtantia, ut Novitius annum probationis agat in habitu Ordinis, affirmat Panormitanus *in c. ſup. eo de Regular.* ut a *Roderico allegatur Tom.* 3. *Q.* 15. *a* 9. Pro contraria opinione citatur & reprehenditur à Silveſtro loc. cit. num. 5 qui deferendum dicit à Novitio habitum Ordinis, quem cupit profiteri ex conſuetudine, quæ ſit legum interpres. Nam in ipſo habitu magna eſt auſteritas, quam experiri Novitios convenit;

Digitized by Google

convenit: ex cauſa tamen aliter fieri poſſe. Hoc tempore de ſubſtantia anni probationis eſſe habitus religioſi geſtationem toto tempore *ex Conc. Trid. Seſſ 25 c. 15 probat. Barb de poteſt. Epiſc. par 3. allegat. 101. & in c. legem D. 53. item c. multos D. 54. Suar. 111. de Rel. l 5. c 14. Azor. l. l 12 c. 2. q. 9. Regin. l. 18. n. 384. Miranda Tom. 1. q. 22. art. 6.*

V. Non tenetur Novitius omnes auſteritates Ordinis in ſpecie, & individuo experiri. Nam exempli cauſa, quod de ſuo Rodericus adducit, fratribus Minoribus prohibitum eſt, ſub peccato equitare, quod præceptum Novitius experiri non poteſt, quia occaſio & neceſſitas deeſt. Deinde fac, Novitium aliquem per aliquot menſes ægrotare, quo tempore jejunium, & aliæ pœnæ ſuſtinentur, nemo illum propterea à profeſſione excludet. Sufficit ergò generaliter experiri degendo ſub obedientia Prælati. *Azor. l. l 12. c. 2. q. 10. Suar. l. cit.*

VI. Novitii non obligantur ſub culpâ ad præcepta Regulæ, neque ad recitationem horarum Canonicarum, niſi aliunde obligatio ſit; quia nondum voverunt obedientiam & obſervantiam Regulæ. *Ita communiter DD.* Monet tamen *Silveſter* inducendos eſſe, ut ſervent ad probãdum, & conſueſcendum. *Dixi ſub culpâ ſive peccato*, cujus nimirum reus fieret, ſi profeſſus eſſet: nunc autem quamdiu profeſſus, non eſt, non cenſetur Regulæ tranſgreſſor: peccare nihilominùs poteſt contra obedientiam, & veracitatem, quia eo ipſo, quòd ſe ad probationem ſubjicit Prælato, ei ſe pariturum pollicetur, in omnibus, quæ ad regularem Novitii inſtitutionem pertinent. Et quia exerceri nequit abſque regulæ obſervatione, amplecti illam, & obſervare debet, ad minimùm ne reus pœnæ fiat. *Addit Suarius Tom. IV. de Relig. l. 2. c. 8 & l. 10. c. 5.* obligari poſſe ad ea, quæ per ſe cadunt ſub juriſdictionem Epiſcopi ſine ſpeciali reſpectu ad profeſſionem Religioſam v. g. ad dicendam veritatem in caſu occurrente, ubi legitimè interrogatur: vel ad reſtituendum ablatum, vel vitandam talem occaſionem peccati, cogendo etiam per cenſuram, & ſimilia, quæ ad juriſdictionem Epiſcoporum pertinent, & non poſſunt exerceri ab Epiſcopo propter exemptionem, ſub quâ Novitii quoque cenſentur vivere. Quid verò, inquis, facto opus, ſi Novitius grave aliquod delictum v. g. homicidii perpetraret? *Navarr. Conſilio 58. de regularibus* ex opinione probabili aſſerit, Superiorem Ordinis cognoſcere & judicare poſſe delicta civilia, & criminalia Noviciorũ, cujuſmodi eſt homicidium perinde, ac ſi eſſet profeſſus, quod etiam *Azor l. l. 12. c. 2. q. 11. & Laym. l. 4 tr. 5 c. 4.* approbat. Quamvis enim Novitius propriè loquendo non ſit religioſus, in favorabilibus tamen ſub eo nomine continetur, adeoque privilegio Canonis fruitur. quid ni etiam fori? Horas Canonicas quod attinet, malè cenſet *Paludanus* teneri, eò quòd privilegiis gaudeat. Aliàs ſimiliter ad omnia onera, non minùs, quàm profeſſi obligarentur, quod nemo dixerit. Cur autem non teneantur horas Canonicas legere, Ratio eſt, quia nullum de eo præceptum extat, nec conſuetudo exigit. Fieri tamen poteſt, ut in aliquo Ordine contraria conſuetudo vigeat, cui parendum. *Oliverius Bonartius de horis Canon.*

Digitized by Google

pag.333 Suarius III.de Relig.l.5.c.6. L., m. l.4.tr.1.c.4.Perez.in Reg.S.Bened.c.19.n.3.

VII. Caſus reſervati communiter apud Religioſos non pertinent ad Novitios, ut communi ſenſu DD. tradunt. Cum enim nondum profeſſi ſint, adeóque nec religioſi propriè, in odioſis non participant. Prælati nihilominus caſus aliquos reſervare poſſunt, & inferioribus Confeſſariis adimere poteſtatem abſolvendi etiam Novitios. Nam quicunque ordinariam Eccleſiaſticam juriſdictioné habent, poteſtatem ſuam inferioribus communicare poſſunt cum reſtrictione ita tamen, ut quoad reſervationem Caſuum ſervetur. *Clem. VIII. Conſtitutio de quà Suarius IV.de Relig.l.2.c.18.* Verùm dubitant aliqui an nihilominus Novitio adire liceat alium Sacerdotem ſæcularé, qui aliàs poteſtatem habet Laicos à Caſibus reſervatis abſolvendi. *Rodriq. tom.1. q.21.art.11.* exiſtimat poſſe, quia Novitii non ſunt ſubjecti ſtatutis Regulæ. Contrarium cenſet Corduba, cui adhæret *Layman.l.4.tr.5.c.4.n.4. & reſpondet argumento Roderici.* Quamvis Novitii ſtatutis Regulæ non ſint ſubjecti, ſubeſſe tamen juriſdictioni Prælatorum exemptorum, non minus, quàm Clerici ſæculares Epiſcopo ſuo. Verùm eſto, non liceat Novitio adire Confeſſarium extraneum abſolutionis cauſſa, ſi fecerit tamen, nunquid validè abſolvetur? Dubito, quamvis citatus Rodericus Monachos Ordinis ſui condemnare non audeat, ſi contra Apoſtolicas prohibitiones Bulla cruciata utantur ad abſolutionem à caſibus reſervatis. *Regin.l.1.n.245.& l.8.n.37.*

VIII. Novitius, qui beneficium Eccleſiaſticum habuit, non amittit illud per ſuſceptionem habitus religioſi, ſed uſq; ad profeſſionem retinet: interea tamen ſatisfacere per Vicarium debet. *c. Beneficium regular.in 6.* ubi tamen additur limitatio, niſi conſtet, quod vitam voluerit ſimpliciter mutare, vel profeſſionem expreſsè fecerit, ſeu ſcienter habitum profeſſorum receperit: quæ omnia hoc tempore locum non habent quia ſecundum. *Con.Trid Seſſ.25.c.16.* durante anno probationis nihil immutandum eſt in ſimilibus: imò ne quidem valida erit renunciatio beneficii à Novitio facta, niſi fiat cum ſolennitate à *Con. Tr. Seſſ. cit. c. 16.* præſcripta. Fructus quod attinet, illos percipere poteſt, qui ratione tituli debétur: Vicarius iis potietur, qui propter reſidentiam dantur. Si verò novum beneficium offeratur, quamvis minimè conveniat, abſolutè loquendo, recipere poterit, quia tam eſt hujus boni, quàm aliorum capax. *c. Beneficium de regularib. in 6. Azor.l.l.12 c.3.Roder.l.q 37.art.1.Suar.to. III.de relig.l.5.c 16.n.12.* Adde conſulendum non eſſe, ut Novitius beneficio abdicet ſe, ne quod cani cuidam acceſiſſe dicitur, propter umbram in aqua viſam, quam non habet, dimittat, quod actu habet.

IX. Ad nullam Prælaturam monaſticam ſeu Ordinis religioſi cujuſcunque Novitius promoveri, eligi, aut poſtulari poteſt. *c.nullus 28. de elect. in 6.* Aliter factum irritum, & inane eſt. Imò nec ordines aut primam tonſuram recipere 19 q. 3.*c.Monaſteriis*, ut ferè DD. explicant. Si quis tamen ipſum textum ponderare voluerit, reperiet ibi Pontificem non loqui de tonſura Clericali, ſed monaſtica, pro qua requirit triennium probationis.

Meliu

Melius igitur Suarez cenſet; nullam prohibitionem extare, quòd Novitius ordines non poſſit recipere. *Suar. tr. de relig. l.5.c.16.n.13 Az. l.l.12.c.2.q.12. Barb. in c. nullus cit.* Roder. *l. cit. q.34 art.3. Silveſt. V. religio. §.5.n.9. Tuſch. V. Monach. Concl. 317.*

X. Quamvis Novitio aditus præcluſus ſit ad Prælaturas, & dignitates Monaſticas, ſeu regulares, eligi tamen in Epiſcopum poteſt, imò ad alias quoque ſæculares dignitates & beneficia ſaltem validè. De Epiſcopatu jus manifeſtum eſt *in c. nullus de elect. in 6.* Ad alia beneficia, ut eligi queat, nihil in jure ſtatutum reperitur, ſed DD. communiter cenſent eligi non probe, ſi tamen fiat, electionem validam fore. Cauſam ſumere licet ex neceſſitate, quæ non ubique eadem. Nam Eccleſia plurimùm indiget bonis Epiſcopis, & Paſtoribus, ac proinde ſi Novitius quiſpiam dignus reputetur, non eſt ordinis Monaſtici bonum communi Eccleſiæ utilitati anteponendum, præſertim cum Epiſcopatus ſuſceptio non obſit Religioni. Poterit enim idem manere Epiſcopus, & ſimul edita profeſſione Religioſus. *Suar. & Barb. l. cit.*

XI. Liberum eſt Novitio tempore probationis ſuæ mutare ſtatum, & vel alium Ordinem appetere, vel ad ſæculũ redire. Sufficit pro cauſa Ordinem non placere, non videre convenientem ſibi. *c. Conſulti ſumus. & c. ſtatuim. 20 de regul. ubi Greg. IX. ait* Novitios in probatione poſitos ante ſuſceptum religionis habitum, vel ante profeſſionem emiſſam ad priorem ſtatũ redire poſſe liberè intra annum. *Ratio eſt*, quia ingreſſus religionis nullam inducit obligationem præſeverandi, vel non deſcendi, nec aliunde peti aliqua prohibitio poteſt. Contra gratitudinem peccare dices, quia Deo vocanti ad meliorem vitã non obſequitur, maximè cùm ex ſolo vitæ Religioſæ tædio recedit. Dubiũ non eſt, quin prava intentio egreſſum Novitii vitiare queat: ſed hoc commune omnibus actionibus eſt, quæ ex ſe indifferẽtes ſunt; abſtrahendo autem à peccatis meræ malitiæ Novitii deſerẽter habitum Religionis non peccant ingratitudine. Nam *primò* licet ſupponamus à Deo vocari, nõ conſtat Deum velle, ut in tali Ordine perſeveret uſque ad mortem, aliàs nunquam liceret ab uno ordine in alium migrare, & fieri poteſt, ut ingreſſus in hunc ordinem, & probatio ad majus bonum diſpoſitio ſit. *Secundò* egrediẽs alios fines habere poteſt, quàm Ordinis faſtidium vel odium, videlicet ut ſimilem vitam inter ſæculares agat, ut de alio Ordine ſuſcipiendo cogitet, & ſimilia. Ut plurimùm tamen, niſi manifeſta & rationabilis cauſa appareat, cujuſmodi eſt morbus, vel debilitas, ingratitudo cõmittitur ſaltem negativa, quia non reſpondet beneficio & vocationi divinæ, quantũ poſſet, ac deberet. *Regin l.18.n 383. Barb. in c. ſtatuimus de regular. cum DD. ibi cit.*

XII. Qui egreditur ex Ordine aliquo ante profeſſionem non tenetur illi ad expenſas, & compenſanda illa, quæ probationis tempore conſumpſit. Ita cõmuniter Doctores, & *ratio ex c. ſtatuimus.* ſumitur. Nam ſi expenſæ præſtandæ forent, non eſſet omnino libera poteſtas egrediendi: detinerentur enim non pauci, donec ultimum quadrantem ſolviſſent. Accidit tacita hæc conventio inter Ordinem & Novitium, ut hic recipiatur, & experiatur, an par ſit oneribus ferendis, ſubeatque

ſubeatque experimenta & ordini deſerviat: ab illo autem viciſſim nutriatur abſque alio contractu, vel onere. Denique uſus & experientia generalis ita faciendum ſuadet. Similiter ſi Novitius ingrediens Monaſterio donaſſet aliquid non tenetur reddere niſi eam partem, quam non conſumpſit pro ratâ temporis. *Barb. l cit. Dian. par. 3. tr. 2. Reſ.* 16. *Eſcobar. tract. 6. exam. 7. c. 2 n. 29.*

XIII. Novitio, quam diu in probatione eſt, non licet Matrimonium contrahere. *Gloſſ. in c. Beneficium V. conferendum.* Si tamen contraxerit, validum eſt, ſed continuò dimitti debet, ne Monaſterii fruges fruſtra conſumat. Si non abierit, eorum, quæ abſumit reſtitutionem facere tenetur, computando à die contractus initi. Licebit autem voluntatem mutare, & continuare probationem, ſi fortè ad profeſſionem ſuo tempore faciendam à Deo impellatur. Si poſt contracta ſponſalia habitum ſuſceperit, ipſe quidem manebit obligatus, ſponſa verò minimè, ſed cum quocunque alio contrahere poterit, *V. Suarez. IIII. de relig. l. 5. c. 11. num. 8.*

XIV. Nulla renunciatio bonorum aut donatio à Novitio facta ante duos menſes proximos profeſſioni valida eſt, quamvis juramentum accederet. Ita ſtatuit *Con. Trid. Seſſ. 25. c. 16.* ubi Congregatio declaravit Novitium qui ſui juris eſt, & parentes non habet, non poſſe in Religionis ingreſſu præter victum donare aliquid monaſterio amore Dei. *Ratio* ſumitur ex damnis, & incommodis, quæ oriri ſolent ex ejuſmodi donationibus, quando Novitii mutant propoſitum ſuum, nec ad profeſſionem perveniunt.

Nota. Prædictam Concilii prohibitionem, ut benè animadvertit. *Rodericus par. 2 q. 48. art. 16.* non habere locum in Novitiis Societatis Jesu, quia illorum profeſſio in multos annos differtur juxta diſpoſitionem. *Exam. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. Roder. Tom. 1. q. 37. art. 2.*

XV Vota Novitiorum omnia ſive ſint peregrinationis, ſive alterius pii operis tempore probationis uſque ad profeſſionem factam ceſſant quoad obligationem, niſi ejuſmodi ſint, quæ cum conſuetis exercitiis impleri commodè queant. Licet etiam Prælatis Novitiorum vota in ſæculo nuncupata commutare in opera pietatis quotidiana, puta, pſalmodiam, orationem, jejunia, & ſimilia. Irritare verò permiſſum non eſt, ut *Navarr. c. 22. n. 9.* advertit, quia Prælati in Novitios non habent poteſtatem dominativam, ſed ſpiritualem tantùm. Quomodo autem ejuſmodi vota extinguantur per Profeſſionem §. *ſeq. dicemus. V. Soto l 7. de juſt. art. 1. Silv. Votum IV n. 2. Azor. l. l. 11. c. 17. q. 3. Suarez. III de Relig. l. 5. c. 11. n. 9. Navarr. c. 17. n. 65. Roderic. Tom. 1. q. 25. art. 8. Alcoer. in Summâ c. 16. Fill Tr 26. c. 8. n. 242. Sanch. l. 9. de Matrim. diſp. 39. n. 43. & ſeqq.*

§. IV.

De Profeſſione.

I. Profeſſio dup'ex eſt, expreſſa, & tacita *c. 1. de Regularibus in 6.* Expreſſa peragitur verbo, vel ſcripto, vel utroque ſimul. Certa verborum forma nulla eſt, ſed ſufficit quæcunque votorum nuncupationi æquivalens. Tacita tribus

Digitized by Google

tribus modis fieri poteſt. *Primò* ſi quis anno probationis completo habitum Profeſſis proprium & uſitatum à Novitiorum habitu diſtinctum triduò geſtaverit *c ad noſtram de Regular. c. Conſtitutionum eod. in 6. Secundò* ſi tali habitu indutus etiam ante triduum exactum actum aliquem exerceat ſolis Profeſſis competentem v. g. in Capitulo ſuffragium ferat *c. vidua de Regular. Tertiò* ſi anno continuo habitum in Ordine tulerit, in quo nimirum nulla eſt manifeſta diſtinctio inter habitum profeſſorum, & Novitiorum. *Clem. Eos. de regularibus.* Quocirca ad vitandam obligationem, vel ante anni finem deponendus habitus eſt, vel proteſtatio facienda, nunquam edendi profeſſionem, quia talis proteſtatio tollit præſumptionem de voluntate, & conſenſu in profeſſionem. Nec de his tacitis profeſſionibus, ubi nihil de requiſitis deeſt, *à Concil. Trid.* quicquam immutatum eſt *Seſſ. 25. c. 15.* ut non uno loco Congregatio declaravit. *V. Barboſ. in Collectan. in Concil. Trident. Regin. l. 18. c. 26. Silv. Religio III.*

II. Ut Profeſſio expreſſa vel tacita in Ordine quocunque valida ſit, tres conditiones requiruntur. *Prima eſt* aptitudo perſonæ voventis, ſublato omni impedimento. Ubi quandam cum matrimonio comparationem habet. *Secunda* conſenſus & acceptatio, illius, ad quem pertinet ſuſcipere, & admittere *c. ad Apoſtolicam de Regular. Tertia*, ut actus profeſſionis liber ſit nullâ vi, metu injuſto, aut dolo extortus, *c. 1. de iis quæ vi. & c. ult. Qui Clerici voventes jun. Gloſſ. V. Vel modica.* Ejuſmodi vis cenſetur v. g ſi Novitius incarceratus ſit, ſi fame maceretur, aliiſve ærumnis, quia vel manere, vel profiteri renuit. Quin etiam metus reverentialis injuſtè incuſſus quamvis communiter ſufficere non exiſtimatur ad infirmandam profeſſionem, ſi concurrant alia, quæ difficile eſt abigere, puta precum importunitas, blanditiæ, indignatio, & offenſio cognatorum, & ſimilia, irritam aliquando reddere profeſſionem poterit. *Silv V. Religio III. num 11. Diana par. 4. tr. 3. reſol. 55. Leſſ. l. 2. c. 17. Conjug. Tom. II. Diſp 28. Layman l. 4. Tract. 5. c 5. Rodriq. Tom. II. q. 17. Vallenſis l. 3. tt. 31. §. 3. Eſcobar. tract. 6. Exam 7. c 3. n. 37. Lugo de juſtit. D. 22. Sect 2 n. 267.*

III. Cùm profeſſio invalida eſt propter defectum aliquem ex conditionibus requiſitis, nullam penitus obligationem relinquit, nec impedimentum matrimonio adfert. In foro externo autem ſi litigetur, onus probandi incumbit illi, qui invalidam profeſſionem eſſe dicit, ipſi nimirum profeſſo, idque tantùm intra quinquennium à die profeſſionis, ut *Concil. Trid. declaravit Seſſ. 25. c. 19.* Si non fecerit, ad ſervanda vota, quaſi verè profeſſus adigetur, quia præſumitur intra tantum temporis ratificaſſe profeſſionem factam. Ipſe tamen in conſcientiâ ſuâ obligatus non eſt, ſeque fugâ, vel alio modo liberare poteſt, dummodò ſcãdalum abſit. *Navar. l. 1. Conſil 9. & 89. Sanch. l. 7. de matrim. Diſp. 37. Leſſ. c. 41. D. 7. Laym. l. 4. tr. 5. c. 5. n. 7.*

IV. Profeſſio religioſa per Procuratorem fieri poteſt. Generaliter enim per Procuratorem fiunt omnia, quæ jus non prohibet *l. 1. § Vſuſfruct ff. de procurat. & c. Poteſt quis de Reg. Iur. in 6.* Poteſt quis facere per alium, quod poteſt facere per

 ſeipſum.

Digitized by Google

ſeipſum. Equidem in multis, ut *Dynus* declarat, prædicta Regula fallit, non tamen in materia Votorum, & profeſſionis, de qua agimus. *V. Gloſſ. in c. qui ad agendum de procur. in* 6 ubi cum multi excepti caſus numerentur, profeſſionis nulla mentio fit. *Azor. I. l. 12. c. 5. q. 5. Silv. V. Religio III. q. 15. Em. Sa. Religio n. 14. Suar. III. l. 6. c. 12. n. 22. Roder. III. q. 17. art. 13.*

V. Ad profeſſionem religioſam requiritur, & ſufficit trium votorum, Paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ ſolennis nuncupatio in Religione approbata. Atque hic eſt ſenſus communis Doctorum omnium, & totius Eccleſiæ. *c. cum ad Monaſter. n. 6. de ſtatu Monach.* In quo autem ſolennitas voti conſiſtat, non eadem omnium opinio eſt. Duæ præferuntur, una, conſiſtere in traditione, qua ſe perſona tradit, & quaſi mancipat Ordini per Prælatum, qui reciprocè obligat ſe, & ordinem, acceptando prædictam traditionem, & perſonam voventis. *Ita cum S. Thom. multi veteres.* Ex recentioribus *Soto Arragonius, & alii apud Suarium Tom. III. de Relig. l. 2 c. 7. Azor. I. l. 12. c. 6.* Altera opinio eſt, conſiſtere in celebritate & formula à Jure Canonico præſcripta, ita ut ſi v. g. Petrus caſtitatem perpetuam voveat, & eandem Paulus, hujus votum ſimplex ſit, illius verò ſolenne, ob id tantùm quia fit cum illa cæremonia, & modo, quem Eccleſia requirit. Ita poſt alios *Azor loc. cit. & Sanch. l. 5 Mor. c. 1. n. 11. & ſeq.* copioſè declarans. Unde infertur, vim & effectum voti ſolennis non ex natura rei, ſed ſola Eccleſiæ conſtitutione manare, ita, ut Votum Caſtitatis in Religione, & in eo, qui Sacros Ordines ſuſcipit, cenſeatur dirimere Matrimonium, quia ſic ab Eccleſia definitum eſt, ut expreſsè legitur *in c. quod votum. de voto & voti redempt. in 6. Ubi Bonifacius Papa,* Nos attendentes quod voti ſolennitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa, præſentis oraculo ſanctionis declarandum duximus, illud ſolùm Votum dici debere ſolenne, quantum ad poſt matrimonium contractum dirimendum, quod ſolennizatum fuerit per ſuſceptionem ordinis ſacri, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis; reliqua verò vota reſcindere non poſſe matrimonia poſt contracta. Ita tunc temporis in Eccleſia ſervabatur: nunc jure novo Votum Caſtitatis ſimplex, quod Societatis Jesu religioſi poſt biennium probationis edunt, æquè Matrimonium dirimit, atque profeſſio, quamvis ipſi non profiteantur, ut patet ex *Bullâ, Aſcendente Domino Greg. XIII. Pauli III. Julii III. Pii IV. & Pii V. Conſtit. Soc. IESV parte 5. c. 4. Suar. IV. de relig. l. 4. c. 1. Sanch. l. 7. de Matrim. D 25. n. 2 & l. 5. Moral c. 1. n. 6. Vaſq. 12a. q. 96. art. 4. D. 165. c. 2. Azor. I. l. 12 c. 6 q. 2. Laym. l. 4. tr. 5. c. 1* Dixi Vota illa requiri, & ſufficere, quod ita explicari poteſt. Status vitæ religioſæ tribus modis conſiderari poteſt. *Primò*, ut eſt holocauſtum, quo totum ſe Deo conſecrat Religioſus. *Secundò*, ut eſt modus vivendi ſecundum perfectionem, ad quam tendit. *Tertiò*, ut eſt ſeparatio ab iis, quæ impediunt ſanctitatem vitæ. Si primo modo conſideretur, manifeſtum eſt non fieri holocauſtum, ubi non offeruntur omnia Deo. Si ſecundo modo, nullus ad perfectionem aſpirare poteſt, niſi exuat affectum erga caduca bona, & voluptatem

tem corporis, ac proprietatem voluntatis. Si tertio modo conſideretur, conſtat præcipua melioris vitæ impedimenta eſſe cupiditatem rerum terrenarum, oblectamenta carnis, & proprium judicium. His omnibus opponitur directè Paupertas, Caſtitas, & obedientia Religioſa, in quibus conſiſtere profeſſionem diximus. Non dubium eſt, alias quoque Virtutes ad vitæ perfectionem deſiderari, puta humilitatem, patientiam, & ſimiles. At in prædictis ad unum omnes continentur, quia obedientia promittitur non nudè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm uniuſcujuſque Ordinis Regulam, & Conſtitutiones, quæ omnimodam vitiorum extirpationem & virtutum inſitionem præſcribunt. *V. Leſſium c. 41. dub. 1. Valentiam tom. III. diſp. 10. q. 4. pun. 2.*

VI. Religioſæ profeſſionis effectus ſunt undecim 1. Profeſſio incorporat Ordini, facitque membrum illius, ita ut ſeparare ſe pro libitu nequeat, habeatque jus ſuperior reducendi illum, ac puniendi, quemadmodum fugitivis militibus accidere videmus. Ordo viciſſim illi obligatur ad omnia illa præſtanda, quæ ſecundùm Regulam uniuſcujuſque Ordinis conſueta & neceſſaria ſunt. Hic effectus ab obedientiæ voto manat, cui annexa eſt traditio. An autem ex ejuſmodi traditione naſcatur obligatio juſtitiæ, an fidelitatis tantùm, & obſervantiæ, inter Doctores controvertitur. Eſſe ſimul juſtitiæ cenſet *Leſſius c. 41. num. 67.* quia utriuſque partis, id eſt, tam voventis, quàm recipientis præter honorem Dei, & ſalutem animæ utilitas intenditur; quemadmodum inter milites, & Ducem. Quæ opinio probabilis eſt. 2. Effectus eſt, inhabilem reddere ad contrahendum Matrimonium, ita ut ejuſmodi contractus quocunque modo, & ritu initus nullam validitatem habeat *c. quod votum. de voto in 6.* ubi *Bonifacius* VIII. Quod votum debeat dici ſolenne, atque ad derimendum Matrimonium efficax, nos conſulere voluiſti. Nos igitur attendentes, quòd voti ſolennitas ex ſola inſtitutione Eccleſiæ inventa eſt; matrimonii verò vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium conditore ipſum in Paradyſo inſtituente unionem, & indiſſolubilitatem acceperit: præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolenne, quantùm ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolennizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri ordinis: aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis Reliqua verò vota etſi quandoq; matrimonium impediant contrahendum, reſcindere non poſſunt matrimonia pòſt contracta. *Ita Bonifacius.* Vnde colligimus ſolo Eccleſiaſtico jure profeſſi matrimonium irritari: quod antiquiſſimum eſſe patet ex *Conc. Cartha. c. 104. cui* S. Auguſt. interfuit, & ex aliis multis Canonibus. *27. quæſt. 1. c. Viduas ex Gregorio. c. Quæ autem Innoc. I. &c. Impudicas ex Conc. Tribur. V. Azor. l. l. 11. c. 6. Bellarm. l. 1. de Matrim. c. 21. Sanch. l. 7. de Matrimon. diſp. 26.* 3. Profeſſio Matrimonium ratum, & necdum conſummatum diſſolvit. *Concil. Trident. Seſſ 24. can. 6.* Quo autem jure id fiat, non una omnium

Digitized by Google

opinio eſt. Placet illorum, qui ſolo jure Eccleſiaſtico fieri cenſent, quod ab Apoſtolorum temporibus huc uſque traductum, & obſervatum ſit. Etenim ſolenne & ſimplex votum ejuſdem naturæ eſt: per ſimplex autē nō derimitur per ſe matrimonium antea contractum: ergò nec per ſolenne. Præterea ſi quis in Religione non approbatâ profiteatur, Votum caſtitatis, non habet effectum illum ex naturâ ſuâ. Ergò nec in approbata. Denique quod diſſolvatur matrimoniū Voto Caſtitatis, provenit ex ipſius ſolennitate: hanc verò ex ſola Eccleſiæ conſtitutione habet. *Suarez IV. de Relig. l. 2. c. 7. Leſſ. c. 41. dub. 8. n. 69 Henriq l. xi. c. 8. n. 6. Sanch. l. 2. de matrim. D. 18. Laym. l. 5. tr. 10. par. 3. c. 6. n. 8. Medina. l. 5. de contin. c.* 86. 4. Privat omni dominio bonorum mobilium, & immobilium *c quia ingredientibus 19. q. 3. & c. 9. Si qua mulier ibid.* quod caput ex Jure civili ſumptum eſt. *Auth. de ſanctiſſ. Epiſc. Collat. 9.* Hoc enim paupertatis Evangelicæ perfectio requirit ſecundùm illud *Matth. 19. v. 21.* Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Hinc fit, ut Profeſſus ad dominium bonorum temporalium inhabilis, non tamen incapax reddatur, quia radix dominii eſt natura rationalis. Inhabilitas verò ex duabus cauſis pendet. Una eſt traditio, de qua ſupra *n.* 5. altera eſt Eccleſiæ Conſtitutio, ut *n. eod.* explicavimus 5. Voto paupertatis religioſæ profectus exuitur & privatur omni poteſtate utendi rebus arbitrio ſuo, ſeu abſque dependentia, & voluntate ſuperioris. In hoc enim eſſentialiter religioſa paupertas conſiſtit, ut quis nulla re uti poſſit, vel diſponere de illa, niſi quando, & quomodo viſum fuerit Superiori. Quamobrem omnis donatio, contractus, & obligatio facta ſine conſenſu Prælati irrita eſt, & quicunque eatenus à profeſſis aliquid acceperit, ad reſtitutionem tenetur. *Leſſius c. 41. D. 9. Suarez III. de Relig. l. 8. cap. 15.* 6. Profeſſio tollit omnia vota ſimplicia priùs facta, etiam ſuſcipiendi Ordinem ſtrictiorem, eaque commutat in vota ſolennia Religionis quam vovens actu profitetur *c. Scriptura 4. de Vo. & c. Qui poſt votum 5. de Regularibus in 6.* ubi legimus. Qui poſt votum à ſe de recta religione intranda emiſſum, religionem aliam, laxioremque ingreditur, & profitetur in ipſa, poteſt voto non obſtante priori, cui tanquam ſimplici, per ſecundum ſolenne noſcitur derogatum, manere licitè in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. Idem de piis juramentis dicendum *Layman l. 5. tract. 5. c. 10. Roder. I q. 25. art. 8.* Commutationem illam fieri per veram ſolutionem exiſtimat *Paludanus*, eò quod profeſſio religioſa virtualiter contineat omnes alias obligationes. *V. Suarez III. de Relig. c. 14. Tuſchum in V. Monachus Concl. 314. Barboſ. in c. Scriptura de Voto.* 7. Omnia peccata delet, id eſt, reatum pœnæ peccatis debitæ, ut cum *S. Thoma 22æ. quæſt. 189. art. 3.* plerique docent: ob eamque cauſam à Sanctis Patribus baptiſmo comparatur, ut pluribus exponit *Hier. Platus l. 1. c. 13. Barb. ſ. loc. cit. num. 5.* Etenim religioſa profeſſio eſt quaſi mors quædam, & totius vitæ mutatio, per quam Deo conſecramur: ac proinde conveniens eſt,

eſt, ut pro tam liberali, ac profuſa oblatione Deus viciſſim ſe benignum exhibeat, & omne debitum condonet. *Dico*, conveniens eſſe, quia non omninò certũ eſt, ſed ex mero Dei beneplacito pendet, quemadmodum Suarius benè animadvertit *To*.3. *De Reb.l 6 c.13.* arguens illos, qui ita comparant profeſſionem baptiſmo, ut velint per eam ex opere operato peccata remitti. *Layman.c.* 10. affirmat, remiſſionẽ peccator. certius obtineri per Indulgentiam plenariam. Idem fieri in renovatione Votorum. 8. Profeſſio religioſa tollit irregularitatem, quæ eſt ex defectu natalium. *c.1.de fil.presb & c.1.D.56.* Alias irregularitates iure communi non tollit: tolluntur autem ſpecialibus privilegiis Ordinum. Adde, irregularitatem prædictam ſic tolli, ut tamen non poſſit eligi in Prælatum, nec accipere beneficium habens curam animarum. *Comitolus l.1. Q.* 106.*n.*8. non tolli irregularitates ex delicto docet, & minimè omnium eam, quæ ex homicidio oritur, & bigamia. Contrarium *à Glo. aſſeritur in c ult. de fil presb. V. Barb. in* Prætermiſſis *c. Cùm deputati. De iudiciis Leſſ.*41.*D.8.n.73 Tolet.l.1.c.89.n.73.Tolet.l.1.c.89.nu.2. Filliuc.Tr.20.c.*10.*n.*258. qui annotat, in irregularitatibus facilius cum religioſis, quam laicis diſpenſari, eaque propterà quibuſdam doceri, omnem irregularitatem tolli per religioſam profeſſionem.

9. Per profeſſionem acquiritur ius ad victum, ſeu alimoniam ex communi, aut per portionem privilegiatam, ut quilibet Canonicus habet. *Oſtienſ in c. ſuper ordinata, & Panorm. eo. Layman in defenſ. iuſta p.8.* Quocirca Monaſterium, vel Ordo neceſſaria præbere tenetur, ſive ſanus, ſive ægrotus, utilis, aut inutilis fuerit profeſſus. *Navar. in Comm.* 2. *de Regular. nu.* 65. Imò licet eiectus ſit. *V. Barboſ. in c. ne religioſi. de Regularib.* Idem *Navar. in Com.3. à num.*25. multis probat, non repugnare religioſæ paupertati, ſi detur unicuique religioſo pro victu & amictu vel certa pecunia, vel annua, aut menſtrua portio, quam ſuo commodo, & incommodo abſumat. Imò ſic profiteri licet, ut domi ſuæ religioſus maneat, & ex certa bonorum ſuorum portione vivat. *Barb. in c. Inſinuante qui clerici, vel voventes.*

10. Dubium eſt quo à civili foro liberet profeſſio, videlicet, an Iudex ſæcularis cognoſcere poſſit de crimine ante profeſſionem commiſſo? *Navar. in Comm.2. de Reg.nu.*63. negat ſimpliciter, Iudicem ſæcularem cognoſcere poſſe, aut iudicare de factis ante, vel poſt monachiſmum. *c. Non dubium. de ſent excom. & c.2. de fo. comp.* At *Rodericus to.2.Q.2 ar.3.* benè limitat, niſi crimen ante ingreſſum religionis commiſſum ſit, deque eo apud Iudicem ſæcularem inſtituta quæſtio. Tunc enim quia in fraudem Legis, & conſilio eludendi iuſtitiam præſumitur convolaſſe ad Religionem, non permittitur frui privilegio fori, aliàs Religioſis conceſſo. *V. Bull. Sixti V. Cùm de omnibus. & ad* Romanum *apud Rod l.cit.*

11. Profesſio religioſæ tollit maculam, quoad actus temporales, V.g. ſi quis damnatus eſſet de crimine furti, aut periurii, ita ut ad teſtimonium poſtea in iudicio. & ſimiles actus legitimos admitti poſſit. *Auth de Monachis Coll.* 1. Converſationis monachalis vita ſic eſt honeſta, ut omnem quidem humanam hominis macu-

lam abſtergat. *Glo. Abb & alii in c. Deputati. de iudiciis.* De nota ingratitudinis, propter quam alioquin exhæredari filius poteſt *Novella 123. rela. in c. 19 q. 3. c. ult.* ſpecialiter cautum eſt, aboleri per ingreſſum Religionis & profeſsionem. Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere monachos factos: quamvis dum laici fuerant, in cauſam ingratitudinis inciderint. *V. Covarr. in c. Raynut. Sanchez l. 5. Moral. c. 5 nu. 33. Zerola V. Monachi Par. 2. Layman. l. 5. tr. 5. c. 10. ci. fin.* Conveniens enim videtur, ut prioris delicti macula per ſuſceptionem melioris inſtituti, ſaltem quoad actus temporales deleatur *Argum. Auth. de Monach Glo. in l Deo nobis C. De epiſc. & Clericis.*

Notat *Roder. III. Q. 17 art. 9.* ex conceſsione *Leonis X.* facta Ordini Fratrum Minorum eos, qui graviſsimis delictis infamati, reticendo illa doloſè profeſsionem fecerunt, à domibus & Conventibus expelli, & removeri poſſe, ne morbida pecus ovile corrumpat. Vnde ſequitur, nō quamlibet maculam profeſsione elui.

VII. Quamvis religioſa profeſsio ex parte voventis perpetua ſit, ita ut ſeipſum nemo eximere queat, ex rationabili cauſa tamen à ſummo Pontifice relaxari poteſt. Ita communiter omnes Canoniſtas ſentire teſtis eſt *Navar. c. 12. num. 77.* Ac primo quidem relaxari poſſe Votum Caſtitatis perpetuæ, patet ex *c. Vn. de vo. in 6. & Conſtitut. Greg.* XIII. *Aſcend. domino.* ubi dicitur ſolennitatem voti ab eccleſia introductam eſſe. Vnde neceſſariò ſequitur, ab eadem tolli poſſe. Illa igitur ſublata votum erit ſimplex, cuius diſpenſationem ſummo Pontifici nemo negat. *V. dicta n. V. Superius. Imo Suarez 3. de relig. l. 6. c. 16. n. 9.* docet, quamvis ex jure divino ſolennitas voto Caſtitatis annexa foret, adhuc ſolui, & relaxari poſſe. Nam alia ſunt juris divini præcipientis, alia inſtituentis tantùm. Quamvis ergò inſtitutum iure divino foret, ut per Votum Caſtitatis ſolenne Matrimonium ſoluatur, à Pontifice diſpenſari poſſet. Vt autem dicamus contrarium à Chriſto mandatum eſſe, nihil urget. Accedunt exempla iam pridem factæ diſpenſationis. *Alexander* III. cum Nicolao Iuſtiniano monacho diſpenſavit, ut uxorem duceret; qui ſex filiis, & tribus filiabus ſuſceptis ad monaſterium rediit, & poſtea miraculis claruit. Idem in rege Arragoniæ, & Conſtantiæ, Regis Siciliæ filia factum legimus apud Paludanū, & Platinam. Alexandrum VI. diſpenſaſſe cum Cæſare Diacono Cardinali, ut uxorem duceret filiam Ducis Valentiæ ſcribit *Arnaldus Albertinus.* Noſtris, quoque temporibus *ait Suar. l. cit.* factum eſſe dicitur. Idem confirmant diſpenſationes in matrimonio rato factæ, quas conſtat aliquando indultas eſſe: cuiuſmodi Bullam à Greg. XIII. profectam, & à ſe viſam Suarius teſtatur. Vnde ſequitur multò magis diſpenſari poſſe in Voto ſolenni caſtitatis. Nil mirum igitur, ſi idem Greg. XIII. diſpenſavit cum fratre Cardinalis Ioyoſæ Sacerdote, & profeſſo, ac Provinciali Ordinis Capucinorum, ut matrimonium iniret *teſte Barthol. à S. Fauſto. V. Barboſ. in c. Non eſt. de Voto. & Voti redempt.* Hæc de Caſtitate. In Voto Paupertatis, & Obedientiæ ſimiliter diſpenſari poſſe à fortiori colligimus Fac, neceſſarium eſſe ut ex Monocho fiat Princeps, vel Iudex ſæcularis tum propter reip. ſaluté, tum propter generis ſui conſervationem, nunquid

Obedien-

Obedientiæ vinculo, & paupertatis anguſtijs liberari poterit iuxta illud. *S. Bern. l. De prac. & diſpenſ. c.* 4. Vbi neceſsitas fuerit ad utilitatem eccleſiæ, qui poteſtatem habet, diſpenſet.

VIII. Qui prætendit, ſe per vim, aut metum ingreſſum eſſe Religionem, aut dicit ante ætatem debitam profeſſum eſſe, aut quid ſimile, vultque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere. nō audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſsionis: & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quòd ſi antea habitum ſponte dimiſerit: nullatenus ad allegandū quamcunque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur interim verò nullo ſuæ Religionis privilegio iuvetur. *Concil Tr Seſſ.* 25. *c.* 19. Supereſt modò, ut ſingulorum Votorum obligationes, quantum inſtituti noſtri ratio exigit, declaremus.

§ V.

De Paupertate Religioſa.

QVòd Votū Paupertatis religioſæ attinet, multiplicē obligationē habet *Primò* enim nullius rei dominium obtinere poteſt Profeſſus, ſed rebus omnibus dependenter à voluntate Superioris uti debet. *c. Cùm ad monaſterium de ſtatu Monachor.* ubi *Innoc 3.* Abbati & Conventui Sublacenſi ſcribens. Prohibemus, *ait*, diſtrictè in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione divini iudicii, ne quis Monachorū proprium aliquo modo poſsideat ſed ſi quis aliquid habeat proprii, totū in continenti reſignet. *V. § prac. n.* 6. *Perez in Reg. S. Bened c.* 33.

Secundò, nihil dare, donare aut alienare poteſt abſq; conſenſu Superioris: & quicquid ſecùs egerit, irritum eſt. Pari modo, ſi procurator vel Curator conſtitutus ſit, nihil arbitratu ſuo diſponere ei licet. *c. Non dicatis* 12. *q.* 1.

Tertiò ex iis, quæ cum facultate ad uſum ſuum habet, non poteſt quicquam mutuò vel commodatò dare. In rebus parvis tamen, & crebrò occurrentibus cenſetur eſſe facultas tacita, & generalis ſaltem ad breve tempus. *Az.* 1. *l.* 12 *c.* 12. *q* 4.

Quartò ab extraneis & domeſticis abſque conſenſu Superioris rem nullam accipere poteſt, uti nec retinere. Si quid alicui, *ait Innoc. l cit.* fuerit ſpecialiter deſtinatū, non præſumat illud accipere ſed Abbati, vel Priori, vel Cellario detur.

Quintò. Si quid ex domo eſculenti, poculenti aut cuiuſcunque alterius rei uſurparit, invito Superiore, furtum committit pro rei menſura parvum, aut magnum. *Az. l. cit q.* 6.

Sextò, Non debet celare, vel abſcondere quicquam ne à Superiore deprehendatur Illud enim cōmuniter exiſtimatur ſignū proprietatis eſſe. *c Super quodam. & c. Cùm ad monaſteriū de ſtatu* Monach. ubi DD. notant proprium dici, quicquid celas Prælato, vel contrà ipſius voluntatem tenes. Verum hic notat *Rodericus tom.* 3. *q.* 19 *art.* 10. duobus modis à Religioſo occultari rē ſine facultate acceptam 1. ne illa ſpolietur. 2. Ne à Superiore deprehenſus reprehendatur, cui tamē relinquere paratus eſt ſi auferre velit. Priori modo peccare mortaliter, poſteriore non item. Addit quoque à gravi peccato excuſari, ſi res exigua ſit. Quæ verò talis cenſeri debeat, non

Digitized by Google

non eſt facile determinare. Illa cenſeri poteſt, quæ non adæquat aurei valorem. Notat præterea *Rodericus* ſi Superior rogatus concedere nolit, res ad uſum vitæ neceſſarias, puta cibum, veſtem, medicinam, & ſimilia, abſque peccato ſumi, & retineri poſſe, quia ſic negando Superior non agit, ut fidelem diſpenſatorem decet, adeoque ſuo ſeipſum iure ſpoliat, ne ipſi obediatur. *Cardinalis Lugo de iuſt Diſp.* 3. *Sect.* 8. *nu.* 156. prædictam abſconſionem duobus aliis modis excuſat. *Primò* ſi per accidens occultetur Prælato, quia intendo ſolum alios celare. Vnde conſequitur, ut etiam Superiorem lateat. *Secundò*, ſi res à Superiore mediato accepta ſit, & occultes, ne inventa offendat Superiorem immediatum, qui fortè urgebat, ut data facultas revocetur.

Septimò, ea quæ cum facultate habet, non licet expendere in res vanas, & ſuperfluas, neque ad id licentiam dare Superioribus licet. Nam benefactores non alio, quàm neceſsitatis intuitu bona ſua donarunt, & Canones obſtant. *Clem. in agro. de ſtatu* Mon. *Barb. de poteſt. epiſc.* P. 3. *allegat.* 103. Iam de veſtibus nigrorum monachorum Clemens V. præcipit, ne in qualitate panni regularis excedatur modeſtia, nec quæratur, quod pretioſius, & ſubtilius, ſed quod utilius poteſt reperiri. *Item.* Nullus Zonam, cultellum, calcaria cum ornatu deferre, aut cum ſella clavorum ornatu decorata ſuperfluo equitare præſumat. *Ita Clem.* Notat præterea *Cardinalis* Lugo *de iuſt. D.* 3. *Sect.* 7. *n.* 131. Religioſum habentem ſuperflua cum conſenſu Superioris, peccare nihilominus cõtra Votum paupertatis, non quidẽ propter defectum licentiæ, ſed quia Votum illud non ſolùm eſt de non utendo abſque licentia, ſed etiam de conſervando ſtatu Paupertatis, & non faciendis ſumptibus, qui pauperibus non conveniunt.

Octavò illam diligentiam in rebus conſervandis adhibere debet, quam Vſuarius, qui precariò utitur re aliqua. Hinc ſi per negligentiam vel latam culpam ipſius aliquid pereat, vel deterius fiat, contra iuſtitiam, & Votum peccabit. Si res conceſſa ſit in commodum proprium, etiam ex culpa levi videtur teneri, ſicut de commodato paſſim dicitur *iuxta l in rebus. V. Hoc itaque ff. Commodati, &c. Vn de Cõmodato, ubi Greg.* IX. Cùm gratia ſui tantùm quis commodatum accepit, de leviſſima etiam culpa tenetur.

Nonò. Cavendum eſt religioſo, ne ſuperflua habeat, ſaltem in notabili quantitate, quæ religioſam modeſtiam excedãt. In Clementina ſuperius citata omnis ornatus, & cultus exquiſitus in veſtibus, cibo, potu, lecto, & equitatione interdicitur. Non erit tamen proprietarius, qui talia arbitrio Superiori relinquere paratus eſt.

Decimò. Hæc quamvis ita ſe habeant, non tamen facilè damnandi ſunt Religioſi, apud quos contrarium apparet, 1. quia in nonnullis Ordinibus, & monaſteriis conſuetudo obtinuit, & facultas generalis circa ea, quæ neceſſaria videntur. 2. quia *ἐπιείκεια* & interpretativa licentia locum habet, maximè quando Superior abſens eſt, vel aliæ circumſtantiæ dictant hic, & nunc non opus eſſe ad Superiorem recurſu. Crediderim, ait Leſsius cap. 41. Dub. 9. n. 79. non eſſe peccatum mortale, quando ſciret, vel bona fide putaret inferior, cum erga ſe eſſe Superioris animum, ut libea-

Digitized by Google

ut libentèr eſſet conceſſurus, ſi ſciret, ipſû tali re indigere, vel tale quid deſiderare. Tunc enim cenſetur habere ex Superioris voluntate ſaltem virtuali, quæ in affectu illo latet. De quo *V. Card. Lugo de Iuſt Diſp.3.Sect.3.Sect.7.ubi n.128.* monet, rem acceptam ex præſumptâ Superioris voluntate Prælato poſtea manifeſtandam eſſe, quia licentia non tantùm requiritur ad accipiendum, ſed etiam ad retinendum. Idem dicendum eſt de re data alteri vel donata, quia eius dominium non transfertur in accipientem, quamdiu non conſtat de Prælati conſenſu. *Rodriq. loc. cit.*

Vndecimò bona profeſſi, de quibus ante profeſſionem non diſpoſuit, iure communi ad monaſterium tranſeunt, modò ſucceſſionis, & dominii capax ſit. Ita decernitur *Novella* 5. *quæ eſt de Monachis c. 5. Auth. ſi qua mulier de ſacros. eccleſ & c. 9. ſi qua mulier. 19. Q. 3 c. 7. Quia ingredientibus. 19. q. 3.* Cauſæ plures ſunt. 1. ut qui ſe Deo conſecrat, bona etiam externa addat. 2. ne videatur ingratus Ordini, à quo ſuſceptus eſt, & tota vita nutriendus. 3. Cùm pauperibus erogare debeat, optimè facit, præferendo eos, cum quibus vivere elegit. 4. denique ut eatenus DEO ſervientium numerus augeatur. *Tanner. 22. D. 6. p. 3. nu* 190. Dixi *Modo ſucceſſionis capax ſit*, cuiuſmodi ferè omnia, exceptis Domibus, & Collegiis Societ. IESU, Minorum de Obſervantia, & Capuccinorum. In his igitur ſi ante profeſſionem nulla bonorum diſtributio facta fuerit, ad hæredes ab inteſtato devoluuntur, non ſecùs, ac ſi morte naturali defunctus eſſet. Si autem teſtamento diſpoſuit in hæredes non neceſſarios, puta fratres, aut cognatos, Monaſterium illis fruetur uſque ad mortem naturalem profeſſi: ſi autem inſtituti hæredes ante teſtatorem moriantur, bona omnia monaſterio accedunt, niſi alia mens teſtatoris fuerit. Denique ſi abſque diſpoſitione, aut teſtamento profeſſionem edidit, poſt profeſſionem diſtribuere liberis ſuis bona poterit, non quòd adhuc illorum dominus ſit, ſed quia adminiſtrationem illi iura permittunt. *Auth ſi qua mulier* C. *de ſacroſan. eccl* Quid ſi non habeat liberos aut nepotes, ſed patrem matrem, aviã vel avium? Iure communi illis legitima debetur, niſi aliud conſuetudo loci ſuadeat Nec obſtat, quòd Monaſterium loco hæredis ſit. Hoc enim in effectibus iure expreſſis tantùm obtinet. *V. Suar.* III. *de relig l. 8 c 16 num. 2. Tanner. l. cit. num.* 194. *Iacob. de Graff l 3. par. 2. c. 27. n. 18.*

Duodecimò, Religioſus profeſſus quicquid acquirit ſive per hæreditatem, ſive per induſtriam, ſive per eleemoſynam Monaſterio vel Ordini acquirit *c. 16. Abbates* 18. *q.* 2. Nec mireris, quod dixi *per hæreditatem*. Nam ut ex *c. Non liceat* 19. *Q. 3* colligitur, quamvis ipſe per profeſſionem inhabilis ad dominium fiat, in hæreditatem nihilominus ſuccedit dominio rerum in Monaſterium tranſlato: nec poſſunt parentes illum legitima ſua privare *l. De nobis. §. hoc etiam. De Epiſ. & cler.*

Excipe Religioſos qui beneficia poſſident, ut ſi Abbates Priores, Parochi vel Epiſcopi ſint. Hi enim cum extra monaſterium aut Ordinem ſuum beneficium aliquod obtinent, non monaſterio vel Ordini, ſed beneficio vel eccleſiæ acquirunt *v. Statutum* 18. *Q. 1.* ubi diſertis

verbis dicitur Monachus poſtquã epiſcopus ordinatur, ad altare, ad quod ſanctiſi catur & titulatur, ſecundũ ſacros canones, quod acquirere poterit, reſtituat. Ex quibus verbis colligũt paſſim Interpretes Regularẽ epiſcopũ poſſe recipere & retinere, quod ei legato, donatione, aliove modo datũ ſit, recipere, inquã, & retinere, quaſi regularis nõ eſſet, receptũ verò ſibi acquirere nõ poſſe, aut in dominiũ ſuũ trãsferre, ſed in dominiũ eccleſiæ, cui epiſcopus præfectus eſt. *S. Th* 22. *q.* 188. *a.* 8. *Soto l.* 10. *de inſt. Q ult. Dub.* 7. *Nav. Com.* 2. *de Reg. Az.* 1. *l.* 12. *c.* 9. *& ſeq. Suar.* 1*V. de* Relig. *l.* 5. *c.* 16. *Leſſ. c.* 41. *D.* 8. *Laym. l.* 5 *tr.* 5. *c.* 7. *Barb. in Prætermiſſis in c. Statutũ* 18. *Q.* 1. *Silv. V.* Relig. *Q.* 7. *Rodriq. To.* 2. *Q.* 48. *To* 3. *Q.* 29. *Sanchez l.* 7. *Mor c.* 19. *Valent. to.* 3. *D.* 10. *Q.* 4. *Caramuel in Reg. S. Bened n* 8. 5. *& ſeqq. Tuſchus V. Monachus. Valentia To.* 3. *D.* 10 *Q.* 4. *Pun.* 3. *Anton. Perez in Reg. S. Bened. c.* 33. *n.* 55. ubi Monachũ inſula epiſcopali donatũ Vſufructuario ſupparẽ facit.

§. VI.

Satisfit Dubiis.

DVB. 1. Quidnam dicatur Proprium apud Regulares?

R. Illo nomine cõprehendi *Primò* dominiũ & proprietatẽ rei: *Deinde* uſumfructũ, uſũ ſimplicẽ, poſſeſsionẽ, & adminiſtrationẽ, quatenus hæc nõ facti, ſed iuris ſunt, ſeu quatenus ſignificant ius aliquod ab alterius voluntate ſeparatũ, & indepẽdens. Porrò *Dominiũ* eſt jus liberè & perfectè ſtatuendi de re corporali, niſi lege prohibearis. *Vſusfructus* eſt jus, quo quis poteſt fructus rei impẽdere arbitratu ſuo, ...uta, vẽdere, donare, locare. *Vſus ſimplex*, quo ...in propriũ commodũ licet uti fructibus rei ...ulva ſubſtantia. *Poſſeſsio* eſt jus inſiſtendi rei corporali, à qua poſſidẽda nõ prohibemur. Adminiſtratio dicitur jus, quo quis poteſt apud iudices agere, & cõvenire alium de re aliqua, & de ea ſtatuere extra iudicium, ita ut ſit libera, & legitima poteſtas agẽdi. Horũ aliquid quicunq; religioſus ſibi vendicat independenter à voluntate Superioris, vocatur *proprietarius* cõmunione fratrũ, & ſepulturã privandus. *Silv.* Religio vi. *n.* 7. *Perez in Reg. S. Bened. c.* 33. *n.* 17. *Az.* 1. *l.* 12. *c.* 12 *Lud. ponte* 3. *Tr.* 6. *c.* 6. *Tritbem.* 1. *de prop. Monach. c* 4. *Sanch. l.* 7. *c.* 18. *n.* 25. Dub. 2. An Superior religioſis ſibi ſubiectis facultatem dare poſſit ad res ſuperfluas, & profanas?

R. nõ poſſe, quia non eſt dominus, ſed adminiſtrator, cuius officiũ requirit prudentiã & fidelitatẽ cũ reſpectu ad obſervantiã regulæ. Nec de hoc ulla dubitandi ratio eſt. *c. Fratern. De donat.* Illud autem controvertitur, An eiuſmodi licẽtia ſi detur, valida ſit? ita ut ſi Religioſus pecunia ſibi cõceſſa utatur ad cõparandas res ſuo ſtatui inconvenientes, contractus initi valeant, & qui acceperint ab illo pretiũ, reſtituere teneantur? Nõ ſẽper invalidos eſſe tales cõtractus, aſſerit *Card. Lugo de Iuſt. D.* 3 *ſect.* 7. *n* 137. & ſenſũ hunc eſſe Communẽ Doctorũ. Quis enim audeat dicere, ſi religioſus emat protioſas, imagines, vel ſuppellectilem religioſæ modeſtiæ minùs congruã, emptionẽ & venditionẽ invalidã eſſe, & venditorẽ ad reſtituendũ preciũ teneri? Non repugnat enim cũ contractu valido miſceri malitiã aliquã, non paupertati, ſed temperantiæ contrariã, ut ſi emat Religioſus pecunia ſibi conceſſa cibũ aut vinũ valetudini noxiũ, peccabit utiq; cõtra temperantiã, non autẽ contra Votum paupertatis, quia pecuniã cum licentia habet.

Digitized by Google

bet. Si tamen contractus fieret cũ notabili damno Monaſterii in quem præſumitur Prælatũ minimè cõſenſurũ, irritari poſſet, & repeti pretiũ. Addit *Lugo*, ſi Superior licentiã det in genere ad quemlibet uſũ, nõ excludi ab ea generalitate uſũ turpẽ, & illicitũ, quemadmodum in ſimili, cui datur facultas in quadrageſima comedẽdi lacticinia, nõ cenſentur excludi illa, quæ furto ſublata ſunt. Hæc enim ſi comederit Religioſus, licet à peccato iniuſtitiæ immunis non ſit, non peccat tamen contra legem Eccleſiæ. *Ita ille.*

DVB. 3. An Superior de facto excludere cẽſeatur uſus illicitos, quando dat licentiã generalẽ expendendi pecuniam ad quoslibet uſus?

R. affirm. ex communi Doctorum opinione. Non enim poteſt abſque peccato licentiã dare pro illicitis; ac proinde præſumitur nolle. Deinde nemo ſolet nec poteſt talem licentiã petere. Ponamus autẽ fieri, *inquit*, & in turpes uſus pecuniã expendi, an qui acceperunt, ad reſtitutionẽ obligati ſunt? Communiter affirmant *DD*. At *Cardin. Lugo l. cit. n.* 142. Suſtinet probabiliter, non teneri ad reſtitutionem, quando Superior plenã & liberã facultatẽ dedit expendendi pecuniã pro libitu, quia in aliis materiis licentia generaliter conceſſa nõ cenſetur limitari ad ſolos uſus licitos, ſed aufert malitiã & impedimentum, ne peccetur contra Votũ paupertatis, quamvis cõtra aliã virtutẽ delinquas, puta temperantiã, vel iuſtitiã. Addit pro praxi, ſæpè excuſari poſſe ab onere reſtituendi etiã in contraria ſentẽtia: quamvis enim ab initio donatio invalida fuiſſet, nunc tamen, idẽ qui dedit, mutato animo aliunde habens licentiã, ad uſus licitos, poteſt illud donare fœminæ (Scorto) quia pauper eſt, aut ob aliã causã honeſtã, pro qua ſufficientẽ habet facultatẽ. *Sanch. l. 5. Mor. c. 19. n. 18. & ſeq. V. Suar. 3 de relig. l. 8. c. 15. n. 11. Rebell. Pa 2. l. 2. p. 4. Sect. 2. Rodriq. Tom 3. Q. 29. a. 11*

DVB. 4 An Superior poſſit dare ſubditis pecuniam ad ludendum?

R. poſſe ad ludum honeſtum, niſi obſtet Regula, vel conſuetudo Ordinis in modica quantitate. Nam religioſus, qui in ſtudiis alitur, ex communi opinione inhoneſtum recreationem de 100. florenis exponere poteſt ſpatio unius anni quatuor, aut quinque florenos. Cur non etiam in ludum honeſtum? cùm hic ſpes ſit augendi peculium, quod in aliis recreationibus non contingit. Quòd ſi abſque licentia luſit, vel ultra quotam præſcriptam lucratus fuerit, exiſtimant aliqui lucrum illud à Religioſo reſtituendum eſſe, eò quòd tantundem ſi perdidiſſet, adverſa pars reſtituere debeat. Verùm Lugo, & alii negant, eò, quòd in utilitatem Monaſterii permittatur lucrum ex negotiatione etiam prohibita, cur non ſimiliter in ludo? *Sanch. l. 5. Mor. c. 19. n. 76. & ſeq. Barb. de poteſt. Episc. Par. 3. Allegat. 103. p. 480. Rodriq. To. 2. Q. 35. Sayrus l. 11. c. 12.*

Dub. 5. An quicquid pretio æſtimabile eſt, & vẽdi poteſt, Voto paupertatis prohibeatur Religioſis. R. Illa tantùm prohiberi quæ corporalia ſunt, & divitem facere poſſunt, quo in numero non cenſentur Spiritualia, cuiuſmodi eſt ſcientia. Nam pretio vendi poteſt lectio, doctrina, comœdia, Muſica, quæ ſi gratis offerantur alicui religioſo, & nihil obſtet, admittere poteſt abſque licentia Superioris; quemadmodum obſequia quoque, qualia à benevolis præſtari ſolent. *Lugo de Iuſt. D. 3. ſect. 8. n. 147. Anton. Perez in Reg. S. Bened. c. 33. n. 80.*

DVB. 6. An contra Votum paupertatis peccet, qui abſque licentia imaginem alicui ſæculari pingit, vel Codicem deſcribit pretio æſtimabilem? Rñt. aliqui peccare, quia talis picturæ dominium Monaſterio accedit, à quo tolli ſine licentia non debet. At *Card. Lugo* diſtinguit, non peccare videlicet, ſi ex primaria intentione fiat ad petitionem alicuius ſæcularis; ſecus autem, ſi cum intentione dandi picturam tali perſonæ. Sicut enim religioſo licet obſequium admittere ab homine ſæculari oblatum, ita præſtare eidem. Sic enim ipſi Religioſo nihil acquiritur, ſed dominium trãſit in hominem ſæcularem. Hinc ſequitur, qui literas dat, vel accipit ſine facultate, licet in Regulam peccat, contra Paupertatem tamen nihil agit, niſi auro pictæ literæ eſſent, vel aliam ob cauſam pretioſæ. *Sanch. l. 7. Mor. c. 19. n. 47. Card. Lugo l. cit. Caramuel in Reg. S. Bened. n. 870.*

DVB. 7. Petrus Religioſus à cognato ſuo petit, ut certã pecuniã deponat apud

 Caium,

Digitized by Google

Caium, dominio illius ſibi retento: à quo poſtea cum licentia Superioris ſui Petrus accipiat, eſtne hoc contra Votum paupertatis?

Reſpondent aliqui, non eſſe, etiam quando cognatus deponeret eo animo, ut dominium illius Petrus habeat. Nam in tali caſu nihil iuris aut dominij à Religioſo acquiritur. Modus tamen cupiditatem inordinatam, & verſutiam ſapit: ac proinde vix excuſari poteſt ab omni culpa, præſertim ſi Regula præcipiat, ne quis apud ſe, vel alium pecuniam habeat. Vnde *Sanchez l 7.c.19 n.49* benè monet, adverſari ſaltem perfectioni religioſæ paupertatis. Addere poterat, & aliarum virtutum. *Bonav. in expoſ.* Reg. *Min. c. 4. Diana Par.* 1. *Tr.* 6. R*eſol.* 43.

DVB. 8. An Religioſus peccet contra Paupertatem, qui cùm pecuniam haberet ex licentia Superioris, eo tamen inſcio libros emit, eóſq; inter reliquos palàm exponit. Negare *Azoriū* 1. *L.12 c.* 12. *ſcribit. Card. Lugo*, ideoque reprehendit, ſed malè. *Azor* enim non loquitur de Religioſo, qui ſine facultate pecuniam accipit, & libros emit. Deinde cum diſtinctione reſpondet. Si religioſus abſque facultate expreſſa, vel tacita utatur libris à ſe emptis peccare: non verò ſi utatur illis cū aliquali facultate. Extra dubium igitur eſt, ſi & pecuniam abſque licentia acquirat, & libros, contra paupertatem agere: ſi verò ex conſuetudine Ordinis, & modo agendi iudicare poteſt, Prælatum non eſſe invitū, niſi fortè quoad modum, à peccato excuſari poterit. *Sanchez l.7.c.19.n.56. Caramuel in Reg. S. Bened. n 886.*

DVB 9. Quid dicendum de illo, qui ex communi bibliotheca libros ſine facultate accipit, eoſque palàm expoſitos ſervat?

Azor l.12. c. 12. à peccato contra Paupertatem excuſat, ſi tacitus ſaltem Prælati conſenſus ſit. Card. Lugo diſtinguit inter libros valdè neceſſarios aliis, & non valdè neceſſarios. Illos ſi uſurpet aliquis ſibi ſine licētia, vix excuſari poſſe à gravi peccato contra Paupertatem: idque magis, ſi ex cubiculo alterius clam accipiat: fore item contra iuſtitiam aliquando, maximè ſi Manuſcripta alicui ſurripiat, & tranſcribat. Verùm hîc attendenda eſt conſuetudo Ordinis, vel monaſterii: an ſoleant permitti ad tempus libri, an ſecùs. Conſiderandum præterea damnum, quod alii patiuntur carendo libris ablatis. Deniq; perturbatio & offenſa, quæ inde naſci poteſt. His conſideratis patebit, non tam contra iuſtitiam, quàm charitatem peccari. Illud extra controverſiam eſſe debet, contra paupertatem agere, qui libris abutuntur, maculant, lacerant, vel perire ſinunt. Vſus enim rerum omnium apud religioſos debet eſſe moderatus. Quod de libris, etiam aliis utenſilibus intelligi debet. Nam ſi religioſus aliunde non prohibitus ex communi loco auferat in uſus ſuos inſtrumentum aliquod, puta, cultrum, Securim, aut ſimile quid, relaturus brevi, non cenſetur contra paupertatem agere, quia nemo Superior exigere prudenter poteſt, ut in eiuſmodi quotidianis caſibus ad ſe recurratur. Sed peccato nō vacat, talia inſtrumenta occulere, vel diutius retinere cum aliorum offenſa, & Monaſterii damno. *Suar. 3. de Rel. l.8.c.15. Alph. Rodriq. de Exerc. perf. rel. Pa.3 tr.3.c.10. Leſſ.c. 41. D.9.n 78.*

DVB. 10. An qui habet licentiam generalem dandi & accipiendi, virtute illius licentiæ poſſit aliquid emere, quandoquidem

quidem in rigore emptio non eſt donatio, vel acceptio.

Reſp. *Lugo diſp. 3. Seſſ. 8. n. 159.* probabile eſſe, quòd poſſit. Nam cui aliquid facere abſolutè permittitur, illi conceditur à fortiori, ut poſſit illud cum limitatione, vel conditione facere, niſi peculiaris ratio obſtet. Vendere autem nihil aliud videtur eſſe, quàm dare rem non ſimpliciter, ſed ſub conditione pretii reddendi. Deinde verbum dandi nō debet ita ſtrictè accipi, ut tantùm ſignificet dare gratis, cùm ex ſe indifferens ſit ad dationem non gratuitam. Sic enim admittuntur contractus aliqui oneroſi, in quibus *Do, ut des*, verbum dandi non poteſt ſignificare dationem merè gratuitam. Eſt tamen illud notatu dignum, hoc non habere locum in omni materiâ & venditiona. Nam & negotiatio religioſis prohibetur, & in quibuſdam ſpecialis turpitudo apparet; ut ſi velles imagines, medalia, cruces, & ſimilia, pro quibus donandis conceſſa facultas eſt, pretio divendere. Curandum quoque, ut intentio pura ſit. *Filliuc. Tract. 34. c. 3.*

Dub. 11. Titius habet generalem facultatem dandi omnibus ejuſdem Monaſterii fratribus, nunquid ab illo accipere poſſunt non petitâ licentiâ accipiendi?

Reſp. *Sanchez l. 7. c. 19. n. 73.* non poſſe, ſed requiri licentiam accipiendi, quia facultas dandi in uno non aufert impedimentum accipiendi in alio, niſi ex conjecturis probabiliter contrarium colligatur. Alii abſolutè & generaliter putant ſufficere, ita ut ſi unus habeat licentiam dandi, omnes alii habeant licentiam accipiendi: & ſi quis habeat licentiam accipiendi, alius habeat licentiam dandi. Verùm hæc laxitas meritò diſplicet Cardinali Lugo propter non leves difficultates, additque duo ſibi certa videri. *Primum eſt*, in rigore juris duas facultates requiri unam in accipiente, alteram in dante, & quidem ſeparabiles. *Alterum*, poſſe ſuperiorem ita concedere facultatem dandi, ut rel qui omnes ſimul habeant poteſtatem accipiendi. Dubium verò eſſe, an de facto cenſeatur Superior ita concedere facultatem dandi; rogatum à ſe R. P. N. Mutium Generalem reſpondiſſe, videri ſibi de facto eam eſſe Superiorum mentem, ut datâ ſubdito licentiâ dandi, vel accipiendi poſſint alii ab eo accipere, vel dare: dummodò nihil in fraudem fiat, ſed bona fide procedatur. Sic in praxi v. g. Sartor habet generalem facultatem dandi veſtes pro hyeme, Sutor crepidas, & nec eorum aliquis, qui indiget, licentiam petere ſolet. In eſculentis tamen & poculentis locum non habet. Nam licet diſpenſator generalem facultatem dandi habeat, nemini tamen ab eo petere, vel accipere licet, niſi petita prius, & obtenta venia. Fieri tamen etiam oppoſitum poteſt, ſi expedire Superiori videatur. Sed ad indulgendum difficiles reddit quorundam levitas, qui modū excedūt. *Licentiâ enim omnes deteriores ſimus.*

Dub. 12. Quomodo contra paupertatem ſint eleemoſynæ à Religioſis expenſæ? Certa ſunt iſta. 1. Prælatus tenetur eleemoſynam dare de ſuperfluis Monaſterii imò etiam de non ſuperfluis cum debita moderatione. 2 Idem poſſunt, & debent Procuratores manendo intra limites poteſtatis ſuæ. 3 Religioſi privati ad idem tenentur, cùm proximus in extrema neceſſitate eſt, vel in gravi, & non

Digitized by Google

datur ad ſuperiorem acceſſus. 4. Qui extra Monaſterium ſtudiorum causâ vivunt, poſſunt moderatas eleemoſynas facere: quin etiam donare ſubinde aliquid maximè, ſi ex aſſignatâ ſibi quotâ comparſerit edendo, & bibendo minus ſolito. De menſurâ, & quantitate neque Prælatis neque ſubditis certi aliquid præſcribi poteſt. Tobiæ ſenioris præceptum valeat. Quo modo potueris, eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, multum tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguũ libenter impertiri ſtude. *Azor. II. l. 12. c. 10. Silv. V. Eleemoſyna n. 7. Armilla eod. num. 5. Sanch. l. 7. Mor. c. 19. n. 91. Alv. Pelag. l. 2. art. 46. Bannez. in 22. q. 32. art. 8. Roder. II. quaſt. 58. art. 2.*

Dub. 13. An munerum largitio Regularibus prohibita ſit?

Reſp. Prohibitam eſſe omnibus abſolutè, non profeſſis modò, ſed Novitiis quoque, excepto Ordine equitum Jeroſolymitanorum, quia ex ſpeciali diſpoſitione illis non convenit talis reſtrictio. *Clem. VIII. Conſt. 28 Religioſa Congreg. Cherubinus in Bullario to 3. pag. 40. At noviſſimè Vrbanus VIII. in ſuâ Conſt. nuper. die. 6. oct. Anno* 1249 declarat Clemen. VIII. Conſtitutionem, ut donare poſſint. Regulares utriuſque ſexus, causâ gratitudinis, conciliationis benevolentiæ erga Ordinem vel Conventum: aliiſque cauſis ex naturâ ſuâ actum virtutis, & meriti continentibus, modeſtè tamen & diſcretè, & cum licentiâ Superiorum localium, vel etiam majoris partis de Capitulo aut Conventu. *Diana par 1. tract. 6. V. Collect. Deciſion. Apoſt. Barboſa n. 520. pag. 369. Roder. II. q. 48. art. 3. Filliuc. tr. 34. c. 3. Leſſ. c. 18. n. 83. Nigronum in Reg 9. Comm. Nemo rem ullam.*

Dub. 14. Quid dicendum de furtis Regularium circa bona Ordinis Monaſterii, aut Conventus facta?

Reſp. Hæc quinque probabiliter dici poſſunt, ex communiore DD. ſenſu.

I. Regulares in materia hac rerum ablatarum neque ut ſervi, neque ut filii per omnia habendi ſunt. Non ut ſervi, quia Ordinis membra ſunt, & jus habent utendi bonis Monaſterii juxta conſetudinem, & regulam. Non omninò ut filii, quia neque hæredes eſſe poſſunt, neque ullius dominii ſpem habere. Præterea ſi quid ex bonis paternis furetur filius, damni illati tantum ratio habetur: in religioſis inſuper ad diſciplinæ religioſæ violationem & ſatisfactionem attenditur. *Diana par. 1. tract. 6. reſol. 36.*

II. Quæ in extraneis & ſæcularibus quantitas ad peccatum mortale ſufficit, multorum judicio cenſetur etiam in Religioſo ſufficere, aliqui tamen majorem requirunt. Tum quia Religioſus quaſi filiusfam. eſt, tum quia damnum illatum facilius compenſare poteſt induſtria ſua, tum deniq; quia Prælatus ſæpè non tam circa ſubſtantiam rei, quàm modum invitus eſt. *Diana l. cit. Ledeſma. Cened. Suarez. III. de relig l. 8. c. 11 n. 41*

III. Etſi quoad culpam difficile eſt determinare quantitatem, *Rodericus tamen to. IV c 118. n. 27.* tunc eſſe peccatum mortale contra Votum paupertatis definit quando res ablata æquivalet duobus aureis: quam ſententiam alii plures amplectuntur. In Societate noſtra, quod ſuperat unius aurei valorem, ad peccatum furti, & contra Votum Paupertatis ſufficere non dubitatur, cùm etiam minor ſufficere poſſit, habita ratione damni. *V. Suarez*

Digitized by Google

Suarez Tom. III de relig. l. 8 c. 6. n. 8. Leſſ. c. 12. dub. 6. Azor. III. l. 5. c. 13. Reginald. l. 23. q. 4. n. 18. Caramuel. in Reg. S. Bened. diſp. 63.

IV. In eſculentis & poculentis ſicut magna varietas eſt, ita varie judicandum attenta locorum inopia, vel abundantia. Si rarum, & pretioſum eſt, ut ea, quæ ſaccaro condiuntur, facilior in gravem culpam lapſus erit: in iis verò, quæ ad uſum quotidianum ordinantur, nō facilè damnandus, qui panem, cereviſiam, & ſimilia abſumit. Similiter, ſi ab extranea capiatur, quod uno actu abſumi poteſt, non continuò crimen reputabitur, quia Superioribus non tam res ipſa, quàm modus, & inordinata cupiditas diſplicet, & bilem movet. *Layman l. 4. tract. 5. c. 7. num. 4.*

V. Qui per intervalla repetitis vicibus modicum accipit, ex pecunia v. g. unum aſſem vicies, aut tricies, tandem completa ſumma notabili peccaturum mortaliter exiſtimat. *Sanch. l. 7. Moral. c. 21. n. 2. 3.* eo modo, quo quilibet ſæcularis, ſi modica furta iteratò committeret. At *Card. Lugo D. 3. Sect. 8. n. 181.* rarò contingere cenſet, quod in Religioſo, qui non ex induſtria capit modicum quid animo perveniendi ad aliquid magnū, perveniatur per multa modica ad peccatum grave contra Votū Paupertatis: quod à poſteriori conſtat ex ſenſu Prælatorum, qui nunquam graviter offenduntur, & puniunt, ut proprietarios, qui modicis contra Paupertatem peccant. At, inquis, parva iſta coaleſcunt in unum, ita ut tandem fiat maſſa, quæ videatur ad grave & mortale peccatum ſufficere. Negat Lugo in unum coaleſcere, quia damnum modicum eſt, nec ullus religioſus intendit graviter lædere communitatem, maximè, ſi modica furta confiteatur, cum propoſito in futurum abſtinendi. *Ferdinandez exam. par. 1. c. 6. §. 2. num. 12.*

DUB. 15. An religioſus poſſit eſſe teſtamenti executor, fidejuſſor, aut tutor?

Reſp. Non poſſe: ſi tamen ejuſmodi curam ſuſceperit, rata erunt acta ipſius. Non poſſe abſque licentia Prælati ſuſcipere manifeſtum eſt, quia non habet *velle & nolle c. ſi relig. de elect. in 6 & c. 2 de teſtam. eod.* Rata nihilominus erunt acta ipſius, quia Jura non irritant, ſed agnoſcunt, & acceptant. *S. Tho opuſc 19. c. 15. Cajet. in 22. q. 187. art. 2. Valent. Tom. III. D. 10. q. 5. pun. 1. Roſell. V: Religio 1. n. 7. Sanch. l. 6. Moral. c. 11. num. 2.*

DUB. 16. An ſi profeſſus aliquis in Epiſcopum eligatur, maneat Voto Paupertatis obſtrictus?

Reſp. *Diana in parte 3. tr. 2. reſol. 50. & par 5. tr. 2. reſol. 64. & ſeqq.* Religioſus factus Epiſcopus vel Cardinalis eximitur à paupertatis Voto, fitq; verus dominus redituum Eccleſiaſticorum, & de illis poteſt teſtari: imò renunciationem legitimæ ſuæ factam ante profeſſionem ſervata Conc. Tr. forma poteſt revocare. Eximitur item ab aliis votis, quæ præter tria ſubſtantialia emittuntur in quibuſdam ordinibus. Unde *Minimi* à voto vitæ quadrageſimales abſolvuntur. Neque tenetur ad obſervantiam regularem, niſi ex quadam honeſtate. Neque ſi omittat habitum ſuæ Religionis, incurrit excommunicationem Ita ferè *Diana ſecutus Vaſqueſ. 12. q. 96 art. 4. & quinque alios DD. Sanch. etiam l. 6 c. 6. n. 7.* multis eam opinionem placuiſſe teſtatur. Quibus favet *c. ſtatut. 18. q. 1.* ubi dicitur, Monachū, cùm eligi-

Digitized by Google

eligitur in Epiſcopum à jugo regularis obſervantiæ abſolvi. *Et Gloſſ. ibid.* non manere filium ordinis agnoſcit. Accedit *Ratio*. quia Epiſcopus effectus ab ordine ſuo extrahitur, ac ſeparatur, neque tenetur obedire Prælato amplius: neque ab illo dependet in acquiſitione, & tractatione bonorum temporalium. Imò nomen quoque amittit, ut jam non dicatur ex.g. Monachus S. Benedicti, S. Dominici, S. Franciſci & ſimil. *V. Fernandez exa pag.* 68. *Layman. l.* 4 *tract.* 5 *c.* 7. *n.* 17. Nihilominus multo plures ſecuti *S. Thom.* 22æ. *q.* 185. *art.* 8. Regularem Epiſcopum docent minimè abſolvi à votis ſubſtantialibus, & profeſſione ſua, iiſque obſervantiis, quæ non impediunt munus Epiſcopale, neque dedecent illum ſtatum. Et hoc communi ſententia receptum eſſe *Azor. l. l.* 12. *c.* 7. *q.* 4. *pronunciat, & Suarez IV. l.* 3. *c.* 15. *& ſeqq.* accuratè explicat, ut meritò valdè probabi is & in praxi tutior videri debeat. Certè paſſim hoc tempore aſſumpti ad ſupremas Dignitates Cardinalium & Epiſcoporum Ordinis ſui habitum non deponunt, hoc ipſo conteſtantes, ſe Ordini ſuo adhuc unitos, & aliquo modo ſubditos eſſe: pro quibus facit *c. Clerici* 15. *de vi. & hon Clericor.* ubi dicitur, Pontifices in publico, & in Eccleſia ſuper indumentis lineis omnes utantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem *Anton.* 3. *par. tt* 16. *c.* 4 *Ang Silv. & alii Summ. Molina l.* 2. *de primog. c.* 10. *n.* 28. *Sanchez l.* 6. *c.* 6. *Bannez in* 22 *q* 32. *art.* 6. *Barb. in c. cum olim* 14. *de privil. n.* 10. *& c. ſtatutum* 17 *q.* 1. *& de poteſt. Epiſcop. l.* 1 *tt.* 1. *c.* 4. *Leſſ c.* 40 *dub.* 19 *n* 193. *Lugo l.* 5. *Reſponſ. Moral. dub.* 12. *Graff. l.* 3. *c.* 20. *n.* 24.

Dub. 17. An & quomodo peccet Religioſus dicendo aliquid ſuum eſſe v.g. Hic liber meus eſt, hæc eſt mea veſtis?

Reſp. Fieri poſſe, ut peccet ita loquendo, dubium nõ eſt, ſed peccati conditio, & menſura ex intentione loquentis pendet. Nam ſi ſenſus ſit. Hæc mea veſtis eſt, quoad dominium, vel venialiter peccat mendacio officioſo, vel etiam gravius, ſi intendat illius veſtis dominium ſibi uſurpare. Si autem ſenſus ſit, quem vulgò omnes ſupponunt. Hæc res mea eſt, quoad uſum, nihil omninò peccat, ſed potiùs actum virtutis exercet, confitendo, ſe pauperem eſſe, qui nullius rei dominiũ habeat, ſed uſum tantùm. Atque in hunc modum explicandum eſt illud *S. Aug. in c.* 2. *Regula*. Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. *Navar. Comm.* 2. *de Regular n.* 1. *Cortolanus in Reg. S. Aug. Turrecrem. Vmbertus, Trullus & alii in eand. Reg.*

Dub. 18. Penes quem ſit dominium bonorum, quæ FF. Minores S. Franciſci poſſident?

Reſp. Hoc tempore eſſe penes Sedem Apoſtolicam, quemadmodum conſtituit, & declaravit Martinus V. & Paulus III. quod etiam in Capitulo generali Fratrum Minorum decretum eſt. Dixi *hoc tempore*, quia olim penes donantem credebatur dominium remanere. *De quo V. Rodericum II. q.* 125. *art.* 6. *& Tom. III. q* 29. *art.* 5. *Cordubam in Reg. S. Franc. Bonau. ibid. Sotum, Ledeſma, Solonium, Sanchez l* 7. *Moral. c.* 18. *n.* 20 *& ſeqq. Soto l.* 4. *de iuſt. q.* 8. *Rebell. par.* 1. *l* 1. *q.* 7. *Sect.* 4. *Barb. in c. Exiit. de verb. ſing in* 6.

Digitized by Google

§. VII.

De Caſtitate.

I. QUi in Religione per Sedem Apoſtolicâ approbatâ legitimè profeſſus eſt, à Matrimonio abſtinere debet. Quod ſi contraxerit Matrimonium, quamvis reipſa nullum pœnam excommunicationis incurrit juxta Decretum *Conc. Turon. ſub Pelagio I.* ubi dicitur. Si uxorem duxerit, excommunicetur, & uxore malè ſociatâ etiam Judicis auxilio ſeparetur, & infelix Monachus conjunctione fædatus ab Eccleſiâ ſeparetur, donec revertatur ad ſepta monaſterii, & indictam ab Abbate, quamdiu præceptum fuerit, agat pœnitentiam. Quod aliqui interpretātur de eo, qui publicè contraxit. Talis enim ſuſpectus de hæreſi eſt, quia reipſa, & facto oſtendit, ſe de Votis, & Religione malè ſentire: quemadmodū Lutheri ævo factum novimus. *Simancas* verò cum nonnullis ſublata diſtinctione æquè ſuſpectum facit eum, qui occultè matrimonium iniit, imò magis videtur delinquere, cùm lucem fugiat. Magis injuſti ſunt, *ait Ariſtoteles*, qui magis occultè operantur: cujus rei multa exempla reperiuntur. Talibus lucifugis Inquiſitores jejunia, & orationes injungere ſolent, cum incluſione perpetuâ in Monaſterium aliquod argumento eorum, quæ ex Conciliis & Canonibus DD. colligūt. Idem faciendum Diaconis & Subdiaconis, qui auſi fuerint uxorem ducere; *Simancas tradit. Bell. l. 1. de Cler. c. 19. V. Roder. To. III. q. 1. art 1. Suar. III. de relig. l. 2. c. 10.*

II. De tempore dubium eſt, quo Eccleſia declararit Religioſorum matrimonia nulla eſſe. Ac mihi quidem *Innoc. II. cum Romanâ Synodo circa Ann. Chriſti* 1139. Primò id conſtituiſſe videtur. Antea enim tametſi non liceret contrahere Matrimonium, ſi tamen factum eſſet, contractus non cenſebatur omninò irritus, ut nunc in illis, qui poſt Votum Caſtitatis ſimplex contrahunt. Tempore poſt *Bonifacius VIII. c. Un de Vo. in 6.* declaravit, Votum illud ſolenne tantùm dici debere, quod ſolennizatum fuerit per ſusceptionem ſacri Ordinis, aut profeſſionem in Ordine per Sedem Apoſtolicam approbato. *Idem Greg XIII. dicit in Conſt. Aſcend. Dom. Leſſ. c. 40. dub. 19. Az. 1. l. 12. c. 6.*

III. Voto ſimplici Caſtitatis, quod Societatis Jesu religioſi poſt biennium probationis edunt, non minùs irritatur Matrimonium, quàm per ſolenne profeſſionis in aliis Ordinibus: & ſic voventes omninò inhabiles redduntur ad illud quamdiu durat Votum, & non relaxatur. Ita definivit *Greg. XIII. in Conſt. Aſcendente Domino.* & ſubſecuti Pontifices confirmarunt. Neque obſtat, quòd ejuſmodi voventes non priventur dominio bonorū temporalium. Non enim propterea ſæculares manent, ut aliqui temere dixerunt; nec repugnat habere dominium bonorum temporalium (impeditum & ſine libertate utendi) & non poſſe matrimonium inire. Hæc enim & ſimilia ex diſpoſitione juris humani pendent. Cæterum hic duo obſervanda ſunt. Unum eſt, *Greg.* XIII. Decretum irritantis Matrimonium ſupradictum, comprehendere illos quoque, qui tempore præceſſerunt illud, ſeque votis obſtrinxerunt abſq; conditione illa, quod inhabiles ad

matrimonium fieret, quia non inhabilitantur perſonæ Societatis Jeſu futuræ tantùm, ſed etiam exiſtẽtes. Alterum eſt. Matrimonium ratum non conſummatũ ab aliquo, qui in Societatem recipitur, non extingui per votum Caſtitatis, quod finita probatione faceret. Nam *Greg. XIII.* bulla de hoc nihil definivit, aut declaravit. Quemadmodum igitur ante illam Votum Caſtitatis non habuit vim dirimendi matrimonium, ita tunc quoque nõ habet. *Sua. IV. l. 4. c. 2. & 3. Rod. to 1. q. 1. art. 4. Sanch. l. 5 Mor. c. 1. n. 29 cum al. à ſe ci.*

IV. Non repugnat Ordinem aut Statum Religionis eſſe, cum Voto Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis conjugalis tantùm, quemadmodum de facto eſſe dicitur Ordo militum S. Jacobi Calatravæ, & Alcantaræ in Hiſpania, quos nihilominus verè religioſos eſſe, præter *Navarr* & alios accuratè demonſtrat *Franc. Suar. IV. l. 1. De variet. relig. c. 14.* Conſtat *primò* ex Bulla Alexandri III. In Eccleſiaſticis gradibus. *Deinde* aliis apud *Didacum Mottam l. 1. & 2. de milit. S. Iacobi* Denique *Ratione.* Talis Ordo eſt verus ſtatus perfectionis. Ergò verus ſtatus Religionis, Conſequentia manifeſta eſt. Antecedens ex Summorum Pontificum Bullis, & ex ipſo fine deſumitur. Finis autem prædictorum Ordinum eſt charitas, in qua vera perfectio conſiſtit, ad eamque ordinatur illorum Paupertas, Obedientia, & caſtitas conjugalis. Matrimonium enim per ſe non opponitur Charitati, & perfectioni. *Az. 1. l. 11. c. 14. Ioan. Buſæus de ſtatu Matr. p. 111. & ſeq. Lud. de ponte To. 11. tr. 5. c. 2.* At, *inquis*, Votum de meliore bono faciendũ eſt. Melius autem non nubere, quàm nubere Sec. illud *1. Cor. 7. v. 39.* Qui non jungit (virginem ſuam) melius facit. *Reſp.* Militibus S. Jacobi, & ſimilibus melius eſt nubere, quàm non nubere, propter innumeras occaſiones, & pericula incontinentiæ, quæ illis, qui Martem ſequuntur, non uno in loco, ſed multis, & variis commorantur, ſubeunda. Nihilominus fatendum eſt, ejuſmodi Milites, licet ſtatum Religioſum habeant, ipſo uſu vitam agere religioſam imperfectè, & quaſi ſecundùm quid: ut non ſine cauſa aliqui eos in numerum Religioſorum admittere nolint, inter quos Dominicus *Soto l. 7. de iuſt. c. 5. Sarmiento Covar. & alii.* quibus ex recentioribus accedit *Azor. 1. l. 13. c. 5. Arragonus, Molina, Sa. V. Religio n. 41.* imo *Theologi omnes ſi Roderico credimus, qui to. 1. q. 1. art. 6.* contendit, prædictos milites non eſſe abſolutè religioſos appellandos, ſed cum addito militares, & ordinem illorum non ſimpliciter Religionem, Sed *Militarem* inſcribendum, in quem ſenſum nos quoque ſuperius locuti ſumus §. *1. n. VI.* Et quaſi compendio *Em. Sa. V. Religio. n. 41.* Religiones ducentium uxores non ſunt ſimpliciter Religiones, nec ordo, qui dicitur tertius S. Franciſci.

V. Votum Caſtitatis ſolenne (& in Societate Jeſu ſimplex) non tantùm obligat ad abſtinendum à matrimonio, & illius uſu, ſed etiam ab omni actu interno & externo, qui repugnat Caſtitati, cujuſmodi ſunt cogitationes obſcenæ, delectatio moroſa, immunditia, tactus impudici, oſcula, omnes denique actus libidinoſi, quorum aliqui pro materiæ qualitate peccata mortalia, alii venialia ſunt. In quo illud obſervandum, in pleriſque Ordinibus cenſeri caſum reſervatum, quando opere externo completus eſt

actus

Digitized by Google

actus Venereus,ſeu,ut loquuntur,lapſus carnis voluntarius *V. Suar. IV. de Relig. l. 2. c. 18. Sanch. l. 5. c. 6. n. 9. Vmbertum in Reg. S. Aug. Lud. de ponte de perf. Chriſt. Tract. 2. Caramuel. in Reg. S. Bened. n. 980.*

VI. Religioſus qui contra Votum Caſtitatis peccavit, ſi Sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus ſit, in confeſſione ſatisfacit dicendo, ſe voto ſolenni Caſtitatis teneri, vel religioſum profeſſum eſſe: quia licet duplici voto Caſtitatis obligetur, non tamen contra duplicem Virtutem caſtitati oppoſitam peccat. Specificari enim peccata non ex materiali, ſed formali diverſitate objectorum, ſeu honeſtatis oppoſitæ paſſim Theologi docent cum *S. Thom. 12. q. 72 art. 1.* Imò aliqui putant non addendum *Tò ſolenne* eo quod Votum ſimplex Caſtitatis & ſolenne non diſtinguantur ſpecie. Contrarium verò probabilius eſt. *Medina ad q. 72. S. Tho. Valentia. Tom. II. D. 6. q. 2. pan l. Azor. l. l. 4. c. 2. & l. 12 c. 12. 49. Leſſius c. 40. D. 5. n. 40. Bonacina To. II p 117. Sanch. l 7. de Matr. D. 27. n. 14. & in Decal l. 5. c. 6. n. 3. & 14. Filliuc. tract. 21. c. 6. n. 236. Caramuel in Reg. S. Bened. n 999.* Alia huc pertinentia ad ſextum Decalogi præceptum pertinent & Theologo Morali explicanda relinquuntur.

§. VIII.

De obedientia Religioſâ.

I. OBedientia, ſeu obſervantia Regularis eſt triplex. *Prima* eſſentialis, ſeu ſubſtantialis abſolutè, quia eſt de intrinſeca ratione cujuſcunque Ordinis religioſi, cujuſmodi eſt obſervatio trium votorum eſſentialium. *Secunda* eſſentialis reſpectivè, quia obligat ad peccatum propter ſpeciales alicujus Religionis Conſtitutiones. Sic apud Fratres Minores de obſervantia ſunt 25. præcepta ad peccatum mortale obligantia, & in Societate JESU præter Vota ſolennia, & communia, ſunt ſpecialia quædam à Profeſſis quatuor Votorum nuncupanda, quorum propterea transgreſſio gravis cenſetur, ut ſi quis ambiret dignitatem aliquam, vel in eam conſentiret. *Tertia* nullo modo eſſentialis eſt, nec culpam inducit, qualia ſunt, quæ ad victum, veſtitum, & communem vitæ rationem pertinent. *V. Vmbertum in 29. Reg. S. Aug. Rodriq. Tom. III. q. 19. art. 1. Suarez IV. de Relig. c. 14. Sanch. l. 6. Mor. c. 1. Leſſ. c. 46. D. 4. Lud. de pon. par. 3. tract. 6. c. XI.*

II. Religioſus ſub peccato tenetur obedire ſuperiori ſuo, ita, ut ex contemptu nihil agat contra regulam; aut mandatum illius. Hoc enim ante omnia ſignificant illa verba, *Voveo obedientiam.* Nec apud DD. & rerum ſpiritualium Magiſtros dubium eſt, quin mortale peccatum committi poſſit per contemptum mandati Superioris. Cenſetur autem ex contemptu violare mandatum, qui non ex negligentia, aut cupiditate omittit, ſed quia non vult regulæ, & ſuperiori ſubjectus eſſe: vel cùm eo fine negligit, ut oſtendat, ſe mandatum, & regulam nihili facere. Materiæ parvitas tamen, ut in aliis quoque à mortali culpa excuſare poteſt *Extra. de mai. & obed. Tritbem. in c. 5. Reg. S. Bened. Item in c. 7. Gradu 3. Silv. V. obedientia. Moſc. l. 1. par. 4. c. 3. Sanchez. l. 6. Mor. c. 3. n. 7. & c. 4. n. 8. & 16. Suar. IV. de Rel. l. 2. c. 8. n. 25.*

Digitized by Google

III. Cùm Superior aliquid mandat ſub virtute, vel in virtute Obedientiæ, cenſetur gravem obligationem imponere, ita ut ſub peccato mortali obedire ſubditus teneatur: Alias probabile eſt, non velle obligare, niſi quantum regula obligat, hoc eſt, vel ſub veniali tantùm, vel ſub pœna, & correctione regulari: quem in modum ipſæ Regulæ obligare cenſentur. *Antonin.* *2.Par.tt.4.c.2. Sanch l.6 Mor.c.4. nu.43. Azor* 1.*l.5.c.6.Q.5. Sayrus l.3. c. 7. nu.24.* No. hîc quoque materiæ levitas culpam minuit, ut benè explicat. *Caramuel in Reg.Ben.n.94.*

IV. Non tenetur obedire Religioſus, cùm Superior mandat aliquid contra, ſupra, vel infra Regulam. *c. Licet. de Regularibus.* Superior enim cuſtos Regulæ eſt, & executor, ac proinde intra limites illius ſe continere debet. Hinc *S.Bern. l.1. de præc. & diſpenſ.* Prælatii iuſsio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis: nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Supra Regulam cenſetur eſſe, ubi in Ordine non eſt recepta conſuetudo, ieiunare duplici quadrageſimâ: ire ad infideles cum manifeſto periculo vitæ, ſervire ægris in hoſpitali, & ſimilia. Item acceptare epiſcopatum, ſuſcipere curam medendi, advocandi. &c. Contra regulam, præcipere Carthuſiano eſum carnium. Infra regulam, habere curam pecorum, frequentare convivia, choreas agitare. Non eſt inconveniens tamen aſperum aliquid, puta, flagellationem aut ieiunium in pœnam delicti imponere. *Innoc. in c. Veniens de iureiur. Silv. Religio nu. 6. Tolet l.8.c.16. Laym. in defenſ. iuſta c.3 p. 83.* Quid autẽ, ſi præcipiat indifferens aliquid? *Miranda Q.26. art. 9.* putat non obligari ſubditũ. Limita, niſi appareat, eo fine imperari, ut ſubditi obedientia, & humilitas probetur. *Trithem in* Reg.*S.Bened.c.7. Gradu 3. Sanch.l.6.Mor.c.2.nu.13. & ſeq* Caramuel *in Theol. Regulari Diſp.22. & in* Comm.*n.690. & ſeqq. Tuſchus* Concl.326.

V. Quando dubitatur de poteſtate præcipientis, vel an ſit legitimus Superior, ad obediendum illi nemo tenetur. Melior eſt enim conditio poſſidentis puta libertatem ſuam. Pari modo nemo tenetur lege, de qua an vera lex ſit, iuſtè dubitatur. Idem dicendum, ſi de re præcepta dubitetur an licita ſit, quia exponitur dubitans periculo peccandi. Hinc *Adrianus quodl. 2. art.* 2. Nullus dubitans de actu, an ſit mortalis vel non, licitè obedit, ipſo ſic dubitante. Tenetur autem ſubditus conniti ut dubium abijciat. Quod ipſum adhuc limitant DD. niſi obediendo aliquod grave incommodum [illegible] perſonæ, honore vel rebus ſubdita aut alteri cuipiã timeatur: non obediendo autem nihil incommodi ſequatur. *Summ in V. Dubium.* Roder. 111. *Q.19.a.5. & ſeq.* Reginald *l.15. n.100. Fill.Tr.21.n.153. Sanch.l. 6. Mor.c.3. n.2. & ſequ. Bonac.Tom.11.p. 364. Em. Sa. V. Dubium. Card. Lugo. l 3. Conſil. D.19. Armilla. V. Obedientia. n.4. Bardus Diſcept.6.c.2.§.8.*

VI. Non poſſe Superiorem præcipere actus merè internos, puta Orationis mentalis, Spei, Charitatis, & ſimiles multi DD. putant: id tamen non omninò certum eſſe *Layman probat l.4.Tr.5.c.9.* Nam 1. ad talem Obedientiam cùm ſit opus Deo gratum, Religioſus voto ſe obſtringere poteſt. 2. probabile eſt, in quibuſdam Ordinibus, ubi accuratior diſciplina eſt, cum tali intentione Votum Obedientiæ nuncupari.

cupari. 3. Superiores irritare poſſunt Vota de actibus merè internis. Vnde colligitur, eos habere poteſtatem gubernativam in Actus merè internos. Denique non rarò iniunguntur Orationes ad intentionem Superioris, quæ intentio merè interna eſt Idem *Suarez. 3. de Rel. l. 10. c. 9.* addens non expedire, docet, ut ſub obligatione peccati tales actus imperentur. Nam neque de obſervatione, & tranſgreſſione illorum Superior cognoſcere poteſt: neque ad ſtudium perfectionis in quo verſantur religioſi, multum proderit.

VII. Quando regula ſub peccato obligat, tranſgreſsio illius eſt contra Votum obedientiæ, & ſacrilega, ut colligitur ex *Clem.* Ex vi *de verb. ſign §. Declaramus. Ratio.* quia Voventes obedientiam obligant ſe ad obſervationem Regulæ ſecundùm intentionem Auctoris, quæ, ut ſuppono, fuit ad mortale peccatum obligare. Quod ſi actus præceptus etiam lege divina, vel eccleſiaſtica imperetur, duplicis peccati reus fit transgreſſor, contra Obedientiam videlicet, & cōtra virtutem, cuius intuitu opus iniungitur. In dubio tamen præſumi poteſt, Regulam non præcipere ſub mortali peccato, ſed commonefacere de eo, quod faciendum eſt. *S. Thom. 22. Q 88. ar. 5 ad 3. Leſſ. l. 2. c. 46. D. 6. Sanch l. 4. Mor. c. 11. Tolet l. 8. c 16.*

VIII. Cùm Regula ſecundùm intentionem Auctoris non obligat ad peccatum, nemo peccat contra Virtutem obedientiæ, eam non obſervando: quia Voti huius materia non eſt quælibet, ſed ſub gravi obligatione præcepta. Nihilominus reatum pœnæ inducit, quam ſi iniungat Superior cum intentione obligationis ſub peccato, omittens haud dubiè peccat: Aliàs minime. *Sanch. l. 6. Mor. c. 2 n. 13 Confeſſor.* Huius generis Regulæ Societatis noſtræ ſunt, de quibus *S. Ignatius par. 4. Conſt. c. 5.* ait, non poſſe obligationem ad peccatum mortale aut Veniale inducere, niſi Superior in nomine D. N. IESU Chriſti, vel in Virtute obedientiæ iuberet. Nihilominùs propter illarum transgreſſionem pœnam eſſe ſubeundam monet *par. 3. c. 1. ci. fin. Suar. IV. l 1. c. 2.* Idem videtur uſitatum in Ordine S. Dominici. Idem de Regula S Benedicti, S. Auguſtini, & Tertiariorū S. Franciſci in communitate viventium *Caramuel affirmat in Comm. in Reg. S. Benedicti.* Hinc verò dubium enaſcitur, An nullum omninò peccatum ſit, aliquam ex prædictis regulis transgredi? Reſpondet *Paulus Laymanl 4. Tr. 5 c. 9. n. 8 cum S. Thoma, Valentia, Vaſquez & Sanchez l ci. 1.* Si quis bona fide id faciat, V. g. loquatur cum ſocio ſuo, ut illum cōſoletur, non peccare, paratum tamen eſſe debere ad ſubeundam pœnam. Quod ſanè mirum. Quomodo enim talis regula, de non loquendo ſcilicet, obligabit me ad omittendum actum Charitatis, quem hic & nunc neceſſariò exercendum eſſe iudico? Dixerim igitur, in tali caſu regulam ſilentii non obligare, nec ab eo violari, qui mœſtum conſolatur. Nunquam enim eiuſmodi regulæ obligant, quando cum alia maioris pretii lege concurrunt. Nulli charitas, charitati omnia cedunt. Illud verum eſt, quod citatus Auctor monet, peccare minimum venialiter, qui animi torpore, aut negligentia regulam violant: item qui propter inordinatum affectum delinquunt. Ratio enim non permittit abſque ratione, & iuſta cauſa agere, vel

Digitized by Google

III. Cum Superior aliquid mandat ſub virtute, vel in virtute Obedientiæ, cenſetur gravem obligationem imponere, ita ut ſub peccato mortali obedire ſubditus teneatur: Alias probabile eſt, non velle obligare, niſi quantum regula obligat, hoc eſt, vel ſub veniali tantùm, vel ſub pœna, & correctione regulari: quem in modum ipſæ Regulæ obligare cenſentur. *Antonin.* 2.*Par.tt.*4.*c.*2. *Sanch l.*6 *Mor.c.*4. *nu.* 43. *Azor* 1.*l.*5.*c.*6.*Q.*5. *Sayrus l.*3. *c.* 7. *nu.*24. No. hîc quoque materiæ levitas culpam minuit, ut benè explicat. *Caramuel in Reg. Ben. n.*94.

IV. Non tenetur obedire Religioſus, cùm Superior mandat aliquid contra, ſupra, vel infra Regulam. *c. Licet. de Regularibus.* Superior enim cuſtos Regulæ eſt, & executor, ac proinde intra limites illius ſe continere debet. Hinc S. *Bern. l.*1. *de prac. & diſpenſ.* Prælatii iuſsio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis: nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Supra Regulam cenſetur eſſe, ubi in Ordine non eſt recepta conſuetudo, ieiunare duplici quadrageſimâ: ire ad infideles cum manifeſto periculo vitæ, ſervire ægris in hoſpitali, & ſimilia. Item acceptare epiſcopatum, ſuſcipere curam medendi, advocandi. &c. Contra regulam, præcipere Carthuſiano eſum carnium. Infra regulam, habere curam pecorum, frequentare convivia, choreas agitare. Non eſt inconveniens tamen aſperum aliquid, puta, flagellationem aut ieiunium in pœnam delicti imponere. *Innoc. in c. Veniens de iureiur. Silv. Religio nu.* 6. *Tolet l.*8.*c.*16. *Laym. in defenſ. iuſta c.*3 *p.* 83. Quid autē, ſi præcipiat indifferens aliquid? *Miranda Q.*26. *art.* 9. putat non obligari ſubditū. Limita, niſi appareat, eo fine imperari, ut ſubditi obedientia, & humilitas probetur. *Trithem in Reg. S. Bened. c.*7. *Gradu* 3. *Sanch. l.*6. *Mor. c.*2. *nu.*13. *& ſeq Caramuel in Theol. Regulari Diſp.*22. *& in Comm. n.* 690. *& ſeqq. Tuſchus Concl.*326.

V. Quando dubitatur de poteſtate præcipientis, vel an ſit legitimus Superior, ad obediendum illi nemo tenetur. Melior eſt enim conditio poſſidentis puta libertatem ſuam. Pari modo nemo tenetur lege, de qua an vera lex ſit, iuſtè dubitatur. Idem dicendum, ſi de re præcepta dubitetur an licita ſit, quia exponitur dubitans periculo peccandi. Hinc *Adrianus quodl.* 2. *art.* 2. Nullus dubitans de actu, an ſit mortalis vel non, licitè obedit, ipſo ſic dubitante. Tenetur autem ſubditus conniti ut dubium abijciat. Quod ipſum adhuc limitant DD. niſi obediendo aliquod grave incommodum i[illegible] perſonæ, honore vel rebus ſubdita aut alteri culpiæ timeatur: non obediendo autem nihil incommodi ſequatur. *Summ in V. Dubium.* R*oder.* 111. *Q.*19.*a.*5.*& ſeq.* R*eginald l.*13. *n.*100. *Fill. Tr.*21.*n.*153. *Sanch. l.* 6. *Mor. c.*3. *n.*2. *& ſequ. Bonac. Tom.* 11. *p.* 364. *Em. Sa. V. Dubium. Card. Lugo. l* 3. *Conſil. D.*19. *Armilla. V. Obedientia. n.*4. *Bardus Diſcept.*6.*c.*2.§.8.

VI. Non poſſe Superiorem præcipere actus merè internos, puta Orationis mentalis, Spei, Charitatis, & ſimiles multi DD. putant: id tamen non omninò certum eſſe *Layman probat l.*4. *Tr.*5.*c.*9. Nam 1. ad talem Obedientiam cùm ſit opus Deo gratum, Religioſus voto ſe obſtringere poteſt. 2. probabile eſt, in quibuſdam Ordinibus, ubi accuratior diſciplina eſt, cum tali intentione Votum Obedientiæ nuncupari.

cupari. 3. Superiores irritare poſſunt Vota de actibus merè internis. Vnde colligitur, eos habere poteſtatem gubernativam in Actus merè internos. Denique non rarò iniunguntur Orationes ad intentionem Superioris, quæ intentio merè interna eſt *Idem Suarez. 3. de Rel. l. 10. c. 9.* addens non expedire, docet, ut ſub obligatione peccati tales actus imperentur. Nam neque de obſervatione, & tranſgreſſione illorum Superior cognoſcere poteſt: neque ad ſtudium perfectionis in quo verſantur religioſi, multum proderit.

VII. Quando regula ſub peccato obligat, transgreſsio illius eſt contra Votum obedientiæ, & ſacrilega, ut colligitur ex *Clem.* Ex vi *de verb. ſign.* §. *Declaramus. Ratio.* quia Voventes obedientiam obligant ſe ad obſervationem Regulæ ſecundùm intentionem Auctoris, quæ, ut ſuppono, fuit ad mortale peccatum obligare. Quod ſi actus præceptus etiam lege divina, vel eccleſiaſtica imperetur, duplicis peccati reus ſit transgreſſor, contra Obedientiam videlicet, & cōtra virtutem, cuius intuitu opus iniungitur. In dubio tamen præſumi poteſt, Regulam non præcipere ſub mortali peccato, ſed commonefacere de eo, quod faciendum eſt. *S. Thom. 22. Q. 88. ar. 5 ad 3. Leſſ. l. 2. c. 46. D. 6. Sanch l. 4. Mor. c. 11. Tolet l. 8. c 16.*

VIII. Cùm Regula ſecundùm intentionem Auctoris non obligat ad peccatum, nemo peccat contra Virtutem obedientiæ, eam non obſervando: quia Voti huius materia non eſt quælibet, ſed ſub gravi obligatione præcepta. Nihilominus reatum pœnæ inducit, quam ſi iniungat Superior cum intentione obligationis ſub peccato, omittens haud dubiè peccat: Aliàs minime. *Sanch. l. 6. Mor. c. 2 n. 13 Confeſſor.* Huius generis Regulæ Societatis noſtræ ſunt, de quibus *S. Ignatius par. 4. Conſt. c. 5.* ait, non poſſe obligationem ad peccatum mortale aut Veniale inducere, niſi Superior in nomine D. N. Iesu Chriſti, vel in Virtute obedientiæ iuberet. Nihilominùs propter illarum transgreſſionem pœnam eſſe ſubeundam monet *par. 3. c 1. ci. fin. Suar. IV. l 1. c. 2.* Idem videtur uſitatum in Ordine S. Dominici. Idem de Regula S Benedicti, S. Auguſtini, & Tertiariorū S. Franciſci in communitate viventium *Caramuel affirmat in Comm. in Reg. S. Benedicti.* Hinc verò dubium enaſcitur, An nullum omninò peccatum ſit, aliquam ex prædictis regulis transgredi? Reſpondet *Paulus Layman l 4. Tr. 5 c. 9. n. 8 cum S. Thoma, Valentia, Vaſquez & Sanchez l ci. 1.* Si quis bona fide id faciat, V. g. loquatur cum ſocio ſuo, ut illum cōſoletur, non peccare, paratum tamen eſſe debere ad ſubeundam pœnam. Quod ſanè mirum. Quomodo enim talis regula, de non loquendo ſcilicet, obligabit me ad omittendum actum Charitatis, quem hic & nunc neceſſariò exercendum eſſe iudico? Dixerim igitur, in tali caſu regulam ſilentii non obligare, nec ab eo violari, qui mœſtum conſolatur. Nunquam enim eiuſmodi regulæ obligant, quando cum alia maioris pretii lege concurrunt. Nulli charitas, charitati omnia cedunt. Illud verum eſt, quod citatus Auctor monet, peccare minimum venialiter, qui animi torpore, aut negligentia regulam violant: item qui propter inordinatum affectum delinquunt. Ratio enim non permittit abſque ratione, & iuſta cauſa agere, vel

Digitized by Google

re, vel omittere aliquid eorum, quæ uniuſcuiuſque profeſſioni, ac Statui propria ſunt. Fieri etiam poteſt, ut mortaliter peccet, qui liberè & inordinariè iam quaſi conſuetudine firmata regulæ præcepta tranſgreditur, quia vehementer turbat diſciplinam religioſam, & exponit ſe periculo totius Vocationis amittendæ. *Valent.to.3.D.10 p 4. Pun.5.Suar.3.de Relig. l.10.c.7.Lud ponte de perf.To.3.Tr.6.c.1. Silv.V.Religio* §.1.*n.8.*

IX. Licet aliquis voviſſet omnia, & ſingula, quæ in Regula continentur, ſervare, non peccabit graviter in ſingulis à ſe neglectis, & prætermiſſis. In Regula enim cõtinentur magna, & parua, magis & minùs neceſſaria, vel utilia. Illorum ergò, quæ minima in ſe ſunt, & ut minima à pleriſque æſtimantur, non poteſt eſſe lethalis transgreſſio, quamvis Voto vel iuramento promiſſa ſit: ſiquidem in nullius hominis arbitrio eſt vel per legẽ communem multis impoſitam, vel privatam ſi bi ſoli indictam in re non magna magnam obligationem ponere. Tantummodò ea, *inquit Caramueln 96.* ſub gravi obligatione cuſtodire teneor, quæ in doctiorum opinione iudicantur magna; qualia ſunt ieiunium, & officium divinum: ad ea autẽ, quæ ſunt materia parua, teneor quidem ratione voti, ſed tantùm ſub veniali: quia quando voveo aliqua parua, non teneor ſub culpa gravi adimplere votum. Hæc doctrina expreſſe eſt *Soti de iuſt. l.7. q.2.art.1. Aragon.22 q.88. Ioann.de la crux in Dir. Par.1.pro.2. Ar.2. Dub.4. Villalobos in ſum To.2.tract.34. Diff 3 n.3. Sanch. in ſum.l.4.c.12.n 16. Tanner.22. D.5. D.3. Ita Caramuel Comm.in Reg.S.Bened.nu.96. Graff l.3.c 25.*

X. Si quæras, Vnde cognoſcatur, hanc vel illam Regulam graviter, & ſub mortali peccato obligare, id non minimi laboris & iudicii fatebor eſſe. Attentendũ igitur ad hæc tria. 1. an ſit materia Voti aliq. ſubſtantialis 2. An ſit valde neceſſaria 3. An illis verbis concepta, & propoſita, quæ in legibus, & præceptis gravem obligationem ſignificant, quemadmodum latius explicat. *Suar. IV. de Rel. lib.1.c.3.* Verùm hic meminerit Religioſus, Obedientiam, quæ non niſi neceſſitati deſervit valdè imperfectam eſſe, quemadmodum. *S. Bern in l. de Diſpenſ. & præcepto c.9.* dicit, cauſâ additâ. Nam, *inquit*, perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta anguſtiis profeſſionis largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, ſpontanea, vigore liberalis alacriſq; animi modum non conſiderans, in infinitam libertatem extẽditur. *Ita S. Bern.* Talis obedientiæ 7. gradus numerantur, ſeu proprietates. *Prima* eſt obedire promptè & libenter. *Secunda* obedire ſimpliciter, ſubmittendo iudicium proprium Superiori. *Tertia* obedire Hilariter *Quarta* obedire humiliter *Quinta* obedire viriliter, & conſtanter. *Sexta* obedire in differẽter. *Septima* obedire perſeverãter. Hæc omnia exemplo Abrahæ copioſius exponit *Corn à lapide in c.12. Gen. quem lege.*

§. IX.

Satisfit Dubiis.

DVB. I. An Præpoſitus Generalis cum Capitulo, ſeu Congregatione legem aliquam, vel Conſtitutionem ferre queat, quæ ſub prima Ordinis Regula nec explicitè,

Digitized by Google

citè, nec implicitè continetur?

Affirmat *Gloſſa in c. Periculoſo. de ſta. Regul. in 6. & in Reg. Quod omnes. de Reg. Iu. in 6. Innoc. c. ſuper eo ibid. Abb. nu. 6. de regular.* & plures alii, quorum fundamentum videtur eſſe, quòd Religioſus proprium velle non habet, poſtquam obedientiæ voto ſe in Prælati manus tradidit. Contrarium docent, tum antiqui, tum recentes DD, magno numero, & auctoritate.

Ratio. Religioſus non ita tradidit voluntatem ſuam in manus Prælati, ut quidlibet ipſi iniungere queat. Fieri tamen poteſt, ut omnes ſimul congregati unanimi conſenſu ſtatuant aliquid ultra, vel ſupra primam Regulam, in quo eventu haud dubiè nova obligatio naſcitur, ſed nō impoſita niſi volentibus, & conſentientibus. Illi autem, qui poſt eiuſmodi novum Statutum Ordinem aſſumunt, ſi Regula antiqua illis tantùm proponatur, ad eam ſolam obligati erunt, quia illam ſolam profitentur. *Silv. Armilla Vaſq. 12 Tom. 11. D. 154. Salas Q. 95. D. 8. S. 1. 2. Suar. iv. de Relig. l. 2 c 8. Laym. l. 4. Tract. 5. c. 9. Sanch. l. 9. Mor. c. 2 n. 18.*

DVB. 2 An qui profeſſus eſt eo tempore, quo regularium obſervatio longa deſuetudine iacebat, eandem iuxta primam inſtitutionem ſervandam cogi poſsit? *Abbas c ſuper eo de Regular.* cumque ſecutus *Silv. V. Religio 3. Q. 12.* reſpondet, ſi non habuit animum obligandi ſe, niſi ad Regulā prout nunc ſervatur, quoad Deum, ſive in conſcientia obligandum non eſſe ad primam Regulam. Poteſt enim cogitare, & præſumere rationabiliter laxationem illam ex certis cauſis promanaſſe. Vnde non prius obligatur ad reformationē, quàm ea legitimè facta ſit. *Laym. l. cit. nu. 12.* Verùm occurrit, quod etiam *Raymundus* movet, quemlibet Ordinis alumnum obligare ſe ad id, non quod actu fieri cernit, ſed quod ſecundùm inſtitutionem fieri debet, maximè ſi ſciat, quænam obſervanda ſint. Dicendum nihilominus, ſi nō expreſſit in profeſsione ſua aliud, quàm ſe amplecti eum modum vivendi, quem invenit in ſuo ingreſſu, cogi ulterius nō poſſe. In dubio tamen contra illum iudicabitur præſertim in foro externo.

At, *inquis*, quid ſi neceſſaria iudicetur reformatio, tum propter periculum ruinæ totalis, tum propter ſcandala, quæ vitæ, morumque diſſolutio parit?

R. In cuiuſmodi caſu Superiores inſtituere reformationem tenentur: & eā inferiores ſeu ſubditi acceptare. Hoc enim univerſe omnes implicitè profitentur, aut certè profiteri debent, quod vivere velint ſecundùm conſilia evangelica ſervando Paupertatem, Caſtitatem & Obedientiā, quæ tanquam media neceſſaria ſunt, ad perfectionem conſequendam. *Az. 1. l. 13. c. 11. Q. 19. Sanch. l. cit. c. 2. Layman nu. 13. Moſcon l. 1. Par. 4. c. 3.*

DVB. 3. Quando Religioſus mortaliter peccet contra Obedientiam?

R. in 4. caſibus. 1. cùm facit contra id, quod Superior præcipit conformiter Regulæ, quam vovit, & ad unum ex tribus Votis pertinet, vel non parum ad ſalutem, ac vitam æternam confert. Tunc enim materia gravis eſſe cenſetur. 2. cùm non facit, quod Prælatus mandat in virtute Sanctæ Obedientiæ, aut verbis æquivalentibus, aut ſub pœna, quæ nō niſi peccato mortali debetur. 3. Cùm peccat ex contemptu (tam in levibus, quàm in gravibus)

Digitized by Google

vibus:) quia ſcilicet non vult ſubeſſe, vel ut oſtendat ſe ad obediendum non teneri. Hæc enim iniuria gravis eſſe cenſetur, illata Superiori, & Ordini. Denique cùm nullam omnino habet intentionem tendendi ad perfectionem. In hoc enim elucet quædam quaſi Apoſtaſia à Statu Religionis, cuius intrinſecus finis eſſe debet non quidem actu perfectum eſſe, ſed ad id conari per obſervantiam regularem. S.*Tho.*22. *Q.156.ar.2.& 9. Navar.c.23.n 35.Roderic.* III. *q.19.Reginald l.18.c. 27. n.391.Vmbertus in Reg.S.Bened.c.29.Alv. Pelag.l.2.de plan.Eccl.artic.*70. *Caram.in Reg S.Ben.n.*701. *& ſeq.*

DVB.4. An, & quomodo peccet Rel. profeſſus nõ geſtãdo habitũ Ordinis ſui?

R. *in c. Vt periculoſa. Ne clerici vel Monachi in 6. Bonifacius* VIII. ita loquitur. Vt periculoſa religioſis evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis quãcunq; religionẽ tacitè, vel expreſsè profeſſus, in ſcholis vel alibi temere habitũ religionis ſuæ dimittat. *Et poſt pauca.* Si quis autẽ horum temerarius violator extiterit excommunicationis incurrat ſententiã ipſo facto. Ex quibus verbis 5. colliguntur *1.* dimittentes habitũ religionis ſuæ peccare mortaliter, aliàs non inciderent in excommunicationem latæ ſententiæ. 2. non peccare mortaliter, nec incurrere excõmunicationẽ, ſi exuãt quidẽ habitum, ſed *Non temerè*, id eſt, ex iuſta aliqua, & rationabili cauſa ut ex g melius currat, laboret, vel dormiat. 3. nec ſufficere ad pecc. & excom contrahendam, ſi occultè dimittat habitum, non vagetur, aut prodeat in conſpectum hominum abſque habitu. quod indicat ſcopus prohibitionis, & verba illa, *ut evagandi materia ſubtrahatur. 4.* peccare tamen, qui ſic occultat habitũ, ut à videntibus nõ poſsit diſcerni, an Religioſus an ſæcularis ſit. 5. an excõmunicationẽ incurrat, qui ex turpi cauſa, puta, prædationis, aut fornicationis cauſa habitum dimittit ad breve tempus, iterumque reſumit, dubitari poteſt? *Affirmant Paludanus, & Antonius.* Quid enim magis temerarium eſt, quàm peccandi cauſa deponere habitum, cuius geſtatio retrahit à libertate peccandi? Negant nihilominùs *Silv & Navar. quibus aſſentr. Az.* 1. *l.* 12. *c.* 17. *p.* 9. quia tales non dimittunt eo animo habitum, ut vagentur: quaſi verò literam magis, quàm ſenſum legis attendere oporteat. Qui occultant habitum, ne agnoſcantur, eſſe irregulares, excommunicãtur ut ſupra diximus, multò magis, qui abiiciunt, ut expediti ſint ad malè operandum *V Barb in c cit Sanch. l 6.Mor.c.*8. *Roderic. Tom. 2. p.* 77. *ar.* 6.

No. quamvis non peccant contra hanc Decretalẽ, qui nõ temere exuunt habitũ, contra alia tamen præcepta peccaturos, ſi ex levitate, aut cauſa nõ multum neceſſaria exuant maximè ſi ſcandalũ accedat.

DVB. 5. Quot malitiæ ſint in actu inobedientiæ hominis religioſi?

Omninò plures eſſe videntur. Nam 1. peccat contra obedientiam. *2.* contra fidem datam Prælato, & Religioni. 3. violat iuſtitiam, lædendo per traditionem ſui ius acquiſitum Ordini. 4. contra illam Virtutem peccat, ad quam actus præceptus pertinet. V. g. temperantiam, ſi ieiunium non ſervet. Econtra unum & ſimplex peccatum eſſe docet *Sotus l.7.de iuſt. c* 2. *art.* 3. quia licet Prælatus obſequium conſtituerit in genere obedientiæ, non tamen niſi per Votum. Non enim obedientiam

tiam Prælato voves, ſed Deo, quod eris Prælato obediens.

R. Religioſus violando præceptum Obedientiæ communiter peccat cõtra duas Virtutes, Religionem ſcilicet, propter Votum, & iuſtitiam propter traditionẽ, qua ſe Superiori & Ordini obſtrinxit. *Suarez* III. *de Relig. l.*10. *c.* 6. Eſt igitur in tali peccato malitia ſacrilegij, quod omnes fatentur, quia contra Votum agitur. Eſt ſimul contra iuſtitiam, quia inter Prælatum, & Religioſum neceſſariò intervenit Contractus quidam utrimque obligans, Religioſum quidem ut Ordini ſerviat, Prælatum verò, ut tanquam membrum Congregationis ſuæ habeat, præſtando illi neceſſaria ſecundùm Ordinis ſui legem, & conſuetudinem. Vnde liquet, tertiam quoque malitiam accedere poſſe. Vt ſi Superior tanquam Legislator actum præceptum conſtituat in materia Virtutis, ad quã per ſe pertinet, v.g. iniungendo iejunium Feria 6. ut temperantiam exerceas. In hoc eventu, qui inobediens eſt, contra temperantiam peccat: quod non fiet tamen, ſi ſecundùm communem modum imperandi tale iejunium indicatur. *Vaſq. Diſp.* 98. *c.* 3. *Anton. Perez in Reg. S. Ben. c.* 5. *n.* 22.

DVB. 6. An religioſi per obedientiæ votum Summo Pontifici obligati ſint?

R. Cùm ſummus Pontifex omnium Ordinum ſupremus Prælatus ſit, omnes religioſos, quemadmodũ immediatè ſubjecti ſunt Prælato ſuo, mediatè verò Ordinis totius Generali, ita ſubiectos eſſe ſummo Pontifici. qui quemlibet illorũ transferre poteſt, & vel dignitate aliqua exornare, vel præficere alicui loco, conventui, vel etiam Ordini. Hoc enim bona Eccleſiæ gubernatio, & animarũ ſalus requirit. Vnde multos ex diverſis Ordinibus videmus aſſumptos vel epiſcopatibus præeſſe, vel in aliis officiis eccleſiæ deſervire. Quamobrem *Rodericus.* I. *Q.* 17 *ar* 7. de fide eſſe pronunciat, quod ſummus Pontifex in Eccleſia ſit ſupremus Prælatus, cui jure divino cuncti obedire teneantur. Infert deinde, quod poteſtas Prælatis data non ſit independens, ſed coarctari, & reſtringi à ſummo Pontifice poſſe. Idem *Roder.* 3. *Q.* 21 *ar.* 8. docet, Religioſos à ſummo Pontifice cogi poſſe, ut ad infideles ſe conferant, evangelium annuncient, eoſque etiã epiſcopatu ſuſcepto gubernent. *Idem To.* IV. *tt.* 2. *c.* 14. probat in omnes omninò, & maximè eccleſiaſticos Papam habere ſummam poteſtatem. *Moſconius verò l.* 1. *Par.* 1. *c.* 1. contrarium docentes hæreticos eſſe pronunciat. *V. Bellar. l.* 1. *de Pontif. c.* 12 *& l.* 2. *c.* 15. *Laym. l.* 1. *Tr.* 4. *c.* 6. §. 1. *& in Defend iuſta c.* 2 *p.* 50.

DVB. 7. An Religioſi epiſcopis ſubiecti ſint?

R. *Silv. Q.* 10. cum diſtinctionẽ, in iis quæ ordinis propria ſunt, Prælato ſubeſſe: in aliis verò quæ diſciplinam eccleſiaſticam concernunt, magis Epiſcopo obediendum eſſe. In eundem ſenſum loquitur. *Rod. To.* II. *Q* 64 *Suar.* 3. *l.* 16. *c.* 11. *n.* 4 *infra* § 12 *n.* 4.

D. 8. An Votum Obedientiæ admittat diſpenſationem. ita, ut maneat quis Religioſus, ſed abſque Voto obedientiæ, quo alicui Prælato ſubſit?

R. neg *c. Cum ad monaſt. de Statu Mon. & comm. ſen. DD.* quia Votum illud de eſſentia ſtatus religioſi eſt. Quo ſenſu etiam *S. Tho.* 22. *q* 86 *art.* 8 Papam negat diſpenſare poſſe cum aliquo Religioſo, ut nulli Prælato teneatur obedire. His tamen non

 obſtan-

obſtantibus fieri poteſt, ut partialiter, ſeu ſecundùm quid cum Religioſo diſpenſetur, ut V.g. nō teneatur obedire in iis, quæ ad ſtudia pertinent, vel curam pauperum, & ſimilia. *V. Suar. III. de Relig. l. 10. c. ult. Roder. To. 1. Q. 24. ar. 1. Barb. in c. Cùm ad monaſt. de ſtatu* Mon. *cum al. quos citat.*

§. X.

De tranſitu ex uno Ordine in alium.

1. CVilibet Religioſo licet ad Ordinem arctiorem, tranſire, quamvis non obtenta à Prælatis ſuis licentia, modò eam petiverit. *c. Licet de Regular.* eſtque communis DD. ſententia, ſed citatum caput exigit, ut zelo ſanctioris vitæ fiat. Vnde hic dubitatur de pluribus. 1. De Canonicis Regularibus. 2 De Converſis, & Oblatis. 3. De Monialibus. De Canonicis dubium oritur *ex c. Mandamus 2. & c. 1. Nullus 19. q. 3.* Mandamus, *ait Vrbanus* II. *Papa*, ne quis Canonicus regulariter profeſſus, monachus efficiatur. Concilium Educenſe ſub *Greg.* VII. Nullus Abbas, vel Monachus canonicos regulares à propoſito profeſſionis Canonicæ revocare, & ad monaſticum habitum trahendo, ſuſcipere audeat. Verùm hiſce lucem adfert *c. Statuimus.* Vbi *Vrbanus* II. Abbati S. Ruffini ſcribit, Statuimus ne profeſſionis Canonicæ quiſquam alicuius levitatis inſtinctu, vel diſtrictionis religionis obtentu ex eodem clauſtro audeat ſine patris & totius Congregationis permiſſione recedere. In vetuſto Codice legitur *Sine Patris totius Congregat.* Quod autem dicitur, non licere ſine permiſſione recedere, intelligendum eſt iuxta declarationem *capitis. Licet de Regularib.* Vt nimirum licentia petatur, quam ſi neget Prælatus, quod non debet, ſatisfeciſſe cenſetur obligationi, & conſcientiæ ſuæ tranſiturus. *Suar. IV. de Rel. l. 3 c. 8.* Converſos, & oblatos ad ſtrictiorem Ordinem migrare poſſe, quamvis neget *Angelica, Tabiena*, & alii quidam, ex paritate rationis liquet. Nec obſtare debet, quod ſervorum inſtar ſe Ordini manciparunt, quia etiam profeſſi tradunt ſe, non tamen inſolubiliter, ſed ſecundùm mentem, & intellectum Iuris Canonici. *c. Non eſt. de Regularib.* Roderic. *III. Q. 21. artic. 2. Suar. Tom. IV. de* Relig *l. 3 c. 10. num. 1.*

De Monialibus affirmant, qui poſt Concilium Trid. ſcripſerunt, multi apud *Barboſam in* Comm. *ad c. Licet.* qui ſimul notat, quamvis eiuſmodi tranſitus in caſibus à Iure permiſſis fieri poſſit auctoritate Epiſcopi, & Superioris, Sacram Congregationem tamen velle, à ſe ut licentia petatur. Ex quo colligitur, non licere, aut concedi niſi quatuor adiectis conditionibus. *Prima eſt*, ut antequam exeat, aliud Monaſterium ſit paratum, in quo benevolè recipiatur. *Secunda*, ut dotem cōſuetam perſoluat. *Tertia*, ut Spes illi auferatur redeundi ad prius Monaſteriū. *Quarta*, ut translatio fiat comitantibus matronis conſanguineis recta via abſque diverticulo, ac nullibi pernoctetur, niſi cauſa hoſpitii, idque apud honeſtas perſonas.

Verùm quid de Prælatis, adeoque ipſis Generalibus dicendum. Non aliud, quàm æquè illis, atque aliis licere tranſitū ad Ordinem ſtrictiorem, modò licentiam petant. Exempti à Pontifice petent; quo tacente ibunt: negante manebunt; alii à ſuis

Digitized by Google

ſuis Superioribus petere debent. At, *inquis*, privilegium conceſſum eſt quibuſdã Ordinibus, ne liceat ad alium Ordinem tranſire. Prohibetur nimirum tranſitus, qui temere, & cum notabili iactura Ordinis fieret. Si tamen in aliquo privilegio addatur, non poſſe quemquam tranſire non obtenta licentia Prælati, ea omninò impetrandi erit: nec facilè negabunt Prælati, ne ſummi Pontificis indignationem incurrant. Et falſum eſt Gloſſæ Gloſſema, in foro exteriore tantùm excuſari à peccato, qui ad alium Ordinem abeunt. *Roder.* 3. *Q*.52. *art*.18.

II. Cauſæ mutandi Ordinem variæ eſſe poſſunt, ut 1. Valetudo, aut debilitas. 2. Naturæ averſio, & horror. 3. odium, vel invidia cohabitantium. 4. Neceſsitas parentum, cui ſubveniendum. 5. ſi quis malè, & indignè tractetur, quod à moroſis quibuſdam Superioribus fieri notat, & vituperat *Rodericus Tomo* 3 *p*. 52. *artic*. 2. Denique ſi infamatus ſit, ideoque in perpetuo mœrore victurus videatur. Potiſſima omnium vitæ ſanctioris deſiderium. *Azor*. 1.*l*.12.*c*.14. *Q*. 8. *Suar*. 4. *de Rel*. *l*. 3. *c* 9 & 11. *Roder*.*l cit*.*art* 3.8.9.*Leſſ*. *c*. 41. D. 13. *num*. 102. *Diana* Par. 3. *tr*. 2. *Reſol*. 43.

III. Cùm plures ſint, à quo Superiore petenda ſit licentia tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem, non ſatis liquet. Ac *Primò* quidem, niſi aliud in Ordine ſtatutum ſit, de Monachis loquendo putem, licentiam dare poſſe etiam Guardianos, Cuſtodes, & his Provinciales, Provincialibus verò ipſum Generalem *Barb. in c. Licet de Regular. Suar.lib.cit.c.* 10. *num*. 29. *Silv. V. Religio*. §. 4.*num*.2.

In Societate noſtra cautum eſt, ne quis ad alium Ordinem præterquàm Carthuſianorum, niſi de expreſſa licentia Præpoſiti Generalis, vel ſummi Pontificis tranſeat: Aliter facientes excommunicantur. Item ſi quis obtenta licentia vel ad ſæculum redeat, vel laxiorem Ordinem ingreſſus fuerit, tanquam Apoſtata puniri poteſt. *Compend.Privil.Soc.*Iesu.*V. Apoſtata.n*.9. & 10.

Secundò cùm tranſitus petitur ab Ordine æquali ad alium æqualem cum legitima cauſa, licentiam non tantum mediati, ſed etiã immediati, ut Guardiani, & Priores aliique Prælati Conventuales de conſilio & conſenſu ſui Conventus, præſtare poſſunt. Si verò abſque legitima cauſa petatur. à ſummo Pontifice impetranda venia erit. *Abb.in c Non eſt dubium n*.6.

Tertiò Idem dicendum, ſi ad laxiorem Ordinem abſque legitima cauſa tranſeundum ſit, ut poſt alios *Sanchez docet l*. 6.*c*. 7.*nu* 1. Neque enim in conſcientia tutus eſſe poteſt Religioſus, qui abſque ulla cauſa Ordinem, & profeſsioné ſuam mutare cogitat. Quã ob cauſam nec ſummus Pontifex eiuſmodi licentiam facilè dabit.

Quartò Cùm legitima cauſa ſubeſt, etiam Prælatus Papa inferior licentiam dare poteſt tranſeundi ad Ordinem laxiorem, licet facilis ad ſummum Pontificem aditus foret. *Bald. Conſ* 111. *lib*.1.*Tuſchus V. Tranſlatio Concluſ*. 365. Quod autem dicitur in *Extravag. Viam Ambitioſæ* & *Concilium Tridentinum Seſſ*. 25. *cap*. 19. ut nemo Regularis cuiuſcunque facultatis vigore transferatur ad Ordinem laxiorem, intelligitur, id non faciendum abſque rationabili cauſa, eiuſque diſcuſsione, ut olim fiebat. Hinc Congregatio Cardinal. addit, non per-

Digitized by Google

mittendum eſſe tranſitum, niſi cognita cauſa, & vitæ, ac morum ratione perſpecta, idque ex approbatione Capituli. *V. Azor. To.1.l.12.c.14. Q.8. Diana Par.3. Tr.2. Reſol.42.*

IV. In prædicto tranſitu non attenditur, utra Religio perfectior, ſed utra ſecundùm communem æſtimationem arctior, aut rigidior ſit. Patet ex verbis *cap. Licet. Vt vitam duceret arctiorem.* Idem *ex c.1. 20.Q.4 colligitur, ubi* Concil. *Triburienſe.* Virgines ſacræ (de viris idem intellige) ſi pro lucro animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerint, ibidemque manere, Synodus concedit. Equidem communi iudicio Carthuſianorum Religio ſtrictiſſima cenſetur propter ſolitudinem, ſilentium, & prolixam pſalmodiam: nihilominùs Minimi ſuperant, quoad abſtinentiam, quia nec ova nec lacticinia admittunt. Atque ita Minimorum Ordinem ſuperare Carthuſianos quoad rigorem multis probat R*iccius. l.8. c.7.* Ac proinde licitum eſſe Carthuſianis, & quibuſcunque aliis tranſire ad Minimos, ut habetur in literis *Iulii* II. *&* Leonis X R*oder.* III. *Q.52. art.* 18 *&* 19. ubi à Carthuſianis ad Prædicatores tranſitum permitti ex Navarro tradit.

V. Iure ſpeciali prohibetur tranſitus Ordinum Mendicantium ad Ordines monachorum non Mendicantium, ſine expreſſa licentia Papæ, Carthuſia excepta. *Extrav. Ambitioſa quæ eſt* Martini V. Additur pœna excommunicationis latæ ſententiæ Pontifici reſervatæ, quam incurrunt tam recipientes, quàm recepti. Imò diſpenſare non poſſe Ordinum Mendicantium Prælatos, docet *Rodericus Q. 52. nu. 15.* Voluit enim ſummus Pontifex conſervationem Ordinum Mendicantium ſtabilire, ut patet ex tenore *Extravagante citata.* Nec ullo modo permittitur tranſitus ad Clericatum, ut ex eadem *Extrav. & quadam* Clement. quæ eſt *prima de Regularibus*, conſtat. Verùm intelligenda ſunt hæc omnia non de Novitiis Ordinum, ſed ſolis Profeſsis, excepta Societate IESU ubi in eiuſmodi pari paſſu incedunt, qui abſoluta probatione Vota ſimplicia emiſerunt.

DIXI *Carthuſia excepta:* quam ſi petat quiſquam zelo arctioris vitæ, Superiores non modò poſſunt, ſed etiam debent ſub peccato mortali licentiam dare. Si abſque cauſa negent, vel tergiverſentur, illis omiſsis licet propoſitum ſuum exequi. Qua in re tamen utrimque cum moderatione agendum eſt, ut latiùs explicat *Barboſa in c. Ne religioſi & Leſſius c.41. D.13.* qui ſimul monet obſervandum, Si aliquis Mendicantium tranſeat ad Carthuſianos, vel alium Ordinem Mendicantium, etiam cum ſummi Pontificis licentiâ, inhabilem fieri ad omnes Dignitates, & beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda: item ad curam animarum, & ad omnia officia etiam nomine Vicario: carere item loco, voce activa, & paſſiva in Capitulo, ut patet ex Clem. prima. Denique generatim omnes Religioſos translatos ad alium Ordinem etiã arctiorem eſſe incapaces beneficiorum ſæcularium, quamvis curata ſint, debereque perpetuò manere in clauſtro ſub obedientia Prælati. Ita *Conc. Trid. ſtatuit Seſſ. 14. c.11.* Vbi tamen Congregatio declarat, omnes cuiuſcunque religionis translatos legitimè ad Carthuſianos, poſſe apud

quod illos Priores in Clauſtro, & extra illud procuratores fieri: Item à Prælatis licentiam dari poſſe translato ſtandi ad modicum tempus extra Clauſtrum cauſa prædicationis, vel audiendi confeſſiones Qua in re ut facilem, & benignum ſe præbeat ſuperior, injuncti muneris obligatio ſuadet, quæ non eſt auſteritatis, ſed charitatis. *V. Anton. Perez. in Reg S. Bened. c.64.*

VI. Translatus ad alium Ordinem in eo debet præmiſſo probationis tempore de novo profeſſionem edere. *Barb. in c. Licet. & Conc. Tr. Seſſ.25. c. 16.* Cùm enim Ordinis novi, bonis ac privilegiis frui velit, ea præſtare debet, quæ eum poſſunt capacem reddere Idem dicendum de illo, qui translatus eſt, ut Prælatus fiat. Unde ſequitur, ut ſimili modo locum poſtremum in Choro, & Capitulo occupet, ne aliis Prælatus in ſuperbiam, & laqueum diaboli incidat.

VII. Bona temporalia primo Monaſterio manebunt, ne quidem uſufructu excepto: quæ verò in poſterum lucrabitur, poſteriori cedent *Navar. in c. non dicatis. 12. q. 2. & aliis ab Azorio, & Barb. citati. quin etiam Navar.* cenſet, Religioſum ita translatum ne quidem deferre ſecū poſſe, quæ vel per donationem vel propriam induſtriam acquiſivit: quia licet ejuſmodi tranſitus à Jure permittetur, ſine damno Ordinis, & Monaſterii fieri debet. Quod manu ſcripta attinet melius *cum Valero ſentit Diana* conferre ſecum poſſe, ut libros quoque à ſe compoſitos, quia ſunt proprii ingenii, & laboris fructus: niſi particulari aliquo ſtatuto prohibeatur. *Tuſchus V. Monachus Concl. 322.*

VIII. Qui vel non recipitur in alio Ordine, vel ante profeſſionem dimittitur, redire & recipi debet à priori Ordine, quia nō eſt dimiſſus ſimpliciter, ſed ſub conditione, ut alium Ordinem ingrediatur: Non rediens pro Apoſtata habendus eſt. *Silv. V. Religio IV. q. 5. Miranda to. 1. q. 31. art. 18. Sanch. l. 6. c. 7. n. 30.*

§ XI.

De ejectis & fugitivis.

I. MOs olim fuit, improbos & incorrigibiles Monachos ejiciēdi ex Monaſterio, ut tali ignominiâ, & conſociatis illi ærumnis emendati ad bonam mentem cum filio prodigo redirent. Hunc morem antiqui Canones non damnant, ut videre eſt *in c. ult. de Regular. & c. Cum ad Monaſterium. de ſtatu Monach. Hieron. rela. in c. Reſecandæ 24. p. 3.* Reſecandæ, *inquit*, ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ovis à caulis repellenda. *V. Caram. in Reg. S. Bened. diſp. 136. n. 1758.* At *Congregatio Conc. Trid. Seſſ. 5 c. 14. Declar. n. 3.* aliter ſtatuit, prohibens, ne in poſterum regularium quiſquam ejiciatur à Monaſterio, etiamſi ſit incorrigibilis: ſed peccantes à Superioribus ignominia carceris caſtigentur, & acriùs etiam, ſi opus fuerit, pro modo delictorum puniantur. Paulo aliter Congregatio Regularium An. 1624. ejici poſſe, qui verè incorrigibiles ſunt, ſervatis conditionibus illis, quas in Bullario *Vrbani VIII.* reperies. Hæc ubique ſi obſervarentur minor eſſet vagabundorum fratrum numerus, ceſſarentque innumeræ quæſtiones, quæ propter id genus ejectos, & fugitivos Monachos moveri ſolent. *Perez. in Reg. S. Bened.*

mittendum eſſe tranſitum, niſi cognita cauſa, & vitæ, ac morum ratione perſpecta, idque ex approbatione Capituli. *V. Azor. To. 1. l. 12. c. 14. Q. 8. Diana Par. 3. Tr. 2. Reſol. 42.*

IV. In prædicto tranſitu non attenditur, utra Religio perfectior, ſed utra ſecũdùm communem æſtimationem arctior, aut rigidior ſit. Patet ex verbis *cap. Licet. Vt vitam duceret arctiorem.* Idem *ex c. 1. 20. Q. 4 colligitur, ubi Concil. Triburienſe.* Virgines ſacræ (de viris idem intellige) ſi pro lucro animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerint, ibidemque manere, Synodus concedit. Equidem communi iudicio Carthuſianorum Religio ſtrictiſſima cenſetur propter ſolitudinem, ſilentium, & prolixam pſalmodiam: nihilominùs Minimi ſuperant, quoad abſtinentiam, quia nec ova nec lacticinia admittunt. Atque ita Minimorum Ordinem ſuperare Carthuſianos quoad rigorem multis probat *Riccius. l. 8. c. 7.* Ac proinde licitum eſſe Carthuſianis, & quibuſcunque aliis tranſire ad Minimos, ut habetur in literis *Iulii II. & Leonis X Roder. III. Q. 52. art. 18 & 19.* ubi à Carthuſianis ad Prædicatores tranſitum permitti ex Navarro tradit.

V. Iure ſpeciali prohibetur tranſitus Ordinum Mendicantium ad Ordines monachorum non Mendicantium, ſine expreſſa licentia Papæ, Carthuſia excepta. *Extrav. Ambitioſæ quæ eſt* Martini V. Additur pœna excommunicationis latæ ſententiæ Pontifici reſervatæ, quam incurrunt tam recipientes, quàm recepti. Imò diſpenſare non poſſe Ordinum Mendicantium Prælatos, docet *Rodericus Q. 52. nu. 15.* Voluit enim ſummus Pontifex conſervationem Ordinum Mendicantium ſtabilire, ut patet ex tenore *Extrav. citatæ.* Nec ullo modo permittitur tranſitus ad Clericatum, ut ex eadem *Extrav. & quadam Clement.* quæ eſt *prima de Regularibus*, conſtat. Verùm intelligenda ſunt hæc omnia non de Novitiis Ordinum, ſed ſolis Profeſſis, excepta Societate IESU ubi in eiuſmodi pari paſſu incedunt, qui abſoluta probatione Vota ſimplicia emiſerunt.

DIXI *Carthuſia excepta:* quam ſi petat quiſquam zelo arctioris vitæ, Superiores non modò poſſunt, ſed etiam debent ſub peccato mortali licentiam dare. Si abſque cauſa negent, vel tergiverſentur, illis omiſſis licet propoſitum ſuum exequi. Qua in re tamen utrimque cum moderatione agendum eſt, ut latiùs explicat *Barboſa in c. Ne religioſi & Leſſius c. 41. D. 13.* qui ſimul monet obſervandum, Si aliquis Mendicantium tranſeat ad Carthuſianos, vel alium Ordinem Mendicantium, etiam cum ſummi Pontificis licentiâ, inhabilem fieri ad omnes Dignitates, & beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda: item ad curam animarum, & ad omnia officia etiam nomine Vicario: carere item loco, voce activa, & paſſiva in Capitulo, ut patet ex Clem. prima. Denique generatim omnes Religioſos translatos ad alium Ordinem etiã arctiorem eſſe incapaces beneficiorum ſæcularium, quamvis curata ſint, debereque perpetuò manere in clauſtro ſub obedientia Prælati: Ita *Conc. Trid ſtatuit Seſſ. 14. c. 11.* Vbi tamen Congregatio declarat, omnes cuiuſcunque religionis translatos legitimè ad Carthuſianos, poſſe apud

Digitized by Google

pud illos Priores in Clauſtro, & extra illud procuratores fieri: Item à Prælatis licentiam dari poſſe translato ſtandi ad modicum tempus extra Clauſtrum cauſa prædicationis, vel audiendi confeſſiones Qua in re ut facilem, & benignum ſe præbeat ſuperior, injuncti muneris obligatio ſuadet, quæ non eſt auſteritatis, ſed charitatis. *V. Anton. Perez. in Reg S. Bened.c.64.*

VI. Translatus ad alium Ordinem in eo debet præmiſſo probationis tempore de novo profeſſionem edere. *Barb. in c. Licet.& Conc.Tr.Seſſ.25. c. 16.* Cùm enim Ordinis novi, bonis ac privilegiis frui velit, ea præſtare debet, quæ eum poſſunt capacem reddere Idem dicendum de illo, qui translatus eſt, ut Prælatus fiat. Unde ſequitur, ut ſimili modo locum poſtremum in Choro, & Capitulo occupet, ne aliis Prælatus in ſuperbiam, & laqueum diaboli incidat.

VII. Bona temporalia primo Monaſterio manebunt, ne quidem uſufructu excepto: quæ verò in poſterum lucrabitur, poſteriori cedent *Navar. in c. non dicatis.12.q 2.& alii.ab Azorio,& Barb. citati. quin etiam Navar.* cenſet, Religioſum ita translatum ne quidem deferre ſecū poſſe, quæ vel per donationem vel propriam induſtriam acquiſivit: quia licet ejuſmodi tranſitus à Jure permittetur, ſine damno Ordinis, & Monaſterii fieri debet. Quod manu ſcripta attinet melius *cum Valero ſentit Diana* conferre ſecum poſſe, ut libros quoque à ſe compoſitos, quia ſunt proprii ingenii, & laboris fructus: niſi particulari aliquo ſtatuto prohibeatur. *Tuſchus V. Monachus Concl. 322.*

VIII. Qui vel non recipitur in alio Ordine, vel ante profeſſionem dimittitur, redire & recipi debet à priori Ordine, quia nō eſt dimiſſus ſimpliciter, ſed ſub conditione, ut alium Ordinem ingrediatur: Non rediens pro Apoſtata habendus eſt. *Silv. V. Religio IV. q. 5. Miranda to. 1. q.31. art.*18. *Sanch l.6.c.7. n.30.*

§. XI.

De ejectis & fugitivis.

I. MOs olim fuit, improbos & incorrigibiles Monachos ejiciēdi ex Monaſterio, ut tali ignominiâ, & conſociatis illi ærumnis emendati ad bonam mentem cum filio prodigo redirent. Hunc morem antiqui Canones non damnant, ut videre eſt *in c. ult. de Regular. & c. Cum ad Monaſterium. de ſtatu Monach. Hieron. rela. in c. Reſecanda. 24. p. 3.* Reſecandæ, *inquit*, ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ovis à caulis repellenda. *V. Caram. in Reg. S. Bened. diſp.136. n. 1758.* At *Congregatio Conc. Trid. Seſſ. 25 c.14. Declar. n. 3.* aliter ſtatuit, prohibens, ne in poſterum regularium quiſquam ejiciatur à Monaſterio, etiamſi ſit incorrigibilis: ſed peccantes à Superioribus ignominia carceris caſtigentur, & acriùs etiam, ſi opus fuerit, pro modo delictorum puniantur. Paulo aliter Congregatio Regularium An. 1624. ejici poſſe, qui verè incorrigibiles ſunt, ſervatis conditionibus illis, quas in Bullario *Urbani VIII.* reperies. Hæc ubique ſi obſervarentur minor eſſet vagabundorum fratrum numerus, ceſſarentque innumeræ quæſtiones, quæ propter id genus ejectos, & fugitivos Monachos moveri ſolent. *Perez. in Reg. S. Bened.*

S Bened. c. 28. n. 12. S. Bonav. in Reg. S. Franc. c. 14. Vmbert. in Reg S. Aug. c. 99. Turrecre. in Reg. S. Bened. tract. 88. Summ. Aug. Silv. Tabion. Armilla.

II. Cauſæ ejiciendi tres ſunt *Prima*, nolle corrigi, quam ſolam in Jure exprimi putat *Leſſius c. 41. D. 14. Secunda*, crimen, cui in Ordine talis pœna decernitur, vel ex quo timetur infamia. *Tertia* obtinuiſſe aliquod impedimentum Ordini eſſentiale, vel aliàs grave. Monet *Barb. in c. ad monaſterium* ultra incorrigibilitatem requiri, ut defectus non ſolùm innoteſcat fratribus, ſed etiam ſæcularibus Hiſce cauſis ceſſantibus, ſi Ordo profeſſum aliquem ejecerit, contra juſtitiam peccat, teneturque quamprimùm revocare, niſi aliud particularia ſtatuta velint. Nam ut ſupra diximus, contractus inter Prælatum, & ſubditum id exigit, ut quemadmodum ſponte ſua deſerere Monaſterium non poteſt profeſſus, ita nec invitus ab eo ſeparari. Nondum profeſſi, ſed votis ſimplicibus tantùm ligati, ut in Societate noſtra, dimitti poſſunt nullo crimine patrato, ſed quia minus aliquando utiles, & commodi futuri exiſtimantur. Nec injuriæ periculum eſt, quia cum tali conditione ad vota ſimplicia admittuntur. *V. Azor. 1. l. 12. c. 16. q. 3.*

III. Religioſus juſta de cauſa ejectus non liberatur ab obſervatione Regularum Ordinis ſui, & votorum eſſentialium. *Ita communiter DD.* aliàs non modicum lucrum ex improbitate ſua acquireret in ruinam animæ ſuæ. De Paupertate potiſſima difficultas eſt, cùm à ſuis deſertus comparare ſibi neceſſaria debeat. Communior opinio eſt, non acquirere ullius rei dominium, ſed uſum tantùm. Aliqui tamen cum Molina pleniorem quandam licentiam tribuunt, etiam in uſus illicitos validè expendendi, ita ut accipiens retinere poſſit, idque uſu receptum eſſe etiam *Leſſius*, *Sanchez* fatetur. Cui ergò, *inquis*, dominium acquiritur? Aliqui cum Layman acquiri Eccleſiæ Diœceſanæ putant, ſi inibi beneficium habeat, vel Romanæ, ſi beneficio caret. Cùm enim à Monaſterio ejectus ſit, nihil cum illo amplius commune habet. Alii è contra Monaſterio acquiri volunt, eò quòd æquum non ſit, illud privari jure ſuo, quod ante ejectionem habebat. Nec Monaſterio, nec ulli alteri acquiri dominium tradit Barboſ. allegans motum proprium *Gregor. XIII.* Officii noſtri, quo ſtatuitur, bona omnia per ejectos undecunque acquiſita pertinere ad Cameram Apoſtolicam, ſi moriantur extra Monaſterium. *Dixi*, Non liberari ab obſervatione Regularum, & votorum eſſentialium: quod intelligendum de iis, quæ non repugnant ſtatui, in quo nunc vivit. Neque enim eadem jejunia, eoſdem dies feſtos, & ſimilia obſervare poteſt. Quod habitum attinet, ſi illo privati ejecti ſunt, deferre non tenentur. Reliquorum obligatio non tam extincta, quàm ſuſpenſa cenſetur. Idem de obedientia dicendum, quamvis aliqui cum Soto omninò liberos pronunciant. *Navarrus* dicit incidere in manus Epiſcoporum, quibus obedire debeant. *V. Dominic. Soto l. 7. de Iuſt. quæſt. 1. art. 1. Roderic. Tomo I quaſt 30. art. 20. Caramuel. in Reg. S. Bened. num. 1759.*

IV. Qui ejectus eſt in conſcientia tenetur emendare ſe, & conniti, ut in Ordinem ſuum reſtituatur. Nam ut diximus

Digitized by Google

mus num præced. obligatus manet ad Regulam & obſervationem Votorum eſſentialium. Media igitur adhibere debet, quibus juvetur, quod nullibi meliùs, quàm in Monaſterio ſuo obtinebit. Contrarium nihilominus Navarro placuit, & aliis quibuſdam, qui exiſtimant tuta conſcientia in ſæculo manere poſſe, nec ullum confeſſarium in foro interno, nec Epiſcopum in externo ad reditum cogere poſſe, eò quòd juſtæ ſententiæ de ſua ejectione conformare ſe poſſit: quæ ratio aliquid concluderet, ſi ſententia, ut à ſuperioribus fertur, non includeret tacitam conditionem, ut ejectus agnoſcat culpam ſuam, & de emendatione ac reditu laboret. *Sanchez l. 6. Mor. c. 9. Laym. l. 4. tract. 5. c. 13.*

V. Dubitant aliqui, an ſi emendatus videatur, qui ejectus erat, Monaſterium, vel Ordo revocare illum, aut ſaltem recipere ultrò redeuntem debeat? Pro affirmativa parte aliqui allegant *c. ult. de Regular.* ubi Prælati jubentur fugitivos, & ejectos requirere, ac recipere: ſi autem reverti noluerint, excommunicare. Verùm Navarrus intelligi vult de ejectis injuſtè, vel inordinatè, vel ſaltem non per ſententiam definitivam. Alii Decretum illud *non uſu* antiquatum dicunt. Nam de fugitivis, & ejectis reſtituendis hodie nulla cura eſt. Pro reſolutione dicendum eſt. 1. Eum, qui per juſtam ſententiam perpetuo quaſi exilio damnatus eſt, non tenetur Ordo repetere, aut recipere: nec ipſe ad redeundum obligatur. Talis enim pœna, & condemnatio non excedit gravitatem delicti, cujus cauſa præſcriptus eſt. 2. Si non eſt ſimpliciter, & abſque ſpe redeundi dimiſſus, repeti & reſtitui poteſt, ſi nullum inde ſcandalum, & damnum metuatur. De fugitivis & apoſtatis idem affirmat. *Roder. l. q. 30. art. 5. citatq. c. à nobis de Apoſt.* in quo tamen nihil aliud ſtatuitur, quàm Apoſtatas nolentes habitum recipere, carceris incluſione compelli poſſe. At, *inquit*, poſito ejectum ab Ordine repeti, teneturne obedire? Non videtur, ſi abſolutè proſcriptus eſt. Atque ita ſentit *Navarr. Azor. & alii plures. Barb.* verò *in c. licet*, probabilius judicat, quomodocunque ejecti ſint, teneri, atque ad id cogi poſſe: quandoquidem aliud nihil per ejuſmodi revocationem quæri præſumitur, quàm ut in tranquillo ſalutis portu conſtituatur.

VI. Si nulla ſpes redeundi ſit, poteſt ejectus in ſæculo commorari, & habitu Clericali uti. *Ita Federicum conſulere Rodericus aſſerit q. 30. art. 21.* & meritò. Nam ex dictis conſtat, non teneri ad habitum, quo ſemel privatus eſt: multò minùs alium Ordinem ingredi, quia nullum hujus obligationis fundamentum apparet. Adde, quòd ejuſmodi ejecti infames ſint, & quodammodo ſæculares reputentur. Unde ſequitur, eos ſibi, quoad poſſunt, de genere & modo vivendi providere poſſe. *Navar. Comm. 2. de Regul. n. 36. Azor. 1. l. 12. c. 16. q. 6. Perez in Reg. S. Benedicti c. 29.*

VII. Qui ejectus eſt cum onere alium Ordinem aſſumendi, ſi acceptet, ingredi tenetur, vel impetrare regreſſum. Addit *Layman. l. 4. tract. 5. c. 13. n. 9.* cogi etiam poſſe ejectos ut emendati ad monaſteria ſua redeant, vel ad alium Ordinem tranſeant. Quamvis enim abſolutè loquẽdo, nemo cogi poſſit ad profitẽdũ in aliquo

Digitized by Google

aliquo Ordine, poteſt tamen ſub conditione, ſi ad Ordinem ſemel profeſſum reverti nolit. Etenim tales plerumque non ſine magno ſalutis ſuæ periculo, & ſcandalo ſæcularium foris agunt, in iis præſertim locis, ubi mixti Catholicis hæretici reperiuntur, ut merito abſtrahi, & ad priorem ſtatum compelli debeant.

VIII. Quod Moniales attinet, quamvis incorrigibilis aliqua foret, non eſſe ejiciendam è Monaſterio vel Ordine, ſed vel in Monaſterio, ubi deliquit, puniendam, vel ad aliud Monaſterium transferendam. Probat *Barb. in c. ne religioſi. de Regul. & Conſtit. Vrbani IV. quam etiam Rodericus allegat q. 49. art. 7.* quæ Conſtitutio quoad hoc, neque per Conſtit. *Pii V. Con. Trid.* licet ſtrictiora ſint, videtur revocata judicio *Roderici loc. cit. & Lud. Miranda de Monial. q 3. art. 2.* eamque ſententiam Rota quoque ſecuta eſt in una Ulixbonenſi. Monaſterii 19. *Novemb. Anno* 1625. quemadmodum allegat *Tambur. de jure Abb. Tomo I. diſp. 15. q. 12. Sanch. tamen l. 6. Moral. c. 9. n. 6.* contrarium firmare nititur, motus inde potiſſimùm, quòd omnes rationes pro ejectione Monachorum afferri ſolitæ eandem vim in monialibus habeant, & Monieles non ſtrictiùs, quàm Monachi Religionis voтis obligentur, nec præceptum clauſuræ illas liget, niſi quamdiu in Monaſteriis detinentur; ſicut nec dilatio habitus quoſcunque Religioſos, niſi eo tempore. Nec quiſquam Doctorum reperitur, qui fateatur licitam eſſe Religioſi incorrigibilis ejectionem, & diſcrimen in hoc conſtituat. Ita ferè citatus *Sanchez*, addens prudenter, in praxi conſultum non eſſe, ut Monialem, quæ incorrigibilis apparet, ex Monaſterio dimittat, ſeu proſcribat Prælatus abſque conſenſu Papæ, aut Legati illius, tum quia res ab Eccleſiæ moribus aliena eſt, adeoque ſcandalum facilè pareret: tum quia anſam libertatis inde ſumerent, quæ Religioſæ diſciplinæ odio reditum in Ægyptum appeterent, ſeque incorrigibilium numero aſſcribi paterentur. In Monaſterio igitur, ubi deliquerunt, coarctandæ ſunt; vel certè in aliud, ſi emendationis aliqua ſpes eſt, transferendæ. Quod ultimum in Monachis quoque faciendum ſuadet *Caramuel in Reg. S. Bened. n. 1760.* velletque in concedendis dimiſſoriis faciles & benignos eſſe Superiores.

§. XII.

De Apoſtatis.

I. OMnis Apoſtata fugitivus eſt, ſed non omnis fugitivus Apoſtata. Fieri enim poteſt, ut fugiat animo redeundi. Apoſtata igitur ille dicitur, qui ſponte ſua Ordinem & Monaſterium deſerit, animo valedicendi profeſſioni, & inſtituto: quod aliquando contingit retento habitu, interdum, & crebrius dimiſſo, nunquam reſumendo. *Bern. Diaz c. 112. Armilla. V. Apoſtaſia. num. 6. Roderic. quæſt. 30 art. 1.* Sic deſcribit Apoſtatam. *Eſt religioſus expreſsè, vel tacitè profeſſus, qui deſerit religionem, quam profeſſus eſt, ſine tranſitu ad aliam, cum animo non revertendi ad ſuam.* Addit *art. 2.* eos, qui habitum occultè geſtant, quod denuò *à Concil. Trident. prohibitum eſt Seſſ. 25. cap. 19.* Secundùm deciſionem Rotæ eſſe quidem excommunicatos, non tamen

men Apoſtatas, niſi impropriè loquaris. *Angel. Silv. Tabien. Roſella. Zerola. Sa. V. Religio ci. fin.*

II. Apoſtata, qui habitum dimittit, excommunicatus eſt: imò qui temerè dimittit habitum, alio quàm apoſtatandi animo. *c. ut periculoſa. ne Clerici, vel Monachi in 6.* Non eſſe excommunicatos, qui licet Ordinem deſerant, habitum tamen retinent, *Leſſius cap. 41. D. 15. & Graff. l. 3. c. 26. num. 10. cum pluribus aliis.* cenſet, quia in cit. *c. ut periculoſa* non excommunicantur, niſi qui temerè habitum dimittunt. nihilominùs excommunicari poſſe, & carcere puniri. *Azor. è contra l. 12. c. 16. quæſt. 6* probabilius judicat ipſo facto excommunicationem incurrere, quamvis habitus non dimittatur, argumento ſumpto ex verbis citati capitis *ut periculoſa religioſis evagandi occaſio ſubtrahatur.* Idem *quæſt.* 8. notat, non excommunicari, qui ex rationabili causâ habitum exuunt, puta lavandi, aut ludendi causâ: neque ſi ad breve tempus furandi, aut fornicandi causâ docet *Navar. c. 27. num. 131. Silv. V. Excomm. IX. Caſu 24. Diana par. 3. tract. 2 reſol. 115. V. Azor. Tom. I. l. 12. cap. 17. quæſt. 9. Tuſchus Concl. 424.*

III. *In cap. à nobis de Apoſt.* præcipitur, ut in carcerem detrudantur Apoſtatæ, ſi minis & blanditiis induci non poſſint, ut habitum reſumant, ibique purè aſſigantur, ita ut ſolummodò illis vita relinquatur, donec reſipiſcant. Si quis in apoſtaſia Ordinem aliquem ſacrum ſuſceperit (quo nomine non continentur minores) quamvis Abbati ſuo reconciliatus fuerit, prohibetur exercere illum *c. Conſultationi de Apoſt.* Conſultationi tuæ ait *Honorius Papa*, reſpondemus quod Monachus aliquem ſacrum Ordinem in apoſtaſia ſuſcipiens, quantumlibet ſuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, abſque diſpenſatione Romani Pontificis miniſtrare non poterit in ordine ſic ſuſcepto. Nam quia in excommunicatione ordinem ſuſcepit, irregularis factus eſt. *Henr. in Summâ l. 13. c. 39. Suarez Tom. IV. Diſp. 10. Sect. 1. num 5* Ab hoc ergò vinculo quamdiu liberatus non eſt, in ſuſcepto ordine miniſtrare non debet. *Graff. loc. cit. n. 19.*

IV. Bona per Apoſtatam acquiſita juſtè, & non obnoxia reſtitutioni ad Monaſterium è quo diſceſſit, pertinent, eaque ſecum deferre tenetur, quando redit. Neque enim per inobedientiam ipſius, & fugam Monaſterium amiſit jus per ipſius profeſſionem acquiſitum. Idem dicendum de bonis, quæ illicitè comparavit, v. g. per negotiationem Religioſis prohibitam. Quo in genere *Navar.* refert in India quendam ad viginti millia ducatorum eſſe lucratum. Nec obſtat *Pii IV. Conſtitutio*, quæ jubet ad Cameram Apoſtolicam deferri bona à Clericis tam Regularibus, quàm ſæcularibus per illicitam negotiationem, vel aliàs contra ſacros Canones acquiſita, quia ut fusè declarat *Suarius IV. de Relig. l. 3. c. 3.* cùm lex illa pœnalis ſit, Clericorum nomine Monachos non comprehendit. Adde, quamvis comprehenderet Monachos, ante ſententiam latam Cameræ Apoſtolicæ non ſunt inferenda. Poterit igitur Monaſterio tradere, à quo poſt mortem Apoſtatæ ſi Camera Apoſtolica exigat, Prælatus, quod juſtum fuerit, de ejuſmodi bonis, faciat.

Digitized by Google

Panorm. in c. ult. de Regul. Item *c. Abb.* 18. *q.* 2. *Az. l. l.* 12. *c.* 16. *q.* 8. *Laym. l.* 5. *tr* 5. *c.* 13.

V. Dubium eſt, de cooperantibus ad fugam, & Apoſtaſiam religioſi, quomodo peccent, & obnoxii fiant reſtitutioni? Conſtat peccare omnes, qui conſulunt, impellunt, juvant, aut celant fugientem: eos item, qui recipiunt, aut fovent, vel alio modo cooperantur, niſi fortè amicitiæ causâ protegant illum. De reſtitutione potiſſima Difficultas eſt.

R. Igitur 1. qui Religioſum aliquē quocunq; modo inducit, aut facit apoſtatā, non tenetur illius loco ordinem ingredi, aut ejus loco alium quærere, qui ſubſtituatur. *Ratio*. quia profeſſio Religioſa, nulli invito imponi poteſt aut debet, cùm ſit opus arduum & extraordinariū, maximè ſi pro delicto ſuo aliter ſatisfacere queat. *Soto l.* 4. *de Iuſt. c.* 6. 2. Pro ſolâ carentiâ Religioſi ab ordine abſtracti nulla debetur reſtitutio, quando ipſa perſona reſtitui nequit: quia damnum hoc in illis bonis eſt, quæ in eodem genere reſtitui non poſſunt: nec obligatio eſt compenſandi bonis ad inferiorem ordinem ſpectantibus. *Suar. IV. de Relig. l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. 3. Qui per vim, aut fraudem monaſterio eripuit profeſſum aliquem, tenetur in primis ipſum, ſi poteſt, reſtituere: deinde compenſare omnia damna ipſi Religioſo illata. Denique reſtituere Ordini vel monaſterio, quicquid occaſione illius injuriæ patitur. Ratio manifeſta eſt, quia horum omnium efficax cauſa fuit, vi & fraude protrahendo ex Monaſterio, cujus erat profeſſus. *Cajet. in Sum. c.* 7. *V. reſti. Nav. c.* 14. *n* 45. *Silv. Soto. & alii.*

VI. Qui nullâ vi, aut fraude perſuadet alicui fugam, & apoſtaſiam, neque ipſi, neque ordini quicquam reſtituere tenetur. *Ratio eſt*, quia talis perſuaſio non impugnat juſtitiam, ſed charitatem, cujus violatio non obligat ad reſtitutionem, quemadmodum obligare injuſtitiam docet *S. Thom.* 22 *q.* 62. *art* 1. Non fieri autem injuriam apoſtatæ, patet ex illo vulgari, *Volenti non fit injuria Dynus in Reg.* 27. *ſcienti de Relig. l. in* 6. *Decius in Reg. nemo fraudare* 187. Ordini quoque & monaſterio non fieri injuriam probatur, quia conſulens fugam alicui aut perſuadens non immutat voluntatem ipſius, quā ergà ordinem benè affectus eſt, multò minùs tollit libertatem, ac proinde non eſt cauſa efficax defectionis, & damnorum, quæ inde promanant. Ad reſtitutionem igitur obligari non poteſt. At, minimùm, *inquis*, tenetur revocare conſilium ſuum, ut qui defecit, de reditu cogitare incipiat. Reſp. procul dubio ſecurius eſt, ita facere, & maximè conſentaneum charitati. Verùm, ſi de rigore juſtitiæ loquamur, non apparet, unde talis obligatio oriatur, cùm ſupponamus, non eſſe peccatū contra juſtitiam, nec reſpectu Apoſtatæ, qui deſeruit ordinem, nec reſpectu ordinis, qui ab apoſtata deſertus eſt. *Az. to. II. l.* 5 *c.* 2. §. *Tota igitur Suar. l. cit. n.* 14.

VII. Si vis inferatur Religioni tantùm, & non Religioſo, non eſt obligatio reſtituendi damna inde in Religionem derivata. *Ex gr.* Petrus volens Ordinem & monaſterium deſerere, detinetur ab illo. Ego eripio illum, & viam ad fugiendum aperio. Illi à me injuria non fit, quia volentem eripio: Monaſterio injurius ſum privando aliquâ ſui parte, à me tamen repetere damna non poteſt, quia Apoſtata non fuit in Monaſterio, ut ei prodeſſet

Digitized by Google

deſſet per acquiſitionem, aut lucrum temporale: hujus igitur intuitu quaſi per me impediti, vel extincti non teneor ad ullam reſtitutionem. Valdè conveniens tamen eſt, ejuſmodi cooperatorem, ad aliquam ſatisfactionem aſtringere arbitrio boni viri, quemadmodum *Soto dicit loc. cit. V. Suarez. IV. de Relig. l. 3 c. 3. num 18. Roderic. III. q. 14. art 4. Silv. V. Reſtitutio III. num. 2.*

§. XIII.

De bonis temporalibus Religioſorum, & iure Succeſſionis.

I. PAupertatis profeſſionem non obſtare dominio, & proprietati bonorum temporalium, quoad Communitatem, Ordinem, Religionem, Monaſteria, Collegia, & Domos notius eſt, quàm ut probatione egeat. *Leſſ c. 4 dub. 5. Tann. III. D. 4. q 1. n. 39.* Quin etiam cùm expertes illius eſſent Mendicantium Ordines, indeque penuriâ magniſq; incommodis premerentur *à Conc. Tr. Seſſ. 25. c. 3.* indultum omnibus eſt (exceptis Capuccinis, & qui de obſervantiâ nominantur) ut immobilia bona in communi poſſidere queant. Adde, quod auctoritate Summi Pontificis fieri poteſt, ut privatæ perſonæ nuncupatis Votis Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, per quæ verè Religioſi efficiantur, bonorum ſuorum dominium, abſque uſu tamen, & adminiſtratione ſaltem ad tempus retineant, ut cum *Suario IV. de Relig l. 4. c. 4. demonſtrat Roder. To. I. q. 1. art 4. Valent Tom. III. D. 10. pun 3. q. 4.* Quod ſi lubet prima Eccleſiæ tempora inſpicere, inveniemus primos illos & celeberrimos Anachoretas, Paulum, Antonium, Hilarionē, Macharios, & ſimiles ità religioſam vitam egiſſe, ut non abdicarent dominium, & proprietatem earum rerū, quibus utebantur quotidie, quamvis parvæ, & paucæ eſſent. Unde colligimus gradus eſſe in paupertate ſecundùm magis & minùs, ut hodieq; in tanta Religionum varietate cernimus. *Roder. III. q. 29. art. 3. & 4. Valent. Tom. III. Diſp 5. q. 10. p. 1. Suar. III. de Rel. c. 7 Aſſer. 1.*

II. Æquè certum eſt, omnes Profeſſos omni dominio, ac proprietate per Votū Paupertatis privari, ut ſupra *§. 5. explicavimus.* Reſtat modò videndum, ad quos earum rerum, quas ipſi relinquunt, dominium perveniat. Jure gentium tam ſacro, quàm profano conſtitutum, ipſoq; uſu comprobatū eſt, ejus, qui profeſſionē facit, bona omnia, de quibus ante non diſpoſuit, ad Monaſterium, cui incorporatur, modò dominii capax ſit, tranſire. *c. quia ingredientibus 7. 19. q. 3. c. non dicatis. 12. q. 1. Monach. de ſtatu Monach Con. Tr. Seſſ. 25. c. 2. Nov. 5. quæ eſt de Monachis. c 5. Auth. ingreſſi C. de Sacroſan. Eccl & Novella 123. c. 38.* Eſtque hoc valdè conſentaneum rationi, 1 quia conſilium Chriſti eſt, dare Pauperibus inter quos meritò præferuntur Religioſi. 2. ut augeatur ſubſtantia Monaſterii, in quo victurus eſt recens profeſſus: æquum præterea, ut conferat quaſi ſtipem. Denique qui ſeipſum tradit, cur non etiam bona ſua, quæ ſi cognatis relinqueret, forſitan non benè impenderent.

DIXI *omnia bona.* Cùm enim triplex peculium ſit 1. Earum rerum, quarum domini ſumus. 2. Earum, in quibus uſumfructum habemus, vel admini-

niſtrationem. 3. earum, quæ continentur mobilibus, & immobilibus, nihil horum excipitur, quin Monaſterio accreſcat. Nec feuda excipiẽda ſunt, nec iura, actiones, & ſimilia, quæ bonorum nuncupatione comprehenduntur. Feuda intellige franca, & libera ab obſequio, quod commodè à Religioſis ipſis, vel per extraneum præſtari queat. Idem dicendum de bonis gravatis, cuiuſmodi eſt Fideicommiſſum tibi relictum cum onere, ut ſi abſque liberis decedas, fratri, vel alicui alteri tradas. *c.* 8. *in præſentia de probationib. Novella* 123 *c.*37 *Roderic.Par.*2.*pag.*216.*Tuſchus. V.* Monaſterium *Concluſ.* 344.*Leſſ. l.*2.*c.*4 *Dub.*5. *Barb. in c in præſentia de prob.*

III. Ex hoc ſucceſſionis iure, quod à morte morali illius, qui profitetur, Monaſterium adipiſcitur, omnium futurorum ſequela manet, ita ut quicquid Monacho, vel Religioſo quacunque via, ac modo ſive per induſtriam, ſive hæreditatem acquiritur, id totum Monaſterio accreſcat, ut ſupra diximus, & pluribus explicat *Navarrus in Comm.*2 *de Regular. nu.* 31. addens præterea ſervo æquiparari, ita ut omnia iura de ſervis loquentia, quoad acquiſitionem, & amiſſionem rei pecuniariæ locum habeant in Regularibus ſecundùm *Innoc.in c. Cùm olim. de privi.* Denique, iura diſponentia de filiis familias etiam in Monachis locum habere, ac proinde acquirere monaſterio, quamvis de mandato alterius ſtipuletur. *V. Azor.* 1. *l.*12. *c.* 10. *Sanch.l.*7.*Mor.c.*12 *n.*53. *Roderic. Tom.* 11. *Q.* 126. *art.* 1. *& ſequentib. Leſſ. c.* 41. *D.*11.

IV. Si quis ad profeſsionem faciendam ab Abbate per fraudem inductus eſt, ut illius ad ſe bona trahat; non accreſcent Monaſterio, ſed ad hæredes ab inteſtato pervenient *c.Conſtituit* 20. *Q.*3. ubi dicitur, Qui illecti comam depoſuerunt, in eo, quod cœperunt, perſeverare cogantur: res verò eorum hæredibus reddantur. Circa quem textum *Barb.* notat tria requiri, ut locum habeat. *Primum eſt*, ut dolus cauſam ingreſſui dederit, ita ut eo ſublato ingreſſus non ſequeretur. *Secundò* ut decipiens intuitu bonorum acquirendorum egerit, non verò familiaritatis cauſa, aut aliarum dotium, quas notarat in ingreſſuro. *Tertiò* ut ab ipſo Abbate deceptus fuerit. Notat inſuper & *Barb. & Navar.* profeſſionem errore, aut dolo factam non eſſe irritam, modò talis fraus ſit, quæ non tollat omnem conſenſum illius, qui decipitur, *Az. l cit.*

V. Si liberi ſuperſint, & ante profeſſionem pater non fecit diſpoſitionem, licet illi poſt profeſsionem bona ſua liberis diſtribuere, idque indulto Iuris, vi cuius quaſi adminiſtrator agit. Eidem tamen teſtari prohibitum eſt, eò quod teſtamenti confectio magis apertam dominii ſpeciem habeat, ut *Nav. loquitur Com.*2 *de Regular n.*45.*Leſſ c.*41.*D.*8.*Suarez* 111 *de Relig.l.*8.*c.*16. Neque obſtat, quòd Iuris Civilis ea Conſtitutio ſit, quia illam, & alias multas Ius Canonicum ratas habet. Inſuper Decreto inſerta eſt *c. Si qua mulier* 19. *Q.* 3. Idem dicendum, ſi nepotes, aut pronepotes habeat, ſiquidem hi quoque filiorum nomine veniunt. Imò de illegitimis quoque, ubi à ſucceſſione non excluduntur. *Az l.cit.c.*6. Addit *Barb.* ex paritate rationis extendi etiam ad aſcendentes, illiſque deberi legitimam ſuam, teſte Molina, & aliis multis. Vnde infert,

ſi Mo-

nachus ex Patris, aut alterius iure ſanguinis ſibi obveniente bona acquirat monaſterio, & moriatur, in vivis relicta avia, huic legitimam deberi: monaſterium verò tantùm in tertia parte ſuccedere. Longè alia ratio bonorum eſt, quæ Religioſus poſt profeſsionem ſuam induſtriâ, & ingenio proprio comparauit. De his enim nihil ad extraneos pertinet, ſed ad Monaſterium iuxta doctrinam ſup. *n.* 2. traditiam.

VI. Si Profeſſus teſtamentum fecit ante Ordinis ingreſſum, nullâ Monaſterij habita ratione cui tamen ſe ſuaque omnia ingrediens explicitè dedicavit, per profeſſionem ſecutam rumpitur, quia, ut ſuppono, capax eſt ſucceſsionis quaſi agnatione poſthumi, quod non fiet tamen, ſi vel unus denarius in teſtamento relinquatur monaſterio, quemadmodum *Abb Cynus, Odofr. & alii obſervant.* Excipe, Niſi quo tempore teſtamentum fecit, nihil dum de ingreſſu Ordinis cogitabat. *Covarr. in c. 2. de teſtam. Roderic. To. III. p.* 16. *art.* 2. *Iul. Clarus eod. tt. Q.* 28. *Barb. in c. ſi qua mulier.* 19. *Q.* 3.

VII. De uſufructu quæſtio eſt, quem pater monaſterium ingreſſus habuit in adventitiis filiorum bonis. Aliqui extingui per profeſſionem, & relinqui filiis putant: alii verò totum Monaſterio accreſcere, & manere, donec pater obeat. Hanc opinionem B*arboſa* præfert citatis multis DD. quibus etiam ſubſcribit *Leſſius c.* 41. *D.* 10. *n.* 83. eò quòd omnia bona profeſſi Monaſterio accreſcant, & de Vſufructu in jure non excipiatur. Idem dicendum, ſi Religioſus ante profeſſionem teſtamentum fecit, & inſtituit hæredes non neceſſarios, ſed fratres, & cognatos. Bonis enim fruetur Monaſterium toto tempore, quo vixerit profeſſus, quo mortuo tandem hæredes capient. *Navar. Comm.* 11. *de Regularibus, c.* 38. *Sanchez l.* 7. *Mor. c.* 13. *à num.* 47. *Roderic. To.* III. *p.* 16. *ar.* 4. *Azor.* III. *l.* 1. *c.* 27. *§. Quid verò.*

VIII. Quando Monaſterium non eſt capax ſucceſsionis, nec aliter diſpoſitum eſt ante profeſsionem, bona profeſsi ad hæredes neceſſarios deveniunt, non ſecùs, ac ſi naturali morte obiiſſet. Alioqui bona fierent adeſpota, vel dominium illorum maneret ſuſpenſum, quod tam à legibus, quàm ratione alienum eſt. *Clem. Exivi. de verb. ſign. Leſſ. c.* 41. *D.* 10 *circ. fin.*

IX. Caius profeſſus ante ingreſſum Ordinis civilem obligationem contraxit, eſtque obnoxius Sticho, qui actionem inſtituere cogitat, poteſtne in perſonam Caij formam concipere. R. cum diſtinctione. Si non eſt ſatisfaciendum ex bonis, quæ Monaſterio acceſſerunt, contra perſonam agendum eſt, quia obligationes civiles, & debita per profeſsionem non extinguuntur. Si autem ex bonis Monaſterio illatis ſatisfieri debet, actio contra Monaſterium inſtituetur, quod ex acceptis præſtabit, quæ per Iudicem definita erunt. Idem in delictis fiet, quæ ante ſuſceptionem fraudulentam habitus commiſſa ſunt: ut nimirum de illis apud laicum Iudicem conveniri queant. *Roder.* II. *Q.* 2. *art.* 3.

X. Supereſt Dubium, An valeat Statutum, ne Religio ſuccedat in bonis ſuorum profeſſorum? Ex tribus opinionibus à Sanchez explicatis vera haud dubiè eſt eorum, qui dicunt, eiuſmodi Statutum à Magiſtratu laico formatum irritum, &

inane eſſe, quia leges, & ſtatuta civilia etiam in favorem eccleſiaſticarum perſonarum facta nullam vim habent, quamdiu ab Eccleſia non approbantur. Neque obſtat, quod privilegium ſuccedendi in bona profeſſorum Imperatores conceſſerint, quaſi ab iiſdem tolli queat: Nã ſemel acceptata ab Eccleſia non admittunt retractum. Adde, quod Vniverſus orbis terrarum à quo poteſtatem ſuam Imperator accepit, in prædictam immunitatem conſenſit, ut *Bellarm.* notat *l. de Cler. c. 28.*

Huc pertinet etiam illa quæſtio. An non per generalem aliquam legem pro omnibus latam à Magiſtratu civili, etiam Clerici, & Religioſi aliquo ſuo commodo privari queant? R. poſſe. Exemplum eſto, ſi minueretur legitima filiorum, ut quæ nũc eſt dimidia pars, deinceps tertia ſit, tã clerici, quam religioſi paterentur damnum aliquod. Similiter ſi lex aliqua ſtatueret, in ſucceſſione fœminis præferendos eſſe mares, eæ, quæ moniales effectæ ſunt, non minus illâ ligarentur cum aliquo incommodo ſuo, quàm ſæculares, *Menoch. Conſil. 169. Zechus de rep. eccleſ. tt. de* Regul *c 3. Sanchez l. 7 c. 12. n. 18. Molina l. 2 de primogen. n.* 81. & 82. Roderico. *to. 11. p. 77. ar. 3.*

XIIII. §.

De Privilegiis Regularium.

COpia, & varietas privilegiorum, quibus DEO conſecratæ perſonæ ornatæ auctæque ſunt, tot dubiis. & difficultatibus onerata & implicata eſt, ut difficile ſit ordinem, & exitum reperire. Seligemus tamen, quæ magis nota, utilia, neceſſaria videntur. Igitur.

I. Repetendum animo eſt quod *Tit. 1. §. 5.* diximus, quæ Clericis in Iure, vel Canonico, vel Civili, ſive ad negotia, ſive ad iudicia ſpectent, omnia Regularibus, ac Religioſis competere, nomine Clerici tam latè ſumpto, ait Novitios quoque imò etiam Moniales, comprehendat. Vnde conſequitur velut Corollarium. 1. Religioſum quemcunque propter debitum civile, nec capi, nec incarcerari poſſe à Iudice ſæculari: niſi fortè animo defraudandi Creditores Monaſterium ingreſſus eſſet. Tunc enim nondum profeſſus coram ſæculari iudice conveniri poſſet. Quod ſi monaſterium ſciens, & volens ad profeſſionem receperit, culpã, & debitum in ſe derivavit. *c. Odoardus de ſolutionib. 2.* Qui exempti ſunt, ne quidem coram epiſcopo conveniri poſſunt, ſi Ius commune ſpectes. Aliàs in *Concil. Triden* excipiuntur ſex Caſus. *Primus* reperitur *in Seſſ. 6. c 3. & Seſſ. 25 c. 14.* ubi facultatem dat epiſcopis puniendi Religioſos extra Monaſterium degentes ſi deliquerint, etiam in aliqua domo, ad erectionem monaſterii deſtinata, ubi non vivitur conventualiter. *Secundus* in *Seſſ. 25 c. 14.* Si epiſcopo inſtante Superior religioſum intra præfixum tempus non puniat, deque eo epiſcopum certiorem faciat. *Tertius*, ſi crimen enorme ſit, & pœna depoſitionis dignum, de quo *Navar. Conſil. 6. de fo. compet. Zerola* Par. 2 *V. Regulares. Quartus*, ſi monachus delinquendo violet auctoritatem epiſcopi impediendo iuriſdictionem, aut diſpoſitionem, V. g ſi maritum uxore invita in Monaſterium receptum epiſcopo inſtante nolit reddere; coercere illum, & compellere pœnis ad obedien-

obedientiam poteſt. An verò, ſi exemptus ſit, cenſuris quoque innodare queat. non ſatis liquet *Sanch. l.7. de Matr. Diſput. 33. nu.23. Quintus* quando agitur de mercede, & miſerabilium perſonarum adiumentis *Conc Tr. Seſſ.7. c.18. Sextus* denique Vagabundi & abſque literis obedientiæ per civitatem aut diœceſin tranſeuntes ab epiſcopo detineri, incarcerari. & tãquam inſtituti ſui deſertores puniri poſſunt *Co.Tr.S 25.c.4 Rodriq.To 1.pag. 63.*

II. Si Religioſus crimen aliquod commiſerit extra Monaſterium, de quo accuſandus ſit à laico non ſubdito Abbati, nec alteri Superiori, dubium eſt, coram quo iudice conveniri debeat. *Rodericus 11. p. 63. ar 5.* virorum doctiſſimorum ſententiam eſſe dicit coram Iudice eccleſiaſtico conveniendum eſſe: qui iidem tamen fateantur, in civilibus cauſis apud ſolum Abbatem accuſandum eſſe, niſi fortè ſtudiorum vel aliorum negotiorum cauſa extra Monaſterium degit. Tunc enim propter cõtracta debita, & ſimilia in foro ſæculari conveniri poſſe, ſi licentia Abbatis non deſit, & ſi contractus aut debitum moderatum ſit iuxta æſtimationem viri boni, & prudentis. Idem *Roder Q.46. ar.8.* docet ab epiſcopo capi poſſe religioſum in gravi delicto deprehenſum, ore fugiat, ita ut intra 20. horas reddat Superiori ſuo, & legitimo Iudici: quod laicis quoque permittitur, ut *in 2 Parte* latius explicabimus. *V. Barb. de poteſt. epiſc. Par. 3 al leg.105 n.13. & ſequ.*

III. Multos huc uſque torſit illa quæſtio An privilegia Ordinum religioſorũ, quæ Decretis Concilii Trid. adverſantur, abrogata ſint? Nam affirmativa pars maniſeſtè colligi videtur ex *Bulla Pii IV. In principis Apoſtolor. Greg. XIII. In tanta negotiorum, & Sixti V.* Vnde *Piaſecius in Praxi epiſc. pag. 206. Licet Greg. XIII.* Mendicantium privilegia confirmarit, clauſula tamen addita eſt *In quantum Decretis Conc. Trid non adverſantur*, quam clauſulam etiam alii Pontifices in ſuis cõfirmationibus addi voluerunt. *Piaſecio ſubſcribit Vallenſis l 5 ti.33 nu.2. Barb in Collect. Deciſ. Apoſt. pag. 429. nu 15. Item Collect. Concil. Trid S. 25 c.21.* privilegia omnia Regularium etiam ea, quæ Mare magnum appellãntur, ſunt revocata in his, quæ Concilio Trid adverſantur, per *Bullam Pii V. ſub 13 Cal. Mart. An.1565. Congregatio Conc. referente Nicol Garcia de benef par 3 c.2.* Idem *Zerola, & alii* loquuntur. Non deſunt tamen qui contrarium aſſerant cum *Suario l.8. de leg. c 18. ci. fin. & Roderico Par.1 q 8 a 7.* videlicet ea tãtùm privilegia abrogata eſſe, quæ adverſantur Decretis Conc. Trid. irritantibus privilegia ſibi adverſa cuiuſmodi ſunt, quæ habent clauſulam *Non obſtantibus privilegiis in contrarium*. Nam ſi omnia abſolutè abrogantur per Decreta Concilii, cur in quibuſdam expreſsè additur clauſula, *Non obſtantibus*, quæ omninò ſuperflua eſt, ſi hoc ipſo concidunt privilegia, quia contradicunt. Exemplum habes in *Seſſ 23 c.8.* ubi duo ſtatuuntur, *Primum* eſt, ut ſacri Ordines ſtatutis à jure temporibus, & in cathedrali eccleſia cõferantur. *Alterum*, ut unuſquiſque à proprio epiſcopo ordinetur, & nequaquã permittatur ut ordinetur ab alio, non obſtante ullo privilegio. Vides in hoc poſteriori clauſulam derogatoriam addi, quæ in priori deeſt. Ac proinde Religioſus hodieque ordinari poſſe extra conſueta tempora, quemadmodum

illis

Digitized by Google

illis ſua privilegia permittunt: itaque ſentire viros in Hiſpania doctiſsimos *Rodericus affirmat. V. Barb de poteſt episc. Par.* 3. *Alleg.* 105 *n.* 44. ubi plures AA in utramque partem citat.

IV. Quomodo reſtricta ſint à ſummis Pontificibus Regularium privilegia deſcriptis illorum bullis fusè demonſtrat *Piaſecius in Praxi ſua Par.* 2. *c.* 3. *Prima bulla eſt Leonis* X. Sacro approbante Concilio: in qua epiſcoporum dignitati & iuriſdictioni plurimum conſulitur. 2. *Gregorii* XIII. In tantâ rerum: per quam omnia à Pio V. diverſis Decretalibus conceſſi revocata, & ad terminos Iuris communis. ac Conc. Tridentini reducta ſunt. 3. *Clementis* VIII. *ſuſcepti muneris.* in qua urgetur executio Decreti *in Seſſ* 25. *c.* 14. & pœna ſtatuitur Superioribus, qui impediunt punitionem ſubditorum. 4. *Pii V.* Expoſcit: quæ particulariter eccleſias militum S. Ioannis Ieroſolym. in quibus cura animæ exercetur, epiſcopis ſubiicit. Ex his colligit *Piaſecius* 1. Regularibus non licere libros de rebus Fidei ſeu ſacris imprimere, niſi prius examinatos, & approbatos ab epiſcopis. *Conc. Triden. Seſſ.* 4. *de ed. libr.* Non poſſe concionari in ſua eccleſia, niſi approbati à ſuis Superioribus fuerint, & præſentati epiſcopo benedictionem obtinuerint. In aliena verò eccleſia ſi concionari voluerint, prius ab Ordinario licentiam petendam, & fidem de doctrina ſua, moribus, & idoneitate faciendam eſſe 3. Interdici poſſe ab epiſcopo, ſi errores prædicent, imò quocunque alio modo. etiam non reddita cauſa. Neque *Pii V. in hoc Bullam* quicquam prodeſſe, quia revocata ſit per *Greg.* XIII. 4. Si Regularis hæreſes prædicet, ab epiſcopo puniri poſſe. Similiter ob quodlibet crimen, quod depoſitionem meretur. 5. denique compelli ab Epiſcopo poſſe ad lectionem S. Scripturæ in monaſterio habendam. *Seſſ.* 5 *c.* 1. *Ita ferè Piaſecius*, cui *Barb.* conſentit non ſine auctario *de poteſt epiſcop. Par.* 3. *Allegat* 105.

V. Quando duo Ordines vel monaſteria in privilegiis æqualia ſunt, ut cenſentur eſſe omnium Mendicantium, non valet illud Vulgò iactatum Privilegiatus non utitur privilegio ſuo contra privilegiatum. Ac proinde ſi unus Ordo ex. gr. privilegium habet non ſoluendi decimas, & alius ſimiliter, poterunt nihilominus ab invicem decimas exigere Nam æqualitas illa privilegiorum valdè per accidens ſe habet ad uſum privilegiorum, ac proinde non impedit uſum alterius privilegii. *Ita Panorm. & alii ex l. ult. ff. Ex quibus cauſis maior.* E contra quando privilegium unius opponitur privilegio alterius reſpectivè, non poteſt uti privilegio ſuo contra pariter privilegiatum. Exemplum eſto. Si contra creditorem habeas privilegium, ut ante certum tempus cogi non poſsis: creditor autem habeat privilegium, quolibet tempore exigendi, nihil efficies opponendo privilegium tuum: quanquam in hoc caſu creditoris privilegium non æquale, ſed maius & fortius videtur, cùm ſit in ipſo iure naturali repetendi quod ſibi debetur, fundatum. Alia exempla privilegiorum, quæ religioſi Ordines habent, videntur etiam æqualia, v. g. concionandi, docendi, & ſimilia. Sed quia Ordo ordinem tempore, & antiquitate antecedit, hoc ipſo inæqualia cenſentur, ita ut tempore poſterius, cedere debeat. Fingenda igitur omnimoda æqualitas eſt, V. g. in uno

Digitized by Google

uno agendi, in altero reſiſtendi, neuter quicquam ab invito impetrabit, quia in tali æqualitate non apparet ratio, cur hic aut ille iure ſuo cedat. *Covar. in Regula Poſſeſſor 2.p §.2.Suar.l.8.de leg.c.23.Dynus in Reg.Iu.28.Bonacina to.2.pag.81.Tuſchus concluſ.760.*

VI. Privilegium *ad inſtar* illud dicitur, quod imitatione alterius tanquam Ideæ, vel exemplaris conceditur. De quo notatu digna ſunt ſequentia.

1. Privilegia *ad inſtar* religioſis non dari per communicationem propriè, ſed per conceſſionem primariam, & directã. 2. nõ ideò minui, & ceſſare, quia minuuntur, & ceſſant privilegia, quorum imitatione data ſunt. 3. Quando in privilegio communicato addita eſt reſtrictio, diligenter examinandæ ſunt cauſæ, & circumſtantiæ, ut ſciatur, an cum tali reſtrictione an ſine illa concedantur. Hinc *Rodericus, cum Suario l.8.de leg.c.17.docet*, quamvis privilegia Societatis noſtræ ita dentur, ut mediante Præpoſito Generali inferiores participent, ab aliis Ordinibus tamen ſine reſtrictione communicari. At verò, quando additur clauſula, ne ab aliis participentur, contra *Rodericum* probat *Suarius* ita valere, ut nullo modo alii Ordines, licet alioqui generalem communicationem habeant, uti illis poſſint. Nam aliàs fruſtra omninò adderetur prædicta clauſula, & per ſe notum eſt in iure, *Generi per ſpeciem derogari*, etiam quando ea præceſſit. *Dynus in Reg.Iu.34 V.Suar. l.8.de legib.c 16 Tuſchus Concl 763.* Exemplum privilegii *Ad inſtar* habes in Bulla Cruciatæ, cuius hodie uſus eſt in regnis Hiſpaniæ. Conficitur enim imitatione illius Bullæ, & Indulgentiam, quæ in terram Sanctam proficiſcentibus, & cruce ſignatis primùm conceſſa eſt *ab Vrbano 2. Anno Chr. 1095. V.Baron.*

VII. Privilegia amitti per renunciationem expreſſam, uſum quoque materialiter, & formaliter contrarium, in confeſſo eſt. Quomodo autem amittantur per non uſum, ſeu renunciationem tacitam, explicatione indiget.

1. Igitur per non uſum merè negativum tolli non poſſunt, hoc eſt, quando occaſio exercendi non occurrit. Sic enim in ſimili omiſſio merè negativa alicuius actus, quo tempore præceptum non obligat, minimè voluntaria & culpabilis cenſetur. *c. Tuarum. de Privileg.ubi Barboſa.*

2. Privilegia, quibus alii gravantur, aut premuntur, per non uſum privilegiati amitti poſſunt, quadam quaſi præſcriptione eorum, quibus moleſta erant: Ac proinde certum tempus requiritur, quemadmodum in aliarum rerum uſucapione. de quo in *Par. 2. tt. 13.* agemus.

3. Privilegia, quæ meram gratiam, aut favorem continent, per non uſum ſeu tacitam renunciationem amitti poſſunt, ſi de ea ſufficiens iudicium, ſeu probatio fiat. Si verò hoc deſit, conſtare non poterit, de voluntate illius, qui privilegio ſuo non utitur. Exemplum eſto in privilegio nundinarum, quod ſtatuto legis per non uſum decennii expirat.

4. De tempore requiſito ad amiſſionem privilegiorum multa mox ſuo diſſerit *Suarius l. 8. c. 35.* probatque in privilegiis abſolutis, quæ præſcriptione extingui non poſſunt, nullum per ſe tempus definitum eſſe: in aliis attendenda ſunt iura,

Digitized by Google

quæ vel generaliter, vel ſpecialiter tempus definiunt. *V. Barb. in c. ſi de terra. de Privileg.*

5. Perpetua cenſentur privilegia, quæ per modum Contractus obtenta ſunt, quod duobus modis contingit. 1. ſi concedantur pretio accepto, vel propter merita & beneficia præſtita. 2. ſi extraneo non ſubdito concedantur, in quo non eſt locus legi, ſed contractui. *V. Anto. Peregrinum l. 1. de iurib. Fiſci p. 61.*

VIII. Ex dictis duplex error corrigi poteſt, & debet. *Primus* illorum eſt, qui nimium tribuunt privilegiis ſuis, & abutuntur illis. Quo in genere aliqui Religioſi peccant contra Ordinarios locorum urgendo privilegia Ordini conceſſa. Non eſt intentio unquam Summi Pontificis, diſciplinam eccleſiaſticam ſua liberalitate imminuere, ſed ſtabilire potius, & augere. Præterea unicuique ius ſuum cupit integrum permanere, ita ut nemini auferat, quod ſuum eſt, cùm non dominus bonorum eccleſiaſticorum, ſed fidelis diſpenſator conſtitutus ſit. *c. Ex tuarum de auct. & uſu pall. c. ſuper eo. de off. de leg. Alius error* eſt oppugnantium privilegia eccleſiarum, & Ordinum, ubi contra innocentes aliquando bellum geritur. Metuunt videlicet Ordinarii, ne Religioſi ſuorum privilegiorum uſu, ſuæ auctoritati & iuriſdictioni officiant. Improbus hic labor eſt, Zelus non ſecundùm ſcientiam. Admittant ſocios laborum, ut fiant participes meritorum *V. Vindicias privilegiorum &c Franciſci à fonte.*

§. XV.

Satisfit Dubiis.

DUB. I. Quomodo interpretanda ſint Privilegia?

Cùm alia ſint contra Ius, ut diſpenſationes in communi lege: alia præter Ius, ut poteſtas abſoluendi: alia meræ gratiæ, non niſi diverſis deciſionibus ſatisfieri Dubio poteſt. Dicendum igitur.

I. Privilegia Iuri communi contraria ſtrictè interpretanda ſunt, ne communi bono nimiè obſint. Quoad hoc enim cenſentur odioſa.

Excipe *Primò*, quæ in fovorem piæ cauſæ dantur. Nam ut dicitur *l ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. fun.* Summa ratio eſt, quæ pro religione facit.

Excipe *Secundò* ſi privilegium motu Principis proprio conceſſum ſit.

II. Privilegia præter ius conceſſa, & meræ gratiæ, à quibus nullum, vel non æſtimandum aliis præiudicium metuitur, latè interpretanda ſunt. *c. Olim de verb. ſign. l. 3. ff. de conſt. Princ.* ubi dicitur, *Beneficium Principis quàm pleniſſimè interpretari debere.* Dixi, *à quibus nullum &c.* Nam ſi inde damnum emergere poſſit, reſtringenda erunt. V. g. Eximitur aliquis à iuriſdictione Ordinarii, à decimis dandis, & ſimil. cauſam ſufficientem habet Ordinarius, & decimator ad contradicendum, quia iure ſuo abſque delicto ſuo privatur. Hinc ſi privilegium ſonet, non eſſe dandas decimas ex prædiis propriis, non debet extendi ad prædia ab aliis conducta, quia talis extenſio nocet decimatori. Neque enim rationabiliter præſumi poteſt,

Digitized by Google

poteſt. Principem velle exercere liberalitatem ſuam ex bonis alienis, & cum damno innocentum. *Tuſchus Concl.* 729.

III. In dubio interpretatio facienda eſt ſecundùm propriam, & uſitatam verborum acceptionem. Privilegia enim non plus operantur, quàm verba exprimant *iuxta c. Privilegia Diſt.* 3. *& c. Porro de Privileg* Quocirca non oportet extendere ad perſonas, vel actus, qui in præſcripta verborum formâ non continentur. *Excipe* 1. niſi æquiparatio Iuris talem extenſionem poſtulet. Nam quia Prælati aliqui epiſcopalem iuriſdictionem habent, quæ epiſcopis conceduntur, ipſis quoque tribui credibile eſt. *Excipe* 2. Niſi extenſio fiat ad ea, quæ ſecundùm conſuetum morem utendi privilegiis per ſe & ordinariè acceſſoria ſunt. V. g. Qui tempore interdicti poteſtatem habet legendi Miſſam, poteſt quemlibet non ſpecialiter prohibitum pro miniſtro adhibere. Hinc dicitur *l.* 2 *ff de iuriſd. omn Iud.* Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa cenſentur, ſine quibus exerceri iuriſdictio exerceri non poteſt. Valet quoque illud Abbatis in c. Quia nonnulli De cler. non reſid. Diſpenſatio contra Ius extenditur ad neceſſariò conſecutiva. *Excipe* 3 niſi alioqui privilegium inutile reddatur. & omni effectu careat. Nam ut *l* 1. *ff ad municipalem* dicitur, ſic intelligi, & interpretari privilegium debet, ut ultra Ius commune aliquid adferat. Contingit tamen aliquando, ut nihil novi tribuat, ſed maioris explicationis, & ſecuritatis cauſa expetatur. *Suarez l.* 8. *De leg. cap.* 22. *num.* 3.

IV. Privilegia ſic interpretanda ſunt, ut non videantur odioſa, ſed gratiam potiùs adferant quàm auferant, iuxta *Reg Iuris.* 61. *Quod ob gratiam alicui conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Hinc aliqui volunt exemptionis Privilegium Regularibus conceſſum non obſtare, quo minus cum Prælati conſenſu ſe epiſcopis ſubiicere queant, ut ab illis à cenſuris, & irregularitatibus abſoluantur. Idem dici poſſe in caſu, quo Prælatus neceſſaria facultate caret, vel conſenſum iniuſtè negat. Hanc enim videri Summi Pontificis mentem, quando contra Ordinarios exemptionem indulget. *Bonac. to.* 2. *p.* 81. *Cataneus in ſum. V. Privilegium. Oſtienſ. Silv. Azor* 1. *l.* 5 *c.* 23. *Salas de leg. Diſp* 17. *S.* 6. *Em Sa. V. Gratia.*

DVB. 2. An privilegia effectum ſuum ſortiantur, etiam antequam privilegiatis cognita ſunt?

R. 1. Privilegia quæ motu proprio conferuntur, effectum ſuum ordinariè non ſortiuntur, antequam innoteſcant *c. Si tibi abſenti. De præb. in* 6. ubi legimus, ſi epiſcopus beneficium abſenti conferat, ius illi in beneficium non acquiri. Favet etiam uſus & conſuetudo. Beneficia enim, & dona non niſi acceptantibus adveniunt. Quamobrem revocari poſſunt ante cognitionem, & acceptationem. Contrarium evenit, quando ex officio Prælatus alicui beneficium confert. *Dixi ordinarie.* quia nihil vetat aliter fieri, ſi Principi placuerit. Vnde multi dicunt donationem Eccleſiæ factam ante omnem acceptationẽ valere, & ius conferre. Quin etiam fieri poteſt, ut reluctanti alicui beneficium aut privilegium detur, cum præcepto acceptandi, & utendi. V. g exemptionem ab obligatione ieiunii. *Azor* 1 *l.* 5. *c.* 3. *q.* 5. *& c.* 23 *q.* 12. *cum aliis à ſe citatis.*

Digitized by Google

R. 2. Privilegia in gratiam petentis conceſſa nulla certificatione, aut nova acceptatione egent. Neque enim ſi dubitaret, expeteret. Imò affirmant DD. aliqui validum actum fore, ſi V. g. Caius miſſo ad ſummum Pontificem procuratore probabiliter, & verè præſumat, tali die ſummum Pontificem annuiſſe petitioni, & matrimonium cum cognata ſua aliàs prohibitum contrahat. De beneficiis eccleſiaſticis tamen aliud in iure ſtatutum eſt. *c. Quia de conceſſ. preben. Bonac. to. 2. p. 77. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. num. 28. Henriq. l. 7. c. 20.*

DVB. 3 An reticentia Veri obſit privilegio concedendo?

R. cum diſtinctione. Quando explicatio cauſæ iure aut conſuetudine requiritur, ſurreptitia cenſentur privilegia, ſi veritas celetur. At in privilegiis, ſeu reſcriptis gratiæ nemini præiudicantibus, ſi proprio motu fiant, nulla veri occultatio obeſſe poteſt, quia præſumitur, Principem abſolutè & ſimpliciter velle gratificari, nec ignorare quicquam illorũ, quæ obeſſe poſſunt. Si tamen falſitas expoſita, vel occultata Veritas cauſa principalis, & ſine qua nõ conceſsionis fuerit tam Reſcripta Motus proprii, quam alia effectu carebunt. *c. Super lit. c. Ad aures de Reſcript. Azor To. 1. l. 5. c. 24. Navar. in c. ſi quando de Reſcr. pral. 1.*

DVB. 4. An privilegiis uti liceat etiam extra proprium territorium? Negativam opinionem tuetur *Navar. Conſil. 6. de privil. & Suarez l. 8. de leg. c. 26. nu. 8. ut à Laymanno allegatur.* Affirmativam *Azor Tom. 1. l. 5. c. 23. q. 6. Sanchez l. 8. D. 31. Layman pag.* 100. *& Navarrus quoque in ſecunda editione.* Sed quoniam alia privilegia ſunt perſonalia, alia realia.

R. Qui pro ſe privilegium abſolutum habet V. g. legendi libros hæreticos, veſcendi carnibus in quadrageſima, ubique locorum uti poteſt, modò ſcandalum abſit: quia eiuſmodi privilegia non conſtringuntur loco, ſed abſoluta, & perſonarum propria ſunt. Si autem locale privilegium fuerit, locum in loco alieno non habet. Datur, exempli gratia, propter peculiarem carentiam ciborum quadrageſimalium in hac diœceſi facultas lacticiniis veſcendi, ea licentia non licet uti in diœceſi, ubi non eſt ciborum quadrageſimalium carentia. Item in hoc regno uſus armorum tibi conceditur; in alio prohibetur. *Igitur V. Salas de leg. Q. 94. Diſp. 17. Sect. 10. Bonac. Tomo 11. pag.* 80.

Cum fueris Romæ, Romano vivito more
Cum fueris alibi, vivito ſicut ibi.

DVB. 5. Quomodo privilegia ſemel conceſſa confirmentur?

R. Generatim loquendo duobus modis. In *forma communi, & ex certa ſcientia*, quemadmodum DD. notant *in c. Quia diverſitatem. de conceſſ. prab.* Confirmatio ex certa ſcientia dicitur, quando Princeps privilegium confirmans, ſignificat ſe plenam ipſius notitiam habuiſſe. Vnde fit, ut quamvis privilegium aliquando legitimè collatum per non uſum, vel abuſum, vel revocationem Superioris ſublatum fuiſſet, de novo confirmetur, & innovetur. *Abb. Ioan. Andr. & alii DD. apud Suarez l. 8 de leg. c. 18. n. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 24 n. 16.*

DVB. 6. An privilegia cum vita illius, qui dedit, expirent?

R. Negativè cum Nau. & aliis communiter.

Digitized by Google

niter. *Ratio* quia privilegium eſt favor, ſeu gratia Principis, quam cum vitâ ipſius terminari non convenit. *c. ſi cui nulla. de praben. in 6. & c. ſuper gratia. de officio Iudicis deleg. in 6. Hinc Innoc. in c. Quod tranſlationem. de off. leg.* indulgentias à Legato Apoſtolico conceſſas manere docet, quamvis ipſe officio defungatur. *c. 1 & 2. 25. q. 2. c. Decet de Re. Iu. in 6.* Nec obſtat, quod mandatum obitu, mandantis extinguitur. *l. Mandatum c. Mandati & c. relatum de off. Iud. deleg.* Hoc enim ideò fit, quia mandante ſublato executio mandatorum inutilis vel etiam damnoſa redditur: quod in privilegiis locum non habet. Deinde meritò præſumitur, quemlibet Principem malle memoriam beneficiorum ſuorum perennare, quia gratior eſt, quàm mandatorum, quæ plerumque gravia, & moleſta ſunt. *Archid. & Dec. in c. relatum. de off. del. Mol. l. 2. de primog c. 7. n. 63. Suar. de leg. l. 8. c. 31. Bonacina To 2. p. 87. Roſella. V. Privil. n. 2. Valenſ. l. 5. tt. 33. §. 1. n. 4. Anton. Peregrinus l. 1. de jurib. Fiſci pag. 62. & ſeq.*

Dub. 7. An revocatio privilegiorum, ut vim habeat, indicari legitimè debeat illis, quorum intereſt?

Reſp. Revocatio conceſſionis ſimpliciter facta nihil operatur, quamdiu latet eum, cujus intereſt; aliàs innumerabilia damna, & incommoda ſequerentur. *Sotus Medina. Azor. alii.* Dico *ſimpliciter facta*, hoc eſt, non præfixo tempore aliiſque conditionibus à revocante adjectis. Nam ſi dicatur, non dari niſi pro uno menſe, & manifeſtum eſt, eo elapſo ceſſare. Non eſt tamen neceſſarium, ut ſingulis perſonis notificetur, quando commune eſt pluribus. Id enim vel impoſſibile interdum, vel certè permoleſtum. Eo igitur modo revocatio, quo ipſa legum promulgatio fieri debet Neque ſufficit quælibet fortuitò oblata, vel obtruſa notitia, quam peregrè advenientes facere ſolent, ſed ea, quam legitimam vocamus, ut in materiâ de legibus explicatur. *V. quæ diximus in Proleg. §. 3. Salas de leg. D. 12. Sect. 2. Sanch de Matr. l. 3. D. 30. Laym. lib. tr. 4. c. 23. n. 28. Bonac. Tom. II. pag. 92. Follerius in Praxi Cenſ. p. 485. Sotus l. 1. de juſt. q. 1. ar. 4. Medina 12. q 90 art. 4. Azor. l. l. 5. c 22. q. 7.*

Dub. 8 Quid de privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis ſentiendum?

Reſp. Revocata eſſe ab Urbano VIII. propter abuſum fortè, & incertitudinem illorum, aliaque incommoda, quæ exemptiones parere ſolent. Eſt autem hic notandum 1. revocationem intelligendã de privilegiis, non aliter, quam vivâ voce conceſſis. Nam quæ in corpore Juris alic. Ordinis, vel ſcripto continentur firma manent. 2 quod *Diana* monet *Tr. 14. reſol. 17.* per revocationem prædictam nõ tolli privilegia ſic conceſſa ante *Greg XIII.* quia ex certa ſcientia illa confirmavit.

Dub. 9. De altari privilegiato. Ita vocatur, cui Summi Pontif. auctoritate addita gratia, ſeu Indulgentia eſt, vi cujus Sacerdos in eo Miſſam legẽs animam è purgatorio liberare queat. *Zypæus l 5. Reſpon. de Iu. Can. Reſponſo 5.* notat ſequentia. 1. Si præſcribatur Miſſa legenda de Requiem conditionem omnino implendam eſſe; quando autem non præſcribitur, dici poſſe de Sancto, vel de tempore. *Navar. de pœn. & remiſſ. Conſil. 37.* 2. Cùm deputatus eſt certus Miſſarum numerus v. g. quindecim quotidiè legendarum in Eccleſia, intelligi moraliter, ita ut ſi fortuito, vel

to, vel caſualiter interdum non fiat, privilegium irritum ſit: alioqui nullibi obtineret, cum Fer. V. & Sabb. hebdomadæ ſanctæ plures Miſſæ non legantur. 3. quia Sacerdotibus Eccleſiæ altaris privilegiati tantùm prædicta gratia conceditur, non participare hoſpites, quamvis ejuſdem Ordinis, & pro tempore eidem Superiori ſubjecti ſint. 4. Ejuſdem generis & valoris in eadem Eccleſia Indulgentias eſſe ſimul non poſſe, imò dubium eſt, an nondum elapſo ſeptennio, impetrari renovatio poſſit. 5. quamvis publicare non liceat abſque Ordinarii licentia *Conc. Tr. Seſſ.* 21. *c* 9. & ſic videri poſſit computandum ſeptennium à die publicationis, nihilominus id non videri ſecurum. *Ita Zypeus.* Vidi ego in quadam Eccleſia poſitum altare privilegiatum cum hiſce conditionibus.

1. Ut in Eccleſia Altaris privilegiati quotidie 7. Sacerdotes Miſſam celebrent.

2. Indulgentiam pro liberanda anima obtineri poſſe in die Comm. fidel. def. & per ipſius Octavam diebus ſingulis. Deinde Feria 2. qual. per annum.

3 Ut Sacerdotes ejuſdem Eccleſiæ tantùm ea gratia fruantur.

4. Ut ſeptennio & non amplius duret. Ita conceſſ. Innoc. X Anno 1647.

Nota. *Barb. in Sum Deciſ. Apoſt. n.* 478. Miſſam in Altari privilegiato, ut effectū ſuum habeat, nunquam niſi de Requiem dici poſſe tradit, licet in Indulto non exprimatur, idque deciſum eſſe *à Congreg. Rituum in Piſtorienſi quad.* 1. *Iun.* 1601.

Dub. 10. Utrum magis expediat, augere privilegia, an minuere?

Reſp. Cùm improborum hominum ubiq; major ſit numerus, quam bonorū, pauci etiam Regularium perfectioni ſedulò & impensè ſtudeant, minuenda potiùs, quàm augenda privilegia eſſe quibuſdam videtur; itaque propter multa incommoda, pericula, & damna, quæ inde promanant. Verè enim *Terent Comicus in Heaut. Deteriores omnes ſumus licentiâ.* Nam ſi oculos intendas, videbis 1. incredibilem quandam animi elationem ex eo natam, quòd ſe liberos eſſe à communi Subditorum jugo, & ſubjectione cernūt. Atq; hic morbus nobilium proprius eſt. 2. Immunitas parit lites, & contentiones, dum hi privilegia ſua conſervare, vel etiā ampliare, illi verò minuere nituntur, vel omninò tollere. 3. conſequitur invidia, juxta illud *Horatii l.* 1. *ep.* 2. *Invidus alterius rebus marceſſit opimis.* Hinc non rarò ſeditiones oriuntur in populoſis urbibus. 4. Nec ſcandala deſunt, & ſcandalis maledicta conſociata. Cives ex g. ad vigilias coguntur, laboribus & tributis onerantur, Clericis verò propter privilegia parcitur, fremunt indignantur, Magiſtratum diris devovent, Clerum extinctum vellent, deniqúe vindictam meditantur, & aliquando ſeceſſionem. 5. privilegiati parùm memores finis, propter quem privilegia conceduntur, qui ferè eſt honorare virtutem, & promovere, abutuntur illis, & plus æquo libertati indulgent. Exemplum quotidianum in Eccleſiaſticis vide. Nonnullis conceſſum eſt, ut cenſeantur in choro præſentes, ſi veniant ad epiſtolam ſacri, vel in veſperis ad tertium Pſalmum: illi dum Miſſa, aut Veſperæ canuntur, in porticu templi obumbulant ſimul colloquuntur, jocantur, & nugantur. Tandem ſub mediū ſacri aut Veſperarum chorum ſubeun[illegible] geſtu,

habi-

habituque quàm ludiones in tabernam irruere ſolent. Diſtributiones nihilominus cum jurgio exigunt, nec quiſquam illis utpote potentioribus negare, vel contradicere audet. Inter Regulares ſimilia exempla reperiri probè ſcio, ſed tegere ſatius eſt, quàm evulgare. Optimè dixit olim mihi notus, & familiaris ſcriptor *P. Adamus Contzen l. 5. c. 7.* Cenſeo eum qui multa privilegia, immunitatesque concedit, vim & nervos principatus (*adde virtutis & pietatis*) incidere, ſeditionibus materiam præbere. *V. Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 11. Panegyricum Bamberg. cap. 14. Tholoſ. de Rep. l. 18. c. 2. n. 20. Decius in Reg. 68. In omnibus cauſis. Vallenſ. l. 5. tt. 33. §. 2. Oldendorp. tract. de Iure ſingulari. §. de privileg.*

TITULUS XVI.

De Abbate.

I. ABbatis nomen Hebraicum vel Syriacum, generaliter Patrem ſignificat. *Marci 14. v. 38. ad Rom. 8. v. 15. ad Gal. 4. v. 6.* Nunc per appropriationem ſolis Monachorum, & Regularium quorundam ſummis præfectis tribuitur; atque ita iidem ſunt Monaſteriorum præſides, Antiſtites, Prælati, Archimandritæ, Cœnobiarchæ, Hæteriarchæ, Abbates vulgò: meminiſſe nimirum eos convenit, quòd non tam poteſtate, & vi coactiva, quàm paterno affectu commiſſos ſibi fratres, ac filios regere debeant. Unde *in c. ſi religioſus 27. de elect. in 6.* dicuntur vice Dei ſuper Regularium capita poſiti. Eoſdem licet ſponſos Eccleſiarum ſuarum appellare *c. Quia propter 42. de elect. in c. ſi verò relinquens tt. 5. Novellis 5. vocantur Reverendiſſimi. V. Anton. Perez in c. 2. Reg. S. Bened.*

II. Duplex Abbatum ſpecies eſt. Alii ſæculares, qui Canonicorum Regularium Eccleſiis Collegiatis præſunt *Az. 11. l. 3. c. 19. Miræus de Collegiis Canonicor. c. 122.* alii Regulares, qui præſunt Monachorum conventibus. Horum aliqui ſunt infulati: alii paſtorale duntaxat pedum geſtant. Alii iterum ſunt exempti, alii non exempti. Exempti juriſdictionem Epiſcopi, & cujuſcunque Papa inferioris non agnoſcunt, quamvis Epiſcopalia jura, de quibus *16. q. 1. c. pervenit* à loci Epiſcopo petere teneantur. Non exempti Diœceſano ſubſunt; quemadmodum alii Clerici. Item alii exempti ſunt à juriſdictione Epiſcopi tantùm ratione Monaſterii, & perſonarum illius; alii etiam ratione populi. & territorii. *Tholoſ. l. 15. Synt. c. 31. Laym. l. 5. tract. 9 c. 13.*

§. I.

De Electione Abbatis.

I. IN Abbate eligendo requiritur 1. ut profeſſus ſit. *c. Abbatem in Monaſterio. 18. q. 2. c. cum in Magiſtrum. de elect. c. Nullus Religioſus eo in 6.* Requiritur 2. ut

Digitized by Google

ſit legitimè natus.*c. Innotuit. de elect.* Requiritur 3. ut ſit gnarus diſciplinæ monaſticæ,& vitæ regularis *c.Officii tui de elect.* Requiritur 4. ut attigerit annum 25. *c. cùm in cunctis.§.inferiora.de elect.c. accedens Diſt.* 50. in majoribus anni 30. exiguntur.*Barb.Summa Apoſt.Deciſ.n.*15. Requiritur 5.ut ſit Sacerdos.*Gloſſ.c. tuam.* 10. *V. non aſcendat.c.tuam in Domino. de ata. & qual.ordin* In caſu neceſſitatis tamen eligi poteſt in minoribus conſtitutus, per diſpenſationem. Eadem neceſſitas facit, ut irregularis quoque eligi queat. *V.Barb. Iſidor. in Reg.Mon.c.2.Suar.IV.l.2.c.3.n.*20. Deinde eligendus eſt, qui vitæ meritò,& ſapientiæ doctrinâ præpollet, quamvis in Congregatione fratrum ultimus foret. *c.Abbatem* 18.*q.*2. Quod ſcientiam attinet , non requiritur tanta in Abbate, quanta in Epiſcopo : prudentia enim, & induſtria gubernandi cum charitate conjuncta ſufficere poteſt. *Innoc. & Decius in c.cùm in cunctis de poſſ.Prælat.* Quòd ſi nemo talis reperiatur, nihil vetat, aliquem alterius Monaſterii eligere *Clem.cum rationi de elect.* Verùm ita electus non poteſt conſentire abſque licentia Prælati ſui *c.ſi religioſus de elect.in* 6. Licentiam verò dare poteſt Superior immediatus, puta Abbas, Præpoſitus, aut Prior Conventualis,niſi particularia ſtatuta vetent, ut ferè apud Mendicantes fit. Quòd ſi monaſterium, ex quo tranſeundum, Epiſcopo loci ſubjectum ſit,illius quoque licentia poſtulanda eſt.

DIXI *Superior immediatus* , & quod intellige, ut non ſimul requiratur conſenſus Capituli , quemadmodum à Bonifacio VIII. declaratum eſt in *c. ſi Religioſus §. quia verò de elect. in* 6. Si ita electus, vel poſtulatus relicto monaſterio ſuo gubernationem in alio auſpicetur, jus ſuffragii,quod habuerat in monaſterio relicto ſtatim amittit. *c. ult. de Relig. dom.* Quæ cauſa eſt,ut à Prælato ſuo cogi non poſſit ad derelinquendum monaſterium ſuum in ordine, qui Generalem non habet. Nam obedientiam vovit in hoc,& pro hoc monaſterio : adeoque jure ſuo per profeſſionem acquiſito privari invitus non poteſt. Quod ſi valdè urgens cauſa exigat translationem, Epiſcopi , aut Summi Pontificis imploranda auctoritas erit. *Barboſ.in c. quàm ſit neceſſarium* 18.*quaſt.*2.*Moſconius part.* 1.*cap.* 9. *Leſſius c.*41.*dub.*12 *num.* 9. *Roderic. Tomo I. quaſt.*15. *art.* 2.

II. Electio Abbatis olim Jure Civili penes Epiſcopum fuit *Rodriq.* II. *q.* 64. *ar.*1.hodie verò ſecundùm diſpoſitionem Juris Canonici à Conventu eligi debet. *c.ult.*16.*q.* 7. ubi dicitur ex Conc. Tolet. Congregatio debet ſibi eligere Abbatem poſt Abbatis ſui mortem,vel eo vivente, ſi ipſe deceſſerit, vel peccaverit. Epiſcopus enim non debet Abbatem violenter retinere in loco ſuo. Item ſtatuitur *in c. Abbatem* 3. *&* 4.*Cauſa* 18.*q.* 2. nec non alibi. Electum legitimè non poteſt Conventus pro libitu removere, deponere, vel exauctorare , aliumve ſubſtituere *c. nullam.*18.*q* 2.quia nulla auctoritas remanebit Abbati, ſi Monachorum poteſtati cœperit ſubjacere. Notat verò hic *Barboſa (ad c.*3. *& ſeq Cauſa* 18.) quamvis de jure communi verum ſit, Abbatum tam Generalium, quàm localium electionem ſpectare ad Religionem, ſeu Convẽtum, nihilominus hodie Abbates locales apud Monachorum,& Canonicorum Regularium,

larium, Congregationes ferè omnes non amplius à Religioſis conventibus, ſed per ſuffragia Generalium, vel Provincialium & ſuorum Definitorum eligi, ut patet ex uſu, & ſpecialibus Conſtitutionibus. Hæc ille de ſibi notis regionibus, nos in Germania noſtra contrarium fieri ſcimus. Objici poteſt, quod dicitur in *c. Hoc tantùm* 18 *q.*2. Sacerdotes ſeu Epiſcopos habere poteſtatem inſtituendi Abbates. Verùm illud non probat, electionem convenire Epiſcopis, ſed inſtitutionem, id eſt, confirmationem tantùm: niſi fortè Monachi negligentes fuerint, vel aliquem minus dignum, & idoneum eligere velint, à quo nimirum non metuant diſciplinæ exactionem, ſed pernicioſam licentiam conſequantur. *V. Dalnerum de Abb.c.*3.*n.*4.*Silv.V. Abbas n.* 2. *Armilla n.* 1. *Roder.II.q.*54.*art.* 1.

III. Quamvis ad electionem Prælatorum converſi Laici non admittantur jure communi.*c.ex eo.*32. *§.in Eccleſiis. de elect. in* 6.fieri tamen poteſt, vel longi temporis præſcriptione, vel aliquo particulari ſtatuto, ut vocem activam habeant. Nam Canones, qui reſiſtere videntur commodè explicantur de Laicis ſæcularibus, & non religioſis. Ita fieri in Ordinibus militaribus, ac hoſpitalibus, Capuccinorum quoque Conventibus uſus, & hiſtoriæ loquuntur. *Suar.IV.l.*2.*c.*4. *Laym.l.*4.*tr.*2. *c.* 12. *n.* 3.*Roderic.II.q.*52.*art.* 5. Quin etiam patronus quamvis Laicus virtute privilegii alicujus, vel conventionis electioni intereſſe poterit. *Dalnerum de Abbat.cap.*3.

IV. Ut Canonici Regulares in Capitulo vocem habeant, minimùm ordine ſubdiaconatus initiati eſſe debent, *Clem. ut ii.* 2. quod tamen non videtur extendendum ad Monachos, tum quia odioſum, tum quia incommodum, quandoquidem in quibuſdam Religionibus non niſi poſt multos annos ad ſacros Ordines promoventur. Conſulenda igitur uniuſcujusque Ordinis ſtatuta, & conſuetudines. *Roderic. loc.cit.*

V. Si unus tantùm ex Conventu ſuperſit, poſſe, ſi velit Abbas eſſe, eligendi vocem alicui alteri committere, eique poſtquam ab eo electus eſt, conſentire, cenſet *Ioannes de Arnono cautelâ* 35. atque ita obſervatum eſſe in Abbate quodam S. Benedicti teſtatur. Meliùs fortè conſulitur tali, ut Monaſterii bona tanquam adminiſtrator curanda ſuſcipiat, numerum fratrum augeat, donec ad legitimam electionem ſufficiat. *Layman.l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *n.*3. *Paulus de Leaz.in Clem.*1.*de elect. Angel. in l.nulli. Quod cujuſque Vniverſitatis.*

VI. *A Conc. Tr.decretum eſt, Seſſ.* 25.*c.*6. ut Abbates temporales, aliique Officiales, Generales, & Abbatiſſæ eligantur per Vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in poſterum liceat Provinciales aut Abbates, Priores aut alios quoſcunque titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. *Ita Conc. Trid.* quæ intelligenda ſunt, quando electio fit per Scrutinium, non autem per compromiſſum, aut viam Spiritus Sancti. In his enim ſuffragia palàm dari poſſunt. Cæterùm Cardinalium Congregatio duo monet. Primum eſt, in electione Abbatiſſarum vota oretenus accipi poſſe à Superioribus cum duobus teſtibus. Alterum, quoad occultationem ſuffragiorum tam ſtrictè ſervandum

vandum eſſe ſecretum, ut ſi poſt electionem factam in bullis Confirmationis ſeu patentibus exprimerentur nomina eligentium, nulla foret electio *Suar. IV. l. 2. c. 5 n. 11. Compend. priuil. Mendic. V. Electio.* Quid ſi, *inquis*, unus alteri inſcio aut non conſentiente Capitulo ſuffragium ſuum oſtendat, eritne propterea invalida electio? R. cum *Nau. l 1. Conſil. 9 de elect. in 6.* non fore inualidam electionem, niſi talis oſtenſio & manifeſtatio ſit cauſa electionis. Tunc enim reſcindi debet. *Suar. l. cit. n. 12.* ſimpliciter invalidam fore electionem ex Declaratione Cardinalũ docet.

VII. Qui ex aliquo Mendicantium Ordine ad non Mendicantem tranſijt, vocem actiuam in electione Prælati non habet *Clem l. initio. de Regular. & tranſ.* Ut profeſſores, *inquit*, cujuſvis Paupertatis Ordinis eo libentius, in qua vocati ſunt vocatione perſiſtere, tranſeunteſque ad non Mendicantium ordinem, in eo converſari quietius ſtudeant, ſtatuimus, vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè cõcedatur. Nota cauſam, quæ in tranſitionem multos impellit, mentis inſtabilitatem, & inquietudinem eſſe. *V. quæ diximus tit. 15. §. 8 n. 5. Dalnerus de Abbate c. 4. n. 4.*

VIII. Si vel indignus ſcienter electus fuerit, vel non canonicè, facultate eligendi pro ea vice privantur electores nõ ipſo jure, ſed per ſententiam c. quia propter 24. de elect. ubi ſimul præſcribitur tempus intra quod electio facienda ſit, nimirum trium menſium. *c ne pro defectu 41. § ſtatuimus V. quæ diximus tt. 6. §. 2. Rod. qq. Regul. To. 2. q. 52. ar. 10.* Convenit ſanè poteſtatem amittere illum, qui abutendam eſſe ſibi falsò perſuadet.

IX. Jus electionis amiſſum devolvitur vel ad Papam in exemptis, vel in non exemptis ad Epiſcopum *c. cum ſingula 32. §. fin. de elect.* Excipe. Niſi per electum ſteterit, quo minus electio intra trium menſium ſpatium perficiatur. Tunc enim ad denuò eligendum idem jus conceditur *c. ſi electio 26.* Similiter illi, ad quem jus eligendi devolutum eſt, totidem menſes conceduntur, ut provideat *§. ſtatuimus Vallenſis l. 1. Paratitl. tt. 6 §. 2.*

X. Quod tempus attinet, etiam noctu fieri electionem poſſe à *Dalnero* annotatum eſt *in Diſp. de Abbate c 6. ex Bapt. Vill.* & aliis: quamvis id parum conveniens, & decorum videatur, niſi forte imminentia pericula, & inſidiæ timeantur. Quo eventu faciendam electionem eſſe, tribus accenſis luminaribus, ut nulla relinquatur fallendi & ſuſpicandi occaſio monet. *Roderic Tom. II. quæſt. 52. art. 15. Navar. l. 1. Conſil. 8.*

XI. Si contingat electorum ſuffragia majori ex parte alternativa, aut conditionata eſſe, irrita electio cenſebitur; & poteſtas eligendi devolvetur ad eos, qui purè, & abſque conditione elegerunt. Omnino enim magna beneficia, & Dignitates, cujuſmodi eſt Prælatorum, & Abbatum, convenit puris & ſimplicibus votis conferri, ad tollenda diſſidia, aliaque incommoda, quæ ex vacillante electione conſequi poſſunt *Abb. Archid. Gemin Vivianus. Alagona. Barb. in c. in electionib. 2 de elect. in 6.*

XII. Peractâ electione inſtallatio fit (ita Canoniſtæ loquimur) per quam electus incipit habere jus in re: ſigilla, claves, & reliqui Abbatis characteres mutantur, & innovantur. Hanc initiationem

tionem non ab alio, quàm Conventu, vel cui ipſe commiſerit, faciendam, apud Ciſtercienſes ſaltem, *Caramuel ex privilegio Gregor. IX. docet. Comm. in Regul S. Bened num.* 1508.

§. II.

De Confirmatione, & benedictione Abbatis.

I. CONfirmari, conſecrari, ſeu benedici Abbates à ſacris Canonibus ſtatutum eſt, ad ſimilitudinem & proportionem conſecrationis Epiſcoporum, ut quia his proximi ſunt poteſtate, honorem illorum, & dignitate quodammodo participent. Igitur poſtquàm electus eſt Abbas, intra tres menſes, ex quo vacare Monaſterium cœpit, petere ab Epiſcopo confirmationem, & benedictionem debet. *c.* 1. *de ſupplen. negl. Prel. c. cum contingat de æt. & qual ord. c.* 5 *&* 6. *de elect in* 6. *Barboſ. summ. Apoſt. Deciſ. Coll.* 1. In quibuſdam locis, ut *Cardinalis Tuſchus* affirmat, non ſolent benedici Abbates, omnia nihilominus, quæ Ordinis ſui ſunt, officia exercent, modò Sacerdotio inaugurati ſint. Si autem benedictione indigeat Abbas, eamque Epiſcopus tertiò rogatus abſque rationabili cauſâ neget, excuſatus eſt, qui petivit, & fungi officio ſuo plenè, & abſolutè poteſt. Idem poſſunt, qui electi ſunt per inſpirationem ſeu viam Spiritus Sancti, modò exemptione gaudeant, & multùm diſtent *c. nihil eſt* 44. *de elect* ubi limitat, addit, ut nihil alienent. *Zerola part.* 1. *V. Abbas Caniſ. l.* 1. *tit.* 13 *Dalnerus de Abb. Præfectus in Praxi Epiſc part.* 1. *cap.* 2. *pag* 62. *Angelica n.* 4. *&* 5. *Navarr. c.* 27 *n.* 264. *Laym. l.* 5. *tract.* 9. *c.* 13. *Navarr. c.* 27. *n.* 264.

II. Conſecratio Epiſcopi, & Abbatis in tribus differunt. Nam *primò* Epiſcopi conſecratio eſt Sacramentum imprimens characterem; benedictio Abbatis verò non eſt Sacramentum, ſed deprecatoria manuum impoſitio. *c.* 1. *Diſt.* 69. *c. Manus* 1. *quæſt* 1. Hinc conſecratio Abbatis aliquando ab Epiſcopo aſſiſtentibus duobus Abbatibus, aliquando ab Abbate cum duorum aliorum aſſiſtentiâ fieri ſolet. *Secundò*, Epiſcopo ante conſecrationem, licet confirmatus ſit, nomen Epiſcopi abſolutè non tribuitur: Abbates modò confirmati ſint, etiam ante benedictionem ſuo nomine appellantur. *c. quanto de off. Iud. Ord. Tertiò*, Epiſcopi conſecratio ſimpliciter neceſſaria, & quaſi ſubſtantialis eſt, ita ut abſque illâ actus proprios exercere nequeat, ſive primarii illi ſint, ut majores Ordines conferre, ſive ſecundarii, ut vaſa ſacra benedicere: at benedictio Abbatis quoad exercitium ordinis non ita ſubſtantialis eſt, quin absque eâ committi poſſint illi actus aliqui Epiſcopales. V. g. benedicere paramenta, & ornamenta ſacra, reconciliare Eccleſias & ſimilia, de quibus *in* §. *ſeq V. quæ diximus Tit. V.* 1. §. 1. *&* 3. *Panorm. in c. inter de ſent. & re iudic. n* [illegible] *Roderic. Tomo* 1. *q.* 18. *art.* 2.

III. Quæ ad Juriſdictionem ſpectant, Abbas exercere poteſt, quamprimùm confirmatus eſt quemadmodum Epiſcopi quoque. *c. transmiſſam.* 15. *de el.* Quæ verò ad poteſtatem ordinis pertinent, non niſi perceptâ benedictione licet. *Zerola part* 2. *V. abb. ſufficere electionem putat.* Quòd ſi, ut alicubi uſitatum, idem

ſit

ſit actus confirmationis, & benedictionis, ceſſat inſinuata diviſio. Hoc ſenſu locutus videtur *Innoc.* III. *in c.* I. *de ſuppl. negl. Præl. ut Baldus notavit. Abbatem* ſine benedictione non poſſe adminiſtrationem ſuſcipere. Addit *Silv num.* 4. ſi epiſcopus pro benedictione aliquid accipiat, Simoniæ crimen committere: quod hoc tempore levi manu abigunt, alios titulos ſubſtituendo, qui licitam munerum acceptionem faciant. Nam neque parva munera, neque Xenia Simoniam continent, ut idem Silve agnoſcit. *V. Simonia. n* 6. *Barb ſum. Apoſt. deciſ.* Collect. 1. *& in c. Alienationes* 12. *p.* 2.

IV. Quo die benedicendus ſit Abbas, controvertitur. Cùm enim non propriè conſecretur, ut epiſcopi, videtur quolibet die benedici poſſe, in quo alias conferri minores ordines poſſunt. Oſtienſis tamen tutius putat, ſi in Dominica fiat. Et favet communis piorum ſenſus, qui eam cæremoniam permagni æſtimant. Accedit conſuetudo paſsim recepta præſertim apud Germanos, ubi talium feſtorum ſolennitas non ſine Hilaritate Sympoſiaca tranſigitur, Non erit tamen delictum grave ut *Layman loquitur in QQ. Cant. nu.* 214. ſi die etiam non feſto Abbas benedicatur, cùm nihil de eo in Iure definitum ſit. *V. Silv. Tabienam, Azor. Tom.* 1. *l.* 12. *c.* 20. *p.* 3. *Dalner. de Abb. c.* 9. *Roder.* II. *Q* 54 *ar.* 7. beneficia ante electionem poſſeſſa, retinere Abbatem. Monet uſque dum benedictus ſit, & pacificam poſſeſſionem habeat.

V. Abbas ſemel benedictus, ſi contingat ab alio etiam Monaſterio eligi, aut poſtulari, non indiget alia, vel iterata benedictione. Quamvis enim characterem non imprimat, placuit tamen negare reiterationem, quia minimè neceſſaria eſt. Ob eandem cauſam benedictio nuptialis non repetitur *c.* I. *&* 3. *de ſecun. nupt.* Nec pœnitentia ſolennis reiteratur *c. Quamvis. & c. in capite. D.* 30. Verùm Abbatiſſæ benedictio reiterari poteſt, ut ex *Pelino tradit Navarrus* Conſil. 2. *de ſta. Mon.* Si cauſam diverſitatis interrogas, alia non occurrit, quàm muliebris ſexus conditio, quæ quia debilior, & mollior, iuris ſubinde favoribus ſpecialiter adiuvatur. In hunc finem Monialibus permittitur, ut in agone conſtitutæ profeſſionē edant, nondum exacto probationis tempore *V. Tit* 15. §. 3 *n.* 3. *Barb. l cit.* Collect. 1. *Az l. cit. Q.* 4.

VI. Quamvis benedictio Abbatum non imprimat characterem, aliunde tamen habent, quòd non ſint temporales, ſed perpetui *c. Nullam.* 18. *q.* 2. & eo. *tit. de ſtatu* Monach. Nec niſi ob certas, & graves cauſas ab epiſcopo, Pontifice, aut Capitulo generali deponuntur. Conceſſum illis tamen eſt, renunciare, quemadmodum de epiſcopis diximus *Tit.* 7. §. 5. Si propter ſenium, vel infirmitatem Abbas officio ſuo commodè fungi non poſſit, coadiutor illi dandus eſt. Facta autem renunciatione & admiſſa manet profeſſus eiuſdem monaſterii, & primum locum obtinet in choro, & Conventu. Si verò ob culpam deponatur *c. Si quis Abbas* 18. *Q.* 2. nihil vetat, pœnæ loco in ordinem redigere, & vel ultimo loco ponere. Cæterùm Abbates hodie perpetui ſunt, maximè apud Germanos nō poſitivo aliquo, aut definitivo iure, ſed negativo potius, aut præſuppoſitivo.

Hæc enim antiquorū Regulariū mens, & in-

Digitized by Google

& intentio fuiſſe videtur, ut ad imitationem Eccleſiæ, quæ perpetuos epiſcopos conſtituit, Abbates, & Præpoſitos nulla temporis circumſcriptione coarctarent. *Navar. Comm. 3. de Regularib. n 3.* Quòd verò ad alios præſides, & Superiores attinet, magna varietas cernitur, dum alii temporales, alii perpetui, aliqui ſexennales, alii triennales ſunt. de *quo V. Suarium to. 4 l. 2. c. 7. Roderic. to. 1. Q 16 art. 1.* ubi ex Navarro multas rationes congerit, quibus probetur, expedire, ut Prælati Ordinum religioſorum ſint perpetui: nec paucas in contrarium, quod magis expediat triennales eſſe. Mihi illorum ſententia veritati propior eſſe videtur, qui apud Ordines Mendicantium certo annorum ſpatio gubernandi munus circumſcribunt, quia pauciora incommoda erunt: maioribus verò Prælatis, qui præter ſpiritualem curam, bonorum temporalium ſimul adminiſtrationem habent, non eſſe præfiniendum tempus, ne crebra præſidum mutatio monaſteriorum bonis & iuribus obſit, cùm non adeò multi reperiantur, qui ſimul temporalia, & ſpiritualia accurate norint. Quanquam ſi iis virtutibus inſtructi eſſent Superiores, quas Ordinum Statuta exigunt, optandum omnibus foret, præeſſe diu, & perennare, qui ſemel electus, vel applicatus eſt: nunc autē, quia rara in terris avis eſt Prælatus humilis, benignus, & perfectus, ſubditi indignè habentur, & quemlibet nondum evectum ſibi fore mitiorem ſomniant, & exoptant. Equidem ſi uſum attendas, ea quæ nunc apud Mendicantes diminutio poteſtatis & revolutio viget, communi quadam ſubditorum approbatione fovetur, & commendatur: noſtraque Societas poſt unum ſæculum univerſè tandem ſuſcepit deinceps uſurpandam.

§. III.

De poteſtate Abbatis.

CVm poteſtas & iuriſdictio Abbatis partim ſit reſpectu perſonarum, partim verò rerum, ſeu bonorum, incipiendo à perſonis, ſciendum eſt.

II. Abbas ſolemnem benedictionem, poſt abſolutas Miſſæ & Veſperarum preces. dare poteſt populo in eccleſiis ad ipſum pleno iure pertinentibus: non autem publicè per vias, aut caſtella. *c. Abbates de privileg. in 6.* niſi ſpeciali indulto ſit conceſſum. Dicuntur autem pleno iure ſubiectæ eccleſiæ, quæ tam quoad ſpiritualia, quàm temporalia ſunt in cura, & poteſtate monachorum. *Glo. in V. pleno iure.*

II. Exempti Abbates, qui ius habent deferendi pedum, & mitram, poſſunt conferre minores Ordines ſubditis ſuis, non ſolùm monachis, ſed etiam laicis in quos ordinariam eccleſiaſticam habent iuriſdictionem. *c. Quoniam diſt. 69. & c. Abbates de privil. in 6.* Sic olim erat, nunc à Conc. Tr. decretum eſt *Seſſ. 23. c. 10.* ut in poſterum intra fines alicuius diœceſis exiſtentibus, licet nullius diœceſis, & exempti cenſeantur, nulli, qui regularis ſubditus non ſit, liceat primam tonſuram, aut minores ordines conferre. An verò ſub termino *Regularis ſubditus.* Novitii contineantur, dubium eſt. Negat *Barboſa in c. Abbates de privil.* eò quòd ſtrictè loquendo non ſint religioſi ſubditi. Idem notat, Abbatem diſpenſare poſſe in interſtitiis ordinum, neque tunc examinandum eſſe ab epiſcopo, non obſtante diſ-

poſitione *Concil. Trid. Henriq. l.* 16.*c.*23. *Rodr.to.*3.*p.*23.*ar.*2.

III. Aliis Regularibus, ſicut laicis quoque, quamvis epiſcopo ſubiectis ſimiliter conferre poteſt primam tonſuram, & minores ordines, modò literas dimiſſorias ſpeciales, & cōſenſum epiſcopi attulerint. *Dico Speciales* quia generalis epiſcoporū conſenſus non cenſetur ſufficere. *Ita Congregatio Cardinalium.* Pro Sacramento Confirmationis nullam habet ordinariā poteſtatem, quicquid olim nonnulli dixerint. *Nam Greg.* XIII. *aliter declaravit. V. Card. Lugo l* 1. *Reſp. Moral. Sect.* 2. *Dub.* 7.

IV. Dubium eſt, an Ciſtertienſes Abbates hodieque poteſtatem habeant, monachis ſuis conferendi ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus. Accepiſſe conſtat privilegium ab *Innoc.* VIII. *Anno Chriſti* 1489. eoq; cōſtāter uſos eſſe De præſenti tempore laboramus. Nam *Conc. Trid S.* 23. *c.* 8. *&* 12. Item *Sixtus V. & Pius V.* omninò revocaſſe videntur, dum volunt omnes, & ſingulos à ſolis epiſcopis ordinari, damnanſque privilegia contraria. Dicendum igitur, hoc tempore non eſſe permiſſam prædictis Abbatibus, ut fratribus ſuis conferant ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus. Si qui tamen adhuc faciunt, vel per ignorantiam, vel per nunquam interciſam conſuetudinem, in locis, ubi *Co. Tr. Decreta* non recipiuntur, excuſandi erunt. *Navar. Conſil* 14. *de privileg. Roderic.* 1. *pag.* 88 *Caramuel tamen in Comm. Reg. S. Bened. n* 1626. aſſerit, privilegium illud Ciſt rc. quinque Abbatibus conceſſum hodieque in praxi eſſe, ac perennare.

V. Abbas abſoluere poteſt monachos ſuos ab omnibus peccatis, & cenſuris, niſi a tertio ipſo iure reſerventur. *c Nuper.* 29 *de ſent. excom. Glo in c. ſi quis monachus D* 90. Similem poteſtatem alii etiam Superiores, & Prælati, quamvis Abbates non ſint, habere videntur. Certè ad plenam gubernationem illis neceſſaria eſt. *V. Roder.* Par. 1. *Q.* 20. *ubi art.* 29. docet monachum, ſi Abbas per cenſuram aliquam impeditus ſit, à reſervatis caſibus, ab epiſcopo abſolui poſſe, exceptis caſibus, pro quibus ſpecialem exemptionē Abbas habet. *Item art* 30. Si iniuſtè negetur licentia, confitendi alteri peccatum reſervatum, poſſe ſubditum in caſu neceſſitatis V g. ut communicet, ut evitet ſcandalum, alteri confiteri non reſervata, cum voluntate ſuo tempore confitendi ea, quæ reſervata ſunt. Alii verò, quos ibi refutat, cum contritione abſque ullâ confeſſione ad ſacram communionem admittunt. *V. Suar.* IV. *l* 2. *c.* 15.

VI. De votis Monachorum ſibi ſubditorum ante ingreſſum factis diſpenſare poteſt: illa verò, quæ poſt ingreſſum fiunt, irritare, quia ut *c. Monacho* 20. *q.* 4. dicitur, non licet cuiquam regulari votum vovere ſine conſenſu Abbatis ſui, ſi autem voverit, tollendum erit. *Tuſchus Concl.* 16. *Angelica nu.* 15. *Leſſ c.* 40. *D.* 13. Quomodo vota omnia per profeſſionem religioſam extinguantur, aut in ipſam profeſſionem commutentur, diximus *Tit. XV.* §. 4. Solvit etiam Monachos, & liberat ab irregularitate contracta propter Ordines ſuſceptos in excommunicatione, ſi intervenit ignorantia, vel oblivio *c. Sicut tuis. d Simo. c Cùm eccleſiar de off Ord.* Quod intellige, ſive ante ingreſſum, ſive poſt illum irregularitas contracta ſit. *Moſcon pag.* 261.

VII. Permittere poteſt, ut religioſus ſibi ſub-

bi ſubiectus ad aliud monaſterium tranſeat. *c. ult. 20. q. 4.* Item diſpenſare in Regula, ut in cellula ſeparata habitet. Cauſa poterit eſſe vel infirmitas, vel diuturna, & probata inter alios converſatio: ſenectus denique, cui remiſſio, & quies debetur. Diſpenſat etiam, ut duo Monachi poſſint eſſe penes ſe ad utilitatem, & commoditatem ſuam. In his autem, quia medium attingere difficile, proclive autem ad dextram, vel ſiniſtram exorbitando deflectere, *S. Bernardi* attendenda doctrina eſt. Arbitror, *inquit*, ſanctas obſervantias Prælatorum prudentiæ, & fidei creditas, non ſubditas voluntati. Hinc eſt, quod idem Legislator (*S. Benedictus*) in his, quæ Abbati diſpenſanda reliquit, cautè nuſquam, ut memini, voluntatem, ſed aut conſiderationem, aut diſpoſitionem, aut providentiam, aut certè arbitrium, ſeu aliquid huiuſmodi ponit. Obſervat *Caramuel* multas virtutes intellectus, & voluntatis à S. Bern. enumerari, ut nudam Antiſtitis voluntatem excludat. Eæ ſunt prudentiæ regina virtutum omnium practicatum. Fides, ſeu conſcientia & opinio prudens, ſeu probabilis. Diſpoſitio, quæ requirit bonum ordinem rerum agendarum. Providentia, quæ media ad finem prædeſtinat. Denique arbitrium, id eſt, deliberatum iudicium *V. Caramuel Scholion S. Bern. in Reg. S. Benedicti pag. 73.*

IX. Ex ſubditis, quem idoneum iudicat, cum epiſcopi auctoritate, & populi conſenſu eccleſiæ parochiali præficere poteſt, ut in *Conc. Ilerdenſi c. 3. & Tarracon. c. 11.* ſtatutum eſt, & Gratianus refert *in c. Cum pro utilitate 16. Q. 1.*

X. Paramenta ſacra, veſtes Sacerdotales, cruces, & ſimilia, in quibus chriſma non adhibetur, ad eccleſiarum ſuarum neceſſitatem, imò aliarum quoque benedicere poteſt. *Glo. in c. Abbates V. Tonſuram.* Vbi notandus *Dalneri* error, qui *c. 10. nu. 33.* affirmat, Abbates conſecrare poſſe calices & patenas. Nam *Congregatio Cardinalium in Seſſ. 23. c. 10.* manifeſtè excipit illa, in quibus unctio requiritur, inter quæ calices, & patenas eſſe nemo ignorat. *Piaſecius pag. 72.* etiam Corporalia excipit. Vnde colligitur peculiare privilegium eſſe quod Religioſi Mendicantes Corporalia benedicunt, de quo *V. Roderic. to. 1 Q. 19 ar. 2. Compend. Privil. Soc. Iesu. Layman in QQ. Regular. n. 217.* ex diuturna, & non improbata conſuetudine fieri putat. De eccleſia polluta an benedici poſſit ab Abbatibus, & Prælatis regularibus, quærit *Rodericus To. 1. Q. 19. a. 6.* & reſpondet, benedicere illos ſolenniter poſſe eccleſiam propriam, cœmeterium, & Oratoria, modò ab epiſcopo aqua benedicta ſit. Illo autem abſente per duas diætas ſeu 14. leuca ſupplere poſſe ex indulto *Leonis X.* & aquam ipſe benedicere. Altaria & calices communiter non conſecrantur, ut diximus, ab Abbatibus, ſpeciali privilegio tamen conceſſum dicitur ab *Innoc. VIII. Generali*, & quatuor præcipuis Abbatibus Ordinis Ciſtertienſis. *Barb. de poteſt. Epiſc. Par. 2. alleg. 27. nu. 36.* Hodie eodem privilegio in locis remotiſſimis Indiarum utuntur PP. Societatis Ieſu & alii quidam. *V. Rod. 1. pag. 159. Tamb. 4. de Relig. pag. 175. Caram. in Com. Reg. S. Bened. n. 1567.* tradit privilegio Ciſtercienſibus conceſſo quo Innocentium, omnes Abbates hodie frui, qui utuntur pontificalibus inſignibus. Addit, etiam campanas benedicere poſſe.

§. IV *De*

§. IV.

De Iudicialibus.

I. PRæter internam & ſpiritualem iuriſdictionem, eam quæ fori externi dicitur ſeu contentioſam Abbati (aliiſque Regularibus Prælatis) competere in confeſſo eſt, ita ut in medio fratrum ſuorum de civilibus & criminalibus ordinarius iudex ſit. *c. Cùm contingat. de fo. comp. Panorm. ibi n.* 33. *concl.* 3. Roderic. *Tom.* 2. Q. 2. *art.* 8. *Spatharius in Methodo. Tr.* 1. *c.* 1. *Moſcon. p.* 363. Neque Epiſcopus immiſcere ſe debet, aut poteſt, niſi in cauſis delictorum, quæ notoriè cum publico ſcandalo à Regularibus committuntur, ut *Clem.* VIII. declaravit in *Conſt. ſuſcepti muneris apud* Roder. *l. cit art.* 6. idque tunc ſolùm, quando Prælatus monitus ab epiſcopo ceſſat, & reum fratrem aliò, ne puniatur, tranſmittit. Adde, ne quidem civiliter conveniri poſſe à Creditoribus coram epiſcopo Monachum modò ſub regulari diſciplina ſit. *Declar. Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c* 14.

II. Arguet igitur delinquentes, ſed non in furore ſuo. Modum Regula, & aurea methodus Octaviani Spatharii docebit. Inedia, flagella, ignominia, carcer adhibenter, proſcriptio, exilium, triremes aut nunquam, aut rariſſimè. Iudicii forma accuratè ſervetur, Regularium magis quàm ſæcularium legibus ordinata. Apices iuris hic *Boniſac.* VIII. damnat. In gravioribus delictis feſtinata ſeveritas prodeſt, ne Epiſcopus manum iniiciat. *Spatharius Tract.* 1. *c.* 4 *Ghiſilerius Perez in Reg. S. Bened. cap.* 2. *par.* 3. *n* 48.

III. In locis, quæ contra epiſcopum præſcriptione obtinuit Prælatus, & pleno iure poſſidet, de cauſis matrimonialibus, & beneficialibus cognoſcere poterit: cùm ſine his plenum ius, & integra iuriſdictio non conſiſtat. *Barb. in c. Auditis. de præſcript.* Neque huic iuri derogatum eſſe à *Con Tr. Cardin. Congreg.* declaravit. *Seſſ.* 24 *c.* 20. *V. Moſcon l.* 1. *c.* 10. *p.* 264.

IV. In cauſa monaſterii ſui Abbatem fieri teſtem, nihil vetat: cùm idem Clerico in cauſa eccleſiæ ſuæ tribuatur. Non enim privata cauſa tunc agitur, ſed Vniverſitatis, in qua clericus, & Prælatus quilibet côtinetur, ut membrum. *c. Inſuper. de teſt. & atteſtat. Vivianus in Ration. l* 2 *p.* 150. *Alagona in Comp. p.* 259 *Barb. ibid.* Modò Abbas unà cum Conventu conſtituerit procuratorem, Syndicum, vel actorem, qui ipſius Communitatis nomine cauſam agat. *c. præſentium eo. in* 6.

V. Quemadmodum Abbas non ſuo, ſed monaſterii nomine inſtituere actionem, & viciſſim conveniri poteſt. *c. Edoceri de reſer.* ita Capitulum, ſeu Conventus agere, & tractare negotia vel iudicia poteſt cum Prælati ſui conſenſu. Nam neque ſine membris caput, nec ſine capite membra vivunt, aguntque. *c. Novit. de his qui ſiunt.* Quamobrē ſi quid Abbas fecerit, aut pactus fuerit in cauſa monaſterii ſui non ſine conſenſu fratrum, & Capituli feciſſe præſumitur. *Barb. in cap. Ea noſcitur de his, quæ fiunt à Præl.* Et pro conſenſu in ſcientibus taciturnitas habetur. *c. Continebatur eo. Tuſchus Concl.* 15.

VI A iuramento calumniæ Abbas non eximitur, ſed niſi præiudicare cauſæ ſuæ velit, præſtare debet, non quidem per ſe, ſed per procuratorem, vel Syndicum. Si

contu-

contumaciter renuat, epiſcopus idoneum Oeconomum eliget pro monaſterio, ne iure ſuo excidat. *Innoc Bellamera. Barbat. Vivianus l. 2. p. 61. Alagona Comp. f. 221. Barb in c. Imperatorum de dilationibus de Clericis idem praeſcribitur c. Cum cauſam eod.*

VII. A correctione Abbatis non licet appellare monacho, cùm fiat pro ſalute animi ipſius. *c. Licet de off. Ord. c. Ad noſtram. c. reprehenſibilis, c. Cùm ſpeciali. de appell* niſi in corrigendo modus omittatur. Tunc enim expreſſa gravaminis cauſa permittitur appellatio, uti fuga quoque, quando ſævit, qui corrigit. Vnde colligitur, poteſtatem Prælati regularis maiorem eſſe in monachos, quàm ſit ſæcularis Prælati in clericos, quia his appellatio abſolutè permittitur. *Moſcon c. 9. cir. finem. Maranta Par. 6 p. 287. Roder. 1. Q. 29. ar. 2.*

VIII. An damnato ad perpetuum carcerem monacho fugere liceat, *in Theſau. Religioſor. quarit Barthol Fauſtus, l. 6. c. 270.* & reſoluit non licere, modo iuſtè damnatus ad carcerem ſit, quæ in profeſſione ſua videtur iuri ſuo, & libertati renunciaſſe *Bann.* vero *22. q. 69. ar. 4.* paulò benignior, putat fugere poſſe, non quidem ad vagandum, aut habitum abijciendum, ſed ad illius pœnæ veniam à Superiore Prælato obtinendum, cui opinioni libenter ſubſcribo. *V. Roderic. 2. Q. 23. art. 6.*

(*.*)

§. V.

De Adminiſtratione bonorum temporalium.

I. ABbas, & Prælatus Regularium quilibet communi lege Ordinũ religioſorum omnium vi profeſſionis ſuæ incapax eſt omnis proprietatis, nec ullum dominium, ius, aut poſſeſſionem habere poteſt rei pecunia æſtimabilis ſecundùm ea, quæ diximus *Tit. 15. §. 5. & Roderic. To. 3. Q. 29. ar.* 4. Sed quia titulus & dignitas Prælaturæ non eſt pecunia æſtimabilis, ſuper illius proprietate, & poſſeſſione tuenda agere proprio nomine poteſt, quemadmodum de Clero quilibet, qui beneficium eccleſiaſticum obtinet. *c. Dilecta. 22. de reſor. c. Niſi. de præb.*

II. Bonorum temporalium monaſterii ſui non dominus, ſed adminiſtrator, ſeu diſpenſator eſt, conſtitutus nimirum à Domino ſuper familiam ſuam, ut det illi in tempore ſuo tritici menſuram. Det, *inquam*, pauperibus pauper, det in tempore ſuo, ſed non de proprio ſuo. *c. Cui portio. 12. q. 1. c. Cùm ad monaſter. de ſta. Mon. Clem. 1. de Regular. Con Tr. Seſſ. 25. c. 2.* ſic faciat diſpenſationem, ut mereatur recompenſationem. Modum diſpenſandi bona communia *Concil. Tr. l cit.* præſcribit his verbis. Adminiſtratio bonorum monaſterii, ſeu Conventuum, ad ſolos Officiales eorundem, ad nutum Superioris amovibiles pertineat: mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod neceſſarium, eis dene-

Digitized by Google

negetur. Hanc veritatem dicit *Caramuel in Reg. S. Bened. Diſp.* 49. *num.* 830. omnes Abbates ſciunt, tametſi aliqui diſſimulare videantur. *V. Perez in Reg. S. Ben. c.*34. Teneri ex culpa etiam levi, cum Eccleſia ipſius negligentia damnum paſſa eſt, multis probat *Comitolus l.*1. *Q.* 83.

III. Qui ſcriptores regalia, & caſtella tenere, agrorum, & camporum dominos eſſe eccleſiarum, vel Religionum Prælatos dicunt, ut ſuſpecti de aſſentatione ſint, magnos auctores habent. Omnium bonorum Eccleſiæ Dominum eſſe Papam, totius orbis, etiam infidelium de iure iuriſdictionem habere pronunciat. *Franc. Leo in theſau. eccl par.* 1. *c.* 4. *nu.* 58. *Par.* 2. *c.* 20. *n.* 1. *citatque c.* 2. *de prabend. in* 6. *Glo. fin. in c. Felicis de pœn. eo. Clem.* 1. *ci. ſi. Baldum in l Reſcripta num.* 8. *Gomeſ. in Proœm. in Reg. Cancell. de aliis Prælatis S. Bern. aſſertio eſt in Serm. ad Paſtores in Synodo.* Duplex eſt dominium prælatorum. Habent enim claves eccleſiæ: quibus claudunt, & nemo aperiat, aperiunt, & nemo claudit. Habent & regalia, quia Domini ſunt urbium & oppidorum. Nec ſolùm epiſcopatus habent, ſed etiam conſulatus. Eod. modo loquuntur, quos magno numero citat *Bark. in c. Licet. de præb. in* 6. ſed meminiſſe iuvat, eiuſmodi propoſitionem catachreſi ornatam eſſe, & *Domini* vocem pro Diſpenſatore, vel Oeconomo poni, quemadmodum in aliis multis videre eſt. *Clare S. Th.* 22. *Q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. *Quamvis res* Eccleſiæ ſint Papæ, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt eius, ut domini, & poſſeſſoris. Vnde ſi reciperet pro re Spirituali pecuniam de reditibus eccleſiæ alicuius, non careret vitio Simoniæ. *Ita S. Thom.* dicat ergò Prælatus Religioſus cum Apoſtolo 1. *Cor.* 9 *V.*17. *Diſpenſatio mihi credita eſt.*

IV. Vnde conſequitur nullam rem pro libitu alienare poſſe, quemadmodum nec alii Prælati poſſunt. Nam bonorum eccleſiaſticorum alienatio, naturali, & divino iure prohibetur, addito iuramento, quoad ſummum Pontificem, & Cardinales reſpectu bonorum Sedis Apoſtolicæ: quoad Epiſcopos verò, & Prælatos reſpectu bonorum ſuæ eccleſiæ. Eadem alienatio utroque iure prohibetur Cano. & Civili ut in *Par.* 2. *huius Summa magis explicabitur. V. Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 11.

V. Quod munera & donationes attinet, prohibitionem innovavit, & auxit *Clem.* VIII. *in Conſt. Religioſa Congregationes Anno* 1594 *edita*, vi cuius nulli Superiori ſubdito, Communitati, vel Conventui licet ullam donationem [illegible] bonis monaſterii facere, exceptis militarium Ordinum perſonis, & Eremitis, qui propriè Religioſi non ſunt. Quantitas autem ad peccati mortalis culpam in re donata cenſetur prudentum virorum iudicio valor duorum, aut trium aureorum. Sed quia de hac materia *ſupra tt.* 15. §. 5. *nonnihil diximus, & in Par.* 2. *tt.* 17. rurſus agendum erit, deſino. Legat interim, cui collibitum eſt, *Rodericum Tom.* 11. *Q.* 48. *ar.* 3. *& ſeq. Sorbo in expoſitione prædi. Clementina in Comp. privilegior. Mendic. pag.* 152. *Quod verò Caramuel in Reg. S. Bened. num.* 829. dicit *Clementinam* illam in neutro foro obligare, quia Solidam doctrinam non continet, à pluribus reiicitur.

VI. Mul-

Digitized by Google

VI. Multò minùs in teſtamento aliquid relinquere Abbas poteſt, uti nec ullus profeſſus: hoc enim illis tantùm convenit, qui dicere audent, *Meum eſt.* Nec prodeſt opponere, Modica donatio Religioſis in vita permittitur, ut paſſim Theologi & Canoniſtæ tradunt: ergò etiam in termino vitæ: quia huic diſpoſitioni Ius manifeſtè reſiſtit, ut quæ naturam dominii ſapere videatur. *V. Sanch. l. 7. Moral. c. 8. num. 5. Fillinc. Tract. 34. c. 3. n.* 50.

VII. Modicam donationem facere permittitur etiam cognatis ſuis, & conſanguineis imo maritare puellam ex bonis Monaſterii, & nobili verecundo largam eleemoſynam dare. *Feder. de ſen. Conſ. 282. c. Caterùm. de donation.* modò modus ſervetur. quod quàm ſit difficile, amoris impotentia, & quotidianus uſus docet in illis ipſis, qui iſthæc præſcribunt. Suis igitur dabit, donabit, locabit, ut alienis, quemadmodum ab Abbate Latiniacenſi factum eſſe *S. Bernardus commendat ep.* 230. Si inter Fratres Sermo, & querelæ audiantur, donatæ rei quantitas, loci conſuetudo, & circumſtantiæ librandæ erunt. Corduba apud *Anton. Perez in Reg. S. Bened. c. 33. num. 128.* Abbatem dicit ex bonis monaſterii uſque ad quantitatem decem aureorum donare poſſe, bona interveniente cauſa *V. Glo in c. Abbatib. 12. q. 2. V. ſubſcriptione Epiſcopi Dalner. c. 10. num. 29. Barb. in ci c. de donationibus. Suarez Tomo IV. de Relig. l. 2. c. 26 n 11. & ſequ. Roderic.* 11. *Q.* 48. *Artic.* 3. *Graff.* Par. 2. *c. 23. n* 8. *& ſeq.*

VIII. Eleemoſynas Prælati dare poſſunt, & debent, primò quidem eas, quæ in Regula, Statutis, aut conſuetudine Ordinis conſtituuntur. Deinde ex illis bonis & fructibus, qui non valdè neceſſarii ſunt ad familiæ ſuſtentationem, ubi meminiſſe iuverit illud vetus dictum, *Date, & dabitur vobis.* Dixi autem *debere.* quod maximè in remuneratoriis locum habet, quæ ob id nunquam cenſentur prohiberi, quantumlibet prohibitio generalis ſit. *Mol. Diſp. 226. Fill. l. c. num.* 51. In his autem ſi modum Prælatus exceſſerit, invalidæ, & reſtitutioni obnoxiæ donationes erunt. *Nau. Comm 2. de Reg. num 12 Az. 2 l. 12 c. 10. Sanch l. 7. Mor c. 19. Vaſq. Tr. de eleem. c. 4 nu. 1. Suar. de Relig. l. 2. c. 26. Laym. l. 3. tr 4 c. 12. Barb. de pot Ep. par. 1. Tit. 2. Glo. 9.*

IX Huc pertinet, quod doctrina, & uſu ſcientiſſimus Abbas *Trithemius in c. 3. Reg. S. Ben.* monet, Abbates & animarum Rectores, quibus credita eſt diſpenſatio, & pauperum theſaurus indigentibus ſubvenire debent, ſcientes, ſe Deo de omnibus ſibi creditis & pauperum eleemoſyna in die iudicii rationem reddituros. Monachus autem qui nihil habet, ſpiritualem exhibeat eleemoſynam, exemplo Petri Apoſtoli, qui terrenam non habens ſubſtantiam petenti pauperi ſpiritualem impendit miſericordiam dicens, *Aurum & argentum non eſt mihi. &c* De Monachis autem ſine regula ſub regula viventibus neſcio quid dicam. Si fuerit, cuius animam timor DEI occuparit, eleemoſynam facere poteſt, modò Abbas conſenſerit. *Ita Trithem.*

X. Quiſquis monaſterii, prioratus, aut ſimilium bonorum curam neg'igit, vel

malè abutitur, correctionem, regularem, adeoque depoſitionem meretur. *c. Cùm ad monaſt. de ſta. Mon.* Ad quem vero pertineat, Abbates corrigere, vel etiam exauctorare, ex ſingulorum Ordinum Conſtitutionibus intelligi poteſt. Si ius commune quæritur, *Glo. in c. Si quis Abbas 18 q. 2.* etiam propter modicas cauſas a dignitate Abbatiali deponi poſſe aſſerit per ſolum epiſcopum, etiam invito Conventu *c. Tertuas de Simonia.* Quod de exemptis non intelligo. Horum enim cum epiſcopis par conditio eſt, quos ſolus Papa deponit. *1. Clar. §. fin. Q. 73. nu. 8. Graff l 3 c. 23. n. 27. Roder. To. 1. Q. 41. art. 3. tradit ex Comp Ord. Ciſter. indulto Eugenii IV. Soli* Capitulo Generali competere generalem reformationem, Abbates, & Abbatiſſas dicti Ordinis certo modo corrigere, ſuſpendere, deponere, & illorum loco alios deputare. Idem Eugenius decrevit, quod abſolutio & depoſitio ab officio ipſius Generalis Capitulo Generali competat. Quòd ſi monitus renunciare detrectat, elapſis duobus diebus ipſo facto iuriſdictione, & poteſtate privatus intelligitur. Quod ipſum *Ioan.* XXII. Congregationi montis oliveti conceſſit. *Ita Rodericus* Sed ſingulorum Ordinum leges & conſuetudines inſpiciendæ ſunt. Quod Societatem noſtram attinet, Præpoſiti Generalis ex gravi cauſa depoſitio Congregationi generali abſolutè permittitur *Par 9. Conſt. c. 5. n. 4. & ſeq.*

)o(

§. VI.

De his, quæ Abbati ſpecialiter prohibita ſunt.

I. NOn licet Abbati recipere, aut creare novum monachum abſque conſenſu Capituli. *Gloſſ. in c. ul de Reg in 6. Nav* Com. 3. n. 5. *Trithem. in c. 3. n. 5. Trithem. in c 3.* Reg. *S. Bened.* Non decet, ait, Abbatem, qui caput eſt, omiſsis membris aliquem recipere ad Congregationem, quia id rationi, & honeſtati contrarium foret. Nec ſemel receptum arbitrio ſuo eijciet. Si incorrigibilis videatur, expulſionem antiqua iura permittunt. *Concil. Trid. Seſſ* 25. *c.* 14. ignominia carceris, vel etiam graviore pœnâ caſtigari præcipit.

II. In collatione alic. Prioratus novum onus imponere vetat *Clem Quia Regulares de ſupplen. neglig. Pral.* Nec prohibere aut impedire poteſt, ne Monachi confiteantur epiſcopo, aut Pœnitentiario ipſius, niſi privilegium exceptionis habeat, vel Conſtitutiones à Sum. Pont approbatæ permittant. *Abb. in c. Monachi de excomm. Silv. V. Abbas. nu.* 6. *Zerola par.* 1. *V. Monachi.*

III. Exemptioni & cœnobii non poteſt renunciare abſque licentia Papæ. Nã *c. Cum tempore. de arb. expreſsè* dicitur. Cùm etſi ſponte volueris, de iure tamen nequiveris ſine licentia Ro. Pontificis renunciare privilegiis. Pontifex nimirum exemptorum diœceſanus eſt, cuius authoritas per ſpontaneam renunciationem læderetur. *c Auctoritate. iun Glo. V. Diœceſani. de privil. in 6.*

IV. In

IV. In Eccleſiis, in quibus habet jus patronatus, præſentare Clericos ſine conſenſu Capituli non debet. *c. ea noſcitur. de his quæ fiũt à Præl.* Exc. niſi contraria conſuetudo ſit. Nec Monachum dare in pignus, vel obſidem pro debitis Monaſterii. *Barb. in c. Ex reſcripto de jurejur.* ubi poſt tactum ſtare promiſſis, & juramento jubentur. *Sanch. l. 6. Mor c. 16. n.* 30. nec pro noxa dari poſſe Monachum contendit.

V. Dimiſſorias ulli ſæculari vel Regulari ſibi non ſubjecto dare, nuptiis intereſſe, de ſacro fonte levare filios pariter illicita ſunt. Si tamen fecerint, verè compatres erunt, & ſpiritualem cognationem contrahent. *Conc. Trident. Seſſ. 23. c. 10. Barb. de pot. Ep. par. 2. alleg 7. Item in c. Placuit 16. quæſt. 1.*

VI. Dubium eſt de unione beneficiorum, poſſitne eam Abbas facere in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis. Negant multi Ap. *Sanchez l. 7. c. 29.* à quibus ipſe meritò diſſentit. Abbates enim aliique Prælati in ſuis Diœceſibus omnia ad juriſdict. Eccleſiaſticam ſpectantia poſſunt quæ Epiſcopi: nec beneficiorum unio cognoſcere aliquem requirit. *Abb. in c. ſicut unire. de exc. Præl. Cardin. Clem. 1. §. ad hæc de ſta. Mon.*

VII. Duobus Monaſteriis ſimul titulo Abbatis præeſſe non poteſt. *c. Ne nimia de Relig. domib.* Ad aliud ergò ſi eligatur, ex duobus utrum volet, eliget, eo modo quem *Nav. indicat. de præbend. Conſil. 15.* qui etiam *Conſilio 60. de Regular.* monet. Si quis Prælatus ad aliud Monaſterium transferatur, eo ipſo illius obſervantias tacitè profiteri. *V. Card. Tuſchum. V. Abbas & Alvarum Pelaus. de planctu Eccleſ. lib. 2. art. 22.*

TITULUS XVII.

De Monialibus.

Virginum, quæ virorum exemplo Religioſum vitæ inſtitutum complexæ ſunt, duo genera reperio. Nam ut *Gabr. Pennottus de Canon. Regularibus parte 3. c. 49. pag. 787.* benè notavit, quemadmodum in primitiva Eccleſia, & deinceps Ordo Regularis virorum in duas claſſes diviſus fuit, tum habitu, tum nomine diverſo; quarum altera Clericorum, Monachorum altera nuncupata, ita etiam de Ordine Regulari fœminarum dicendum eſt. Etenim fuiſſe in Eccleſia olim Virgines ſanctimoniales, Canonicas, ſeu Clericales nomine, & habitu diſtinctas, Patrum & Conciliorum teſtimonia certiſſima confirmant. *Innocent. III. in c. cùm dilecta de maj. & obed.* Concil. Ticinenſe, Pariſienſe, Rhemenſe, Cabilonenſe, &c. Superſunt hoc etiam tempore Canoniſtarum præcipuæ nobilitatis Collegia in Provinciis Germaniæ, Lotharingiæ, & Belgii, ex quarum vivendi modo apparet, eas à veteri rigore ad mitiorem quandam converſationem

demigraſſe. Monalium conſtantior diſciplina jam nunc perdurat. De his igitur potiſſimùm agemus. *Iſid.de off. Eccleſ.c.15. Barb.in Clem.attendentes.* De religioſ. domibus. *Tholoſan.l.15.Synt.c.17.n.9. Roderic Tom.I.q.20.29.Tomo II.quaſt.49. Tom. III. quaſt.6.*

§. I.

De receptione, & profeſſione Monialium.

I. PLures, quàm ex proventibus alì commodè queant, non licet recipere: aliter ſi fiat, receptio nulla eſt *c.Periculoſo.de Sta.Regular. in 6.* Atque hoc non commodum modò, ſed etiam apprimè neceſſarium eſt: ſiquidem uſus ipſe docet, ubi rerum neceſſariarum præſtatio deficit, ſervari diſciplinam non poſſe, apud mulieres præſertim, quibus uti ſexus, ſic animus mobilior, & debilior eſt. Numerum verò Epiſcopus ſuâ diſcretione definiet. *Conc.Trid.Seſſ.25.c.3. Antonin. part 3.tt.16.c.7.§.3.Suar. IV. de Relig. l.1.c.11.* Recipere corruptas, cum penitus occultum eſt, nullo jure vetatur, eodem *Suario teſte, loc.cit.n.10. & ſequ.*

II. Quamvis in receptione habitus accipiant aliquid Moniales, aut paciſcantur de alimoniâ in futurum, non contrahunt excommunicationem capitis. *Sanè De Sim.in Extrav.eod.* Nam & recepta conſuetudo excuſat, & *Innocentius VIII.* declaravit, eas non incurrere labem Simoniæ (intellige quoad prohibitionem Eccleſiaſticam) in receptione puellarum ad Monaſterium, excepto duplici caſu, quorum primus eſt, ſi pactum ineant, de dando, vel ſolvendo aliquid pro ingreſſu in Ordinem, alter ſi recipiant inhabilem propter ſpem acquirendi, vel lucrandi aliquid. Præterea ad removendos ſcrupulos *Clem.VII.* indulſit Monialibus, ut abſque Simonia convenire poſſint, & paciſci de dote in ſuſtentationem congruam adferenda. Hæc & alia privilegia enumerat *Navarr.di Excomm.n.20.Capuccinus in Compend. privilegior. Ordinum Mendic. V. Moniales.num.16. & 31. Miranda in Tract. de Monialib.q.8.art.7. Leſſius 435. dub.13. Suar.Tom.III.de Relig.l.5.c.9 n.15. Barb. in c. vita.Sanè.* qui etiam *n.5.* monet, cenſuram non incurrere eas, quæ dant, & recipiunt aliquid tempore acceptationis ad habitum, ſed quando ad profeſſionem faciendam aliqua admittitur. Tunc enim, & non priùs, receptionis effectus compleri exiſtimatur. *V.Roderic. Tomo II. quaſt.49.*

III. In admittendis exigitur ætas annorum duodecim completorum: ipſa verò puella ante ingreſſum, ut ante profeſſionem quoque, ab Epiſcopo examinanda eſt, remotis omnibus conſanguineis, & propinquis, ut cognoſcatur, num verò, & liberè Religionem appetat. *Con. Trid. Seſſ 25.c.17.* Hoc modo variis querelis, & quæ ex inconſtantiâ naſci ſolent, exceptionibus via præcluditur. *V. quæ dix. Tit.VII. §.7.*

IV. Illis, quæ in aliquo Ordine habitum induerunt, ab Ordinario certus dierum numerus, puta *15.* aut 20. dierum præfigi debet, intra quem deliberent ſerio, velint, nec ne profeſſionem edere. Nolentes remitti ad ſuos liberè poſſunt, reſtitutis omnibus, quæ intulerunt. *Ibid.*

V. Ante annum ſextum decimum ætatis

tatis perfectè completum nulli profeſſio permittitur. Citiùs facta pro nullâ accipitur. Unde conſequitur, ſi anno ætatis duodecimo ingrediens puella ſponſum habet, is expectare quatuor annos debet, donec peracta profeſſio ſit. *Declar. Conc. Trid. Seſſ 25. c. 17. Sanchez de Matrimon l. 2. Diſp. 24. n. 8. Henriq. l. 12. c. 5. n. 8.* Si autem aliqua probationem in fine anni decimi tertii finivit, ſtatutum aliquod particulare obſtat, tacitè profeſſa cenſebitur uſque ad finem anni decimi ſexti. *Zerola part. 2. V. Moniales n. 9. Suar. IV. de Relig. l. 1. c. 11. n 4. & ſeq. Navar. Conſ. 20. de Regular.* ubi etiam nonnulla de Velo duplici, profeſſionis, & conſecrationis explicat. *V. Roder. Tom. I. q. 65. art. 1 Graff. part. 2. l. 2. c. 15. num. 34.*

VI. Ut illius, quæ factura eſt profeſſionem, conſtans & libera voluntas exploretur per Epiſcopum, Abbatiſſa vel Præfecta Monaſterii illum uno menſe ante diem profeſſionis conſtitutum certiorem facere debet. Si neglexerit, Decreto Conc. Tridentini, ab officio ſuſpenſa manebit, quamdiu Epiſcopo placuerit. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 17. Toletus l. 1. c. 49. num 6.*

VII. Ex indulto *Pii V.* Moniales Novitiæ, quæ legitimam ætatem habent ad ſolenniter profitendum, in articulo mortis conſtitutæ, ad majorem animi conſolationem & quietem, etiam nondum expleto probationis anno profeſſionem edere poſſunt; quæ profeſſio tamen nulli præjudicet, qui habet jus ab inteſtato ſuccedendi, ut ſupra diximus *Tit. 15. §. 3. n. 3. Roder. Tom. III. q 15. art. 6.*

VIII. Sumptus faciendi à Monialibus ſive in primâ receptione, ſive in ſecutâ profeſſione, ut modus ſervetur, ab Ordinario determinandi ſunt; cujus erit habita ratione temporis, perſonarum, neceſſitatis, & honeſtatis ex bono & æquo arbitrari. *Conc. Trid. Declar. Seſſ. 25. c. 17. ci. fin. Zerola part. 1. V. Moniales. n. 15.*

§ II.

De obligationibus quibuſdam.

I. MOnialis confiteri quolibet menſe ſemel debet, primo ſcilicet cujuslibet menſis die & Sacroſanctam Euchariſtiam ſumere. *Clem. I. §. Sanè. de ſtatu Mon.* At qua obligatione? Eadem, qua fideles ſemel quolibet anno *Gloſſa dicit in V. Menſibus.* Quid ſi venialibus tantùm oneratam conſcientiam habeat? Non teneri ex *Silv. Navarro, & Graff.* cenſet *Bartholom. à S. Fauſto in theſau. Religioſor. l. 6. q. 185.* Nam clementina citata nullatenus communem Canonem utriuſque ſexus de pœn. & remiſſ. mutat, ſed tempus abbreviat, ut quomodo omnes fideles ſingulis annis tenentur confiteri, ſi habeant peccata mortalia, ita Monachi & Moniales teneantur ſingulis menſibus. De communione in ſequ. Q. idem Auctor quærit, an ſi extra Monaſterium commorentur, eam quoque teneantur ſumere? & reſolvit negativè, eò quòd *in di. Clementinâ* dicatur, *In Monaſteriis percipiant.* Verùm probabilius cenſeo teneri, modò occaſio non deſit. Neque allegata verba excluſiva ſunt, ſed id, quod magis uſitatum eſt indicant. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 10. Azor. Tom. I. l. 12. c. 19. q. 17. Zerola V. Moniales.* Epiſcopus etiam non ſubjectis ſibi Monialem Confeſſarium

extra-

Digitized by Google

tatis perfectè completum nulli profeſſio permittitur. Citiùs facta pro nullâ accipitur. Unde conſequitur, ſi anno ætatis duodecimo ingrediens puella ſponſum habet, is expectare quatuor annos debet, donec peracta profeſſio ſit. *Declar. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 17. Sanchez de Matrimon l. 2. Diſp. 24. n. 8. Henriq. l. 12. c. 5. n. 8.* Si autem aliqua probationem in fine anni decimi tertii finivit, ſtatutum aliquod particulare obſtat, tacitè profeſſa cenſebitur uſque ad finem anni decimi ſexti. *Zerola part. 2. V. Moniales n. 9. Suar. IV. de Relig. l. 1. c. 11. n. 4. & ſeq. Navar. Conſ. 20. de Regular.* ubi etiam nonnulla de Velo duplici, profeſſionis, & conſecrationis explicat. *V. Roder. Tom. I. q. 65. art. 1 Graff. part. 2. l. 2. c. 15. num. 34.*

VI. Ut illius, quæ factura eſt profeſſionem, conſtans & libera voluntas exploretur per Epiſcopum, Abbatiſſa vel Præfecta Monaſterii illum uno menſe ante diem profeſſionis conſtitutum certiorem facere debet. Si neglexerit, Decreto Conc. Tridentini, ab officio ſuſpenſa manebit, quamdiu Epiſcopo placuerit. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 17. Toletus l. 1. c. 49. num 6.*

VII. Ex indulto *Pii V.* Moniales Novitiæ, quæ legitimam ætatem habent ad ſolenniter profitendum, in articulo mortis conſtitutæ, ad majorem animi conſolationem & quietem, etiam nondum expleto probationis anno profeſſionem edere poſſunt; quæ profeſſio tamen nulli præjudicet, qui habet jus ab inteſtato ſuccedendi, ut ſupra diximus *Tit. 15. §. 3. n. 3. Roder. Tom. III. q. 15. art. 6.*

VIII. Sumptus faciendi à Monialibus ſive in primâ receptione, ſive in ſecutâ profeſſione, ut modus ſervetur, ab Ordinario determinandi ſunt; cujus erit habita ratione temporis, perſonarum, neceſſitatis, & honeſtatis ex bono & æquo arbitrari. *Conc. Trid. Declar. Seſſ. 25. c. 17. ci. fin. Zerola part. 1. V. Moniales. n. 15.*

§ II.

De obligationibus quibuſdam.

I. Monialis confiteri quolibet menſe ſemel debet, primo ſcilicet cujuslibet menſis die & Sacroſanctam Euchariſtiam ſumere. *Clem. I. §. Sanè. de ſtatu Mon.* At qua obligatione? Eadem, qua fideles ſemel quolibet anno *Gloſſa dicit in V. Menſibus.* Quid ſi venialibus tantùm oneratam conſcientiam habeat? Non teneri ex *Silv. Navarro, & Graff. cenſet Bartholom. à S. Fauſto in theſau. Religioſor. l. 6. q. 185.* Nam clementina citata nullatenus communem Canonem utriuſque ſexus de pœn. & remiſſ. mutat, ſed tempus abbreviat, ut quomodo omnes fideles ſingulis annis tenentur confiteri, ſi habeant peccata mortalia, ita Monachi & Moniales teneantur ſingulis menſibus. De communione in ſequ. Q. idem Auctor quærit, an ſi extra Monaſterium commorentur, eam quoque teneantur ſumere? & reſolvit negativè, eò quòd *in di. Clementinâ* dicatur, *In Monaſteriis percipiant.* Verùm probabilius cenſeo teneri, modò occaſio non deſit. Neque allegata verba excluſiva ſunt, ſed id, quod magis uſitatum eſt indicant. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 10. Azor. Tom. I. l. 12. c. 19. q. 17. Zerola V. Moniales.* Epiſcopus etiam non ſubjectis ſibi Monialem Confeſſarium extra-

Digitized by Google

extraordinarium, ex alia Religione vel ſæcularem Sacerdotem dare poteſt. *Em. Sa. V. Epiſcopus nu.* 33. *Declar.* Card *Con. Tr. l. cit.*

II. Communi menſa, culina, & dormitorio utendum Monialibus eſt. Propria receptacula, & privata domicilia non permittũtur: neq; ut in eodem choro, ſeu Odæo cum Canonicis vel Monachis pſallant. *c. Perniciosam.* 18. *p.* 2.

III. Proprium habere nefas. Vbi penuria urget, artificio, & propriis manibus victum quærere licet, & vendere labores manuum ſuarum, modò cœnobii clauſura non violetur. *Conc. Trident. Seſſ.* 25. *c* 3. Poſſunt etiam cum licentia Superiorum habere reditus annuos, & vitalitios, quibus procurent res ſibi neceſſarias ad victum, veſtitum, libros, ſupellectilem, dummodò paratæ ſint ad libitum Superioris dimittere. *Barb. in Collectan. Concil. Trident. pag.* 375. *Antonin. Par.* 3. *tt.* 16. *c.* 1. §. 11.

IV. Res etiam parui momenti ſibi donatas, aut aliunde acquiſitas, quaſi proprias retinere non poſſunt, ſed Superiori reſignandæ ſunt. Hic viciſſim, quæcunque neceſſaria ſunt exhibere debet. *Declar. Card. Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 2. *Huc pertinent. quæ Fuſius diximus Tit.* 15. §. 5.

V. In Sacramento Baptiſmi & Confirmationis commatres eſſe non poſſunt. *c. Pervenit.* 12. *q.* 2. nec tangere Sacra Vaſa, vel incenſum deferre. *c. Sacratas D.* 23. ubi conſuetudo contraria peſtis appellatur.

VI. Monialis Sola cum Solo non loquetur, ſed comitata duabus, vel tribus ſororibus. *c. In decima* 18. *Q.* 1. ubi *Concilium Hiſpalenſe* præcipit, ut ex Monachis, qui Monialium clauſtris præſunt, ne quidem cum Abbatiſſa frequenter loquatur, & ſub teſtimonio duarum vel trium ſororum, ita ut rara ſit acceſſio, & brevis omnino locutio. Quam præceptionem multò ſaluberrimam etiam qui non ſervant, commendant. *Antonin. Par.* 3. *tit.* 16. *c* 1. *Buſa. de Stat. V. Virginitas n.* 5.

VII. Si quæ contra profeſsionem ſuam malè perſuaſa virum admiſerit, corruptaque fuerit, in diſtrictius monaſterium transferenda eſt, ubi orationibus, & ieiuniis vacet, itaque pœnitendo proficiat, ut metuendum cæteris arctioris diſciplinæ præſtet exemplum. *c. Si qua* 18. *Q.* 1. ſuſpecta de actu & tactu impudico, compertaque utrumque ſexum habere, quamvis debilior ſit virilis, monaſterio eiici debet. *Barb. in Votis deciſivis. l.* 3. *Voto* 100. De pœna corruptoris agens *Bern. Diaz in Pract. Crim c.* 33. *ſi clericus* eſt, deponendum eſſe tradit, & monaſterio includendum, per textum *in c. Si qua.* 27. *q.* 1. *& c. ſi quis de Vi. & honeſt. cleric.* Laicus autem in foro eccleſiaſtico excommunicatus eſt: in ſæculari mortis ſupplicio dignus habetur, privatis Conſtitutionibus Italiæ, ut Hippol. refert in *l.* V*n. num* 4. *& ſeq. de raptu* V*irg. Iul. Clarus in Pract. crim* §. *fornicatio* V. *Cum Monialis Ign. Lopez in Pract Crim. c.* 85.

VIII. Quod obedientiam attinet, eadem cum Fratribus Religioſis ſub quorũ Regula vivunt, lege tenentur: Matri ſeu Abbatiſſæ in iis, quæ ipſa ut Magiſtra, ſeu Gubernatrix præcipere poteſt Prælatis ſimiliter iuxta uniuſcuiuſque Ordinis modum, ac conſuetudinem. Huc igitur referenda, quæ *Tit.* 15. §. 7. *de obedientia Religioſa diximus.*

IX. Quia

Digitized by Google

IX. Quia privilegium Canonis *Si quis ſuadente* 17 *q.* 4 ad Sanctimoniales extenditur, ut patet ex *Ti.* 1. § 4. ſi monialis monialem, vel converſam percuſſerit, excõmunicationem latæ ſententiæ incurrit: à quâ tamen abſolvi poteſt ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi Monaſterium ſitum eſt. *c. de Monialibus de ſent. excomm. Silv. V. abſolutio num.* 4. *Cockier de Iuriſd. ordin. part.* 2. *quæſt.* 45. *Lancell. l.* 4. *Inſtit. tt.* 13. *Barb. de poteſt. Epiſc. part.* 3. *Allegat.* 105. *num.* 52. & *in c. cit. ſi quis ſuadente. Reginald. in Append. libri primi Sect.* 2. *num.* 246. ubi omnibus mulieribus propter Clerici percuſſionem excommunicatis indultum eſſe demonſtrat, ut adire Sedem Apoſtolicam pro abſolutione non teneantur *c. Mulieres. c. ea naſcitur. & c. quamvis de ſent. excommunic.* Nam ſine periculo mulier non facilè itineratur.

§. III.

De Clauſurâ Monialium.

I. Clauſura eſt ſpatium Monaſterii janua clauſum, intra quod ſe continere debent, & à quo ſine violatione præcepti, vel etiam Voti Moniales egredi non poſſunt. Termini autem ſeu limites clauſuræ complectuntur omnia Monaſterii loca, quæ janua clauſa continentur & quo ſæculares non admittuntur. Atque hæc clauſura per ſe loquendo perpetua eſt, nec egredi licet ſub pœna excommunicationis cuiquam Moniali profeſſæ etiam ad breve tempus niſi impetrata ab Ordinario ob legitimam cauſam licentia. *c. Periculoſo de ſtatu Regular. in* 6. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 5. *Zerola part.* 1. *V. Monialis num.* 1. 6. *Navar. c.* 27. *num.* 150. Ea licentia ut legitima cenſeatur, tres conditiones exigit 1. aut in eum finem ſpecialiter dirigatur. 2. ut ſcripto detur. 3. ut cauſa gravis, & evidens ſit.

II. Cauſæ graves & legitimæ in *Motu proprio Pii V.* qui incipit Decori, tres numerantur 1. eſt magnum incendium. 2. Infirmitas lepræ 3. Epidimia, id eſt, morbus contagioſus, qui inficere alios poteſt. Sunt nihilominus aliæ cauſæ propter quas facultas exeundi clauſtro Monialibus concedi poteſt. Nam 1. belli tempore poſſunt ſeſe in tutum recipere. 2 ad fundandum novum Monaſterium, vel reformandum antiquum emitti poſſunt. 3. Abbatiſſa vel Prioriſſa, quæ juramentum fidelitatis præſtare tenetur domino feudi, ſi non liceat per Procuratorem ad præſtandum egredi permittitur ea lege, ut cum honeſto comitatu vadat, & continuò redeat. Denique ſufficit quælibet rationabilis ab Epiſcopo judicata. *Concil. Trid. loc. cit. Navar. Comment.* 4 *de Regular. num* 48. *Bonac. Tom. I. pag.* 598 & *ſeq. Suar. IV. de Relig. l.* 1. *c.* 9. *Piaſec. part.* 2. *c.* 3. *p.* 233.

III. Abſque cauſa egredientes, licentiam dantes, vel auxilium præbentes excommunicationem incurrunt, Summo Pontifici reſervatam. *Pius V. Motu proprio* contra jus commune apud *Silv. Religio VIII. ci. fin.* Imò privationem officiorum ac beneficiorum. *Excipe* neceſſitatem inevitabilem, cui nulla lex imperat. Monendus autem poſt factum ſuperior eſt. *Suar. l. cit. c.* 8. *num.* 10. *Roderic. Tom. I. quæſt.* 49. *art.* 2 *Silv V. Religio* §. 6. *num.* 16. *Filliuc. tract* 5. *c.* 8. *n.* 194.

IV. Incorrigibilis aliqua ut videatur, ejici non poteſt ex Monaſterio, ſed vel

Digitized by Google

inibi punienda, vel ad aliud cœnobium, ſeu clauſtrum transferenda eſt. *Ita Vrbanum VIII. conſtituiſſe teſtatur Barboſa in c. ne religioſi de Regular.* Nihil vetat tamen Moniales in aliud Monaſterium, vel etjam Ordinem transferri, qui ſtrictior ſit juxta ea, quæ diximus *Tit. XV. §. 8. de tranſitu ex unâ Religione in aliam. Conſt. Pii V. Bonac. Tom. 1. p. 598. Lugo l. 3. Reſponſ. Mor. D. 18. Sanchez l. 6. Moral c. 7. Barb. in c. Virgines 21. q* 4.

V. Laicis, Clericis, & Regularibus etjam Prælatis jure communi interdicitur ingreſſus in cœnobia Monalium. Transgreſſores excommunicationis pœnam incurrunt. Neque ad id Epiſcopus licentiam dare poteſt, niſi in caſibus neceſſariis, de quibus prolixè *Suar. IV. de Relig. l. 1. c. 10. Manrique par. 2. q.* 41.

VI. Clericum, ſi monitus ab Epiſcopo non deſinat Monialium clauſtra frequentare, pœna ſuſpenſionis manet, imò excommunicationis, & depoſitionis, quæ cenſetur materia gravis, & ſufficiens ad noxam lethalem. *Manrique par. 2. q. 12. Tolet. l. 1. c. 41. num. 9. Armilla. V. Monaſterium num. 2. Silv. l. cit. n. ult.*

VII. Religioſis Monialium clauſtra ſine licentiâ adeuntibus decreta eſt pœna privationis officiorum, vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto contrahenda. *Rodri. Tom. 1 quæſt. 45. art. 2.* qui tamen literarum miſſionem ad Moniales putat generaliter non eſſe vetitam ſub pœna excommunicationis. *Q cita. art. 3. Bonacina Tom. 1. pag. 644.* qui etiam notat Religioſos hoc tempore alloquentes Monialem abſque licentia etiam in Monaſterio Regularibus ſubjecto puniri poſſe ab Epiſcopo ex Conſtitutione *Greg. XV.* in Bulla de privileg. exemptorum. Idem Cardin. Congregatio declaravit, & *Vrbanus VIII.* approbavit. *Piaſecius par. 2. c. 3. Barboſ. in Summ. Deciſ. Apoſtol. Coll. 513.*

VIII. In cœnobiis Monialium recipi poſſunt feminæ pro obſequio, & famulatu, quando deſunt converſæ: nec tantùm pro Communitate, ſed etiam perſona particulari, quæ propter morbum, vel aliam neceſſitatem indigeret. Ancillæ autem, quæ pro libitu intrent, & exeant, non ſunt admittendæ. Vt educationis cauſa recipiantur puellæ ſacra Cardinalium Congregatio permittit cum his conditionibus. 1. ut Monaſterium conſueverit puellas admittere. 2. ut non excedant numerum præfixum. 3. ut adſit licentia Superiorum, & Abbatiſſæ conſenſus. 4. ut ſint decenter indutæ. 5. ut ancillas ſecum non habeant. 6. ut ſeptem annos impleverint, ſintque minores 25. annis. 7. ut ſeorſim habitent, & dormiant. 8. ut Monaſterio non egrediantur, & ſemel egreſſæ nequeant amplius admitti, niſi exierint propter morbum cum licentia Superioris. Poſſunt admitti etiam conjugatæ, quæ ob nimiam viri ſævitiam non commodè ſimul vivunt, donec inter ſe concilientur. Viduis autem, niſi habitum ſuſcipere velint, aditus præcluditur. *Zerola part. 1. V. Moniales. num. 10. Bonac. Tomo l. pag. 651. num. 15. & ſeqq. Anton par. 3. tt. 16 c. 7. §. 2.*

IX. Qui cum licentia Monaſterium ingreſſi ſunt, laboris alicujus, vel officii cauſa, eo expedito actu tum excedere debent: alias graviter peccaturi contra Juris decreta, niſi fortè materiæ exiguitas excuſet. Cenſuram verò non dicimus ex tali mora incurrere. *Id eo. p. 652.* Adde

1. quam

v. quamvis nec Cenſuræ ullius, nec peccati periculum foret, à non neceſſaria mora cuilibet abſtinendum, tum ut Virginum ſacrarum pudori, tum ut ſuæ potiſſimùm famæ conſulat. Eris innocens tu quidem fortetan.

At nos in vitium credula turba ſumus.

§. IV.

De Abbatiſsâ.

I. Eligenda in Abbatiſſam 1. legitimè nata ſit. 2. incorrupta niſi Epiſcopus diſpenſet. *Zerola part. 2. V. Abbatiſſa.* 3. non minor annis quadraginta. 4. cujus in cœnobio vitæ probitas octo minimùm annorum ſpatio probata ſit. Denique poſt profeſſionem expreſſam. *Gloſſ. in c. Attendentes de ſtatu Monach. c. Iuvenculus. 20 quaſt. 1. Angel Silv. Tabiena. Armilla. Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 7.* Si non reperiatur in eodem Monaſterio idonea, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poterit. Si hoc quoque incommodum videatur ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum triceſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo vel alio Superiore conſentiente eligatur. *Concil. Trident. loco cit Sanchez. l. 5. Moral. cap. 5. Zerola V. part. 1. Abbatiſſa. Modum electionis deſcripſimus Tit. VI. §. 2.* Illud peculiare eſt, quod aliquando per Epiſcopum cum Vicario ſuo oretenus accipi Suffragia poſſunt: duæ tertiæ Suffragiorum requirantur: & ſi diſcordes fuerint, ab Epiſcopo nominari Abbatiſſa poſſit. *Piaſec. part. 1. c. 3. Barb. in c. Indemnitatibus de elect. in 6.*

II. Electa confirmari debet, & ubi conſuetudo obtinuit, etiam benedic intra annum, &, ſi *Gloſſa* credimus, die etiam profano. Benedicta in Eccleſiis ſibi ſubjectis beneficia conferre poteſt, & Clericos inſtituere, quoad titulum, & poſſeſſionem. *c. ex roſcitur. de his, quæ fiunt à Prælat. c. dilecta de maior. & obed. Barb. ibid cum aliis multis.*

III. Modus gubernandi ab eo qui in cœnobiis virorum ſervatur, multùm diſtat, utpote domeſticus, & politicus magis, quàm Spiritualis. Quamobrem inſtar matris familias, & gubernatricis imperare poteſt ea, quæ ad ordinem domeſticum, & diſciplinam, conformiter regulæ præfixæ pertinent. Incapax enim poteſtatis ſpiritualis femina cenſetur. *c. Nova de pœnit. & remiſſ V. Antonin. part. 3 tt. 16. c. 7. §. 2.* Neque permittitur Abbatiſſæ præcipere in virtute Spiritus Sancti. in virtute Sanctæ obedientiæ & eſſo id poſſit ſub pœnâ voti obedientiæ ſibi præſtiti, aut virtute obedientiæ ſibi debitæ: quemadmodum Rector ſæcularis Univerſitatis mandare ſolet ſub pœnâ præſtiti juramenti. Aliqui tamen juriſdictionem Spiritualem ſaltem ex commiſſione tribuunt apud *Barboſ. in c. cit. Dilecta. Victoria de poteſt. Eccleſ. quaſt. 2. nu. 4. Ledeſma part. 2 quaſt 4. Vaſqu. 1. 2 Diſ. 166. c. 4. Sanchez l. 6. Moral. c. 1. num. 20. & ſeq.* ubi pluribus explicat differentiam inter Abbatem & Abbatiſſam, eorumque poteſtatem, & modum præcipiendi.

IV. Igitur exceptâ Regulari correctione nulla Abbatiſſæ clavium ſacrarum poteſtas conceditur, multò minùs Ordinis: hortari ad virtutem ſorores

Digitized by Google

licet, non prædicare non velare Virgines aut benedicere, ut neque aquam. Evangelium non in Miſſa, ſed officio matutino leget. *Anton. loco cit. Avila part.* 1. *dub.*6.*Concl.*1 *Suarez V. Diſp.*2.*Sect.*2.*num.* 5.*&* *Tom. IV. de Relig. l.* 2. *cap.* 9. *num.* 10. *Tuſchus. Concl.* 28. *Barboſ. in c. in nova de pœnit.*

Nota. Abbatiſſa non ſic omnis Juriſdictionis Spiritualis incapax eſt, quin aliquis clavium uſus puta, excommunicandi, illi committi poſſit, quemadmodum fuſius explicatur à Laymanno *lib.* *tract.*5 *part.*1.*c.*3. *Reginald. l* 9.*num.* 117. *Roder.* II. *quaſt* 43. *art.*3. Contrarium, & fortè melius tuetur *Coninck Diſp.* 13. *dub.* 4. *num.* 33. Reliqua accuratè præſcripta dabit Ordinatio à *S. Carolo Borromæo* *in Conc. I. & IV. Mediolanenſi* confecta, &c.

* * *

Omnia ad majorem DEI Gloriam, Virginis Matris, & Sanctorum omnium.

PARS

Digitized by Google

PARS II.
SVMMÆ
JURIS CANONICI

AGENS

DE REBVS ECCLESIÆ SACRIS,

& profanis, earumq́ue uſu, acquiſitione, conſervatione, & alienatione.

AVCTORE

R. P. IOANNE STREINIO SOCIETATIS IESU *Sacroſanctæ Theologiæ Doctore, Sacrorum Canonum Ordinario Profeſſore & Academiæ Bambergenſis Cancellario.*

COLONIÆ VBIORVM
Impenſis IODOCI KALCOVII Bibliopolæ
CIↃ. IↃC. LVIII.
Cum Privilegio.

Digitized by Google

ELENCHUS TITULORUM, ET PARAGRAPHORUM.

TITULUS I.
De rebus ſponte oblatis.
§. 1. *De oblationibus in genere.*
§. 2. *De primitiis,*
§. 3. *De Donationibus.*
§. 4. *Satisfit Dubiis.*
§ 5 *De donatione Conſtantini Imperatoris.*

TITULUS II.
De Decimis.
§. 1. *Origo Decimarum, & neceſsitas.*
§. 2. *Quibus debeantur decima,*
§. 3 *A quibus debeantur.*
§. 4. *Ex quibus rebus debeantur.*
§. 5. *De tempore, & loco.*
§. 6. *De exemptione à Decimis*
§. 7. *De culpâ, & pœnâ negantium decimas.*

TITULUS III.
De Tributis.
§. 1. *De causâ, & neceſsitate tributorum.*
§. 2. *Qui quibus imperare poſsint tributum.*
§ 3. *De quibus rebus exigendum tributum.*
§. 4. *Satis fit obiectionibus.*

TITULUS IV.
De Teſtamentis.
§. 1. *Teſtamenti definitio, & varietas.*
§. 2. *De ijs qui teſtamentum condere poſsunt.*
§. 3. *De idoneis teſtibus.*
§. 4. *De Codicillis.*
§. 5. *De haredibus.*
§. 6. *De ſucceſsione ab inteſtato*
§. 7. *De ſubſtitutione.*
§. 8. *De legatis*
§. 9. *De executione teſtamenti*
§. 10. *De revocatione.*
11. *Satisfit Dubiis.*

TITULUS V.
De Sepulturis.
§. 1. *De loco ſepultura.*
§. 2. *De iure ſepulcri.*
§. 3. *De indignis ſepultura.*
§. 4 *De quota funeris*
§. 5. *Satisfit Dubiis.*

TITULUS VI.
De Conventionibus.
§. 1. *De pactis in genere.*
§. 2. *De pactis in ſpecie*
§. 3. *De tranſactionibus.*

TITULUS VII.
De variis Contractuum generibus.
§. 1. *De contractibus generatim.*
§. 2. *Satisfit Dubiis*
§. 3. *De quaſi contractibus*
§ 4. *De adimpletione, & abolitione Contractuum.*

TITULUS VIII.
De Contractibus gratuitis, & lucroſis.
§. 1. *De Depoſito.*
§. 2. *De Commodato.*
§. 3. *De Precario.*
§. 4. *De Mutuo.*
§. 5 *De Vſura.*
§. 6. *De monte pietatis.*

TITULUS IX.
De Contractibus oneroſis, in quibus dominium transfertur.
§. 1. *De emptione, & venditione.*
§. 2. *Satisfit Dubiis*
§. 3. *De Simonia*

§ 4. Sa-

Digitized by Google

§. 4. *Satisfit Dubiis.*
§. 5. *De Cenſibus.*
§. 6. *De Cambio.*

TITULUS X.

§. 1. *De locatione*
§. 2. *De emphyteuſi*
§. 3. *De feudo.*
§. 4. *De Contractu livellatico*

TITULUS XI.

De Contractibus adminiculantibus.

§. 1. *De Societate.*
§. 2. *De fideiuſſione*
§. 3. *De pignore, & hypotheca*

TITULUS XII.

De Contractibus, in quibus fortuna miſcetur.

§. 1. *De aſſecuratione*
§. 2. *De ſponſione*
§. 3. *De ſortibus*
§. 4. *De ludo*

TITULUS XIII.

De præſcriptionibus.

§. 1. *Quid ſit præſcriptio*
§. 2 *De conditionibus requiſitis ad præſcriptionem.*
§. 3. *Quinam præſcribere poſſint.*
§. 4. *Quæ res præſcribi poſſint.*
§. 5. *Quando dicatur Præſcriptio non procedere, dormire. &c.* 262
§. 6. *De reſtitutione in integrum adverſus præſcriptionem.*

TITULUS XIV.

De immunitate eccleſiaſtica.

§. 1. *De immunitate locorum ſacrorum.*
§. 2. *De immunitate reali.*
§. 3. *De immunitate reorum.*

TITULUS XV.

De templis, & altaribus.

§. 1. *De ædificatione templorum.*
§. 2. *De conſecratione templorum.*
§. 3. *De altaribus.*

TITULUS XVI.

De domibus Religioſis.

§. 1. *De erectione, & adminiſtratione domorum religioſarum.*
§. 2. *De privilegiis illarum.*

TITULUS XVII.

De alienatione rerum eccleſiaſticarum.

§. 1. *Alienatio rerum eccleſ. prohibita eſt.*
§. 2. *Quænam res eccleſiaſticæ alienari poſſint.*
§. 2. *Quæ alienatio licita, & valida ſit &c.*

Digitized by Google

PARS II.

SUMMÆ

JURIS CANONICI

PROOEMIUM.

PLeriſque hunc ordinem placuiſſe video, ut perſonarum eccleſiaſticarum gradibus & officiis explicatis, de rebus ipſis inſtituerent commentationem: quorum veſtigiis inſiſtendo, ſummæ noſtræ partem ſecundam eiſdem finibus circumſcribemus. Præmitto, & ſuppono, quæ ſequuntur.

PRIMO Rerum aliæ corporales ſunt, aliæ incorporales *l 2. Inſt tt. 2.* Corporales voco, quæ natura ſua tangi poſſunt, uti veſtis, aurum, fundus. Incorporales, quæ tangi non poſſunt, cuius generis ſunt, quæ in jure conſiſtunt, puta, hæreditas, Vſusfructus, Vſus, & obligationes quoquo modo contractæ.

SECUNDO. Res aliæ mobiles ſunt, aliæ immobiles. Quæ diviſio ex parte cum priori incidit. Mobiles ſunt, pecunia, ſuppellex, Vaſa, & inſtrumenta. *Card. Tuſchus Concl.* 103. Immobiles campi, & agri, & quorundam iudicio, annui reditus. *Mynſing. Cent.* 1. *Obſ* 96. *Gaill. l.* 2. *obſ.* 10. Chirographa, literæ, iura, & actiones, cùm de mobilibus agitur, ad mobilia; ad immobilia, cùm de immobilibus, referuntur. *Molina* Tr. 2. D. 202. *Schneidevvin. l. 3. Inſt. tt.* 1. *Card Tuſchus Concl* 104.

TERTIO. Quædam juris divini ſunt, quædam humani. Divini juris cenſentur res Sacræ, Religioſæ, & ſanctæ, quæ in nullius exiſtunt bonis. § *Nullius. Inſtit. eod.* Res Sacræ ſunt, quæ publica auctoritate, & iuſſu populi olim à Conſulib. Imperatore, Dictatore, aliove ſummo Magiſtratu per ſolennia Verba, præeunte, præfanteque carmen Pontifice ſummo: hodie verò ab antiſtite cuiuſque loci divino numini conſecrantur. *Novel de eccleſ & tt. Vt nullus fabricet Oratorii domos præter volun epiſc Item. Extr* 10. *tt. de conſec. eccleſ. Alex. ab Alex. l. 6. c.* 14. Religioſæ olim erãt, quæ privata alicuius auctoritate religioni dicabantur, ut ſi mortuum quis inferret in locum ſuum. *Schneidevv l. 2. Inſt. tt.* 1. *§. Religioſam.* Hodie nullus locus Religioſus cenſetur, niſi epiſcopi auctoritate dedicatus ſit. *Azor* 11. *l. 3 c 3 q. 2. c. Abolendæ. de ſepult.* Sanctæ, quæ olim ſanctione aliqua ab hominum iniuria muniebantur, ut muri, & portæ civitatum. *I. C. in l Sanctum ff. eod. Bud. in Pand. leg. cit. Soacius in §. Sancta,*

Sancta Inſt. de rer. diviſ. Humani iuris ſunt, quæ plerumque in alicuius bonis numerantur, & ad homines pertinent. Hæ rurſum vel publicæ, vel privatæ. Publicæ, quæ vel iure naturali commmunes ſunt omnibus, vel iure gentium, aut civili publicæ: privatæ, quæ ad ſingulos pertinent. *VVeſenbec l.1.Pand.tit.8. Ioach Steph. politicar.demonſtrat c.10 Sigonius l.1. de iudic.c.3.*

Qvarto. Res ſacræ & ſanctæ dicuntur ſex modis 1 quia ſanctitatem efficiunt, ut Sacramenta. 2 quia reb ſacris adminiſtrandis ſunt inſtrumenta, uti vaſa ſacra, veſtes, & ſimilia 3. quia repreſentant ſacrum aliquid, ut imagines Chriſti, & Sanctorum. 4. Quia ſunt particulæ, aut res ſacrorum, ut reliquiæ. 5. quia earum menſura ſunt, ut dies feſti & Dominici. 6. deniq́ue quia ad ſuſtentationem, & conſervationem vel hominum Sacrorum, vel bonorum ordinantur, aut dedicantur. *Az l. 9.c.27. Q.S Leſſ.c.45.D 3 nu.15.* Farinac. *Par.7.de furt. Q 172.nu. 48. & ſeq. Prateius in Lexico.*

Qvinto. Ex quibus ſequitur, multas res dici ſacras, vel ſanctas merè per denominationem extrinſecam, vel reſpectum adventitium: adeoque nullam per ſe efficaciam, aut virtutem habere ad effectum ſpiritualem, niſi eleventur, neque ſpirituales vocari poſſe, cùm in eodem genere rerum corporalium & temporalium maneant: inque eo, cui ſervire poſſunt ad emolumentum aliquod ſpirituale, nihil præſupponant, quàm Baptiſmum, & Chriſtiani hominis profeſsionem: eccleſiaſticas tamen cenſeri, quia Solis eccleſiæ miniſtris, & eccleſiæ uſibus debentur, aut conveniunt. *S.Th.22.p.* 100. *a* 4. *Navar. c.23 num. 99. Iacob. de Graff. Par. 2. l. 2. c.15.*

Sexto. Iam ſi ſuo quæque loco & ordine à nobis pertractanda ſint, primùm omnino locum Sacramenta à Chriſto ſalvatore noſtro in ſanctificationem animarum noſtrarum inſtituta iure ſibi vendicant Quid enim inter dona cæleſtia melius, aut divinius illis, quæ Spiritus Sancti vaſa & inſtrumenta ſunt ad criminum, & delictorum expiationem, ad obſignandam divinæ promiſſionis fidem, & virtutum omnium conſervationem. Sacramentorum vis inenarrabiliter magna eſt, valetque plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit. *S.Aug l.19.con. Fauſtum.* Nec quiſquã Doctorum aut fidelium eſt, quin agnoſcat: ſed quia iiſdem Auditoribus Theologi Morales iſta copioſè tradunt, ne inutili labore fatigemur, ad alia properantes minimè inviti relinquemus, tempori ſimul, & audidientium tædio conſulentes, quibus odioſa repetitione nihil odibilius.

Digitized by Google

TITULUS I.

De Rebus ſponte, & liberaliter oblatis.

DVo ſunt modi, generatim loquendo, quibus dominium alicuius rei iuſtè acquiratur. *Primus* auctoritate Iuris naturalis, aut gentium. *Secundus* auctoritate Iuris humani: idque tripliciter. 1. voluntate, & conſenſu Principis. 2. illius conſenſu, qui poſſidet, quemadmodum in donationibus & contractibus uſu venit. 3. diſpoſitione, aut permiſſione legum, ut apparet in Vſucapione, & præſcriptione, adoptione, ceſsione, ac ſimilibus: Vbi differentia eſt inter ſpiritualia, & corporalia: in illis enim titulus ſufficit, in his addenda traditio *c. Si tibi abſenti. de preben. in 6.* Duo item modi ſunt, quibus Eccleſia rerum ſuarum potiatur, unus per munificentiam, alter per iuſtitiam. Primitiæ offeruntur, Decimæ exiguntur. Ita Religioni ſimul, & iuſtitiæ Satisfit. *c. Revertimini. c. Decimæ. c. Apoſtolicis 16. q. 1.*

§ I.

De oblationibus in genere.

1. INter ea bona, quæ Eccleſiæ obveniunt, ſi antiquos mores, & prima tempora inſpicias, primum locum *oblationes* occupant. Nam præter ea, quæ in Miſſa, & pro Miſſa offerebantur (*Durand. de ritib l. 2. c. 26.*) *Actor. c. 4. circa fin.* S. Lucas narrat, Chriſtianos venditis poſſeſſionibus ſuis pretium illarum poſuiſſe ante pedes Apoſtolorum. Quod conſiderans *Innocentius 3. l. 2. de myſt. Miſſa c. 37.* dicit, omnes oblationes, quæ Pontifici fiunt, præterquam panis, & quæ dantur pro defunctis, deponi ad pedes ipſius, & ab ipſo accipi. Quomodo autem ſubſequentes Chriſtiani, præſertim Reges, & Principes incitati prænominato maiorum ſuorum exemplo dotarint eccleſias, & monaſteria, invenies apud *Lud. de Bebenburg*, qui Decretorū Doctor & epiſcopus Bambergenſis fuit. *l. de Germ. Principum zelo. c. 5. 9. 19. Baronium in Annal. eccleſ. Molan. de piis teſtam. c. 62. Mutium Iuſtinopolitanum lib. Sing. Stapleton. l. 2. de magnit. Rom. Eccl. c. 10. Ad. Contzen l. 6. Politic. c. 6.* Denique ex *epiſt. S. Greg. M.* apparet, iam tum Eccleſiæ patrimonium magnum fuiſſe in Africa, Sicilia, Dalmatia, Gallia, Neapoli, aliiſque locis.

II. Donatio, & oblatio non vulgò tantùm, ſed in Iure quoque confunditur non rarò, ita ut eandem rem ſignificent: aliàs propriè loquendo, cùm homini aliquid gratis datur, Donatio appellatur, cùm autem Deo vel Eccleſiæ, oblatio dicitur. Poſtmodùm uſu receptum eſt, ut ſpecialiter Oblationes dicantur, quæ ſub Miſsâ ab illis, qui intersunt, altari imponuntur, ut panis, Vinum, oleum, cera, thymiama & ſimilia. *Az. 1. l. 7. c. 27. Suar.*

Digitized by Google

l.1.de Relig.c 4.Maurus l.1.de inſtit. Clericor.c.33. Durantus de Ritib.l.2.c.26.

III. Oblationis nomen generaliter ſumptum comprehendit omnia, quæ ad Eccleſiam deveniunt, quocunque titulo; cuius generis cenſentur, quæ in Sanctorum feſtis portantur ad templum, vel domum Sacerdotis: quæ item intuitu defunctorum, quæ de altari ſuſcipiuntur, quæ ante crucem, quæ in Miſſa Trinitatis, quæ dantur pro deſponſatis, lampades cum oleo, quæ offeruntur alicui capellæ, quæ dantur nuntio deſtinato per parochiam, quæ pro Miſſis defunctorum, pro ſeptima, triceſima, anniverſario, panes, & quæ infra hebdomadam offeruntur: denique mortuorum iudicia & ſimilia. Quocirca cui tertia pars oblationum debetur, horum quoque tertiam ſibi vendicare poteſt. *Barb in c. Cauſa. de verb. ſignif. & Par.3. de off. Epiſcopi. Reginald. l. 19. c. ult. n.85. Barboſ. Tract de appell. Voc. ſignif. litt. O. Tuſchus Concluſ.* 11.

IV. Oblationes, quæ fiunt ad Sacrificium Miſſæ, aliqui apud *Barb in c. Cùm inter vos. de verb. ſign.* putant, ſubrogatas eſſe loco quarundam decimarum Veteris Teſtamenti, quas ſeparabat unuſquiſq; & condebat, ut conſumeret eas in veſtibulo templi Ieroſolymitani, Sacerdotibus & Levitis ad menſam vocatis *Deuter 12. & 14.* Vbi *Cornelius cum Theodor. ſtabulenſi, Oleaſtro & Caietano* notat triplices decimas Iudæos olim ſeparaſſe, pro Levitis, Sacerdotibus, & pauperibus, viduis & pupillis: primas omnium frugum terræ, armentorum, & gregum: alteram ex novem reſiduis partibus, quas ad ſanctuarium ter in anno deferrent: tertias ſingulis trienniis in ſolatium pauperum; qui cum paſſeribus neque ſerunt, neque metunt, nec quicquam inferunt in horrea ſua.

V. Oblationum tres ſpecies ſunt *Prima* vocatur donatio rei inter vivos facta DEO vel Eccleſiæ: *Secunda* donatio cauſa mortis, cuiuſmodi ſunt Legata *Tertiã* vocamus Viſualem, quæ in mirum vel ad altare, vel ad manus Sacerdotis fit. *Rebuf. de decim. & oblat. Q.* 1. *Malucz. de oblat. & alii apud Moſconium p* 466 Harum oblationum aliæ dicuntur defunctorum; aliæ feſtivæ. Illas qui negat, vel contemnit, malè ſentire de reſurrectione animarum & purgatorio cenſetur Feſtivæ aliquando debentur ex præcepto, quando nimirum parocho ad vitæ ſuſtentationem neceſſariæ ſunt: Imò generaliter præcipi videtur *in c Omnis Chriſtianus de conſecr.* Quod ſi non fecerint Parochiani, & moniti perdurent in contumacia, Sacramenta illis negari à Parocho poſſe affirmat *Glo in c. cit. Caiet. 22 q. 86 ar. 1. Suar. l. 1. de Relig. c. 5 num. 23. Tann. Tom. 3. D. 5. p. 3. D. 1. Fagund. in 5. Prac, Eccl. l. 4 c. 1.*

VI. Quatuor caſus ſunt, in quibus facienda neceſſariò, ſive ex præcepto oblatio eſt. 1. quando conſuetudo viget. Nam piæ, & laudabiles obſervandæ ſunt *c. Ad Apoſtolicam. §. Quapropter de Simo. c. Quãvis. de decimis Navar c 13. nu. 18.* 2. Si parochus, vel Curatus indigeat, ut paulò ante diximus. 3. in ſolennioribus feſtis, & Miſſis, ubi Eccleſia decimis caret. *c Om. Chriſt. de conſecr.* 4. Cùm teſtamento aliquid relictum eſt. Nam defunctorum ultima voluntas omnibus complenda eſt. *c. ul. 13. q. 2. l. 1. C. de ſacro-San. eccl. Novell de Nupt. Barb. c In literis. de Raptorib.* Prædictas oblationes

 qui

Digitized by Google

qui retinere nititur, vel extra eccleſiam parochialem dare, ſine epiſcopi conſenſu communione fidelium privandus eſt. *c. Statuimus* 16. *Q.* 1. *Conc. Trid Seſſ.* 22. *c.* 11. Vbi *Barb cum S. Tho.* 22. *Q.* 86. *ar.* 1. nonnihil variat in 4. caſibus numerandis. Nã 1. debeti, ait, per modum cenſus, penſionis, aut contractus cum Eccleſia facti. 2. ex teſtamento, legato, donatione, aut voto. 3. ad congruam ſuſtentationem. 4. ex conſuetudine præſcripta, ad quam decennij tempus ſufficiat. *V. quæ dix. in Par.* 1. *Summæ tt.* 3. *de Paracho* §. 4. *Sayr. l.* 3. *c.* 31. *Comit l.* 6. *c* 23. *Iacob de Graff. Par.* 2. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 6.

VII. Oblationes à Rectoribus eccleſiarum aliiſque Curatis acceptæ non ſunt in uſus proprios tantùm impendendæ, ſed etiam in divini cultus augmentum, & neceſſitatem pauperum. Cauſam *S. Tho. aſſignat l. cit. ar.* 2. quia Sacerdos eſt quodammodo ſequeſter, & medius inter populum, & DEUM, ſecundùm illud *ad Hebr.* 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis. Ideo oblationes, quæ à populo exhibentur ad Sacerdotes pertinent, ut eas fideliter diſpenſent, tũ in ſuos, tum in pauperum uſus. Hi enim, quantum fieri poteſt. de rebus Eccleſiæ ſuſtentandi ſunt, cùm decimæ, & oblationes tributa pauperum & egentium animarum ſolatium ſint *c. Tua nobis de decimis.*

VIII. Monachi quoque, & religioſi recipere oblationes poſſunt, uno ex his tribus modis. 1. ut alii pauperes per diſpenſationem Sacerdotis, vel ordinationẽ Eccleſiæ. 2. quando ſunt miniſtri altaris, vel loco Curionis Sacramenta adminiſtrant. 3. quando illorum parochia propria eſt. Tunc enim communi cum aliis iure gaudent. *Roder. To.* 2. Q. 58. *ar.* 8. citans *Bonifacii* 9. privilegium. *Suar. l.* 1. *c* 6. *num.* 13. *Tanner.* 3. *D.* 5. *Q.* 3. *Dub.* 2. *Silv V. Decima. num.* 5.

IX. De conſecratis Damaſus Papa definit *in c. Hanc conſuetudinem.* 10. *Q.* 1. nõ niſi à Sacerdotibus ſumendas eſſe: de aliis opinio Decii eſt, à laicis etiam recipi poſſe, ſi præſcripta conſuetudo ſit. Quod *Franc. Leo* minimè admittit. Nam 1. Decimæ & oblationes æquiparantur *c. Quãvis de decimis, & ſunt iuris ſpiritualis*, cuius incapaces cenſentur Laici *c. fin* 10. *Q.* 1. *Silv. l cit. nu.* 16. 2. Non uno loco, puta *c. Antiquos. c. Quia. c. Sanctorum & c fin.* reprobatur conſuetudo quam laici prætendere poſſunt de perceptione oblationum. Nihilominus Decii opinio vera eſt, ſi de rebus oblatis loquatur, non autem, ſi de Iure. Nam oblatæ res etiam locis tribuuntur, ad reparationem ſcil. & conſervationem, maximum ubi magna miracula fiunt, & frequens populi concurſus eſt. Confraternitates laicorum percipere oblationes poſſe monet *Tuſchus Concl.* 14.

X. Oblationes, quæ in Eccleſia aliena celebranti fiunt, non ipſi, ſed Eccleſiæ Rectori cedunt, quia cenſentur fieri intuitu Eccleſiæ, maximè, ſi offerentes parochiani ſint. Hic tamen in contrarium valere poteſt conſuetudo, vel particularis conventio, ut in multis locis videmus. *Fran. Leo in theſ. Pa* 2. *c.* 28. Quin etiam offerentium voluntas attendenda eſt qui, ſubinde celebrantis cauſa & commodo tantùm offerunt.

XI. Dubitant aliqui, ad quem pertineant oblationes imaginibus, aut ſtatuis factæ

Digitized by Google

ſactæ? Aliqui Eccleſiæ aſſcribunt: alii Rectoribus: alii imaginibus ipſis. Parocho deberi ex receptiſſimâ ſententiâ affirmat *Barb in c. quia Sacerdotes x. q. 1. Soncinus* verò, & *Moſconius* volunt attendendum eſſe, cuius intuitu fiant. In dubio autem pertinere ad Rectorem Eccleſiæ, aut Oratorii, in quo imago colitur, eſtque hæc opinio *Abbatis quoque & Felini. V. Roder Tom. 1. q. 36. art. 7. Card. Tuſchus Concluſ. 12.*

XII. Quorundam hominum oblationes Eccleſia non recipit, uti ſunt. 1. Fratres diſcordes. *c. Oblationes Diſt. 90.* quod aliqui interpretantur de notoriis tantùm, & oblationibus, quæ fiunt ad altare, non verò de aliis, puta, donatione inter vivos, legato, teſtamento, & ſimilibus. Alii è contra non de ſpontaneis modò, ſed neceſſariis quoque interpretantur, quas inter Miſſarum ſolennia recipiendas non eſſe, docent in confuſionem ejuſmodi delinquentium. 2. Raptores. *c. ſuper eo de raptor.* niſi ablata reſtituerint, & de emendatione firmam, ac plenam ſecuritatem fecerint. 3. Uſurarii. *c. quia in omnib de Vſur.* ubi præter communionem, & ſepulturam negatam, oblationes quoque rejiciendas eſſe ſtatuitur. *V. Suar. l. 1. c. 6.* 4. Sacrilegi. *c. de viro 12. q. 2.* ubi nonnulli, qui ſacra vaſa, adeoque ipſum Chriſma pollutis manibus ad communem uſum adhibuerant, injunctâ aliquot annorum pœnitentiâ, ne inter Miſſarum ſolennia offerant, prohibetur. 5. Illi qui ſervos ſuos ad loca ſacra confugientes vi extrahunt. *c. Miror. 17. q. 4.* quod eſt *S. Aug. Ep. 187.* in quâ Bonifacium arguit, propter ſervum ab Eccleſiâ abſtractum, & ſe mandaſſe Clericis fate tur, ne ejus oblationem recipiant. 6. Meretrices, quod aliqui probant argumento ſumpto ex *Auth. de Lenon.* Ubi tamen nihil aliud legitur, quàm deteſtabile ſcelus eorum eſſe, qui invitas puellas aliorum libidini exponunt. *Gloſſ. in c. oblationes D. 92. V. de meretrice.* Denique nihil vetat, alios omnes removere, qui cujuſc. enormis delicti reos ſe fecerunt. *V. Azo. Tom. 1. l. 7. c. ult. q. 17. & Suar. l. 1. de Relig. c. 6.* qui tamen nihil obſtare docet oblationi recipiendæ, ſi crimen ſ perſonam tantùm, non verò ipſam oblationem contaminet, ut in illis fieri poteſt, quæ non tendunt directè contra juſtitiam vel Religionem: dummodò ſcandalum abſit, & diſpoſitio Juris contraria. *Clem. Conſtit. Apoſtolicar. l. 4. c. 6. Valleuſ. l. 3. Paratitl. tt. 30 §. 3.*

XIII. Sitne laudabilis conſuetudo, ut Laicis ab Eccleſia offeratur v. g. cereus in aliquo feſto, Summiſtæ diſſentiunt. Plurimum repugnat *Sylveſter.* Sed admittit *Roſella V. oblatio. n. 2 Fred Senenſ. Conſ. 155. Greg. Lopez l. 15. tt. 17. Gutierez l. 2. c. 21. n. 156. Suar. c. 7. n. 20.* Rationem dant, quia in tali donatione ſeu oblatione nihil aliud Eccleſia intendit, quàm ut honorentur Laici, excitentur ad devotionem, confirmentur in charitate, & benevolentia erga res ſacras, & perſonas Eccleſiaſticas. Neque timenda eſt inde ſubjectio aut ſervitus aliqua, qua Miniſtri Eccleſiæ Laicis ſubjiciantur, quia nec eo fine ab Eccleſia datur aliquid, nec à Laicis exigitur. *V. Valleuſ. loc. cit. Tuſch. Concluſ. 838.*

§. II.

De Primitiis.

I. PRimitiæ dicuntur, quaſi primi fructus, qui proveniunt: alii optimis quibusque id nominis tribuunt. Melius feceris, primitias appellando primos fructus ex agro perceptos, qui Deo rerum omnium auctori, & largitori offeruntur. Ethnicis eundem morem fuiſſe *Plinius tradit l.18. c. 2.* De tempore inſtitutionis, & quantitate. *Rebuſſus diſſerit Tr. de decimis q.1.n.17. S.Thom. 22.q. 86. art. 4. Alex.3.p.q.52. Suar.c.8. Barb.in c. decimam. de decim. Iacob de Graff.par.2.l.2.c. 27. n. 2.*

II. Lege divinâ ſcriptâ deberi primitias, & decimas patet *ex c. 26. Deuter. V.3.* Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus elegerit. Quam legem non ſervari conqueritur Deus apud *Malachiam c.3. V.7.* Et dixiſtis, in quo configimus te? in decimis & primitiis, ſubintellige, quas non præſtitiſtis. *Conc. Later.c. 7.* Oportet congruentius, *inquit*, nos decimas, & primitias, quas jure Sacerdotum eſſe ſancimus, ab omni populo accipere, quos fideles Domino præcipiente offerunt. *Fagund.in 5. Præc. Eccleſ. l.4.c.1. Tanner.diſp 5.quæſt.3. D.1. num. 22. Suarez.lo.cit. n. 3. & ſeq Becanus de Pontif. Vet. Teſt.c.6.*

III. Primitiæ non tantùm jure poſitivo, ſed etiam naturali debentur. Etenim tria in illis diſtingui & conſiderari poſſunt. *Primum eſt*, ut fructuum aliqua pars in recognitionem beneficii Deo offeratur. *Secundum*, ut pars illa primorum fructuum ſit. *Tertium*, ut in tantâ menſurâ, aut quantitate fiat. De ſecundo, & tertio communis opinio fert, nullum eſſe præceptum naturale. Neque enim ſimpliciter neceſſarium eſt, Deum colere, offerendo id, quod primò generatur aut creſcit, multò minus, ut in hac, vel illa determinata menſura fiat. De primo autem cum S. Thoma fatentur plerique juris naturalis eſſe, ut aliquid Deo offeratur in recognitionem beneficii fructuum prima generatione præſtiti. Non eſt tamen ita juris naturalis, ut ea, quæ mutationem, & variationem non admittunt, ſed ut illa, quæ cenſentur Juri naturali conſentanea, & ex quadam honeſtate debentur. Natura enim per ſe inclinat hominem, ut erga ſupremum Dominum, & benigniſſimum largitorem gratum ſe exhibeat, aliquid offerendo. *Dom. Soto. l.9. q 5. art.4. Azor. Tom.1.l.7.c.ult.q.14.*

IV. Si quæris, an oblatio primitiarum, vel alicujus partis fructuum intelligatur eſſe de jure naturæ, etiam ut diſtincta eſt à ſacrificio, vel ſolùm, ut in ipſo includi, & contineri poteſt? *R.* ſufficere, ut primos fructus offeramus Deo cū ſacrificio, vel in ſacrificio. Aliud enim, & amplius ex Juris naturalis præſcripto non colligitur: quamvis valdè conſentaneum ſit juri naturali, ut præter ſacrificium primitiæ Deo offerantur in gratitudinis argumentum profitendo, eatenus bonorum omnium largitorem Deum eſſe, cui nos, noſtraque omnia debeamus, ut fuſius explicat. *Suarez. c.8. num.6. & 8.*

V. Unde ſequitur, hoc tempore Chriſtianos ſatisfacere, licet nullas frugum primitias

Digitized by Google

primitias Deo ſeparatim offerant; modò Eccleſiæ ſuæ modum, moremque unuſquiſque obſervet. Etenim, quod Jus poſitivum attinet inſertum legibus ſupra citatis, fere omnibus in locis antiquatum eſt, ita ut hodie per modum tributi & ſtipendii decimæ, ac primitiæ ſolvantur. Quod verò Jus naturale eſt, manere fateor, quoad neceſſariam Miniſtrorum Eccleſiæ alimoniam: at quia nunc aliunde ſatis proviſum eſt, hæc quoque obligatio neminem ligat. *Azor. l. 7. c. 38. q. 3. Bonac. Tom. 2. p. 354. n. 1. Silv. V. Decimæ. num. 4. Tabiena, Armilla eod. Zerola par. 1. V. Decimæ. num. 1. Barb. in c. ſtatuimus 1. 6. q. 1. Durantus l. 2. de Ritibus c. 26.*

§. III.

De Donationibus.

I. QUia Oblationes & primitiæ ſub eodem genere cum donationibus ſunt, de his conſequenter agendum eſt. Donatio autem definitur *rei licitæ nullo iure cogente, merâ liberalitate facta collatio. Azor. l. 8. Rubr. 55.* Nam quæ ſub conditione fit, non cenſetur propriè dicta donatio. Legiſtis Donatio eſt, cùm quis ea mente liberalitatis gratia aliquid dat, ut ſtatim accipientis fiat, neque ullo caſu ad ſe reverti velit. *l. 1. ff. de Donationibus.* eaque abſoluta & vera donatio dicitur *l. 35 §. 1. & l. 42. in fi ff. de mor. cau donat. Connanus l. 5. cap 10. Melonius Tit. 4 num. 1.* Perficitur autem vel traditione rei nulla promiſſione prævia, vel nudo pacto, & ſimplici promiſſione. Hæc olim ſtipulationem requirebat, nunc modo pacto contenta eſt. *l. ſi quis argentum C. de Donationibus.* Contractus nominatus eſt, unius partis obligatione ligatus. *Iul. Clar. l. 4. ſent. §. Donatio quæſt. 1. Tholoſan. in Syntag. l. 28. c. 7. VVeſenbec. l. 39. Pandect. tt. 5. Gomez. Tom. II. cap. 4. Palao. Tract. 32. diſp. 2. Pun. 1. Leſſ. c. 18. Dub. 1. num. 5. Treutler Voll. II. Diſp. 19. num. 1.*

II. Donationum duo genera ſunt, alterum inter vivos, alterum cauſa mortis. *Inſtit. de Donationibus init.* Inter vivos, quando rem donatam malo habere eum, cui dono, quàm me. Cauſa mortis, quando rem mihi, dum vivo, retineo, ſed malo eam habere illum, cui dono, quàm hæredem meum. Alii aliter definiunt ex *l. 1. ff. de Donationibus. V. Palao loco citat. Pun. 13. num. 3.* Donatio inter vivos proprio nomine dicitur, quæ neque mortis cauſa, neque nuptiarum, ſed à vivente in viventem ſolius liberalitatis cauſa fit; ſolaque voluntatis teſtificatione ſit perficitur, ut traditionis neceſſitatem adferat: publicis literis conſignari, niſi 500. aureos excedat, non debeat: ab ingrato tamen repeti certis cauſis poſſit *l ult. C. de revoc. don. VVeſenbec. in Pand. l. 39. tt. 5. Layman l. 3. tract. 4. c. 12 num. 3. & 4. Leſſius cap. 18. Dub. 2 Reginald l. 25. cap 61. num. 619. Onnate Diſp. 31. Sect. 1 & ſequ. Tuſchus Concl. 661. & ſeqq. Fagund. de Contr. l. 4. c. 5.*

III. Si qualitatem & modum attendis, Donatio inter vivos alia ſimplex eſt, ſeu abſoluta, alia conditionalis, cui nimirum annexa cauſa eſt, propter quam fiat, intellige, ſequentem, non præcedentem: quò refertur etiam conditio & modus.

Digitized by Google

modus. Aliqui in perfectam, ſeu propriam, & imperfectam ſeu impropriam dividunt, quod eodem recidit. *Azor l.8. n.53. Angel.in V. Donatio*, quem alii *Summiſta* ſequuntur.

IV. Inter donationes ob cauſam celebris eſt Donatio propter nuptias: Donatio cauſa dotis: Donatio remuneratoria, & ea, quam ſupra cauſa mortis appellavimus. Donatio propter nuptias eſt, qua vir uxori dat in vicem, & ſecuritatem dotis, ab eo pro ſuſtinendis oneribus matrimonii acceptæ. Olim donatio ante nuptias vocabatur *l.ult.C. de donat.an.vel pro nupt.* Donatio cauſa dotis fit marito ab uxore pro oneribus matrimonii. *l.pro oner.C de ju.dotis.* Ea conſtante matrimonio revocari non poteſt, niſi maritus ad inopiam declinet, vel bona illius fiſco inferantur. *l.ſi conſtante juncta l.ſi marito tt.ſolu.matr.* Donatio remuneratoria fit in vicem præſtiti officii, antidotalis nuncupata, per ſe inrrevocabilis. *l.aquilius l.ſi pater 32. tt. h. t.* E contra revocabilis eſt donatio ſub modo, vel conditione (neque enim diſtinguo) ſi præſcriptus modus non ſervetur ab homine privato. Eccleſiæ enim non oberit niſi expreſsè cautum ſit per clauſulam revocatoriam. *Si modus non ſervetur, irrita donatio eſt*, aut ſimilis aliqua. *c. Verum de condit. appoſ. C.de donat. ſub modo Baldus, Cynus, Imol. Molina D.289. Sanch.l.6.de matr.D I.*

V. Donatio ſæcularis excedens quantitatem 500. ſolidorum (hodie 800. aureos Ungaricos faciunt teſte Weſenbecio) abſque inſinuatione facta invalida cenſetur jure civili *l.Sancimus C.de donat.* Non vitiatur tamen, niſi quoad exceſſum *Gail l.2.obſ.39. Palao Diſp.2.pun.23.§.1.* Si autem Eccleſiæ, vel pietatis cauſa fiat, etiam abſque inſinuatione valet. *Felinus in c.Eccleſiam S. Mariæ, & communiter alii DD.* Nam Juris Cæſarei leges, niſi ab Eccleſia approbentur nihil illi præjudicant. *c.nunquam D 95.* Cæterùm inſinuatio dicitur, cùm Judex à donante rogatus, ſua auctoritate donationem approbat: ubi requiritur, ut donans voluntatem ſuam indicet, ipſaque donatio in ſcripturam, & acta publica redigatur, hoc eſt, coram Judice divulgatur, & in actis publicis conſcribatur; Hodie tamen uſu receptum videtur, ut ſi donatio ſcripta Judici indicetur, aut denuncietur, nihil amplius exigat. *Onnatus de contract. diſp.30. Sect 2. Tuſch. Concl.646.n.70.* Ab hac inſinuandi neceſſitate libera eſt donatio facta in redemptionem captivorum, reparationem ædium ruina, vel incendio cõſumptarum: item in milites ab ipſorum præfectis. *l.pœn.C.eod.* Præterea donationis à Principe Superiorem non agnoſcente alicui privato, vel contra à privato Principi factæ. *Glo.in l.Sancim. eod. Onnatus l.cit. Sect.9. Palao l.cit §.5.* Denique inſinuationem juramento ſuppleri, confirmat. *Soncinus, Rubeus, Jul. Clarus Gail.l.2.obſ.39. Leſſ. c.18.D.13.num.100.*

NOTA. Solidus in Jure Cæſareo pro aureo accipitur, quorum 72. libram conficiunt. *l.quotieſcunq; C. de ſuſceptor. & arcar.l.10. Glo.ibid.in V.aut auri* Sed quia in ſingulis ferè Provinciis alius valor eſt, ad legales reducere oportet, & curare, ut ſuppleatur, quantum deeſt, ad conficiendam libram ex 72. aureis: & quia plerumque minores ſunt hodierni noſtri, evenire poteſt, ut ſeptingenti non excedant ſummam quingentorum, quæ abſq; inſinuatio-

Digitized by Google

nuatione legibus permittitur. Coloniæ, *ait Gail. l 2. obſ. 39. n. 4.* mille ducentorum, & Aquiſgrani duum mille aureorum monete currentis donatio valeret, abſq; inſinuatione facta. *V. Tuſch. Concl. 646.*

VI. Epiſcopus, & Prælatus Eccleſiaſticus abſque conſilio Canonicorum, aut fratrum ſuorum non poteſt magnas donationes facere de rebus Eccleſiæ, aut Monaſterii, factasq; revocare licet ſucceſſori. Neque enim domini rerum, ſed adminiſtratores, & Procuratores ſunt. *c. ſine exceptione* 12. q. 2. *c fraternitatem* 1. *de Donat. c. nulli de reb. Eccl. alien. c. Abbati diſt.* 54. *Vivianus in c. Apoſtol de donat. Roder. To. IV. c. 15. Tuſch. Concl. 683. Fagund. de Contr. l. 4. c 3. n. 9.* De qua re amplius in Tit. ultimo, ubi de alienatione bonor. Eccleſ. Sermo erit.

VII. Idem de Laicis poteſtatibus dicendum, poſſe nimirum Succeſſorem in Regno aliquo vel principatu revocare donationes factas à prædeceſſore, ſi inde reſp. graviter læſa videatur. Quamvis enim major regum, Principumve, quam Prælatorum Eccleſiaſticorum in bonis temporalibus poteſtas ſit, non licet tamē ea quæ ad Coronam ipſam, ejusque conſervationem ſpectant, temerè alienare. *c. Apoſtolica eod. tt. Molina tract. 2. de Majoralib. D. 576. n. 9. Barb. in cit. Apoſtolica.*

VIII His non obſtantibus, cùm de donationibus agitur contra donantem, pleniſſima interpretatio facienda eſt, ita tamen ut nemini præjudicetur. *c. cùm dilecti 6. de donat.* Similiter clauſula oneroſa poſt multas donationes poſita, proximam tantùm reſpicit. In fine citati cap. additur gradatio notatu digna. In contractibus, *inquit*, plena, in teſtamento plenior, in beneficiis autem (non deviantibus à jure communi) pleniſſima eſt interpretatio facienda. *Abb. Innoc. Imola. Oſtienſ. Vivian. in Rationali. Barb. in c. dilecti. de donat. Rota in noviſſ. deciſ. part 1. deciſ. 360. Alex. Conſ. 12. lib. 2.*

IX. Illorum, qui donare non poſſunt, Silveſter undecim, Angelus viginti tria genera numerat. Brevitatem ſectantibus pro generali regula ſit, neminem jus donandi habere, qui vel propria bona non poſſidet, vel eorum adminiſtratione caret, aut lege prohibetur. Iiſdem tamen permittitur modicas largitiones, & ſtatui ſuo convenientes facere. *VVeſenbec. in Pand. l. 39 tt. 5. n. 4 Tholoſ. l. 28. c. 7. Az. To. III. l. 11. c. 3. q. 1. Laym l. 3. tr 4. c. 12. Arm. n. 3. Onnatus diſp. 30. Sect. 5. Filliuc. tr. 34. c. 2. Eſcob. tr. 6. exam 4. c. 2 Fagun. l. 4. c. 6. n. 13.*

X. Donatio ſimplex, & merè liberalis facta conjugi à conjuge non continuò firma eſt, ſed pro arbitrio donantis revocari poteſt. *l. 3 §. ſciendum. l. ſed interim tt. de donat. inter vir. & ux. c. ult. eod. tt. Melonius tit.* 44. *n* 36. quia amor prodigus eſt, & inopiam parit *Bald. Conſil. 29.* Eadem tamen morte donantis confirmatur, ſi nullo modo revocata eſt. *l Res uxoris. l. donationes, quas parentes C. de donat. in vi. & Vx.* Requiritur autem, ut rei donatæ traditio anteceſſerit. *Excipe* 1. conjuges Principes, quorum contractus inſtar legum obligant. *l. pen. C de donat. in vi & ux.* 2. donationes, in quibus donans non fit pauperior, & accipiens non fit ditior. *Gl. in c. donatio eod. tt.* 3. Si vir uxori dotem promiſſam remittat *l. ſi conſtante. C. de donat. ante nupt.* 4. vel ſi uxorem dotet cauſâ remunerationis, ut ſi juvencula ſeni, aut nobilis ignobili nupſit. *Glo. in l ſi voluntate*

luntate C. de dotis promiſſ. 5. Si conjux in domo conjugis gratis habitare permittatur, vel illius ſervis, aut veſtimentis uſus fuerit. 6 Denique ſi donatio remuneratoria ſit. *l. quod autem §. ſi vir ff. de donat. inter vi & ux Panor. in c. donatio eod. n. 42. Azor. l. cit. Tanner. in 22 D. 6. q. 2. D 2. n. 25. Gail l. 2. obſ. 39. Tuſch. Concl. 690. Melonius loco cit. num.* 37.

XI. Nec omnino firma eſt donatio patris purè & ſimpliciter facta filio in poteſtate ſuâ conſtituto. Si tamen res ipſa tradita fuerit, & nūquam revocata, morte patris confirmatur, perinde, ac ſi ab initio valuiſſet. *l. 2. junctâ Glo. V. adminicula C. de in off. donationibus. Palao diſp. 2. pun. 26. §. 1. 3. Treutl Voll II. Diſp 19 n* 3. Illud in dubio eſt, an ſimplex donatio facta liberis in poteſtate patria conſtitutis poſt illius mortem conferenda ſit? 1. Donatio facta filio emancipato conferenda eſt. *l. ut liberis C de collationib.* 2. facta liberis in patria poteſtate conſtitutis poſt patris mortem non eſt conferenda, quæ cenſetur à patre, ut præcipuum filio relictū *arg. l pœn. C. de collat. Excipe*, niſi pater, cùm revocandi jus haberet, voluerit, ut conferretur: vel niſi frater aut ſoror talem collationem petat, eò quòd ipſi quoque donationem ſeu ſimplicem, ſeu ob cauſam v. g. propter nuptias, aut dotem conferre teneantur, ut ſic evitetur inæqualitas. 3. Donatio ob cauſam facta, puta, propter nuptias, aut dotem poſt mortem patris, vel avi donatoris conferenda eſt, juxta *l. cita. V I liberis & l. pœn. C. eod. Excipe*, niſi donans expreſſerit, nolle ſe, ut filius vel filia hanc partem præcipuam haberet, tamen ſine diminutione legitimæ aliis liberis debitæ juxta *Auth. ex teſtamento C. eod.* Idem dicendum de donatione facta filiis ob ingreſſum religionis, vel in patrimonii titulum ad ſacros ordines ſuſcipiendos, quia per hoc non minus, quàm per nuptias ſtabilem ſtatum acquirunt. 4. Nō conferuntur, quæ filiofamil. ad militiam vel aulam Principis proficiſcenti donantur: neque quæ pater filio ad ſtudia literarum mittit *l. quæ pater ff. familiæ herciſcundæ.* 5. Non conteruntur, quæ filio dedit pater liberè, vel expendit ad inſtituendam peregrinationem, redimendam captivitatem, ſolvendam mulctam ex delicto contractam. *l. liber captus C. de captivis*; item quæ accepit ad publicos ludos, aliamve honeſtam recreationem, convivium Doctorale, primitias, ad comparandum beneficium, vel artem addiſcendam: quia hæc omnia ad decentem, & honeſtam ſuſtentationem neceſſaria ſunt. *l quæ pater ff. herciſcun. fam. Molina D. 240. Nav c. 17. n. 165. Leſſ. c. 18. D. 12. Vaſq. de teſtam. c 7. n. 147 Laym. l. 3. tract. 4 c. 12. n. 12. Gail. l. 2. ob. 38.*

XII. Donatio nondum acceptata revocari pro libitu poteſt *Gomez l. 2 c. 4. Leſſ l. 2. c. 18 Palao. Diſp. 2. Pun. 2 & 31. §. 4.* acceptata verò & perfecta non poteſt revocari ad libitum donantis *l. ult. C. de revoc. donat.* Generaliter ſancimus omnes donationes lege confectas firmas illibataſque manere. Juvari enim nos, non decipi beneficio convenit. *l in commodato ff. commodati.*

Excipe 1. Si donatarius ingratitudinis vitio laboret: cujus numerantur quinq; ſpecies in le. cita. *Prima eſt*, ſi manus impias donotari inferat. *Secunda*, ſi atrocem contumeliam vel injuriam in eum properat. *Tertia*, ſi grave damnum bonis ipſius concilier. *Quarta*, ſi vitæ ipſius inſidias ſtruxe-

Digitized by Google

ſtruxerit. *Quinta*, ſi conditionem appoſitam donationi implere voluerit. *Abb. c. ult. de don.* Cum autem prædicta pœnalis ſit, ad ſimiles caſus extendi non debet. *V. Melon. Tit. 44. n. 25.* Quid verò, *inquis*, ſi juramento firmata Donatio ſit? nihilominus revocari poterit, quia juramentum ſequitur naturam actus, cui ſuperadditur. Cùm ergò valor donationis pendeat à prædictis quinque caſibus, adeoq; donatio ſit conditionata, ceſſante conditione perit ſubſtantia actus, & quod adhæret illi juramentum. *Palao l. cit. n. 6.* Non licet tamen hæredibus etiam revocare donationem, quia jus revocationis cenſetur eſſe perſonale, quod non egreditur limites ſuos à legibus conſtitutos *l & c. ult. de donat. ubi Glo. & alii* notant etiam in hæredibus donatarii ceſſare poteſtatem revocandi donationem.

Excipe 2. Si donatio liberis inofficioſa ſit, legitimam illorum tollens, vel diminuens. *l. 1. & ſeq. C. de in off don.* Neque hic juramentum patris oberit, quia in favorē liberorū à Jure talis revocatio ſtatuta eſt.

Excipe 3. Inopinatam prolis ſuſceptionem. *l ſi unquam C. de revoc. donat.* Nititur exceptio hæc veroſimili præſumptione. Nemo enim cenſetur ita poſteritatem ſuam deſpicere, ut extraneos præferre malit. *Schneidevvin. l. 2. Inſt. tt. 7. §. ſciendum n. 9.* Hæc tamen & priora ſic accipienda ſunt, ut Eccleſiæ nihil præjudicent: quia illius cauſa, non minùs, quàm filiorum favorabilis eſt. Cedendum nihilominus uſque a legitimam filiorum, quæ illis danda... *inus in c. in præſentiâ de probat. Comitolus l. 7 quæſt. 7.* Expedire quoq; DD. monent ad vitādas offenſiones, ut quod Eccleſiæ aut Monaſterio donatum eſt, totum reddatur liberis, quemadmodum Aurelium Carthaginenſium Epiſcopum feciſſe *S. Aug. Serm. 49 de diverſis teſtatur.* Quàm laudabile, *inquit*, factum S. Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi: Quidam enim, cum liberos non haberet, nec ſperaret, res ſuas omnes, reſervato ſibi uſufructu donavit Eccleſiæ. Nati ſunt ei filii nec opinanti, reddidit Epiſcopus ea, quæ donaverat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure fori, non poli. *Silv. V. Donatio I. n. 16. Tholoſ. l. 28. c. 9. & 15 Azor III. l 11. c. 8. Leſſ. c 18. D. 14. Laym. l. 3. tr 4. c. 12. n. 17. Tanner. III. D. 6. q. 3. D. 2. Vallenſ l. 3 tt. 24. §. 1. n. 7. Virianus in c. ult. de donationibus. Connanus l 5. c. 10. n. 3.*

XIII. Quod diximus, inopinatæ prolis ortu donationem revocari uſque ad legitimam, intelligi volumus de donatione bonorum omnium ac jurium acquiſitorum, non verò acquirendorum. Unde renunciatio hæreditatis nondum aditæ, ſive ea delata ſit, ſive tantùm ſperata, prolis inſperatæ ſuſceptione non revocatur. Cùm enim citata lex exorbitans ſit, de donatione ſemel factâ revocanda ſtrictè interpretanda eſt, ut non intelligatur, niſi de donatione propriè dictâ, quæ eſt juris acquiſiti, non verò acquirendi. *Covar. l. 1. c. 19. & Tuſchus Concl. 712.* cum aliis multis quos magno numero allegant.

XIV. Donatio remuneratoria eo modo, & iiſdem cauſis, quibus donatio ſimplex, non revocatur. *l. ſi pater ff. de donationibus.* ubi disertis verbis edicitur, revocationi locum non eſſe, niſi in donationibus omninò liberis, & gratuitis, quia inſtar contractus ſe habet. Quam ob cauſam ſupra uſi de induſtria

 ſumus

Digitized by Google

ſumus terminis, qui donationem ſimplicem excluſivè denotarent. *Gloſſ. 2. in l. fin. & ibi Bald. Salic & alii, de revoc. donat. Tholoſon. l. 28. c. ult. Onnatus diſp. 30. Sect. 12 Palao diſp. 2. Pun. 22.*

XV. Donatio causâ mortis revocari poteſt 1. quandocunque pœnituerit donatorem. 2. Si ceſſet periculum, cujus intuitu promiſit. 3. Si donatarius ante donatorem vita excedat. Si autem qui promiſit, & donavit, non revocaturum ſe juramento edixerit, in donationem inter vivos factam mutabitur. *Covar. de teſtam. par. 2. n. 37. Tholoſ l. 28. c. 14. Reginald. l. 25 c 61. n. 619. Dynus Conſil. 44. Onnatus diſp. 31. Sect. 6 Tuſchus Concluſ. 672. Melon. l. cit. num. 57.*

XVI. Si donatio ob cauſam præteritam, vel præſentem fiat, ea non ſubſiſtente invalida cenſetur, niſi donator actu, vel habitu ita affectus ſit, ut putetur, nihilominus velle illam valere. *l. 3. C. de dona. ſub mode. Tuſchus Concl. 631. & 636. n. 22. Ratio*, quia ejuſmodi donatio involuntaria eſt, & ex errore profecta. Neque ignotum eſt, alios quoque contractus concidere, quibus error & ignorantia cauſam dedit. Si tamen res abſolutè donetur, nec circa ſubſtantiam rei, vel perſonam donatarii error ſit, aut ſubſtantiam ipſius actus: ſed ſolùm circa conditionem accidentariam, aut cauſam ſecūdariam, non erit planè irrita, quamvis arbitrio donantis revocari queat. Donatarius autem, ſi non fuit erroris cauſa, retinere donum poteſt, donec revocetur. *Medina in 22. q. 24. Leſſ. c 18. D. 17.* At, *inquis*, unde ſciam, quomodo affectus fuerit donator? R. ex conditione dantis & accipientis: item ex cauſa propter quam, quæ ſi non excludat alias cenſeri poteſt, ratam velle donationem ſuam. Exemplū in paupere habes, qui morbum, vel ſanctitatem ſimulat. Movetur ad dandum Cajus, quia putat ſanctum eſſe, quod licet verum non ſit, verum nihilominus eſt pauperem eſſe. Cenſetur ergo eleemoſynā dediſſe pauperi propter DEUM, ſive ſanctus ſit, ſive non ſit. Vnde nec ad reſtem obligamus id genus hypocritas, quia intentio donantium eſt, in paupere promereri gratiam DEI, qualiſcunque tandem ille fuerit. *Leſſ. l. cit. n. 13. Soto l. 9. q. 7. art. 3. Maſcard. Concl. 560. Fagund. l. 4. c. 4. num 4.*

§. 4.

Satisfit Dubiis circa donationes.

DVB. 1. An & quomodo locum ſubinde habeat Donatio tacita?

Reſp. Sola rei traditio tacitè facta non ſufficit, ut donata cenſeatur. Vnuſquiſque enim ad lucrandum & acquirendū, quàm relinquendum penior eſſe præſumitur *l. cùm de indebito ff de probat.* Bartolus igitur ex conjecturis diſcernēdum monet. *l. quæ dotis ff. ſolu. matr.* Conjectura autem ſumi poteſt ex antecedentibus, ſubſequentibus, & præſentibus. Puta 1. ex conſanguinitate. Hinc quæ dantur à conſanguineis ſponſæ, acquiruntur viro, quia donata cenſentur, & quæ à conſanguineis viri, acquiruntur ſponſæ ob eandem cauſam. *Barb. in l. ſi plures §. in arrogato ff. de vulg. & pupill inſtitut. Menochius de arbitr. Caſu 88.* 2. Ex meritis, & obſequiis præſtitis. Poſt hæc enim quod datur pro dono, & munere ſuſcipitur. *l. ſi verò non remunerandi §. Idem Papinianus ff. Mandati.*

Mandati. 3 Si quid offeratur ob pietatem. Sic in *l. liber captus C. de capt. & poſt liminiò reverſus*, mater, quæ filium captivum redemerat, feciſſe traditur, non voluntate repetendi, ſed donandi ob maternum affectum, & votum. Idem iuris eſt, ſi Mater filio det quicquam cauſa alimentorum. Idem, ſi genere det extra dotem præſente filia. *l. Qui dotis. ff. Solv. matrimonio.* 4. Si extraneus dotem mulieri det, nec à marito ſtipuletur, ut ſoluto matrimonio reddatur. *l. ult. C. de iu dot. l. un. de rei uxo. act. eod.* 5. donatum cenſetur illud, quod à viro nobili & divite ultrò offertur. *Glo. in l. Vxori. § ult ff. de lega* III. *Tiraq. de nobil. c. 37. n. 47 Barb. in c. Etſi quæſtiones de Simon.* 6. Illud quoque, quod propter amicitiam patris expenditur in filium, qui à ſuſpectis tutoribus defraudatur. *l. is, qui amicitiam ff. de neg geſt.* 7. Avus nepoti ſuo alimenta ſubminiſtrans cenſetur donaſſe, cùm nihil aliud expreſsit, præſertim, ſi valdè egeat nepos, & expenſæ ſint mediocres. *l. Neſennius ff. de neg geſt.* Ex quibus omnibus colligitur, non ſufficere ad donationem, ſi quid detur, tradatur, vel committitur, non declarando, in quem finem detur, cum id ex mente Auctoris pendeat, quæ varia eſſe poteſt. *Menoch. de arbitr. Caſu* 88. *Az.* III. *l.* 11. *c.* 13. *Fill. Tr.* 33 *c.* 4. *et fin Tuſchus Concl.* 660.

DVB. 2. An valeat donatio abſenti facta?

R. valere. Nam ſi quid obſtaret, maximè defectus acceptationis. Hanc verò per procuratorem, vel tabellionem exequi licet: eſſeque opinionem hanc communem teſtatur *Surdus Deciſ.* III. *n.* 6. & *Onnatus diſp.* 30. *Sect* 10 At, *inquis*, nunquam invito benè facimus. Ita eſt. Sed plurimùm diſtat, abſentem, & invitum eſſe. Nam ſicut alia negotia per procuratorem, ita conſenſum quoque perficimus, præſertim in materia gratioſa, qualis donationum eſt. Addit *Bart. in l. iam dubitari de har. inſt.* quamvis requireretur acceptatio immediata, ſufficeret quælibet ſimplex, & non formalis declaratio animi, quæ quolibet tempore fieri poteſt. *Angel in l. Cùm proponas. C. de bonis auſt. Iud. poſsid. Natta Conſ.* 474. *l.* 3. *nu.* 20. *Steph. Gratian. Deciſ.* 39.

DVB. 3. Quomodo acceptanda donatio, ut firma ſit?

R. Tria requiri. 1. ut donator voluntatem ſicam per literas, aut nuntium ſignificet. Nihil enim agit, cui nihil mandatum, aut commiſsũ eſt. *Clarus l.* 4 *p* 12. 2. Cùm per nuncium agitur, coram eodem, non coram aliis facienda acceptatio eſt. Si autem per literas, per literas reciprocè mentem ſuã donatarius aperire debet. *Sanch. de matr. l.* 1. *D.* 7 *nu.* 35. Valebit etiam abſque literis, ſi de mente donatoris non exigentis conſtet. 3. requiritur, ut donatio ante acceptationem non revocetur, niſi nuncius non ſit merus relator, ſed mandatum habeat exequendi donationem. Tunc enim non obſtante revocatione, ius acquirit Donatarius ad rem ſibi vendicandam. *Sanch. l. cit. Mol.* D. 164. *Leſſ. c.* 18. D. 7. *Tanner.* III. D. 6. *Q* 2. *dub.* 2. *num.* 49.

DVB. 4. Quinam acceptare donationem pro abſente queant.

R. Præter generalem aut ſpecialem negotiorum geſtorem ſeu procuratorem 1. acceptare poteſt, qui ita ſub poteſtate abſentis donatarii eſt, ut ſui iuris non ſit, puta filiusfam. pro patre, ſervus pro domino,

religioſus pro Prælato, quia cenſentur una perſona. 2. qui aliorum curam gerunt, ut tutores, curatores, principes, patroni, & ſimiles. 3. qui ex donatione abſenti facta commodum reportat, vel aliquo onere levatur, cuiuſmodi eſt creditor pro debitore, ſocius pro ſocio, maritus pro uxore. 4. quivis Prælatus pro Eccleſia vel pia cauſa ſecund *Glo. in c. Quoties. 1. q 7.* 5. iuxta communem hominum ſenſum etiam amicus pro amico, ſed ita, ut talis acceptatio nullam obligationem patiat, aut actionem tribuat in foro civili, niſi iuramentum acceſſerit. *Covar. in c. Quamvis pactum par. 2. §. 4. Leſſ c. 18. dub. 6.* Ex quibus colligimus, non ſufficere, ut quis præſens ſit donanti, audiatque verba ipſius & mentem perſpiciat; ſed neceſſarium eſt, ut ad eum verba dirigantur: alioqui nullus effectus ſequetur, niſi forte, ut teſtimonium reddat in dubio rogatus *V. Palao Tr. 32 diſp. 2. Pun. 4. Sanchez lib. 1 Diſp. 6. n. 20. & diſp. 7 n. 35. Layman l 3. Tr. 4. c. 12.*

DVB. 5. Cùm res aliqua donata dicitur, cunctane illi coniuncta ſimul eſſe donata cenſentur?

R. nequaquam, ſed ea tantùm quæ pertinent ad quidditatem, & integritatem rei donatæ. *Ex gr.* Dono tibi equum, vaccam, villam. Ad integritatem equi non pertinet ſella, neque ad integritatem vaccæ fœtus, neque ad villam ſtatuæ, & imagines. Vnde in *l. Cùm de donatione ff. de Donat.* legimus. Cùm de donatione quæritur, neque partus nomine, neque fructuum, neque penſionum, neque mercedū ulla donatio eſſe facta videtur. Quod Gloſſa ſic explicat. Cùm quæritur, an donatio ſit facta ultra modum, an ſecus, non ſpectatur, ſi ancilla donata pariat, vel fructus faciat res donata vel penſiones, vel mercedes ex re donata proveniant, ut ex hoc videatur donatio maioris quantitatis. Pari modo, quamvis donato caſtro iuriſdictio quoque donata cenſeatur, non continuò tamen iura ſpiritualia accidentaliter illi connexa: ut neque ſi quis dicat, *Dono tibi villam meam & omnia iura, quæ in illa habeo*, nō includuntur iura ſpiritualia, quia hoc ſignum *Omnia*, nō extenditur ad ea, quæ ſunt alterius naturæ, & generis. *Panorm. in c. Sedis. de reſcr. Bald. de feudis Rubr. 51. Silv n. 10. citans Panorm. & Innocent in c. ex literis de iu. patron.*

DVB. 6. An cui non licet donare, prohibita ſit etiam donatio remuneratoria. Triplex eſt remuneratoria donatio. 1. per quam merita compenſantur ad æqualitatem, ita, ut niſi fieret, intentari poſſet actio negotiorum geſtorum. 2. qua ſimili modo merita compenſantur, ita tamen, ut non facere careat reprehenſione, quia magis ex liberalitate, quàm debito procedit. 3. qua ſuperatur æqualitas meritorum, moderatè tamen, quatenus grati animi eſt, non ſuperari benefactis, ſed æquare illa, vel ſuperare. Hoc poſito.

R. Cui non licet donatio ſimpliciter, licet donatio remuneratoria, ſeu antidotalis. *Ratio.* quia non eſt donatio ſimpliciter à ſola liberalitate procedens, ſed aliquo modo debita, ſi non rigoroſè, ſaltem congruè ad declinandam ingratitudinis notā. Quæ etiā cauſa eſt, ut revocari nequeat. *L. Aquilius. l ſi pater 34. ff. h. t.* & Prælatis eccleſiaſticis quoque permiſſa *c. Si quos 12. p. 2.* ubi definitur, Prælatum, qui abſque ſolennitate non poteſt alienare res Eccleſiæ, poſſe facere etiam ſine ſollennitate remuneratio-

Digitized by Google

nerationes convenientes. *Covar. in c. cùm in officiis de teſtam. nu 9. Iul. clar l. 4 Q. 3 Silv. V. Donatio l. p 3. Armilla n. 18. Comit. l. 7 Q 3. Layman l. 3. tr. 4 c. 12. n. 10. Vallenſ. l. 3. tt. 24. §* 5. *Palao Diſp. 2. pun.* 25. §. 7.

DVB. 7. Quando, & quomodo valida ſit omnium bonorum donatio?

Invalidam eſſe omnium bonorum præſentium & futurorum donationem. *l. Stipulatio hoc modo concepta ff de verb. obl. l. Si libertus §. ſi quis plures ff. de iure patr.* niſi ad pias cauſas factam ſupra indicavimus *num.* 5. Hic maior quædam illius dubii declaratio exigitur. Pro quâ

R. Validam eſſe bonorum omnium etiam futurorum donationem 1. ſi ad pias cauſas fiat. *l. Iubemus §.* 1. *C de ſacroſ. eccl. c. ult. de ſucceſſ ab inteſt* Nam *l. Stipulatio hoc modo ff de verb. oblig.* contrarium dictans non obtinet contra Eccleſiæ permiſsionem, & conſtitutionem. *Covar. de teſtam. Pa 2 n. 5. Molina D. 286. Felinus in c. in præſentia de probat* Az. 3. *l.* 7. *c.* 7. *Q. 8. Rodriq 2. Q. 48. ar. 2.* 2. Si fiat cauſa mortis. Sic enim non impeditur libertas teſtãdi, quemadmodũ in donatione inter vivos. *Iul Clarus Q. 19. n. 7. Mol. lo cit. Laym l. 3. tr. 4. c. 12. n. 16.* 3 quando excipitur uſusfructus, modò tantum ſibi ſervet, ut præter alimenta ſibi neceſſaria teſtamentũ condere poſſit. Ea portio à quibuſdã ponitur viceſima pars bonorum; alii prudentium arbitrio relinquunt. *Fachin. l 6. Controv. c. 89. Gaill. l. 2. Obſ. 127 Az. 3. l1 c. 7 Q.* 4. 4. Si iuramento firmetur. Quamvis enim ſit contra bonos mores civiles, quo argumento contraria opinio nititur *apud Bartol l Stipulatio hoc modo*, & alios: non eſt tamen contra bonos mores eccleſiaſticos. His enim admittitur, & laudatur bonorũ omnium abdicatio, cùm & illa, & ſemetipſum quiſque à mundo ſeparare, & cultui divino conſecrare poſſit. *Covar. & Felin. ſup. cit. Leſſ. l. 18 d. 13. Bonac. To. 11. p. 631. Card Tuſchus* Conc. 648. *Palao. D.* 2. P 24.

DVB. 8. An ſubſiſtat donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum, quam ſibi invicem duo fratres faciunt.

R. Subſiſtere favore agnationis ſeu conſanguinitatis. Præſumitur enim fieri ad conſervandum & augendum familiæ ſtatum, & dignitatem. Ita communiter DD. ſentire teſtatur *Boerius deciſ. 358. Iul. Clarus l. 4. Sent. Q. 20. c. fin. Mol. l.* 2. *de primog c. 10 & Mol. noſter D. 280. Palao Diſp 2. pun. 24. nu* 9. Imò non ſolum inter fratres, ſed inter quoſcunque valet donatio omnium bonorum poſt mortem collata. *Clar.* Q 19.

DVB. 9 An gravis læſio donantis irritam faciat donationem?

Duas opiniones *Steph. Gratianus* refert in *Deciſione* 40. Negativam tuetur *Decius conſil. 31. Covar. in c. Quamvis de pactis in* 6. & alii quidam, loquentes de iis maximè, qui religionẽ ingrediuntur, in quibus non videtur attendenda læſio, cùm ex liberalitate procedat. *l 1. ff de Donat.* excipi tamen poteſt enormis læſio, quam difficile eſt prævidere, & quæ fit abſque accurata bonorum ſuorum æſtimatione. Tunc enim cenſetur defuiſſe neceſſarius conſenſus, ad liberam abdicationem & alienationem bonorum: adeoque reſtitutio facienda erit, quantum exigere videtur neceſsitas eorum, qui donarunt.

DVB 10. An patronus eccleſiæ ius præſentandi aliis donare queat.

R. donare poſſe eccleſiæ vel monaſterio alicui, vel etiam homini laico. Pro hoc autem

Digitized by Google

autem opus habet conſenſu epiſcopi, alioqui invalida erit donatio, *Deciſ. conſ.* 541. *Rochus de iure patron. Q.* 2. *n.* 3. At verò eccleſiæ vel monaſterio alicui abſque conſenſu epiſcopi donare licet. *c.* 1. *de iure patron. in* 6. *& c. illud eod. V.* Barboſ. *in c. illud. & c. Cura. de iure patronatus.*

DVB. 11. In dubio utri cenſeatur donatum eccleſiæ, an epiſcopo.

R. Ex qualitate rei & conditione perſonæ donatæ iudicandum eſſe. Nam ſi donanti nulla ſit cum epiſcopo conſanguinitas, amicitia, aut ſimilis nexus; res vero eiuſmodi, quæ eccleſiæ miniſterio ſervire queat, non epiſcopo, ſed eccleſiæ tributa cenſebitur. Si vero ex earum genere, quæ ad ſtatum epiſcopi, commoditatem vel oblectionem conducat, epiſcopo potius, quam eccleſiæ adiudicabitur. Nemo enim prudenter iudicare poteſt, tamen ex. gr. aut falconem eccleſiæ donari, ut neque è contra pallam altaris, menſæ epiſcopi, quamvis in aliquo eventu non repugnet aliter fieri *c. Acquiſiviſti de teſtam. Maſcard. de probat concl.* 968. *n.* 2. *Bardus diſceptat.* 6. *de hum. act. proxima reg.*

DVB. 12. An valida ſit donatio metu extorta?

Metus duplex eſt, Gravis & levis, idque per ſe, vel reſpectu perſonarum, quibus adhibetur. Rurſum alius iuſtè alius iniuſtè incuſſus. De hoc

R. Donatio metu iniuſto extorta nullam conſcientiæ obligationem inducit, & ſecundum Iuris diſpoſitionem. reſcindi debet. *Valent.* 4 D. 10. *q.* 3 *Vaſq.* 12. D. 27. *nu.* 7. Patet ex *c. Cum locum de ſponſal ubi Alexand.* 3. reſpondet. Conſenſus locum non habet, ubi eſt metus, & coactio. Cui accinit *lex* 1. *ff. de eo, quod metus cauſa.* Quod metus cauſa geſtum eſt (*verba Prætoris ſunt*) ratũ nõ habebo. Adde, quod ratio, & æquitas nõ permittit. Eſt multorum DD. opinio apud *Comitol l.* 3. *Q.* 2. *&* 3. quenquam ex malitia ſua lucrum facere, aut frui illis bonis, quæ per vim, & iniuriam obtinuit. *l pen.* C. *de legatis.* Imò probabile eſt non tantùm donationem, ſed quemlibet alium contractum à metu quamvis levi, ut cauſa vel conditione ſine qua non, principaliter cauſatum in foro conſcientiæ irritum ac nullum eſſe, quemadmodum pluribus *confirmat* Leſſ. *c* 17. D. 6. *Tannebus To.* 3 D. 4. *Q* 6. *dub.* 11. *nu.* 319. *Silv. V. Metus. Nav. c.* 22 *nu* 51. Az. 3. *l.* 4. *c.* 23. *Valent.* 3. *diſp.* 5. *Q.* 6 *puncto* 5. §. *Quapropter Diana Tr.* 5. *Reſol* 117. Contrariam opinionem iuſtis rationibus nixam non pauciones ſequuntur, ut *Tit.* 7. §. 1. videtis.

DVB. 13. De donationibus Novitiorum regularium.

Ordinis Religioſi ſuſceptio ante profeſſionem per ſe nihil iuris tollit Novitio, ſi alias ei competebat: ac proinde ſuperflua videri poſſet quæſtio de donationibus, & contractibus Novitiorum, niſi obſtaret *Conc. Tr.* diſpoſitio in *Seſſ.* 25. *c.* 16. ubi legimus. Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuſcunque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia epiſcopi, ſive eius Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem: ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter verò facta etiamſi cum huius favoris expreſſa renunciatione, etiam iurata ſit irrita, & nullius effectus. *Ita Conc. Trid.* ſecundùm cuius mentem.

R. Vt donatio alicuius Novitii regularis

Digitized by Google

ris valida ſit, duplex ſolennitas requiritur. Vna eſt, ut fiat cum licentia epiſcopi, vel ipſius Vicarii: altera ut fiat intra duos mēſes profeſſioni proximos: ut nimirum abdicatio bonorum maiori cum libertate, & minori fraude fiat: querelis & exceptionibus futuris aditus præcludatur. Quæ autem in particulari hic diſcutienda eſſent, brevitatis ſtudio omittimus. Legi poteſt cum *Declarat. Cardinalium Sanchez l. 7. Moral c. 5 n. 64. & ſeq.*

DVB 14. An donator aliquando de evictione teneatur donatario?

R. In duobus caſibus de evictione, & omnium damnorum compenſatione teneri. Primus eſt, quando malitioſè egit, rem donando, quam ſciebat alienam eſſe. Dolus enimverò nemini prodeſſe debet, obeſſe poteſt *l Verum §. Tempus ff. pro ſocio.* Secundus, quando promiſit certam ſpeciem: ſe donaturum, puta tres equos vel boves. Tunc enim ſi unus illorū evincatur vel pereat, de ſubſtituendo alio manet obligatus. Quod in promiſſione unius certi individui non contingit. *Az. 1. l. 1. c. 20. Q 2. Navar. c 12. n. 45. Silv. V. Religio* 11. *Q. 16. Tolet l 4. c. 17 n. 6. Mol. Diſp. 252. par 3 §. Secundò ſumitur. Fagund de Contractib. l 4. c. 1. nu 9 & ſequ. Palao Tr. 32. D. 5. Pun. 24. n. 10 & ſequ.*

§. V.

De Donatione Conſtantini Imperatoris.

I. DE hac donatione *Gratianus in Diſt. 96. c. 13.* ex Actis *S. Silveſtri* ita narrat. Conſtantinus Imperator coronam, & omnem regiam dignitatem in Vrbe Romana, & in Italia, ac partibus occidentalibus Apoſtolico conceſsit. In *c. ſequenti* uberiùs rem explicat. Quod etiam *Leo* IX. præſtat *in ep.* 1. ſeu libello adverſus inauditas præſumptiones Michaelis Conſtantinopolitani. Breviſſime *Innocentius* III. Conſtantinus Imperator ex revelatione divina per B. Silveſtrum à lepra per Baptiſmum liberatus Vrbem pariter, & Senatum cum hominibus, & dignitatibus ſuis, & omne regnum occidentis ei tradidit, & dimiſit, ſecedens ipſe Bizantium, & regnum retinens ſibi Orientis. Coronam verò capitis ſui voluit illi conferre, ſed ipſe pro reverentiâ clericalis coronæ, vel magis humilitatis causâ noluit eam portare. Verumtamen pro diademate regio utitur aurifrigio circulati. Ex auctoritate Pontificali conſtituit Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & præſules: ex poteſtate verò regali Senatores, præfectos iudices, & tabelliones inſtituit. Romanus itaque Pontifex in ſignum Imperii utitur *Regno*, & in ſignum Pontificii utitur *Mitra*: ſed mitrâ ſemper utitur, & ubique: regno autem nec ubique nec ſemper, quia pontificalis auctoritas & prior eſt, & dignior, & diffuſior, quàm imperialis. Ita *Innoc. Papa in Serm. 1. de S. Silveſtro*, quem videntur poſteriores ſecuti.

II. Hanc Conſtantini M. donationem pro viribus impugnant Hæretici noſtri, & aliqui ex Catholicis apud *Everhardum in Loco à Veroſimili*, odio partim, & partim ignorantia accenſi. Sciendum itaque Inſtrumentum Donationis Conſtantini à Græcis Romani primatus oſoribus primò editum ex Actis falſis Silveſtri Papæ confictum ſub nomine Euſebii fuiſſe, tum ut perſuaderent, privilegia Romanæ Ec-

cleſiæ non à Chriſto, ſed Conſtantino eſſe, tum ut ſui Patriarchæ primatum ſtabilirent. Quocirca ad probandam donationem Conſtantini nullius Edicti vel inſtrumenti fide opus eſt. Nam etiam Ottonis III. Imperatoris circa Annum 1337. diploma vulgatum eſt in odium Romanorum Pontificum, quo prædictum Conſtantini edictum falſum, & confictum eſſe dicitur ab impoſtore quodam Ioanne Diacono cognomento digitorum Mutio. Hiſce igitur ſemetis pro dignitate, & iuriſdictione Summi Pontificis ſufficere debet Chriſti ordinatio, qui in S. Petro omnibus ſucceſſoribus privilegia, quibus nunc fruitur Eccleſia Romana, donavit. Ita *Baron. ad Ann. Chr.* 324. ſecutus quorundam Canoniſtarum opinionem, quibus multi Theologi contradicunt. Et certè non apparet, quomodo Vrbs Roma cum aliis poſſeſſionibus immediatè à Chriſto tradita, aut donata ſit. *V. Bellarm l.* 5. *de pont. c.* 4. ubi probat Papam directè nullius loci eſſe dominum temporalem iure divino.

III. Igitur bona temporalia Eccleſiæ Romanæ à Conſtantino potiſsimùm, deinde aliis Regibus, ac Principibus à DEO impulſis obveniſſe dicendum eſt. De facto probant omnium temporum hiſtoriæ. De iure inſtrumenta donationum authentica, quæ Romæ aſſervati *Bellarm. tradit. lo. cit.* addens, quamvis nihil horum extaret, abundè ſufficeret tot annorum præſcriptio. Nam etiam regna & imperia per latrocinium acquiſita tandem longo tempore fiunt legitima. Alioqui enim, quo iure Iul. Cæſar occupavit Rom. Imperium, & tamen tempore Tiberii Chriſtus ait, *Matth.* 22. *V.* 21. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hiſpaniam invaſerunt? & tamen quis hoc tempore regna ab illis conſtituta illegitima eſſe diceret? Sic *Bellar. l.* 5. *de Ro. Po. c.* 9. *Adam Conzen. l.* 6. *Politic. c.* 6.

IV. Præſtaret, *inquis*, Pontificem tantùm Spiritualia tractare, temporalia verò Reges, ut in V. T. factum eſt. R. *cum Bellarm.* quamvis abſolutè loquendo, præſtaret ſecundùm illud *Matth.* 20. Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non ſic: tamen propter malitiam temporum experientia docet, non ſolùm utiliter, ſed etiam neceſſariò, & ex ſingulari DEI providentia Pontifici, & epiſcopis donatos eſſe principatus temporales. Si enim in Germania epiſcopi Principes non fuiſſent, nulli ad hunc diem in ſuis ſedibus permanſiſſent. Sicut ergò in V. T. diu fuerunt Pontifices ſine imperio temporali, tamen ultimis temporibus ſub Machabæis ſimul regiâ poteſtate fulſerunt, ut religio melius defenderetur, ita Eccleſiæ accidit, ut poſt aliquot ſæcula bonis temporalibus, & poteſtate etiam ſæculari augeretur. Neque obſtat illud *Apoſtoli* 2. *Tim.* 2. Nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſæcularibus: quia per negotia ſæcularia non intelligitur regimen politicum, ſed cura parandi victus negotiationes, mercimonia, & ſimilia. *Nuza Tra.* 2. *par* 3 §. 12 *Efferen in Manuali polit. L.* 4. *pun.* 3.

V. Eos, qui prædictam donationem Conſtantini ex Catholicis (*qualis eſt Valla, Igneus, Baldus, & Cagnolus*) impugnant, non procul ab hæreſi abeſſe ſicut alios omnes, qui affirmant, non eſſe validã, teſtatur Abbas, Rolandus, & alii quidam, citati

citati à *Barb. in c. Conſtantinus* Diſt. *96. Tholoſ. de* Rep.*l.25 c.1. Everh. in loco à Veroſimili nu.15. & ſeq.* ubi in utramque partem multa connumerat.

VI. Si qui hodieque ſuperſunt, qui de iſta donatione dubitent, vel temerè factam, temerè exiſtiment, cauſas velim attentius conſiderent, quæ Conſtantinum impuliſſe videntur.

Prima eſt. Quæ à Deo largiſſima manu acceperat, eidem pientiſſimus Imperator reddendum cenſuit, ſecundùm illud *Paralip.c.ult.* Tua ſunt omnia, Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Quid enim cauſetur Imperator, ne meliora det, cui plurima dedit Deus habere, & multorum dominum eſſe, & facilè dare, & maximè ſanctiſſimis eccleſiis: in quibus optima menſura eſt donatarum eis rerum immenſitas. *Iuſtin. Collat. 2 Nov 7.c.2. De non alienandis, vel permut. reb. Eccleſ. Tiraquell. de Nobil. c 37. Card. Mantica de ambig. convent. Tom. II. l. 13. tit.17. num 8. Raudenſ.* Conſil. 1. *num.* 308. *Carol. Tapia* Deciſ 5. *num. 97. Barbos. in c. Sedes. de Reſcript. num. 2. & c. Conſtantinus Diſt.96 n.n 5. Gretzer. in Comment. de Imper. & Regum munificentia in Sed. Apoſt. Item Apolog. pro Baronio, & Exam. myſterii Pleſſaani c.10.*

Secunda. Dominia & terræ, quas dedit, principum tyrannide erant oppreſſæ, quibus ſub Eccleſiæ regimine quies futura erat. *Oſt. de immun. Eccl n.12.*

Tertia. A Deo retributionem multò maiorem expectabat. Neque enim ab homine vinci ſe liberalitate Deus unquam patietur. *Tob.c.4.n.23.*

Quarta. A leprâ incurabili per Baptiſmum liberatus fuit: inſignem præterea victoriam contra Maxentium tyrannum divinitus obtinuit. *V. Spondan. in Annal. Anno* Chr.312.*n.8.*

Quinta denique. Nullum damnum aut præiudicium in rep. vel ſubditis metuendum erat: imò utilitas, tranquillitas, & maior proſperitas ſperanda, ſi ab eccleſiaſtico Magiſtrato regeretur. Quam ob cauſam credibile eſt, facilius conſenſum præſtitiſſe. Neque enim, ut aliqui ſomniant, invitis, & repugnantibus Dynaſtis & populo prædicta donatio facta eſt, quemadmodum in *c.* *Conſtantinus Diſt. 99.* his verbis indicatur. Utile iudicamus una cum omnibus Satrapis noſtris & univerſo Senatu, & cuncto populo Romano imperio ſubiacenti, ut ſicut B. Petrus in terris Vicarius filii Dei videtur eſſe conſtitutus, ita & Pontifices Principatus poteſtatem amplius, quàm terrena imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis noſtroque imperio obtineant *V. Tuſchum. V. Donatio. Concl 689.* Huc etiam pertinent pia legata, quæ eccleſiis, aliiſque piis locis, aut perſonis per ultimas voluntates relinquuntur, cùm donationes quædam ſint, ſed melius *infra t.4. de teſtamentis* explicabuntur.

TITULUS II.

De Decimis.

IN libro 3. Decretalium *titulus* 30. eſt de Decimis, multis capitibus diſtinctus. De iiſdem *Gratianus* agit *in Cauſa* 13. *Q* 3. *&* 16 *p*. 1. quorum auctoritate nixi Interpretes olim, & Summiſtæ auxerunt Commentaria ſua Recentiores vero Moralis Theologiæ Magiſtri multo copioſius tradunt. Numerum & nomina invenies apud *Barboſ. l. 3. Decretal. tt.* 30.

§. I.

De origine Decimarum, & neceſsitate.

I. PRimum inter homines Deo voviſſe, & quas voverat, decimas dediſſe Iacobum Patriarcham legimus *Gen.* 28. *V. ult.* Nec dubium, quin à majoribus ſuis & hos ipſius Naturæ magiſterio didiciſſe, illi, à quo omnia, deberi omnia, idque ſolenni ritu aliquo, cultuque manifeſtandum. Sed quia bonorum noſtrorum auctor Deus non indiget, in miniſtrorum uſus ſecernenda portio fuit, & conſumenda noſtræ obſervantiæ & gratitudinis argumenta. Pluribus igitur titulis ac nominibus Decimarum tributa debentur. *Rebuff de decimis Q* 1. *nu* 9. *Azor. l.* 7. *c.* 27 *Q.* 6. *Suar. l.* 1. *de Relig. c.* 11 *num.* 5. *Tuſchus. Concl.* 62.

II. Ante legem Moſaicam igitur decima ſeparata pars eſt ultronea voluntate: in lege poſtmodum præcepta. *Nu.* 18. *V.* 24. *Deuter.* 14. *V.* 22. *&* 28. hodie non niſi iure eccleſiaſtico debita: *c Tua nos. c Tranſmiſſa c non eſt. c. Pervenit. de decimis.* Quod S. Aug. confirmat *Serm.* 1. *Domin. poſt Trinit.* 16. *Q.* 1. ubi ait, Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invaſit. Adde *Co. Tr. S.* 25 *c.* 12. *S. Tho. Q* 87. *a* 1. *Bellar. l* 1. *de Cler c.* 25. *Anchar Conſ.* 196. Conſentiunt Summiſtæ *Angelus Silveſter, & alii communiter.* Cur autem decima potiſsimùm pars Miniſtris eccleſiæ ſeparata ſit, cauſam ex myſtica numeri denarii ſignificatione *Origenes* adfert, eumque ſecutus *Angelus & Rebuffus*: quia nimirum numerus perfectus eſt, & quaſi primus limes numerorum, ultra quem numeri non procedunt. Deo igitur debentur primitiæ & decimæ, quòd ab eo principium omnium noſtrorum operum incipiat, & in eo finiantur actiones noſtræ, quæ per alios numeros deſignantur. *Rebuf p.* 2. *Moſcon de Maieſt. Eccl. l.* 1. *de benef. Par* 3. *c* 3.

III. Obligatio ſoluendi decimas univerſè tolli, & abrogari non poteſt, ita ut Miniſtris Eccleſiæ nihil omninò tribuatur, ab iis, qui de altari participant. Nam quatenus ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem pertinent, iuris divini & naturalis eſt. *Matth.* 10. *V.* 10. *Luca* 10. *V.* 7. 1. *Cor.* 9. V. 19 1. *Cor* 5. *V.* 18 Quis enim militat ſtipendiis ſuis unquam, aut quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Nihi-

Nihilominus tolli & abrogari poteſt 1. voluntate ſeu privilegio Summi Pontificis, non verò Imperatoris, aut cujuſcunque Domini temporalis. *c tua nobis de Decim.* Laicis enim nulla eſt de ſpiritualibus diſponendi poteſtas. 2. per remiſſionem eorum, quibus debentur: ut ſi Eccleſiæ Miniſtri, quemadmodum in Italiâ fieri dicunt. *Navarr. Tolet. & Zerola*, decimas non exigant, ut eatenus infirmorum ſcandalo, & offenſioni conſulant. quem morem etiam *S. Thom.* laudat 22. *q* 87. *art. 1. ad* 5. 3. per tranſactionem inter Eccleſiæ Miniſtros & Subditos factam juxta *c. multiplici de Dec.* ubi compoſitio de Decimis per ſubſequens privilegium nō tolli declaratur. *Fagund. in* 5. *Prac. Eccl. l.* 3. *c.* 2. 4. per conſuetudinem contrariam legitimè formatam; quicquid aliqui Canoniſtæ reclament, falsò exiſtimantes decimæ partis ſolutionem juris naturalis aut divini eſſe: quos Theologorum & Summiſtarum major pars redarguit. *Covarr. l. 1. Var. c.* 17 *n.* 8. *Nav. c* 21. *n.* 30 *Silv. V. n.* 1. *Armilla & alii* 5. per præſcriptionem. Nam ut *Covarr. l. cit.* multis probat, Laicus, qui vel immemoriali tempore, vel 40. annorum ſpatio cum titulo & bonâ fide decimas non ſolvit, ab obligatione ſolvendi liber eſt. *Henriq. l.* 7. *c.* 27. *n.* 2. *Valent. q.* 5 *pun* 2. *Suar. l.* 1. *c.* 13 *&* 27. *Laym. l.* 4. *tract.* 6. *c.* 6 *num.* 10. *Vallenſ l.* 3. *tt.* 30. *§.* 8. *Fagund. in* 5. *Prac. Eccl. pag.* 826. *Caniſ. l.* 2. *Inſtit. c.* 26.

IV. Unde colligitur alias ab his diverſas prætenſiones pſeudo Apoſtolorum, & Wiclephiſtarum non ſolvendi decimas nullo probabili fundamento niti; cujuſmodi ſunt illæ *in c. Tua nobis* indicatæ. 1. vitam Clericorum minùs puram, & corruptos mores non mereri tributum decimarum. 2. aliarum Eccleſiarum, vel etiam pauperum neceſſitati per decimas ſubveniendum eſſe. 3 ſufficere, ſi quod reſiduum eſt, ex impenſis, & ſemine ſubducto pro decimis pendatur. Non ſunt, *inquam*, hæ cauſæ probabiles negandi decimas, ſed perverſæ machinationes ſubtrahendi ea quæ DEO debentur: ac proinde compellendi ſunt ad decimas cum integritate reddendas omni appellatione remotâ. Debentur enim non propter innocentiam & ſanctitatem Miniſtrorum Eccleſiæ, ſed propter laborem, ſollicitudinem, & officia, quæ præſtant: adeoque quamdiu his juxta obligationem ſuam probè funguntur, ſtipendio privandi non ſunt: nec ulli conceſſum eſt, quæ aliena ſunt, præter domini voluntatem, transferre, vel diſpenſare. *Tholoſ. l.* 2. *Syntagm. c.* 2. *Suar. l.* 1. *c.* XI. *n.* 9. *Reginald. l.* 18 *de primit. & Decim q.* 2. *Caſtro V. Decima Piaſec. par.* 2. *c.* 4. *p.* 329. *Vallenſis l.* 3. *tt.* 30. *§.* 6. *Tuſchus Concl* 62. *Alph. Caſtro l.* 4. *adv. hereſes in V. Decima. Barb. in c Tua nobis hoc tt.*

§. II.

Quibus perſonis Decimæ debeantur.

DEcimarum tria genera paſſim conſtituuntur. Aliæ enim ſunt prædiales, aliæ perſonales, aliæ mixtæ. Prædiales ex agris, Vineis, Silvis, aliiſque immobilibus bonis ſolvuntur. Perſonales ex lucro induſtriæ, negotiationis & ſimilium. Mixtæ partim prædiales, partim perſonales ſunt, & ex fructibus pecorum vel avium in propriis prædiis mediante per-

ſonali induſtriâ penduntur. *Navar. c.21. n.29. Silv num.1. Moſconius l.1. de benef. c.3. Layman. l.4. tract.6. c.1. n.4. Tuſchus Concl. 63. Toletus l.6. c.20.*

I. Decimæ ſecundùm primam inſtitutionem non ſolis Parochis, ſed aliis etiam Miniſtris Eccleſiæ debentur, tum ad neceſſariam alimoniam, tum ad uſum templi & miniſteria. Neque enim ſoli animarum Paſtores, ſed alii quoque de Clero, ut Levitæ olim, ſeparati ac divino cultui mancipati ſunt: ob eamque cauſam jus habent participandi ea, quæ offeruntur, ut qui Altari ſerviunt, de eodem vivant. *c 1. & 2 & c. Non eſt de Dec. Rebuff. q.7. n.1.* At verò poſt factam Diœceſium diviſionem, quæ Apoſtolis adſcribitur, primò, & principaliter animarum curatoribus, Epiſcopis dico, & Parochis perſolvendæ ſunt. *Ratio* ex juſtitiæ debito ſumitur. Quemadmodum enim onus onere majus eſt, ita illi majus ſtipendium debetur, vel ſtipendii vice alimonia. Parochorum verò officium majus, & laborioſius eſſe, nemo ignorat. Sed eodem nomine, & jure Epiſcopi gaudent, qui majores Parochi, & Curionum ſunt ad totius gregis cuſtodiam à Deo ordinati. *Oſtienſ. Io. And. Rebuff. q.6. num 6. Suarez l.1. c.18. n.5. & ſeq. Tuſchus Concluſ. 64.*

I. Imò triplici titulo Epiſcopis decimæ conveniunt 1. ratione Eccleſiæ majoris, ſeu Cathedralis cujus ipſi præſides ſunt. 2. ratione Parochiarum, in ſuis Diœceſibus. 3. ratione menſæ & perſonæ ſuæ ex præſidiis intra Diœceſin ſitis, & nulli Parochiæ ſpecialiter attributis. Huic tamen jure aliàs communi, vel particularibus ſtatutis, vel conventionibus hodie derogatum eſt: fieri tamen poteſt, ut nunc quoque omnes decimæ ad Epiſcopum pertineant. 1. Si ipſemet immediatè curam habeat Eccleſiæ Cathedralis, vel alterius Parochialis. 2. Si Diœceſis ſuæ prædia nulli Parochiæ attributa ſint. 3. Si Diœceſis in plures Parochias diviſa non eſt. *Rebuff. & Suarez ll. citatis. Layman. l.4. tract.6. c.4. n.6 Zerola part. 1. V. Decimæ. ad 10.*

III. Capitulo quoque, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ac præbendariis decimæ conveniunt, & debentur. *c. ex parte de Decim.* &c. Tua nobis hoc tt. *Ratio* petenda eſt ex pia voluntate & fundatione benefactorum, qui Eccleſiis majoribus bona ſua aſſignarunt, ut divino cultui vacantes non carerent vitæ ſubſidiis. Quocirca non tantùm ex virtute Religionis, ſed juſtitiâ quoque illis præſtandæ decimæ ſunt, quia pro labore, & ſacro Miniſterio debentur. Neque obſtare poteſt quorundam negligentia, vel improbitas. Quamdiu enim munere ſuo funguntur, & Eccleſiæ deſerviunt, attributum illi Miniſterio ſtipendium merentur. *Bonac pun. 3.*

IV. Clericis non curatis & regularibus jus decimarum per ſe loquendo non competit: idque nonnulli *S Tho.* auctoritate probant, qui *q.87. art.3.* Solis Clericis curam animarum gerentibus tribuit: Religioſis quoque negat, niſi fortè Parochorum munere fungantur: dari tamen poſſe, ac debere per modum eleemoſynæ, ut qui charitatem aliis præſtant per orationem, jejunia, & alia pietatis opera, viciſſim experiantur illorum charitatem per ſubſidia temporalia. Clerici quoque non curati tunc de decimis capere partem poſſunt, cùm in Eccleſiâ aliquam præben-

præbendam habent, vel miniſteriis exercent. Multo minus Laicis jus decimarum convenit. *c. quamvis de Dec. in cauſam de praſcript c. Decimas* 16. *q* 1. *& DD. communiter*. Fructus tamen ſive prædiales, ſive perſonales concedi poſſunt. *Tholoſ. l.* 2. *c.* 25. *Henriq. l.* 7. *c.* 27. *n.* 2. *Moſcon. l.* 1. *de benef par.* 3. *c.* 3. *Zypæus l.* 3. *Reſponſor. Reſp.* 2. *Leſſ. c.* 39. *D.* 4. *n.* 19. *Tuſch. Concl.* 72. Aliqui tamen Jus quoque decimarum quamvis ſpirituale Laicis à Papa concedi poſſe exiſtimant, & conceſſum actu quibuſdam Regibus eſſe. *Roder. II q* 43. *art.* 3.

V. Prædiales decimæ etiam novalium illi Eccleſiæ debentur, in cujus Parochia prædia conſtituta ſunt *c. Cùm contingat. c. Cùm in tuâ de Decimis. & c. ult. de reſtit ſpoliat.* Aliàs magna incommoda, & rerum confuſio ſequeretur, quibus avertendis præfigendi termini ſunt, & ſua ſingulis jura aſſignanda. Quod ſi in quibuſdam locis contrarium ſervatur, conſuetudini aut præſcriptioni tribuendum. *Barb. in c. Cùm contingat h. t.*

VI Si in nullius Parochiæ finibus prædia contineantur, illorum decimæ ad menſam Epiſcopi pertinere videntur. Eadem enim ratio videtur harum, & illarum eſſe, quæ proveniunt ex noviter cultis terris ad nullam Diœceſin pertinentibus, quas Epiſcopo aſſcribit. *c. Cùm contingat. & c. quoniam* Vbi *Barboſ* notat, ſi locus intra duas parœcias ſit, nec ſciatur, ſub qua ſit, non eſſe Epiſcopo decimas dandas, ſed dividendas ita, ut pars uni, & pars altera alteri obveniat.

VII. Vbi Eccleſia baptiſmalis à Parochiali diſtincta eſt, ex perſonalibus decimis portio aliqua, eoque minor baptiſmali inferenda eſt. *Abb. in c. Cùm contingat*. Quod verò prædiales attinet, Eccleſiæ Parochiali omnes tribuendæ videntur, niſi fortè baptiſmalis antiquior eſſet. Tunc enim, ut tempore, ſic jure antecedet Parochialem & percipiet decimas *c. Eccleſia c. quicunque* 16. *q.* 1. Fieri tamen poteſt, ut extructa nova Eccleſia Parochiali, in eam cum adminiſtratione Sacramentum transferatur jus decimarum, antiquiori Eccleſiæ ſublatum. *Abb. Conſil.* 58. *Col.* 2. *&* 3 *lib.* 1. *Tuſch. Concluſ.* 64. *Suar c.* 24. *Laym. l. ci. c.* 4. *n.* 3. *&* 4.

VIII. Erigitur nova Parochia, eique tribuuntur agri, & campi in territorio alterius Parochiæ poſiti, utri decimæ debentur? Novæ Parochiæ *S. Thom.* favet *q.* 87. *art.* 4. quem multi ſequuntur. Nam in *c. queſti.* 16. 1. unicuique Eccleſiæ permittitur, ut ex poſſeſſionibus, quas accipit ad ſuorum Miniſtrorum ſuſtentationem decimas alteri non ſolvat: quod videtur intelligendum, ubicunque locorum ille exiſtant. Verior tamen opinio eſt antiquæ Parochiæ adjudicantium *c. Eccleſia* 16. *queſt* 1. Eccleſiæ antiquitùs conſtitutæ nec decimis, nec ulla poteſtate priventur, ut novis Oratoriis tribuantur. Idem habes in c. quicunque eod. Res enim cum onere ſuo tranſit *l ſi convenerit ff de pignor. act.* & grave damnum priori Eccleſiæ vitandum eſt. *Fagund. in* 5 *Prac. Eccleſ. l.* 1. *c.* 7.

IX. Ex dictis ſequitur, præ aliis omnibus jus decimarum Summo Pontifici competere, tum ratione ſui, ut percipiat, quantum ſtatui ſuo ſatis eſt, tum ratione inferiorum, ut quando res exigit, ſuam illis portionem aſſignet, & ad præſtandum Subditos obliget.

Eſt

Digitized by Google

Eſt namque ſupremus & generalis paſtor, bonorumque Eccleſiaſticorum adminiſtrator, quemadmodum in *1. parte Summæ tt. 14 §. 2.* oſtendimus. *Panorm. in c. inter cætera de off. Iud ord. Moſcon. l. 1. de beneſ part. 3 c. 3. Rebuff q 1. n. 15. & q. 13. n. 110. Fill tract. 27 part. 2. Leſſ. c. 39. D. 5. n. 29. Franc. Leo in theſau. Eccl part. 2. c 30.* Facit illa poteſtas & adminiſtratio, ut Papa vel motu proprio, vel ad Regum ac Principum ſupplicationes aliquando decimas indicat, aut permittat ex bonis Clericorum, ac Regularium ſumendas, de quibus non uno loco *Card Tuſchus in V. Decimæ Concl. 81. & 82.* ubi addit eas decimas ſolvi debere ad inſtar decimarum perſonalium, deductis expenſis, quæ fiunt gratia fructuum quærendorum, percipiendorum, & conſervandorum. *Gemin. Conſil. 85. n. 3 & ſeq. Verſ. quædam ſunt.* ubi allegat *Gloſſ. in Clem. 2 de Decim.* quæ dicit, ita fuiſſe declaratum per Papam, ubi eſt caſus conſilii. *V. Barboſ. in Prætermiſſis ad c. Decimas 16. q. 7.* ubi exempla plurimorum Regum ab hiſtoricis numerari tradit, quibus decimæ à Summis Pontificibus conceſſæ ſint: intellige de fructibus decimarum, non de jure, quod Laicis non convenit.

§. III.

A quibus debeantur decimæ.

I. PErſonales decimæ à ſolis & omnibus illis debentur, qui Sacramenta percipiunt, & illi Eccleſiæ, à qua Sacramenta adminiſtratur *c. Apoſtolicæ Leſſius c. 39. D 5. n. 27. Valleus l. 3. tt. 30. §. 7.* Hoc tamen tempore vix ullibi conſuetudo eſt, hujus generis decimas ſolvere, & in Germania noſtra ipſum nomen ignoratur; nec realium exactio ſatis accepta, ut eò libentius perſonales negligantur. *Navar.* autem *c. 21. n. 31. & Vaſq. D. 6.* in quibuſdam Hiſpaniæ regionibus de ſalariis ſervorum & ancillarum exigi fatetur. In Luſitaniæ majoribus oppidis pro perſonalibus decimis ſolvi cognitiones, ſeu certam nummorum quantitatem *Fagundez memorat. in V. præc. Eccl. l. 1. c. 4.* idque Paſchali tempore, quo ad S. Euchariſtiæ perceptionem obligantur.

II. Clerici curam animarum non habentes de lucris ac reditibus temporali titulo acquiſitis per ſe, & perſonali titulo præſtare decimas tenentur Parocho, à quo Sacramenta recipiunt. *c. novum genus de Dec.* In hac materia enim non ut Clerici habentur, ſed ut Parochiani, quemadmodum *in cita cap. Barbo.* cum multis aliis notat. Et quamvis hodie definitio illa locum non habeat, cùm ne Laici quidem perſonales decimas præſtent, in terris novalibus tamen recenter à Clerico cultis locum habere poteſt, quandoquidem ex illis intra Parochiam ſuam contentis pendere tributum decimarum tenentur, non per accidens ratione rei, ſed per ſe, & ratione propriæ perſonæ. Neque obſtat, quod in eod. cap. novum genus exactionis eſſe dicitur, ut à Clericis Clerici decimas exigant, quia ſermo eſt, de decimis bonorum & redituum Eccleſiaſticorum, *Covar. l. 1. Var. c. 17. num. 8. Suar. c. 17. num. 2. & 3. Laym. l. 4. tr. 6. c. 3. n. 2 Caniſ. de Dec. c. 6*

III. Neque Regulares, ſi jus antiquum ſpectes, à ſolutione perſonalium decimarum exempti ſunt, ſed Parocho præſtare tenen-

teneantur. *c.Commiſſa & c. Ex parte h.t.* Sunt enim ipſi quoque quoad hoc Parochis ſubjecti.Porrò de privilegiis,quibus hodie inſtructi ſunt Mendicantium præſertim Ordines, conſuli poteſt Caſarubios in *Comp. Fratrum Minorum*, & *Laym.l.cit.Barb in c.ex parte,& c licet.*Ubi notat privilegium, quod aliqui habent non ſolvendi decimas ex novalibus, quæ propriis manibus colunt, eſſe perſonale, adeoque non tranſire ad colonos, emptores,& conductores prædiorum. Quod verò realia privilegia attinet, quibus agri,horti,vineæ,& ſimilia bona pronunciantur libera, non eſt, quod multùm gaudeant Regulares, quia Decimatores antiqui,damnoſam & præjudicialem ſibi exemptionem minimè agnoſcent.

IV. Ad decimas ex debito reali & bonis ipſis annexo,nemine excepto ſecundum commune jus omnes obligantur. Nam ſicuti hominem lepra, quocunque ſe verterit, ita rem onera ſequuntur, eique adhærent tam diu, donec per aliquam relaxationem, vel tranſactionem, aliōve legitimo modo tollantur. Unde fit,ut ſæpè una Eccleſia,vel Monaſterium alteri ad perſolvendas decimas teneatur, quando nimirum ea bona acquiſivit, quæ tali onere gravata erant. *c. nuper de Dec.* Dico *Omnes* teneri, ut ne quidem Judæi & infideles excipiantur. *c. de terris. c.quanto de uſuris, & ibi Barb.* Nec ipſi Parochi, Epiſcopi, & ipſe Summus Pontifex,ſi prædia poſſideat huic oneri ſubjecta.*Suar.c.17.Fill c.8.n.171.Fagund.l.cit. c.4.Piaſec.part.2.c.4.n 61 Tuſchus Concluſ. 66.Iac.de Graff.part.2.l.2.c.27.n.46.*

V. Qui gravi paupertate laborant, à decimarum ſolutione liberi ſunt. Eccleſia enim, quæ decimarum jus Miniſtris ſuis tribuit, non cenſetur velle, ut à quibuslibet etiam indigentibus exigant, quin potius ex perceptis ſubvenire deſiderat: quam ob cauſam decimas alimenta pauperum vocat *c. Decimæ.c.quoniam. 16.q.1.c.Paſtor.1.q.2.Silv.V. Decima n. 13.* An verò, cum ad meliorem fortunam devenerint, compenſare debeant, quod paupertatis tempore neglectum eſt, dubitare licet. Non teneri probabilius eſt. Eadem enim Eccleſiæ adverſum pauperes benignitas,quâ ab onere decimarum liberantur,perſuadet, eam velle, ut abſque reſervatione, ſimpliciter, & abſolutè liberi maneant, maximè, cùm ejuſmodi compenſatio non exiguis moleſtiis affecta ſit,ſemper ignorantibus & ambigentibus, quid, quantumve ex neglectis decimis compenſari debeat. Contrarium à pleriſque doceri *Filliuc.* affirmat in *Tr. 27 c.8.n.166.* Nam tributa regibus pendunt etiam inopes, quid ni decimas quoque Miniſtris Eccleſiæ. Verùm ſequela incerta & infirma eſt, conſiderando Eccleſiæ in pauperes pium affectum, quo ad dandum, quàm exigendum propenſior eſt.

VI. Quid fiet,*inquis*, ſi Dominus agri, deſtruat illum,ædificando domum in illo? Reſp. Dominus ædificans in fundo ſuo,utitur jure ſuo: Eccleſia verò non privatur directè, & immediatè jure ſuo, ſed conſecutivè: quemadmodum in ſimili,ſi ager non coleretur. Et credibile eſt initio ſic conveniſſe inter Paſtores Eccleſiarum,& ſubditos illorum,ut tamdiu decimas pendant, quamdiu ex bonis à ſe cultis fructus proveniunt. Ita ferè *Fagund.in 5.Prac.Eccleſ.l.1.c.6.ci.fin.* non

 malè,

malè, ſi de damno non maximo intelligatur: & aliunde ſuperſit Curioni alimonia. Quis enim ferat directè vel indirectè auferri neceſſarium ſtipendium illi, quem jure noveris exigere poſſe?

§. IV.

Ex quibus rebus exigenda Decimæ ſint.

I. DE omnibus bonis, quæ divino munere acquirimus, exigi decimæ poſſunt. *c. Parochianos. c. ex parte c. Tua nobis c. ex tranſmiſſa. c. Paſtoralis c. cùm in tua in c. non eſt*, ita enumerantur. De vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsâ etiam militiâ, de venatione, & de omnibus bonis decimæ ſunt tribuendæ, ut qui de his eas ſolvere neglexerint, Eccleſiaſticâ diſtrictione debeant compelli. *Panor. Rebuff. Vivianus. Suar. c. 31. Fran. Leo in theſ. par. 2. c. 27. Leſſ. l. 3. c. 39. D. 3. Iac. de Graff par. 2 l. 2 c. 27 n. 36.* Sed an de minimis quoque? Affirmat *Azor. l. 7. c. 24. q. 9.* ex oleribus etiam leguminibus, croco, fœno, & ſimilibus intellige niſi contraria conſuetudo valeat. *Tholoſanus* enim *l. 2. c. 26.* tolerari conſuetudinem ait, non ſolvendi decimas ex minutis rebus, dummodò ſit præſcriptio, cujus non extet memoria: & in Gallia juxta conſtitutionem Philippi Auguſti non poſſe exigi decimas de rebus minutis, de quibus antea nunquam conſtat exactas eſſe. *V. Zypaeum l. 3. Conſult Conſ. 4.*

II. De iis, quæ acquiruntur liberali donatione ſive inter vivos, ſive cauſa mortis, per legatum aut inſtitutionem hæredis variant DD. ſententiæ. Deberi inde decimas cenſet *Oſtienſis, Silveſter. & alii. Azor. quaſt. 10.* ſecutus *Rebuffum quaſt. 8. num. 31.* ad fructus, & bona mobilia reſtringit, quia, *inquit*, per donationem acquiſita lucra ſunt. Contrarium aſtruit *Suarez. c. 31.* cum Innoc. *in c. non eſt Panor. Valentia III. D 6. q. 5. pun. 2. Silveſtro. Tabiena, & al. multis.* Ea enim, quæ nobis liberali donatione obveniunt, non ſunt, ut ſupponunt, alterius ſententiæ Auctores, lucra, quia non noſtra induſtria & manu, ſed aliorum opera acquiruntur. Neque ex Canonibus aliud colligi poteſt, ut meritò ſibi ipſis inimici cenſeantur eſſe, qui tale onus admittunt.

III. Diverſa ratio illorum bonorum eſt, quæ illicito modo acquirimus & lucramur: valetque Roſellæ diſtinctio. Si recipiens dominii capax eſt, ad decimam tenetur Eccleſiæ: quæ tamen non exiget, ne favere iniquitati videatur: ſi verò dominii incapax eſt, malè quæſiti nulla decimatio fiet. Unde ſequitur, meretricum ſalaria decimationi obnoxia eſſe, uſurariorum verò, furum, & raptorum lucra non eſſe. Hi enim contra juſtitiam peccant, & ad reſtituendum veris dominis tenẽtur: meretrices pro uſu corporis ſui, & obſequio mercedem accipiunt, malè quidem, non tamen injurioſè. Quòd ſi ex cœno ſpurcæ voluptatis emerſerit aliqua ejus ut poſſit, non tamen admittet oblationem, aut decimam Eccleſia, non quid debeat, ſed quid expediat, attendens. *Glo. & DD. in c ex tranſmiſſa Moſcon. l. 1. de ben. par. 3. c. 3. Thol. l 2. c. 24. Fag. in 5. Eccl. prac. l 1. c. 2.* Addit *Suar.* ſi ſcorti alicujus peccatum occultum ſit, & ſcandalum non timeatur, dare decimam partem de acquiſitis bonis poſſe, eamq; à Parocho acceptari;

Digitized by Google

tari, etiam delicti gnaro. Hoc enim nulla lege prohibetur, nec aliud incommodū ſequitur. Quin etiam cùm de peracta pœnitentia, & vitæ mutatione conſtat, publici peccatores etiam de anterioribus lucris decimas præſtare poſſunt, easque Eccleſia recipere. *S. Tho. Innoc. Raym. Silv. Iac. de Graff. par. 2. l. 2. c. 27. n. 43*

IV. Titius pro ſtipendio laboris ſui domum accepit (eadem ratio ſimilium eſt) nunquid ex ea decimas dabit? Daturum exiſtimat *Suarius c. 32.* vocans decimam perſonalem, quæ debeatur non ſolùm, quando pecunia acquiſita eſt, ſed etiam quando fuerit triticum aut ſimile quid. Nam qualitas rei accidentaria eſt, & locum pecuniæ ſupplet domus in ſtipendium accepta. Malim cum Gloſſ. & aliis negativam partem ſequi, quia *in c. Paſtoral.* manifeſtè dicitur. Cùm domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, aut ſimile quid venditur, de reſiduo quaſi lucro dandas decimas eſſe. De ipſo ædificio igitur, quia per ſe non parit lucrum, decimatio nulla fit. Idem de præda militari rerum immobilium fateri oportet, ut ipſemet *Suarez* fatetur, & *Barb. in c. Paſtoralis* univerſaliter aſtruit de immobilibus decimam quærendam non eſſe, citans *Rebuff Guil. Benedictum, Monetam, & Azor. l. 7. c. 24. q. XI.*

V. Si agrum locaſti pro certa penſione, ex ea nemo decimas exiget. Illum enim cum oneribus ſuis conductor habet, & ex fructu illius ſatisfaciet decimatori. Neque hic audiendus *Abulenſis*, qui in *c. 23. Matth. q. 204.* contrarium docet, non animadvertens ex eadem re Eccleſiam duplices decimas nunquam exigere, quod hic fieret, ſi & locator & conductor ex eodem agro decimas exhiberet. *Silv. V Decima n. 14. Zerola part. 1. n. 4.*

VI. Tranſivi per agrum hominis pigri, & ecce opertum ſpinis & urticis: coluiſſet illum, & Miniſtras Eccleſiæ decimas adferret, an non compenſabit? ſi obligatio reſtituendi ex laſione juſtitiæ naſcitur, pigri & inertes ad nullam compenſationem tenentur. Neque apparet, quomodo ex poſſibilibus tributum petamus, fructusque nondum natos capere velimus. *Leſſius c. 5. D. 7. num. 38.* Addit *Bonacina* probabilius videri, cum, qui ſegetes quamvis injuſtè combuſſerit, aut conculcarit, non teneri ad reſtitutionem decimarum, quæ ex conſervatis perceptæ eſſent, quia nemo tenetur ſolvere decimas ex fructibus quos non colligit ſua culpa: ergo nec, ſi fruges combuſſit, antequam fructus inde ſumeret. In eandem ſententiam allegat Leſſium, ſed parùm fideliter. Quamvis enim *c. 5. D. 7. num. 38.* dicat, ſecundùm quoſdam non teneri ad compenſandum Eccleſiæ decimas, quas venatores de rebus capitis alicubi ſolvere ſolent, ſi illos impediat, quia decimæ, niſi de rebus perceptis non debentur; in *c. 39.* tamen agens ex profeſſo de Decimis *Dub. 3. n. 15.* diſertè affirmat non poſſe excuſari eum, qui ſegetes ita deſtrueret, vel agricolam impediret, ut odio Eccleſiæ id ſe facere, opere ipſo demonſtret.

VII. In prædialibus decimis non ſunt expenſæ deducendæ *c. Tua nobis. c. non eſt c. cùm homines, & communiter DD.* Nam textus citati ita perſpicui ſunt, ut nullam cavillationem admittant, *teſte Tiraquello de retractu gentil § 15 Gloſſ. 1. n. 10. V. Zypeum l. 3. Conſult. Canonicar. Conſ. 2.* qui exten-

Digitized by Google

extendit quoque ad novalia, & agros, qui perruptis aggeribus inundati ſunt. Neque enim propter reparationem aliquid decerendum eſt ex conſuetis decimis, juxta *c. Paſtoralis*. Æquitas tamen poſtulat, ut ruſticis, qui novalia recens coluerunt, aliquot annorum immunitas concedatur, ut eò libentius terris incultis operam ſuam impendant. *Eſcobar. Tr. 1. exam.* 14. *c.* 4.

DIXI *In prædialibus*, ut perſonales decimas exciperem, in quibus deducuntur expenſæ. *c. Paſtoralis hoc tit.* Nam ratione lucri præſtantur, quod quale ſit, niſi deductis expenſis, non intelligitur. At, *inquit*, fructus agrorum & arborum quoque ut proveniant, impenſæ fiunt: cur non eodem modo deducuntur ante decimationem? Duæ communiter cauſæ aſſignantur. Una eſt, quia lucrum meræ induſtriæ nullo modo intelligi poteſt, niſi prius impenſæ ſeparentur. Lucrum enim vocamus illud ſolùm, quod de novo accedit bonis noſtris: fructus verò ſive arborum ſive agrorum DEI & naturæ beneficio magis, quàm noſtrâ induſtriâ proveniunt, ita ut neque qui plantat, neque qui rigat, ſibi aſcribere proventum poſſit: ac proinde non habitâ impenſarum conſideratione decimandi ſunt. Altera eſt, quæ in Veteri legi DEUS præcepit prædiales decimas integras ſolvi *Exodi* 22. *Levit.* 27. *& alibi.* Nec conveniens eſt, ut Evangelii & novæ legis Miniſtri deterioris conditionis ſint. *c. Tua nobis. c. Commiſſum hoc tit. S. Thom.* 22. *quæſt.* 87. *art.* 2 *ad* 1. *Innoc. Oſtienſ. Anton. Panorm. Rebuff. quæſt.* 11. *Silv. num.* 9 *Tholoſan. l.* 2 *Syntagm c.* 26. *Franc. Leo part.* 2 *c.* 27. *n.* 60. *Suar. c.* 33. *Laym. l.* 4. *tract.* 6. *c.* 1. *n.* 4. *Moſcon. l.* 1. *p.* 3. *c.* 3. *Caniſius de decimis c.* 2. *n.* 3. *Piaſecius in praxi part.* 2. *c.* 4. *n.* 60. *Vallenſis l.* 3. *tt.* 30. §. 5. *n.* 2. *Bonacina. tomo* 2. *pag.* 351. *n.* 19. *Nav. c.* 21. *n* 31. *Armilla V. Decimæ n.* 2. *Silv n.* 15. *Azor. par.* 1. *l.* 7. *c.* 35. *q.* 4. *Eſcobar. tract.* 1. *Ex.* 14. *c.* 4.

§. V.

De tempore, & loco, in quo Decimæ ſolvantur.

I. NOn remitto ad conſuetudinem cum Leon. Leſſio, ſed remotis perſonalibus decimis, prædiales moneo exhibendas eſſe, quamprimum collecti fructus ſunt. *c. revertimini* 16. *q.* 1. *c. cùm homines h. t. ubi Alexander* III. Mandamus, *ait*, quatenus eos cogatis, ut decimam ſtatim fructibus collectis perſolvant, atque de ſubtractis, & retentis dignam ſatisfactionem exhibere procurent. Quod præceptum rationi conforme inprimis eſt; neque aliud tempus magis utrique parti commodum aſſignari poteſt, quàm illud, quo collecti fructus ſunt. Quod ſi bis terve in anno fructus proveniant, toties facienda decimatio eſt. *c. ex parte h. t. Rebuff q.* 12. *Moneta c.* 6. *n.* 8. *Azor. II. l.* 7. *c.* 35 *q.* 16. *Barb. de off. Parochi c.* 27. *n.* 4. Addit *Silv. num.* 15. Si ex acervo frugum aliquid ſubtractum fuerit, dum ruſticus moram facit, damnum ab eo compenſandum eſſe, juxta *Reg.* 25. *Iur. in* 6. Mora ſua cuilibet noxia eſt.

II. Pro animalium fructibus ſeu fœtu expectandum eſt tempus, quo vituli exgr. aut equorum pulli utiles eſſe incipiunt, & à matre ſeparantur. Nec intereſt, corpus an pretiũ detur, modò cõvenerit.

Digitized by Google

ſerit. *Silv.n.14. Fill.c.12. Franc. Zypaeus l. 3. Reſponſor p.126.* agnos decimari vult non in prædio, nec ſecundùm illius conſuetudines, ſed in paſcuis, quia dominum ſuum potiùs, quàm villam, & prædium ſequuntur. Conſentit *Fagundez in 5. Præc. l.1.c.5.n.14.* addens, ſecundum Braccatenſes conſuetudines equorum, & aſinorum pullos poſt biennium nativitatis decimari: item ſi pecora in unâ Parochia per æſtatem, in alia per hyemem paſcant, dividendas æqualiter decimas eſſe. *l cit. nu.6. cum Suar. Soto, & Roder. in Sum. c. 87. concl.2.*

III. Quorum impenſis, dantium, an recipientium inferendæ ſint decimæ, ambigua quæſtio eſt. *Glo & Panor. in c. Revertimini.16 q 1. V. Horrea colonis* & ruſticis, ac conſequenter omnibus debitoribus, id oneris imponit. *Covarr.* de exiguis idem affirmat, contra communem ferè praxin. Abſtrahendo igitur à conſuetudine, quæ nobis quidem hactenus ignota eſt, non ſunt eo onere gravandi decimarum debitores, & cum à iure nihil definitum ſit, ſatisfacient dando, non importando. *Silv lo.cit. Armilla n 2.*

IV. Negantibus ſuo loco, & tempore decimas, non convenit manus inicere Clericum, vel Sacerdotem, ut per vim extorqueat. Turbas enim, & pugnas illata vis generat. Magiſtratus interpellandi ſunt: ab his compellentur rebelles, & inobedientes. *c. Omnes 16.p 7.* ubi dicitur, admonendos primò, ſecundò, & tertiò, & ſi non obedierint, anathemate feriendos eſſe uſque ad congruam ſatisfactionem. *Navar. l. 2. conſ. 3 de decimis Rebuf. Q.9. Laym l 4.Tr.6.c.5 Suar.c.38.n.2. & 3. Fill. c.12.n.259. Laym c 5.n.3.*

V. Si quæris, in decimas nondum ſeparatas, & traditas, quid iuris Eccleſia habeat? Dico, nō habere dominium propriè dictum, ut aliqui exiſtimant, ſed eandem, quæ rei promiſſæ, vel emptæ rationem eſſe. Dominium rei promiſſæ nemo ſe habere credit, nec rei emptæ nondum traditæ: habet tamen ius aliquod, quo ab ea repellantur alii: ius intellige ad rem, cuius beneficio exigere poteſt, & alienatam repetere, ac ſibi vendicare, eo modo, quo §. 7. dicetur *Glo. in c. moderamine 16. p. 1. & c. Tua nobis. h. t. Frid. de ſenis. Rebuf. Suar. & Fill. c.12.n. 240.* ubi conciliari opiniones putat dicendo, Eccleſiam habere uſumfructum decimarum, hoc eſt, ius ad illas, & in illis, quòd vocetur dominium utile. Vnde ſequitur, *Primò* ut per rei vendicationem repetere ab invaſore poſſit. *Secundò*, ut exigere liceat decimam partem à quocunque, ad quem fructus non decimati devenerint. Remanebit autem tunc emptori, vel poſſeſſori cuicunque actio adverſum Venditorem. *c. Cùm non ſint. h. t. & c. Paſtoralis eod.*

§. VI.

De exemptione, & privilegio non præſtandi Decimas.

I. A Perſonalibus decimis exemptus eſt 1 Summus Pontifex, quæ à nullo ut Ordinario ſuo Sacramenta recipit. *Suar. l.1.c.17.* 2. Parochi, & Curati, ſi non ex natura rei ex voluntate, & intentione iuris ſcripti, in quo huius debiti nulla mentio. *Moſcon. l. 1. de benef par.3 c. 3.* 3. Clerici reſpectu eius eccleſiæ, cui ſerviunt, & fructuum, quos propterea participant.

ticipant *c.* 2 *h.t.4.* iure communi à perſonalibus decimis exempti ſunt, qui in communi viventes proprio labore ſe alunt. *c. Decimas 16.q.1.* ſive ſint laici, ſive clerici. Quin etiam extenditur ad prædiales, ex induſtria illorum provenientes *c. ex parte h t.* & *c.multiplici eod.* *Suar.l.1.c.* 18. *n.* 3. 5. Iure communi Ciſtertienſes, templarii, & hoſpitalarii decimam prædiorum ſuorum, quæ propriis manibus, aut ſumptibus colunt, non tenentur ſolvere: alij verò religioſi non ſoluunt decimas de hortis, & nutrimentis animalium, nec de novalibus, quæ propriis manibus, ac ſumptibus colunt. *c.* Ex *parte tua* & *ibi* Barboſa. 6. Poſt Ciſtertienſes omnimodam exemptionem obtinuerunt omnes Mendicantes Ordines, ut videre eſt in *Comp.privilegior. Fratr.* Minorum. 7. Superare omnes immunitate & privilegio PP. de Societate Iesu fatentur Doctores, *Franc.Leo in theſ. fori eccl.Par* 2.*c.*27. *Piaſec.par.*2.*c.*1.*n.* 63. *Vallenſis* §. 8. *Roder.*11.*q* 45 *art.* 4. *Barb. in ſumma Deciſ.*169. *Henriq.l.*7.*p* 27.*n.*9. qui cum *Franc. Leone* teſtatur de facto in foro eccleſiaſtico, & diverſis tribunalibus ſecundùm illud privilegium iudicatum eſſe. Tenor autem ſive ſumma in Compendio privileg Soc. Iesu habetur *V. Exemptio n* 4. & 5. Sed an ubique locorum prædicta immunitas recipiatur, meritò dubites. Ius decimas exigendi, qui ante illam exemptionem habuerunt, nequaquam dimittent, opponentes illud paſſim receptum. Privilegia abſque præiudicio (ſaltem gravi) tertii intelligenda eſſe. Quamobrẽ *Vallenſis l cit.* privilegia Ciſtertienſium, & aliorum *in c.Ex parte* exiſtimat non extendi ad decimas, in quarum perceptionis poſſeſſione erat Eccleſia parochialis, vel alia iuxta *Oldrad Conſil* 268. *Choppin. l.* 3. *de ſacra polit.tt* 2 *nu.* 7 ſicut nec extenditur. Idem docet Zypaus *in Anal. declar. pag.* 212. ſed à *Suario* refutatur *c.*19.*nu.* 2. Inſuper *Barb. in ſumma decis. Apoſt.*169. præter *Greg.* XIII. *Conſtitutionem*, *Paſtoralis.* de generali exemptione addit *Leonis* XI. *Impoſiti nobis* de vigeſima danda in regno Caſtellæ, & Legionis: quam licet ad terminos *Gregorii* XIII. reduxerit *Greg.* XV. huius literas tamen, omniaque & ſingula in iis contenta dicit *Motu proprio* & certa ſcientia revocaſſe *Vrbanum* VIII. *in Conſt. Aliàs fel. record d.* 20. *Nov.* 1623. Quod ſi verum, manet Societati ampliſſima, & omnino ſingularis exemptio à *Greg.* XIII. primùm conceſſa, qua maiorem nulli unquam Ordini datam legimus. Quis verò illius in poſterum futurus effectus ſit, ſi de præteritis coniectura valet, ignorare me fateor, nec expedire illud ſupra indicatum ſcio de iure Decimatoris antiquo. Hic enim ſi apud Iudicem excipiat contra privilegium poſtea obtentum, negotium abunde faceſſet.

II. Privilegium non ſoluendi decimas ex novalibus extenditur etiam ad terras, quæ non ſunt novalia. Ita DD. colligunt ex *c. Ad audientiam h.t.* ubi Pontifex generaliter eximit Ciſtertienſes à ſolutione decimarum, reprehendens eos, qui de novalibus tantùm intelligebant. Nam ex generalitate verborum, & intentione concedentis contrarium colligi poteſt, cùm dicat *ex illis quæ propriis manibus ac ſumptibus excolunt*, non eſſe decimas exigendas: quod tam in novalibus, quàm non novalibus locum habet: æquè enim hæc, ut illa, propriis manibus, ac ſumptibus excoluntur. *Panor. Oſt.* Vivianus, *Suar c.*19. *Barb. in c.*

Digitized by Google

in c. cita. Ad audientiam, monens prædictum intellectum, & amplam interpretationem non omninò ſecuram eſſe, ſed potiùs ita mentem Pontificis interpretandã, ut nulli inde præiudiciũ fiat, nullum damnum, aut ſcandalum ſequatur. In eundem ſenſum loquuntur aliqui apud *Azorium* 1. *l.* 7. *c.* 37. *Q.* 6.

III. Quin etiam ad terras, & bona acquirenda extenditur. Amplè enim cùm nihil obſtat, privilegii verba accipienda ſunt. *c. Ex parte h. t. Henriq. l.* 7. *c.* 27 *nu.* 6. Si tamen conducta, vel in emphyteuſin ſuſcepta ſint, quamvis Religioſi propriis manibus, & ſumptibus excolant, ad decimas obligantur. Neque Coloni regularium eodẽ cum ipſis privilegio fruuntur, quia intentio Papæ cõcedentis privilegiũ exemptionis non eſt, liberare Colonos ab eo onere, ſed perſonas, ſeu communitatẽ regularium tantùm. Vnde quicquid commodi Colonorũ opera; & induſtria comparatur, ad monaſteriũ vel Eccleſiam cenſetur pertinere *Az.* 1 *l.* 7. *c.* 35. *Q.* 6. *Suar. c.* 19 *n* 3. *Zypaus l.* 3. *Conſult.* 7. *contra Charondam in Pandectis l* 1. *c.* 13. Quod ſi reale privilegium fuerit cum re ipſa ad quemlibet poſſeſſorem deveniet. Laicorum longe alia, & diſpar conditio eſt. Nam ſi illis Pontifex privilegium non ſolvendi decimas dederit, non extendetur ad novalia, quia eiuſmodi conceſſio valdè oneroſa eſt. *Fagund in* 5 *Prac. Eccl l* 2 *c* 2. *n.* 6.

IV. Privilegium non ſolvendi decimas quatuor modis extinguitur, Videlicet.

Primò. Si privilegiatus ultrò decimas exhibeat, etiam ſemel tantùm. *Tholoſ. l* 2 *c.* 24. *n* 9. Cenſetur enim iuri ſuo renunciare *c. Si de terra. & c. Accedentibus de privileg.* Quòd ſi à toto Ordine renuncietur, ſtatim deſinet, ſi verò tacitè, per conſecutionem, quia alius acquirit ius, pro quo ſpatium annorum 40. requiritur. *c. illud de præſcript. Henriq.* tamen 60. annorum lapſum exigit pro amiſſione privilegii; ſi Regulares ex negligentia non fuerint uſi privilegio ſuo, vel ex omiſſione permiſerint aliquos actus contrarios fieri. *Eſcobar Tract.* 1. *Exam.* 14. *c.* 4. *n.* 17.

Secundò per enormem læſionem eccleſiæ, vel parochi cui debentur decimæ. Equidem ſi damnum evidens ſit, nulla Iudicis cognitio & ſententia requiritur: ſin minùs, ad Summum Pontificem deferetur. *c. Suggeſtum h t.*

Tertiò ex conventione partium, quæ poſt privilegii conceſsionem facta ſit. Neque ut legitima tranſactio habeatur ullius Superioris auctoritate opus eſt. *Ang. & Silv ex c. Multiplici hoc tt. Bonac. Tom.* 11. *pag.* 352. *n* 4.

Quartò per alienationem prædiorum in eos, qui privilegio carent. Alienatio enim privilegio ſublato in priſtinum ſtatum reducit, quia non rebus ſed perſonis conceſſum eſſe ſupponitur intuitu Religionis, & pietatis. *Rebuf. Covar. Aiens. Oſtiens. Panorm Soto. Thol. Henriq. l cit. Suarez c* 20. *Fillluc. c.* 8. *nu.* 185. *Laym. L.* 1. *Tract* 4 *c.* 23 *in QQ. de Privileg n.* 19. 23 *& al. Silv. V. Privilegium nu* 10. *Armilla num.* 6. *Roderic. Tom.* 111. *q.* 51. *ar.* 5 *Mandos de privil nu.* 329. *Tuſchus Concl.* 755. *& ſequ.*

***

§. 7. De

§. VII.

De culpa, & pœna iniuſtè negantium decimas.

I. SVbtrahens aut detinens iniuſtè decimas contra iuſtitiam, & religionem peccat, graviter, aut leviter pro quãtitate rei, teneturque ad reſtitutionem, non ſecus, atque fures, & raptores. *c. Paſtoralis h.t.* Decimæ enim Eccleſiæ debentur, & DEO, alimenta pauperum animarum ſunt *c. Quia* 16. *p.* 1. tributa indigentium *c. Decimæ eod.* Qui verò ſacrilegos vocant iuxta *c.*1.16.*p.*7. minus propriè loquuntur. Neque enim decimæ eo modo, quo calix, exempli gratia res ſacra, aut DEO conſecrata eſt. *Bonac. p.*5. *pun.*3. *nu.* 16 *Fagund. in* 5 *prac. Eccl. l.*1.*c.* 4.*nu.*7. ubi addit, eos quoque mortaliter peccare, qui in magna quantitate ex decimis meliora ſeparant, & ſibi reſervant.

II. Negantibus iniuſtè decimas iure communi excommunicationis pœna decreta eſt, *c Statuimus* 16.*q.*1. quam confirmans *Conc. Trid. S.*25 *c.*12. Qui, *ait*, decimas aut ſubtrahant, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione facta abſoluatur. Quod *Avila* explicans. *Par.*2. D.3. D.8. dupliciter dicit intelligi poſſe. Primo modo, quod iam ſint excommunicati, ſi nimirum reſtituere poſſint: alias cautionẽ præſtitiſſe ſufficiet. Nam iuxta commune ius in *c. Alma mater. de ſent. excom. in* 6. quando ſatisfactio realis non poteſt fieri, dan da ſufficiens cautio eſt. Secundo modo, antequam excommunicentur: & tunc intelligi debet, ſi poſſint ſatisfacere. Quod ſi non poſſunt, credo, non requiri cautionem, ſed ſufficere firmum propoſitum reſtituendi, cum poterit. Ita *Avila. Nav. c.* 17.*n.*69.*c. & c.*21.*n.*3.2.

III. Eadem excommunicationis pæna manet religioſos, qui alienas decimas ſibi malis artibus vendicant, vel prohibent, aut non permittunt exhiberi illis, quibus debentur. *Clem.* 1 *de decimis.* Item, qui concionibus ſuis vel alio modo fideles avertunt à ſoluendis decimis. Denique qui confeſſiones audiendo, nullum ſcrupulum iniiciunt defraudantibus, tamdiu ipſo facto ſuſpenſi ſunt, donec eos admonuerint, ut, quas debent decimas perſoluant. *Clement. Cupientes. de pæn. Az.* 1. *l.*7.*c.*37 *ci. fin. Silv. n.*9. *& V. Excommunicatio n.*8. *Fagund. in* 5. *Prac. Eccl. l.*3.*c.*6.*n.* 5. *Compend. Privileg. Fratr. Minor. V. Decima Iacob de Graff. Par.* 2.*l.*2.*c.*27.*nu.*53. *Roder.*11.*q* 45 *art.*8. *Eſcobar Tr.*1. *Ex.* 14. *c.*4.*n.*26.

IV. Præter excommunicationem aliis quoque pænis uti poterit Iudex, attenta perſonarum, & delicti qualitate. Neque enim deſunt, qui pecuniæ, quam eccleſiæ ſeparationem magis timeant, ſacris potiùs, quàm denariis carere malint. Ad id poteſtatem & directionem impertit. *Conc. Tr. Seſſ.*25.*c.*3. *Silv. V. Immunitas* 11. *num.*8. *Azor* 1.*l.*7.*c.*36. *Zypæus in Analyt. enarrat. l.*3 *pag.*212.

V. Cognitio de Decimis ad forum eccleſiaſticum pertinet, de iure immediatè, & principaliter, de fructibus conſequenter. *c. Pervenit. c. Tua nobis. c. Probibemus h. t. & to. tt. de ſo. comp.* Cùm autem duplex iudicium ſit. Vnum poſſeſſorium, ubi de poſſeſſione cognoſcitur, alterum petitorium, ubi de proprietate; de hoc quidem

Digitized by Google

dem nulla controverſia eſt, quin iuris eccleſiaſtici ſit; de altero ubi de poſſeſsione litigatur, inter DD. non convenit; multis ad forum ſæculare trahentibus, inter quos *Selva par.* 1. *De benef. p.* 7. *num.* 12. *Gr.* Tholoſ. *de benef c.* 40. *num* 10, *& alii apud Covar. l. practit. pp c.* 35. *& Nicol. Garciam par.* 1. *de benef. c.* 2. *num.* 50. *Piaſec. par.* 2 *c.* 4. *num.* 59. *Tanner. D.* 5. *p* 3. *Dub.* 2. *num.* 45. *Zypaum in Anal enar. p.* 20. Hi omnes universè putant, laicum Iudicem de poſſeſſorio cognoſcere poſſe, ſive agatur de decimis, ſive de beneficiis, aliiſque ſimilibus: quibus favere videtur *Gloſſa in c. Literas de iuram. calumn.* Nam poſſeſſio rei ſpiritualis, non in iure, ſed mero facto conſiſtit. Et in *l. naturaliter* §. 1. *ff. de acqu. poſ.* dicitur, quòd proprietas nihil commune habet cum poſſeſsione. Sed nihilominus oppoſita ſententia rationi, & iuri conformior eſt. Quamvis enim poſſeſsio & detentio rei in mero facto conſiſtat, non ideò forum mutat, ſed naturam principalis ſui ſequitur & ſub eccleſiaſtico iudice manet. *c* 1. *& Clem un. de cauſa poſſ. & proprietatis Clem. un. de ſequeſtrat. poſſeſſ. & Clem. diſpendioſam De iudiciis.* Ad *leg. Naturaliter* dico, proprietatem nihil commune habere cum poſſeſſione quoad acquiſitionem, quia ſeparari poſſunt: at quoad cognitionem iudicialem connexa ſunt, & diviſionem reſpuunt iuxta *l Nulli C. de iudic. V Zypaum de iuriſd. eccl. l.* 1. *c.* 39.

VI. In quæſtione ſeu cauſa ſolius facti, V. g de decimis furto ablatis, vel ne darentur, impeditis, laicus eſſe Iudex poteſt. Eiuſmodi lites enim mixti fori ſunt: iniuriam igitur prohibere, & factam ulciſci utrique Iudici, eccleſiaſtico, & ſæculari permittitur. *Rebuff p.* 10 *num* 3. *Moneta p.* 8. *num.* 13. *Franc. Leo in theſ eccl. par.* 2. *c.* 27. *num.* 22. *Az. l.* 7. *c.* 25. *Q* 5. *Zypaus de iuriſd eccl. l.* 1. *c* 39. *Gaill. l.* 1. *obſ.* 38. *Laym. l.* 4 *tr.* 9. *c.* 2. *num.* 13. ubi affirmat etiam coram laico iudice conveniri poſſe conductorem decimarum, quando in mora ſolvendi eſt, quia non agitur de iure, aut poſſeſsione, ſed pretio convento. *Piaſecius quoque l. cit.* monet controverſias decimarum ſummariè expediendas eſſe. *Clem Diſpendioſam de iud.* neque in illis appellationem admittendam. *c. Tua nobis. Maranta p.* 3. *nu.* 293. quoad effectum videlicet ſuſpenſivum, cùm quis in poſſeſsione fuit, & de poſſeſſorio agit. Tunc enim appellatione impediri non poteſt, quo minùs utatur poſſeſsione ſua.

VII. Cui iniuſtè negantur aut ſubtrahuntur decimæ, petere eas poteſt condictione ex lege, ſeu Canone, etiam quando conſumptæ, vel ex iniuſta cauſa alienatæ ſunt. *Argum. l un. ff de cond. ct. ex lege.*

Si obligatio lege nova introducta ſit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum eſt: idque DD communiter tenent in *c. Commiſſum* 4. *h t.* Nec intereſt, apud quem decimæ extent. Nam contra quemcunque detentorem, vel poſſeſſorem conceditur vendicatio: cùm nunquam transferantur, aut alienentur abſque tali onere. *c. Cùm non ſit. &c. In aliquibus h. t.* Vbi *Glo. notat in V. Compellantur*, pactum non nocere eccleſiæ, quin à quolibet poſſeſſore repetere decimas poſſit, quia eſt onus, quod ſequitur ipſam rem. Vnde *S. Tho. p.* 87. *a.* 2. *ad* 4 Si quis vendat triticum non decima-

Pp tum,

tum, poteſt Eccleſia decimas exigere etiam ab emptore, quia habet rem eccleſiæ debitam, & à venditore, quia, quantum eſt in ſe, Eccleſiam defraudavit. De iniuſto deſtructore idem iuris eſto, ſive in ſolo hærentes fructus deſtruxerit, ſive ſeparatos corruperit. *Innoc & Abb. in c. Commiſſum h. t.* Compelletur enim ſatisfacere, & compenſare damnum: neque modo curamus, directâ an indirectâ actione experturus ſit Decimator, qui damnum paſſus eſt *V. Az. l. 7 c. 35. Q 5. Laym. l. 4. tr 6. c. 1. nu. 4 Franc. Leo in theſau. fo. eccl.* Par. 2. c 27 *& ſeq. Marta de iuriſd p. 2. c. 43. Barb. de officio Parochi c. 28. Covarr. l pract QQ c 35 Leſſ c. 39 c. 4. num 15. Zypaus de iuriſd. eccleſ. l. 1. c. 39. num. 3. Cevall. de cognit. per viam viol. p. 56. Card Lugo Concluſ 74. Suar. l. 1. c* 38. ubi etiam monet præteriti temporis decimas non ſolutas ab illis exigi poſſe, ad quos prædia emptione, donatione, teſtamento, aut alio titulo devenerunt In hoc enim Tributis æquiparantur, quorum onus in novum poſſeſſorem tranſit, ita ut etiam præteriti temporis neglecta tributa ſoluere teneatur. *l. Imperatores ff. de public. & veſtig* Imò cogi poſſe dominos prædiorum, ut non vendant, aut locant niſi illis, à quibus decimas ſine contradictione percipere queat, Eccleſia, *Abb. in c Aliquib. h. t. tradit.*

T I T U L U S III.

De Tributis.

HVc nos materiæ affinitas vocat. Sicut enim Eccleſia decimam fructuum partem, pro neceſſitate miniſtrorum ſuorum exigit, ita Reges, & Principes ad ſtatus ſui, & reip. conſervationem, de bonis & mercibus ſubditorum certam quotam decerpunt, maiorem, vel minorem, prout neceſſitas exigere videtur. Tributum vocamus, vel decimam laicalem. Aliqui enim decimarum duo genera faciunt, eccleſiaſticarum, ſeu clericalium, & laicalium: quamvis alio etiam ſenſu laicales vocantur, quibus ab eccleſia conceſſis laici utuntur. *Tholoſ. l. 2. c. 20. Laym. l 4. Tr. 6. c. 1.* Synonyma ſunt Tributum, Cenſus, annua præſtatio, annona militaris. *Card. Tuſchus Concluſ.* 391.

§. I.

De cauſa & neceſſitate tributorum.

I. MAteriæ & finis, propter quem tributorum, varietas facit, ut plura genera ſint. Præcipua numerantur quatuor. *Primum* vocatur Cenſus, ſeu penſio, quam cives viritim pro capite in ſignum ſubiectionis Principi ſoluunt. De hoc Phariſæi Chriſtum interrogarunt, liceretne Cæſari dare, an non? Eundem

Digitized by Google

dem Auguſtus Cæſar indixit, ut deſcriberetur univerſus orbis. *Lucæ c. 2.* Et quia in hoc modo ſuperbia quædam, & avaritia continetur, non valdè apud Chriſtianos Principes in uſu eſt, quemadm. *Dom. Soto* annotavit *l. 3. Q. 6 a. 7.* *Secundum* generale nomen ſibi approprians Tributum dicitur, à tribuendo. Alii ſtipendium vocant, quia olim pro militum mercede colligebatur. Differt igitur à cenſu ratione finis, & materiæ, quia ex terræ fructibus in communem utilitatem cedebat. Vtriuſque mentio fit in *l. Ager. ff de verb. & rer. ſignif.* *Tertium* genus eſt Vectigal, à vehendo, & portorium à portando, vel portâ ſeu portitore, cui exhibetur pro mercibus, quæ inferuntur negotiandi causâ. Finis eſt, pontium, murorum, aliorumque publicorum operum conſervatio & reparatio. *Molina Tr. 2. Diſp 662.* *Quartum* pedagium, etiam ex mercibus ſolvendum, ſed alio fine, ut nimirum viæ & itinera ab infeſtis prædonibus libera ſerventur. Guidagium vocant, quod ducatum in via præſtanti pro mercede datur. Aliis alibi nominibus utuntur, pro conſuetudine, & linguarum diverſitate. De quo *V. Silv. in V. Gabella.* Ab his *Collecta* diſtinguuntur à quibuſdam (tallia, præſtatio ſtricta) quæ à Solis civibus, & incolis ſolvitur extraordinariè, & pro modo ac quantitate annuor. redituum, ita ut quo quiſque ditior eſt, eò plus de bonis ſuis contribuat. *Fill. Tr. 16. num. 103.*

II. Angaria ab angendo frequens apud Veteres Canoniſtas nomen iniqua & violenta exactio appellatur, onus perſonale, quod abſque damno bonorum temporalium viribus corporis præſtari poteſt. Parangaria, vel perangaria tum perſonale tum reale onus. *l. 1. ff. de munerib. & honorib. Gloſſ. in l neminem C. de ſacroſ. eccl.* Secundùm alios Angaria eſt obſequium perſonale propriis ſumptibus præſtitum. *c. Non minus. de immun. eccl.* Parangaria ſervitus perſonarum & rerum, quaſi perfecta Angaria. Secundùm alios Angaria eſt merè perſonale onus: parangaria ſimul perſonale, & reale. Sed hæc negligi poſſe, cùm ipſe non neglexiſſet, benè monet *Silv. l. cit.* Illud ergò perquiramus, quando cenſus, vel exactio ſit iniuſta, & Angariæ titulo digna. *Molina Tr. 2. de tributis diſp. 661. ci. fin.*

III Penſio vel tributum uno ex his 5. modis iniuſtè conſtitui & exigi poteſt. 1. Si deſit legitima poteſtas in exigente 2. Si non ſervetur æqualitas, & plus æquo graventur ſubditi: ut ſi ex rebus ad proprium uſum comparatis exigatur. 3. Si non neceſſitate & utilitate publica, ſed propriâ ſuiipſius Princeps petat. 4. Si ſimulatè aut fictè, V. g. pro reparatione murorum, cùm non indigent, vel ſi indigent, non reparantur. 5. Si imponatur tam ſuper his, quæ invehuntur negotiationis cauſa, quàm pro aliis. *l. omnium. C. de vectigal.* Vectigal enim mercium onus eſt, non mercatorum, ut de qualibet re poſtulentur *Gottofr. in Notis.* His poſitis dico

IV. Quando tributum, aut vectigal iuſtè conſtitutum, & impoſitum eſt, iniuſtè negatur, quique defraudarunt ad reſtitutionem tenentur *c. Omnis de Cenſib* ubi S. *Aug. ex c. 13. ep. ad Rom.* Et vos, *inquit*, ſubditi eſſe debetis. Ideò enim tributa præſtatis quia hæc eſt probatio ſubiectionis. Et ratio manifeſta eſt, quia in iis,

Digitized by Google

quæ iuſtè præcipiuntur, parere ſubditi debent: cuiuſmodi eſt lex de penſione neceſſaria ad Principis, & reip. conſervationẽ. Materiæ enim qualitas peccatum grave, aut leve facit. Vnde in magna quantitate defraudantes graviter peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, quẽadmodum viciſſim teneretur Princeps, ſi iniuſtè acciperet tributum. Si quis reſtituere nolit, abſoluendus non eſt, ſecundùm Armillam. *V. Gabella nu. 6. Zerola Par.* 1. *eod. n.* 2. *Silv. V. Gabella.* 111. *nu.* 21. & alios ſumm. communiter. Imò oppoſitam opinionem errorem vocat *Caſtrius*.

V. Tributa ratione tranſitus per pontẽ nemo ſoluere tenetur, niſi petantur. Ita *Lud Lopez c.*37. §. 2. *dico, citans* Metinam, & Cordubam. *Idem Angelus tenet V. Pedagium. n.* 3. *Henr Ganda v. quodl.* 3. *p.* 22. *Tabiena V. Pedagium n.* 9. *citati à Sanch. l.* 2. *Conſil. c.* 4. *Dub.* 1. *n.* 5. quaſi Vniverſè negent, tributa ante Iudicis ſententiam perſolvenda eſſe: quod Angelus non dicit, ſed tunc præſtanda negat, cùm exactores non laborant pro communi utilitate. V. g. reficiendo muros; & ſim. Rationem dat Lopez, quia duriſſimum eſt obligare advenas ad ſciendum huiuſmodi ſtatuta: cui repono, ſcire omnes, in genere ſaltem, exigi ſolere portorium maximè propter equos, & currus, à quib. ſenſim viæ deteriorantur. Harum igitur conſervatio, & reparatio, cùm iuſtam cauſam præbeat exigendi vectigal, non licet viatoribus illud negare. Sed efficax ratio foret, ſi de intentione Principis conſtaret. Si, enim quod valdè exiſtimo probabile, non intendit, niſi temporale ſubſidium capere, & negantes pœnâ coercere, ſtatutum illius non conſcientias ligat, ſed crumenas flagellat: ita ut præcisè propter non ſolutum pedagiũ viator non peccet. Eſt ſimul attendendũ ad loci conſuetudinem, & ſenſum communem incolarum, ex quo & tacito Principis conſenſu in utramvis partem ſumi coniectura poterit. *V. Sanch. l.* 2. *c.* 4. *D.* 10.

VI. Obligatio ſoluendi tributum ceſſat *Primò*, quando cauſa exigendi nulla, aut iniuſta eſt. Patet ex *n.* 3. ſupra, & per ſe evidens videtur. Vbi enim nulla cauſa, nullus effectus. *l. Generaliter. C. de ep. & cler. Secundò*, quãdo ſubditus verè dubitat de iure, vel facto tributi. Cũ enim exactio hæc dioſa ſit, nõ eſt urgenda contra *Reg.* 15. *Iuris in* 6. *Odia reſtringi* & nec in quæſtionibus, lucri contra cives fiſco patrocinandum eſt. *l. Non puto ff de iure fiſci.* Excipiunt aliqui antiqua tributa, quorum initia memoriam hominũ excedunt; ſed non ad rẽ. Hæc enim non plus obligant, quàm nova legitimè impoſita, ſed vetuſtate ſua, & præiudicio obſtant, ne dubitemus. *V. Sanch l.* 2. *Conſ. c.* 6. *Tertiò* quando non præſtatur ab exactoribus id, cuius gratia petuntur. V. g. portæ, viæ, muri, nõ reficiuntur, debita contracta non ſoluuntur milites nõ aluntur, & ſimil. Vetus verbum eſt. Frangenti fidem fides frangatur eidẽ. *l. Eum qui ff de inoff teſt. l. qui fidem ff de tranſact. V. Comit. l* 4 *q.* 35. *Soto l.* 3. *p.* 6. *a.* 7. *ci fin Silv.* 111. *n.* 21. citans Angelum, qui dicat, negari tributum poſſe, quamvis non conſtet in eum finem impoſitũ eſſe: item quamvis pro loco & tempore in illis reparandis laboretur. Quod *Silveſtro* quidem non placet, defendi tamen poſſet admiſſa præſumptione, quòd pecunia in talem finem cõgeſta nunquam plenè adhibeatur, ſed ex ingenti acervo alia multùm diverſa

à Dy-

Digitized by Google

à Dynaſtis comparentur. Limita 1. ſi non ſit reparatio, quæ nondum indiget. 2. Si in aliam publicam utilitatem pecunia applicetur. *Sanch. l. cit. dub. 8 ci. ſi. Quartò* quãdo per tributi exhibitionem periculum ſit honoris, & æſtimationis, v. gr. ut quicunque ex plebe eſt, nullâ generis nobilitate inſignis pendat in portâ vel portu 3. denarios. Tùm dico, niſi petatur, non opus eſt ſolvere: quia nemo tenetur prodere ſuam ignobilitatem: & hoc in uſu ſic obſervari exiſtimatur *à Lud. Lopez c. 36. ci. fin.* Monet verò *Silv. l. cit.* unumquemque teneri ratione mendacii, perjurii, & ſcandali. Pro confeſſariis addit *num. 29.* ut in dubio ante factum ſemper prohibeant fraudationem gabellarum; poſt factum autem non cogant ad reſtituendum, tum quæ in pari causâ turpitudinis potior eſt cauſa poſſidentis, tum quia exponerent ſe periculo ſurripiendi ab iſto, quod ſuum eſt. *V. Farinacium par. 7. de furtu. q. 72. n. 52.*

VII. In confirmationem dictorum, & benignioris ſententiæ addo §. 6. *Eman. Sa in V. Gabella.* Gabellam abſque vi, & fraude non ſolvere, aut etiam poſtea non reſtituere, non eſſe mortale, docti viri aſſerunt. Ego id in totum affirmare non auſim; ſed neque in dubio eos, qui prædicto modo non ſolverunt, ad reſtitutionem obligarim. Communis quidem ſententia aſſerit, teneri ſubditos ſolvere juſtas Gabellas, cui ſtandum; niſi in particulari conſuetudo legitima aliud obtineat. Ejuſdem generis eſt *Bonacina Aſſertio Tom. 2. p. 452. n. 5.* Fraudantes vectigalia impoſita pro uſualibus probabiliter excuſari poſſunt à peccato mortali, & obligatione reſtitutionis. Sic enim videtur uſu, & conſuetudine receptum: quia per exactionem horum vectigalium ſubditi plus juſto gravantur. Quin etiam compenſationi locus eſt, ut qui in præſtando non juſtè tributo damnum paſſus eſt, tantundem demat, de eo, quod juſtè exigitur. Quod etiam licet, cùm pro rebus uſualibus, ſeu ad vitæ, & familiæ curam neceſſariis cogitur dare gabellam. *Molin. tract. 2. D. 674. Comitol. l. 4. q. 35. ci. fin. Sanch. l. 2. c. 14. dub. 44.* Sed hic oritur

VIII. Dubium, an conſuetudine induci poſſit, ut vectigal ſolvatur ex rebus uſualibus, quas quisque pro ſuo, ſuorumque neceſſitate comparat? Non poſſe multi tenent apud *Sanchez l. cit. D. 44. & Dian par. 2 tract. 17. Reſp. 28.* Sed nihil, quod contrariam opinionem evertat, in medium proferunt. Durum videtur, ſed non propterea iniquum. Dico igitur, ejuſmodi conſuetudinem induci poſſe. Conſuetudinis enim non minor, quàm ipſarum legum vis eſt. *l. de quibus ff. de leg.* At lege conſtitui poteſt ex rebus uſualibus tributum. *Navar. c. 17. n. 202. Antonin. part. 2. tit. 1. c. 13. Gabr. in 4. Diſt. 15. q. 5 art 2. Silv. III. q. 5 Roſella V. Pedagium n. 6. Azor. III. l. 5. c. 21.* Verùm notatu dignum eſt, quod *Sanch l. cit. addit n. 7.* quia talis conſuetudo eſt contra jus, rationi naturali valdè conſonum, adeoque ad juſtitiam illius urgentiſſima cauſa requiratur, non eſſe de facili Scrupulum ingerendum de fraudantibus ejuſmodi vectigalia pro rebus ad uſum vitæ neceſſariis impoſita; ſed tunc primùm cùm de eorum juſtitia conſtat. *Driedo de libert. Chriſtianâ l. 2. c. 5. Anto. à Corduba in Summâ q. 95. dub. 2. Silv. III. q. 5. Molin. tract. 2. D. 669.*

Bonac. T. ..2 p.451.n.5. Valent III. Diſp 5. q.6.pu.. 5. Leſſius. c 13.D.7. Anto. Peregrin. de Iure Fiſci l.6.tt.5 Suarez l 5. de leg. c.16. Azor. II.l 5.c.21. Laym l 3 tract. 3.c.3. Comitol.l.4 q.33 Zerola par.1. V Gabella.n. 2. qui addit, defraudantes ad reſtitutionem teneri Gabellottis: ſed ad pœnam non teneri ante condemnem & latam ſententiam. Quod in aliis etiam delictis locum habet juxta ea, *quæ dix. in Prologom.* §.8.

§. II.

Qui, quibus imperare tributum poſſint.

I. IMponere tributum poſſunt illi, qui in ſuis terris plenam obtinent poteſtatem, nullumque in temporalibus ſuperiorem agnoſcunt, cujuſmodi eſt Imperator, Reges, nonnulli Principes, & Civitates, modo nihil obſtet. *c. ſuper quibuſdam de verb ſign.* Nam Hiſpaniæ Regibus, quamvis abſolutam poteſtatem habere videantur, nova vectigalia non aliter indicere licet, quàm ſi comitiis ex more vocatis, regni procuratores, & tribuni plebis approbent: quod in aliis quoque regnis fieri poteſt, cùm valdè rationi conſentaneum ſit, gravia onera non imponere invitis. *Iaſon. l. placent. n. 10. de Sacroſ. Eccleſ. Sanchez. l.2. Conſil. c.4. Dub.2. Barb. in c. Innovamus de cenſ. & in Præter miſſ p. 235.*

II. Hiſce omnibus cum imperare vectigal aliquod vel tributum volunt, attendendum eſt 1. ut juſta cauſa ſit, puta, non privata Regis commoditas, vel etiam lubido, ſed bonum commune. Ubi tamen non excludo neceſſitatem in familia, & perſona Regis. Huic enim v.g. capto, vel oppreſſo omnimodè ſubveniendum eſt. Quot verò ſint cauſæ juſtæ imponendi nova vectigalia enumerat. *Lud. Lopez c.36. quæſt 3* quem vide 2. attendendum, ut debita forma ſervetur; hæc autem in triplici proportione conſiſtit 1. proportio eſt tributi ad neceſſitatem, pro qua exigitur. 2. ad rempubl. & ſubditos ne nimiùm graventur. 3. inter ipſos Cives, ut ſecundùm uniuſcujuſque facultates plus minuſve ſolvant, non æquentur inopes divitibus, ſed ſecundùm menſuram fortunæ ſit quantitas Gabellæ. Si autem imponatur mercibus, abſque omni perſonarum acceptatione & differentia, reddatur. *Bar. in c. cùm Apoſt. de cenſib. Cajet in V. Vect. Arm. in V. Gabell n.12. Sanch l. cit. D 2. n.9. Fill Tr. 16. n.117. Laym. l.3. tr.3. c.3. Tol l.5. c.75.*

III. Idem jus habent Reges non Chriſtiani, imponendi videlicet tributa quibuſcunque in Regno ſuo negotiantibus, aut tranſeuntibus etiam Chriſtianis. Scio multos contrarium aſſerere, aliquos etiam diſtinguere inter eos, qui juſtè & qui injuſtè regnum obtinent: ſed abſque ſufficiente fundamento. Cauſa enim tributi, ſi juſta ſit, omnium reſpectu juſta eſt, & juri naturali conſona, fundata in contractu *Facio, ut des*, id eſt Rex vias & portus cuſtodit, pericula & damna exterorum cavet, ſecuritatem promittit, & indemnitate: ita tamen ut tu de mercibus illatis, & catenus conſervatis certum aliquid ſolvas. Nec opus eſt alio conſenſu Viatorũ quàm virtuali, & præſumpto, cùm nemo juſtam cauſam habeat contradicendi. pacto aut conventioni modò explicatæ *V. Ang. Silv. & ad Summ. apud Sanch. l. cit. dub. 5. Ferdin. ab Efferen. in Manuali*

Digitized by Google

Manuali polit.l.3.pun.9.Tholoſan.3.Syntag.c.3.& ſeq & l.3 de Rep.c.4. Addit *Barb.in c. ex ſpeciali de hæret* Chriſtianos locare Judæis reditus, & vectigalia poſſe, ita tamen, ut Princeps deputet aliquem Chriſtianum qui exigat. *Nav.Conſ.1.q.23.n.58. Gutier.de Gabell.q.132.n 5.*

IV. *Bullæ C.D §.ſextus eſt.* Excommunicamus omnes, qui in terris ſuis nova pedagia ſeu Gabellas, præterquam à caſibus ſibi à jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentiâ permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, & augeri prohibita exigunt. Hinc deducuntur plura corollaria. *Primum eſt*, excommunicari omnes & ſingulos Magiſtratus, qui injuſtas Gabellas indicunt, vel augent. *Secundum*, ſi etiam juſtas imponant vel exigant à Clericis & Religioſis, quia id in caſibus prohibitis fit. *Tertium*, Meros exactores quoque eodem jure comprehendi. E contra non excommunicantur hoc §. 1. qui mandant, aut conſulunt nova vectigalia imponi. 2. qui olim impoſitas & aliquo tempore intermiſſas de novo exigunt. 3. qui invadunt Viatores & pecuniam extorquent fingentes, ſe publicanos eſſe, cum ad furum & prædonum claſſem pertineant. 4. Communitas quãtumlibet contra venire videatur S. P mandato, non incurrit excommunicationem in ullo caſu *c. Romana de ſent.ex comm.* ſi tamen in illa peccent ſinguli, ſigillatim excommunicationi ſubjacebũt. *Nav.c.27.Silv.V.excomm.VII.n.19.Aug.Roſella.eod.Bonac.III.D 1.q.6.p.3.Fill.tract.16.c.5.n.105. Azor.III.l.5.c.19.*

V. Nulli Epiſcopo aut Prælato licet tributum vel cenſum Eccleſiæ ſibi ſubjectæ propria auctoritate imponere; aut veterẽ cenſum augere *c. prohibemus de cenſibus.* Dixi *propriâ auctorit*, quia bonorum Eccleſiaſticorum non ſunt domini, ſed diſpenſatores tantùm. *Navar. c. non liceat.de ſpol.Cler. § 3.* Poterunt autem, quando Capitulum & Eccleſia conſentit, & cauſa juſta ſubeſt. *c.1 de reb.Eccl.non alien.& c.1. de rer.permut.c.Tuo nos de iu.patr. c. Paſtor. de iis.quæ fiunt à Pral & c. prohib de Cenſib. Vbi Barb.* notat intelligi de cenſu perpetuo, qui duret etiam poſt mortem poſſeſſoris: non perpetuos autem indici poſſe ſervatis conditionibus ante memoratis, nemini dubium eſt. *V. Barb in c.ut ſuper de reb Eccl alien.*

VI. Neque Clericis beneficiatis licet reditibus ſuis pro arbitrio cenſum imponere, vel admittere: quod de mobilibus, & immobilibus aliqui benè intelligunt. *Bonac.de Contract.diſp.3 q 4.Azor.III.l.10.c 7.q.5. & à Rotâ Rom* ſæpius ita deciſum eſſe *Barb.* teſtatur in *c Prohibemus*, limitans ſimul, ut intelligatur reſpectu præjudicii Eccleſiæ, & non ipſius Clerici, qui jure ſuo cedere poteſt, dum vivit, onere cum vitâ ipſius deſituro.

VII. Quod miſerabiles perſonas attinet puta, cæcos, claudos, leproſos, & ſimiles ab obligatione tributorum quoad extraordinaria omnino ſolvit Oſtienſ. arg.*cap.Iudicatum D.89.* Meliùs *Silv.V.n.5* à perſonalibus ſemper liberos, ab ordinariis nunquam, ab extraordinariis pro arbitrio, & diſcretione Magiſtratus liberos pronunciat: idemque juris eſſe de iis, qui morbo perpetuo laborant. *c. licet. de cenſib.* Verè pauperes res ipſa & propria profeſſio eximit. *Abb.Innoc Io. Andr. Ananias.Oſtienſ. Anchar.Barb.in c.cit licet. Sanchez.l.2.c.14.D.15.Tholoſ.l.3.c 3.*

Digitized by Google

VIII. Principum ac civitatum legati non ſolent tributum aut vectigal pendere de rebus, quas in uſum ſuum deferunt: neque ſcholaris, officialis, vel Judex, ex libris ad ſtudium aut officium ſuum neceſſariis. *l. Vniverſi C. de Vectigal. Azor. III. l. 5. c. 20.*

§. III.

De quibus rebus exigendum, & ſolvendum Tributum ſit.

I. QUando pro rebus, quæ comparantur aliquo pacto, inferuntur, vel efferuntur, impoſitum eſt tributum, jure communi, non comprehendit res ad proprios vitæ uſus neceſſarias. *l. Vniverſi l. omnium C. de Vectig.* ubi ſtatuitur vectigalia exigenda tantùm pro rebus, vel ex rebus mercimonii cauſa delatis. Et *ratio* hoc poſtulat. Aliàs, qui pauperiores ſunt, plus pendent, quia divites. Hi enim, quia aliunde habent victualia, parum, vel etiam nihil in foro emunt. Dixi *Iure communi*, quia ſi ſtatuta perticularia, & conſuetudines attendimus, contrarium ferè ubique uſu receptum eſt. *Azor III. l. 5. c. 21. Soto l. 3 q. 6. cir. fin.*

II. Ubi ſubditis deficit lucrum, Magiſtratui perit tributum. Non ſolvitur enim (*jure communi*) 1. de rebus propter neceſſitatem famis in urbem delatis. *Bartol. in l. 1. C. de nautico fœn.* 2. de iis, quæ in exercitum, vel ad fiſcum deferuntur. *l. Licitatio. §. Res, quæ exercitui ff. de publicanis l. Vniverſi C. de vectig.* 3. de iis, quæ vi tempeſtatis, vel metu piratarum in portum recipiuntur *l. fin. §. ſi propter neceſſ. ff. de publicanis. Anton. Peregrinus de Iure Fiſci l. 6. tt. 5. n. 23.*

III. Quia vectigalium exactio inter odioſa conputatur, quantum fieri poteſt, vitanda extenſio, & verborum proprietati inhærendum eſt *juxta Reg. odia reſtringi 15. de Reg. Iur. in 6.* Ac proinde, cùm de frumento petitur, non dabitur de farina, cùm de lapidis pretioſis, excipientur margaritæ; cùm de animalibus, non venient gallinæ, columbæ, & ſim. Idem juris in alia quacunque materia ſervabitur. *Azor. l. cit. Bartol. in l. fin §. ſpecies ff. de publican.*

IV. Quod contractus attinet, quia non niſi rebus venditis, & permutatis indicitur vectigal, aut tributum. *l. Vniverſi l. omnium rer. C de Vectigalibus.* Simili cautione diſpiciendum eſt, ut non extendatur ad alia pacta, vel acta: ſed quæcunque conventio ſub genere venditionis, & emptionis non comprehenditur, ab onere tributi libera eſſe cenſeatur. Hujus generis eſt 1. donatio, etiam debiti loco facta. 2. tranſactio. 3. Ceſſio bonorum. 4. Mutuum. 5. Emphyteuſis. 6. Redemptio cenſus. 7. Contractus innominati, qui ad emptionem & venditionem non reducuntur. 8. Adjudicatio bonorũ creditori. 9. venditio coacta, & invalida. 10. venditio rerum pro expiatione animæ. 11. Contractus dotis. 12. Diviſio hæreditatis. Ex omnibus his, jure communi non debetur gabella, aut tributum. An verò particularibus ſtatutis, vel moribus antiquatum ſit, prudentis eſt, inquirere. *V. Sanch. l. 2. Conſil. c. 4. Dub. 17. & ſeqq.*

V. Quando onus ſolvendi tributum alicui rei legitimè & ſtabiliter annexum eſt, ad quamcumque manum devenerit, etiam Eccleſiaſticam, illud ſolvet non obſtantibus quibuſcunque privilegiis. *Gloſſ. in c. Sancitum, de cenſib. Abb. in c. ex. literis*

Digitized by Google

literis de vi.& hon.Cler.n.12 & c.non minus de immun.n.15. Archid in C.1. de imm. Felinus in c.Eccleſia S.Mariæ de conſtit.num.17. Angel.V.Immunitas.num.36. Silv.1.quæ. 5. eod Molin.tract.2.diſp.456 Suar.l.4 Con.erver. Anglic c.20 Reginald l 9.num. 380. Fill Tr. 16 c.x1 Laym.l.4.tract.9.c.6.Soto l.9. q 4. art.4.Malder.in 22.tract.5 t. 6 dub. 9. Barb. in c.non minus de immun. Eccleſ. VVadingus tract.de contract. D 9 d 4. §.3. Eſt enim in utroque jure receptum, quod unaquæque res cum onere ſuo tranſeat, & mutet Dominum ſuum, maneatque illi ſervituti obnoxia, donec ab aliquo ſervatore liberetur. *c. Paſtoralis c. Cùm non ſit de Decimis c. ex literis de pignoribus l ſi convenerit §. ſi fundus ff. de pignoratitiâ actione.* Hinc *S. Ambr. in Orat. de tradendis Baſilicis.* Agri, *inquit*, Eccleſiæ ſolvunt tributum. Agri ſcilicet, quos Eccleſiæ pii & munifici homines donaverant; & ex quibus Imperatori Vectigal, & Tributum pendere ſolebant. *c. ſi tributum XI. q. 1. & Vrbanus Papa in c. Tributum 23. q. 8.* De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitùs eſt, pro pace, & quiete, quâ nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt. De eadem obligatione extat *l. de his Clericis C. de Epiſc. & Cler.* quam confirmatam eſſe à Jure Canonico ex citatis capitibus docet *Azor. III. l. 5. c.19. q 8 § quarto*

DIXI *ſi ſtabiliter annexum eſt onus tributi.* Nam de novo onere quod pro occurrenti neceſſitate prædiis imponeret Princeps ſæcularis, dubia quæſtio eſt, quā *Bartolus* tractans *in l. reſcriptio § fin. ff. de muner. & honorib. & l. fin. C de exact.* optimum conſilium ait eſſe, ut Principes onerent collectis omnia prædia intra territorium conſtituta, ſi velint etiam Eccleſias obligari in poſterum ad collectas, & ſic feciſſe Eugubinos, & Peruſinos, cùm viderent Eccleſias plurimùm ditari, & collectas minui. Verùm hoc Bartoli conſilium *alii DD.* communiter reprobant, uti Eccleſiæ juribus, & libertati iniquum. Numerum Doctorum more ſuo *Barboſ.* exhibet in *c. non minus de immun. Eccleſ.* ex quo conſenſum habemus contra Bartolum de omnimodâ à Gabellis exemptione bonorum ſæcularium, quæ per donationem, emptionem, aliove modo ad Clericos perveniunt, quia per mutationem perſonæ ſeu Domini mutatur qualitas inhærens rei ratione perſonæ. *l. locato.§. fiſcus de publican. & vectigalib. l. per procuratorem 89. ff. de acquir. hæred Card. Lugo diſp.36. num.109. Bellarm l. 1. de Clericis c.28. Tholoſ. de Rep. l.3. c.7. Comitol. l. 1. q.94. Reginald. l. 9. c. 25. Tanner. de libert. Eccl. c.13. Piaſec. part 2. c. 4. n. 58. & quæ dix. part. 1. tt. 1. §. 4. Leſſ c. 33. D. 3. num. 23. Im. Sa. V. Clericus. n. 18.*

§. IV.

Satisfit objectionibus, de Tributis.

DUB. I. An conſuetudine acquiri poſſit Jus imponendi & exigendi Tributa? Negant aliqui cum *Caſtro l. 1. de leg. pœn. c. x1. coroll. 2.* Nam ſi quo jure id liceret, maximè capitis ſuper quibuſdam §. *propterea de verb. ſign.* Verùm in eò loco non agitur de poteſtate imperandi nova tributa, ſed exigendi vetera. Ad Summum igitur poſtremum hoc conſuetudine acquiri poterit. Adde quod inter Principum regalia vectigalium impo-

Digitized by Google

mendorum poteſtas computatur, à quibus in alios traduci non debet. *l.* 3. *C de Vectigal. Mynſing. l.* 5. *obſ.* 29. Nihilominus.

Reſp. Jus imponendi & exigendi tributa, gabellas, vectigalia & ſim. conſuetudine legitimâ induci & obtineri poſſe. Ita plurimi apud *Barboſ.* nominati in *Prætermiſſ. ad c. ſuper quibuſd. & Silv. V. Gabella* §. 4. *n.* 7. Eadem namque conſuetudinis, & Legum potentia eſt: adeoque pro lege acceptatur, & ſervatur. *l. de quibus ff de leg. l Diuturna. & l. Imò ibid.* Quod verò citatum *c. ſuper quibuſd.* attinet, revera loquitur non tantum de exigentibus, ſed etjam imponentibus vectigalia. Unde *Caiet. in Summa* poſt alios meritò cum Papa, & Regibus annùmerat conſuetudinem, quæ tributa imperare & exigere queat. *Sanchez. D.* 4. *Mynſing. lo. cit. Iul. clarus* § *fin. q.* 29.

Dub. 2. Utrum in aliqua neceſſitate Clericis Tributum imperari queat?

Reſp. Quatuor caſus numerantur, in quibus etiam Principi ſæculari à Clericis exigere liceat tributum, & invitos cogere ad id præſtandum. *Primus eſt*, cùm urget periculum damni communis, nec Laicorum contributio ad remedium ſufficit, ut ſi Urbs ab hoſtibus cincta obſidione prematur. *c. pervenit. de immun. Eccl.* Neceſſitas enim neque legem habet, neque ferias. *l.* 1. *ff. de off proconſ. l.* 1. § *ſane ff. de feriis.* Neque in tali eventu quicquam operantur privilegia verbis generalibus conceſſa, quia neceſſitas prævalet, quemadmodum *Barb.* quoque in *c. pervenit. ſupra citato.* agnoſcit, qui tamen non per Laicum Magiſtratum, ſed per Epiſcopum compelli vult Clericos.

Secundus caſus eſt cauſa boni communis, quæ æqualiter Laicos & Clericos concernit, ut pro ponte, fonte, murorum reparatione, quod bonum procommunale vocatur. *l. ſi divina domus C. de exactor. tribut. l. ad portas. C. de operib. publ. Azor. III l.* 5. *c.* 19.

Tertius caſus eſt, cùm Clericus bona quædam emit & vendit negotiationis causâ, captando ſcilicet lucrum *c. quanquam de cenſibus in* 6. & communiter agnoſcunt DD. apud *Barb. in citato c.* Non cenſentur autem negotiari, quando deferunt, aut vendunt reditus, & fructus ſuorum beneficiorum, eaque propter de iis nullum vectigal debent. *Molin. tract.* 2. *diſp.* 672. *Piaſec. part.* 2. *c.* 4. *pag.* 328. *Azor. III. l.* 5. *c.* 19. *quæſt.* 5 *Zypaus de Iuriſdict. Eccl. l.* 3. *c.* 9. *num.* 25.

Quartus caſus eſt, quando Laicis indicta contributio, dum extenditur ad Clericos, parum & paucis noceret per accidens: ut ſi Reſpubl. in neceſſitate habeat jus imponendi collectam, in vini deſignatis tabernis; nec fieri poſſet expedita collectio, niſi omnes ſine diſcrimine, etiam nobiles, aut Clerici ſponte contribuant, qui ejus tabernæ vino ſponte uti volunt. Alii caſus qui in particularibus materiis occurrere poſſunt, doctorum, ac prudentum virorum arbitrio relinquuntur. Ita ferè *Henriquez l.* 10. *c.* 15. ſubjungens *num.* 6 probabilius videri, bona Clericorum exempta eſſe à tributo ſæculari per jus Canon. aut privilegia PP. nec licere cuiquam ſæculari Principi, aut Judici cogere Clericum ad contributionem in prædictis caſibus: niſi quia idem jus, aut Pontifex concedit expreſsè, aut tacitè: tacitam verò conceſſionem colligent viri prudentes ex bonis rationibus,

nibus, & conjecturis, quæ planè ſuadeant, eam eſſe intentionem Pontificis. Eadem cautela, (ut abſque conſenſu Summi Pontificis non onerentur tributo Clerici) à *Franc.Leone in theſ. eod. part.* 1.*c.9.num.33.Guterrio l.1.quæſt.3.num.6.* & *Piaſecio* commendatur *part.2.c.4.n.58.* Ubi addit. Si ageretur de privatâ utilitate Clerici, vel eſſet periculum in morâ, etiam non exſpectato Sedis Apoſtolicæ aſſenſu fieri poſſe. Ad extremum ſi Eccleſia, vel Clericus obtineat feudum à Laico, teneri ad omnia onera, quæ rationi feudi debentur, & cogi poſſe per Dominum feudi ad illorum præſtationem. *Innoc. in c.verùm de fo.comp.Oſt. in Summâ h. t. n.* 7. *Guido Papa Deciſ* 78.*Zypæus. de Iuriſd Eccl. l.3.c.9 & 11.Leſſ.c 33.D.3 n.23 & ſeq.Mald. de Iuſt.tr.5.c.6.Lugo l.2.D.36.Sect.*8.

Dub. 3. An omnes Clerici à jugo tributorum liberi & exempti ſint?

R.1. Clerici conjugati non ſunt à prædicto jugo liberi, neque jure Canonico, neque conſuetudine, ut dix.in *par.1 Tit.* 1 §.5.& *Cov.l.tr.qq c.31.n.9.Leſſ.notat.l.cit. Dub* 5. Illis enim non niſi Canonis, & fori privilegium conceditur.*c.un. de Cler. coniugatis .n 6* eâ lege tamen, ut unicam, & Virginem duxerint: præterea tonſurâ, & habitum Clericalem deferant: quibus à *Con.Tr.S.23 c.6.* Additur, ut, ſi privilegio fori gaudere velint, ab Epiſcopo alicujus Eccleſiæ miniſterio ſint deputati. *V.Zypæum l.3.de Iuriſd.Eccl c.15.*

Reſp 2 Primæ tonſuræ tantùm & minorum Ordinum Clerici, nullo beneficio affecti, nec alicujus Eccleſiæ miniſterio addicti, etiam cœlibes jam firmata, & approbata conſuetudine videntur amiſiſſe privilegium non ſolvendi tributum, & vectigal.*Ita poſt Molin.tr.2.D.671.Leſſ. c.33.D.5.* non alia quam *Covarr.* auctoritate, *l.pract.qq.c.31.n.9.* qui tamen non dicit amiſſum illud privilegium eſſe, neque contrariam conſuetudinem invaluiſſe, ſed conſuetudinem in hiſce negotiis multum poſſe: viſaſque à ſe literas regias non ſemel ad hoc decretas, ut Clerici etiam non conjugati cogantur ſolvere decimam partem pretii, quo res proprias etiam ſecluſas mercimonii, & negotiationis cauſa vendiderint. Ex quibus illud ſolùm colligitur, in Hiſpania contra jus commune prævaluiſſe Regis voluntatem, non verò confirmatam, & approbatam à Summo Pontifice conſuetudinem eſſe: quamvis minimè negarim alicubi eſſe, ideoque huic cedendum, ubi reperta fuerit. *Zypæus l.cit.n.4. & c.17. n.1.Lugo diſp.36.n.*102. Ergò, *infers*, ſimili modo per conſuetudinem contrariam privari poterunt privilegio fori, ut ad Judicem ſæcularem trahantur. Factum id, aut futurum aliquando Leſſ.negat, neq; Eccleſiam conſenſuram; quia magis per hoc dignitas ſtatus Eccleſiaſtici læderetur, & Principibus nihil commodi accederet. Certè immunitatem Eccleſiaſticam, omni modo conſervatam velle, & ſicubi læſa, reſtitutam ſartamque, ſatis indicant PP.*Conc Tr.Seſſ 25. c.* 20.

R.3. Clerici ſacrorum Ordinum, beneficiarii, & omnes Religioſi à freno tributi omnimodè cenſentur liberi *Ita communiter DD.*apud citatos. Nec in obſcuro ratio eſt. Illi enim Eccleſiaſtico ordini ſtabiliter accenſi ſunt, muneribus Eccleſiaſticis funguntur, & Eccleſiæ ſerviunt, pro temporalibus commodis ſpiritualia, quæ majoris pretii ſunt, omnibus procurant. *V.Lugo Diſp.36.n.* 101.

Digitized by Google

DVB. 4. An conſuetudine immemoriali tributorum ſolvendorum neceſſitati ſubiici Clerus poſſit? Certum eſt, ſacros canones tam perſonas clericorum, quam res, & bona immunia velle, neque conſuetudinem ullam etiam immemorialem agnoſcere, qua ſubiiciantur laicæ poteſtati, ut cum aliis fusè probat *Everardus conſil. 42 nu. 48.* nihilominus non licet inde firmum argumentum ducere, quòd in nullo caſu aliter fieri queat. Generalia enim non ſpecialibus non præiudicant: imò per hæc illis derogari ad *Reg. Iur. in 6. trices quar.* nuper oſtendimus. Hinc *Zypaeus l. 3. de iuriſd. eccl c. 17. ci. fin.* immemorialem conſuetudinem agnoſcit, timidè tamen. Si, *inquit*, paulò ulterius progrediatur, ad imponenda ea onera, quæ iure Civili Iuſtinianæo imponi ſolebant, non mox omnibus ita diris devotam eſſe cenſendam, ut Canones, & Bulla Cœnæ generatim ſonat: præſertim hoc tempore, atque ubi agitur de bello ſacro, & ſimilibus cauſis. *Ita Zyp.* Igitur.

R. poſſe. Si quid enim obſtaret, maximè contraria voluntas ſummorum Pontificum ſacris canonibus inſerta. Hæc autem quia Generalis eſt, nunquam excludit particulares eventus. neque ipſi naturæ, & neceſſitati ineuitabili cenſetur reſiſtere. Poſita igitur per tempus immemoriale conſuetudine ſoluendi tributum, non carere aſſenſu Pontificis rationabiliter præſumimus. Adeſt, dico, conſenſus, quia debet adeſſe, nec poteſt quiſquam illi ſe rationabiliter opponere. Aliter tamen fieri, & aliter ſentiendi cauſam præoptarim. *l. Iubemus C. de ſacros. eccleſ. Alexand. in l. ſi ex toto ff. de leg* 1. *& Conſil. 27 nu.* 10. *Vol.* 1. *& Conſil* 108 *nu.* 16. *Vol. eod. Gaill. l. 2. Obſerv. 52. & 53 VVadingius Tr. de Contract. D. 9 dub 8 § 2.*

DVB. 5. Vtrum à Iudice ſæculari ad ſolvendum tributum alias debitum cogi poſſint eccleſiaſticæ perſonæ.

Affirmant multi recentiores apud *Dianam to. 1 tr 2. Reſol 41. Sanch. l. 2. Conſil c. 8. D 55 & Card Lugo Diſp. 36. nu. 131.* ita tamen, ut ſæcularis Iudex non procedat cōtra perſonā, ſed ſolùm cōtra bona clerici. Sed Sacris canonibus cōformior eſt negativa opinio. Ex illis enim manifeſtè colligimus, nullā Iudici Eccleſiaſtico poteſtatē competere, vel in bona ipſorum, vel perſonas. *c. Non minus c Adverſus de immun. eccl. Clem Quoniam. de immun. eccl nu* 8. *Clem. 1 de Vita & honeſt. Cler corum.* V. quæ in Par. 1. pro libertate clericor. attulimus *tt. 1. § 5. nu. 7.* Quod *Card* Lugo. *l. cit.* extendit etiam ad caſum, quo clericus ex negotiatione debet tributum, vel propter negotiationem poſt trinam admonitionem perdit privilegium ſolvendi tributum ex aliis bonis, quamvis alii DD. repugnent. *Az. 111 l. 5. c. 19. Q. 14 Sanch. l. 2. c 4. D. 55 n. 31. qui n 33. addit. ſi* peric. mag. in mora ſit, & Iudex eccl. recuſet, aut plus æquo differat, auctoritate Iudicis ſæcularis occupari bona clericorum poſſe pro rata onerum.

DVB. 6 Quando & quomodo clericorum exemptio indirectè lædatur per frænum tributi.

R. Dijudicandum hoc eſſe ex conditione rei, circumſtantiis, & intentione imperantis tributum, quæ ex prædictis colligi poteſt. Tunc ergò indirectè tributum clericis imponitur, quando Magiſtratus, præcipit laicis tributum dare ex rebus, quibus clerici utuntur, eâ intentione, ut inde

inde graventur clerici, ſaltem ex conſequenti, aut concomitanter. Exemplum Lugo ſuppeditat. Titius mercator libros eccleſiaſticos vænales habet, puta, Miſſalia, Gradualia, Antiphonalia, Breviaria, Diurnalia, & his ſim. & quia Soli eccleſiaſtici, ac Religioſi illos emptitant, maius vectigal à Principe exigitur. Vnde fit, ut pretium librorum à mercatore augeatur; itaque ex conſequenti graventur emptores pluris emendo. In aliis libris ceſſat præſumptio, licet non repugnet, ut eadem intentione moveatur Princeps ad augendam tributi menſuram.

Idem aliis modis contingere poteſt, ut ſi negata licentia clericis imperandi tributum ex reditibus beneficiorum ſuorũ Magiſtratus alia media arripiat, quibus aſſequatur finem ſuum. V. g. Princeps ad ſe trahit ius vendẽdi vinũ, oleum, aut ſimile quid, quorum uſus clericis neceſſarius eſt, & charius ſolito vendit, ut plus ſolvere cogantur eccleſiaſtici, quam antea fiebat. Item quando à laico venditore ideò plus exigitur, quia clericus emit, ut eo augmento compenſetur defectus ex immunitate clericis cauſatus. In his, & ſimilibus peccare contra iuſtitiam Principes tributi exactores, & obligari ex eo ad reſtitutionem cum aliis docet Cardin. *Lugo To. 1. de iuſtia diſp. 36. Sect 9 n. 138. & ſeq. Azor III. l. 5 c 19.*

DVB. 7 An pro neceſsitate temporali Epiſcopus indicere Clericis tributum poſſit?

R. poſſe, cum ſubeſt iuſta, rationabilis, ac manifeſta cauſa, qualis eſt ſolutio debitorum, recuperatio, caſtrorum, agrorum, aliorumque bonorum eccleſiæ, acquiſitio aliorum ad utilitatem: Item ſi impenſæ requiruntur in adventu Imperatoris, aut Regis, ſi adeundus Pontifex, vel Concilium Generale, & his ſim. *c. Cùm Apoſtolus de Cenſib.* ubi, nomine tributi, & exactionis prætermiſſo at velut improbato, Auxilium moderatum, vocatur: unde Interpretes ſumpſerunt nomen *Subſidii charitativi.* Zypæus etiam ex Voce *poſtulare* quo utitur in *cit. c. Pontifex* Alexand. III deducit non poſſe imperare epiſcopum, & graviter impingere in canones, qui tallias & exactiones faciunt. Igitur, concludit, charitativum ſubſidium, ut nomini ſuo reſpondeat, benignè, & ſuaviter petendum eſt, tanquam auxilium pro neceſsitate, non pro auctoritate tanquam debitum, eaque poſtulatio inferioribus epiſcopo non permittitur. § *Archidiaconus* verò ibid *Glo in V. Exactiones*, niſi forte conſuetudine obtinuerint. Ita *Zyp. l. 3. c. 18.* At P*iaſecius in Par. 2. c. 5. n. 24.* concedit epiſcopo ex beneficio, quod confert, partem pro neceſsitate ſua decerpere poſſe: penſionem quoque conferendo beneficio imponere, dummodò faciat ex iuſta cauſa, ut propter bonum pacis, extinguendam litem, quando beneficium eſt litigioſum, vel ut ſubveniatur ſeni pro ſuſtentatione. &c. *Laym. l. 4. Tr. 2. c. 18. Andr. Vallenſ. l. 4. de benef. eccleſ. tt. 2. n. 4.*

DVB. 8. Quale peccatum ſit Clericis tributum iniuſtè imponere, & exigere?

Eſſe Sacrilegium pronunciat *Fill. Tr. 24. c. 9. nu. 230.* quia fit contra immunitatem clericis conceſſam in *l. c. Non minus. & c. Adverſus de immun. eccl.* Et licet non videatur eſſe circa perſonam, ſed circa bona clerici, tamen intercedit ſacrilegium contrá perſonam, quia fit contra immunitatem eius, & exercetur circa ipſum pote-

poteſtas quædam dominativa proportionalis iuriſdictioni, & tamen perſona illa in honorem eccleſiaſticum, & religioſum exempta eſt à poteſtate laicali. Si accedat violentia ipſi perſonæ adhibita, duplex Sacrilegii ſpecies erit, una Canonis, altera Bullæ C. D. *Ita Fill.* aſperius, fortè, quàm verius *Angelus enim in V. Sacrilegium & Silv eod. & V. Immunitas nu.14.* læſionem quæ fit in bonis mobilibus, vel immobilibus clericorum abſque violatione perſonæ non niſi impropriè, ſeu largo modo ſacrilegium eſſe docent. *c. Quiſquis 17. Q. 4. Nec obſtat c. Qui rapit pecuniam,* ubi Sacrilegium facere dicitur, qui pecuniam, vel res eccleſiæ abſtulerit. Nam quod hic ſacrilegium, in *c. Qui Chriſti & c. Qui abſtulerit 12. Q. 2.* homicidium appellatur, impropriè nimirum, ſeu largiore modo, uti Glo. indicat. Vnde ſequitur iniuſtam tributi exactionem furtum aut rapinam eſſe, reſtitutioni obnoxiam, *V. Az. l. l. 9. c. 27. Laym. l. 4. Tr. 10. c. 7. n. 15.*

TITULUS IV.

De Teſtamentis.

NOn Reip. modò, & civium, ſed eccleſiæ, & ſacrorum hominum permagni intereſt, ultimatum voluntatū diſpoſitionē, executionemq; ritè fieri, propter innumeras lites & iurgia, quæ immodicæ cupiditates adferre ſolent. *C. ad leg. Cornel. de falſis* Valere ultimā voluntatem ſuam diſcedentes volunt, eandem pervertere improbi. Creſcit opibus audacia, iuſtitiam calliditas opprimit. Non hæres, ſed impoſtor ſuccedit. Multis igitur cùm civilibus, tum eccleſiaſticis legibus ultimarum voluntatum fida executio communita eſt, ut ex dicendis patebit. Non poſſumus autem niſi per viam civitatis ad Eccleſiæ limen pervenire, nec propria ſine communibus explicare. *V. Oldendorp. Tract. de exec. ultim volant. Tit. 1.*

* * *

§. I.

Teſtamenti Conditio & Varietas.

I. QVadruplex eſt ultimæ voluntatis ſpecies. Teſtamentum, Codicillus, Donatio cauſa mortis, & epiſtola Venerabilis. Huius hoc tempore nullus uſus eſt. De donatione mortis cauſa ſuperius egimus. Supereſt Teſtamentum, & Codicillus cum annexis. Teſtamentum, à teſtatione mentis noſtræ ſic appellatum, eſt *Voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. Inſt. h. t. l. 1. ff Qui teſtam. fac. poſſ. Dicitur 1. iuſta ſententia voluntatis noſtræ* id eſt, *diſpoſitio legitima*, ſeu iuri conformis, interpres voluntatis noſtræ. Atque ita convenit cum contractibus inter vivos. 2. *De eo, quod quis poſt mortem ſuam &c.* quia quælibet ultima

ultima volũtas refertur in tempus mortis, in quo eo vim, ac robu. ſuum obtinet. Vnde *Apoſtolus ad Hebr. 9. V. 16.* Vbi teſtamentum eſt, ibi mors teſtatoris intercedat, neceſſe eſt: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt. Aliqui, ut definitio clarior ſit, & excludantur aliæ diſpoſitiones, addendum cenſent. *Cum directa hæredis inſtitutione*: quod minimè neceſſarium, & undique perfectum, qualis explicetur, ut ſignificet diſpoſitionem ſolennem, & undique perfectam, qualis in ſolo teſtamento reperitur. *Vallens. l. 3. Paratit. n. 26.* Meloninus, *Tit 24. n* 1.

II. Duæ ſunt Teſtamenti ſpecies. Nuncupativum, & clauſum. Hoc etiam ſcriptum, ſeu in ſcriptis vocamus. Teſtator enim propriâ, vel alienâ manu ſcriptum, ſeptem teſtibus maſculis, puberibus, liberis, ad id vocatis, aut rogatis, omnibus ſimul præſentibus ipſumque teſtatorem videntibus offert, profitendo eſſe ſuum teſtamentum: inſuper ipſe, ſi poteſt, ſua manu coram teſtibus teſtamento ſubſcribit, vel alius pro eo octavus teſtis, ſive ſubſcriptor adhibitus: poſtea ſeptem reliqui teſtes uno eodemque continuato tempore ſubſcribere, & proprio, vel alieno ſigillo conſignare debent: imò uno omnes ſigillo uti poſſunt. *l. In hac conſultiſsima C. de teſtam. iun. § ſed cùm paulatim ac. ſequ. Inſtitut. eod.* Si quis autem ſua manu teſtamentum aut codicillum confecit, idque ſpecialiter in ſcriptura expreſſit, opus non erit eiuſdem, aut alterius pro eo ſubſcriptione. *Nuncupativum* minori cum ſolennitate perficitur. Sufficit enim ſeptem teſtes, quales modò deſcripſimus ſimul vocatis audire, & intelligere teſtatoris voluntatem, coram eis ſcripto, vel articulata voce prolatam *l. cit. Conſultiſsima §. Per nuncupationem*. Hodie tamen nuncupatio coram teſtibus à Notario publico in ſcripturam redigi ſolet, ad meliorem actus comprobationem, & ſecuritatem. Fieri enim poteſt, ut teſtes decedant, vel inhabiles reddantur; quem defectum tabellionis inſtrumentum abundè ſupplet, ut nulla inſinuatione apud Iudicẽ opus ſit. *DD. ad l. 2. C. Quemadm. teſtam. aperiant.*

III. Dantur etiam teſtamenta privilegiata, in quibus vel nulla Iuris civilis ſolennitas requiritur, vel minùs perfecta, quàm in aliis. Primum locum obtinent teſtamenta, & legata ad pias cauſas, quæ nimirum principaliter, & directè fiunt ad honorem Dei vel alicuius Sancti, ad ſpiritualem animæ ſalutem, in ſuſtentationem pauperum, redemptionem captivorum, deſpenſationem puellarum, eccleſiis, aliiſque locis piis. *Tiraq. de privil piæ cauſæ init Silveſt. V. Teſtamentum 1. n. 7 Covar. c. 10 n. 12.* His teſtamentis proprium eſt, quòd ſolo naturæ, & gentium iure ſubſiſtunt, nullamque civilis iuris ſolennitatem exigunt. Nam quæ leges Imperatorum ab Eccleſia receptæ non ſunt, nihil piis cauſis præiudicant. *c ſi Imperator. c. Nunquam. diſt. 96.* Vnde ſequitur 1. Licet hæredis inſtitutio & declaratio nutu facta iure civili irrita cenſeatur *l. Nutu ff de legat.* tamen quoad pias cauſas tam teſtamentũ, quàm legatum valet, quocunque ſigno externo fiat: quia iure gentium, & naturali plus nõ requiritur. *Coton. in Sum. Dian.* V. *Teſtam. num. 53.* Sequitur 2. valere quamcunque diſpoſitionem ad cauſas pias, quæ manu teſtatoris ſcripta eſt etiam nullo teſte adhibito, dummodò ſufficienter conſtet eſſe teſtatoris manum, & ſcripturam: quia

teſtium

teſtium præſentia non eſt de eſſentia teſtamenti, ſed ad faciendam probationem aliis documentis deficientibus adhibetur. Quam ob rem *Alexander* III. *in c Relatum. de teſtam.* iudicibus mandat, quatenus ſi talis cauſa (ſuper relictis eccleſiæ) ad eorum examen deducta ſit, eam non ſecundum leges, ſed ſecundùm Decretorũ ſtatuta tractent, tribus aut duobus legitimis teſtibus requiſitis ſive mares, ſive fæminæ fuerint quoniam ſcriptum eſt *Deuter* 17. In ore duorum vel trium teſtium ſtet omne Verbum. 3. hæredem in conſcientia obligatum eſſe, pia legata illis exhibere, quorum favore conſtituta ſunt, quamvis in foro ſæculari probari nequeat, modò ipſis conſtent de voluntate teſtatoris: item cauſidicos peccare, qui in eiuſmodi cauſis numerum teſtium, aliaſve probationes exigunt, quaſi inter ſacras, & profanas cauſas nulla differentia eſſet. 4. Si Parochus exhibeat chartam manu teſtatoris ſcriptam, aut dictatam, ſi duobus aut tribus teſtibus probetur, ipſius manum eſſe, aut voluntate exaratam, credi poſſe, & quæ mandavit, legavitque ad pias cauſas præſtari debere Soli autem paracho credendum non eſt, ſi ſolus exceperit voluntatem defuncti, ſed maiori cautela utendum. *Silv.* V. *Teſtam* §. 1 *n.* 7. *Covar. l cit. Zerela Par.* 1. *n* 2. *Barb. in c. Cum eſſet. de teſtam.* *Leſſ. c.* 19 *D.* 3. *Zypæus in Enar. analyt p.* 192 No. *Molanus* *ci. fin. Tr. de piis teſtam.* 167. privilegia piæ cauſæ enumerat, quæ Vide.

IV. Si contingat moriturum non poſſe abſoluere teſtamentum inchoatum, irritum quidem cenſebitur quoad alia *l. Si is qui. ff. Qui teſtam. fac poſt.* ſed valebit, valebit, quoad pia legata. Et quamvis mutâre voluntatem ſuam teſtator potuerit, quia tamen reipſa nullum mutatæ voluntatis indicium dedit, utroque iure firmum eſſe debet, quod legavit, & conſtituit. *Tuſchus Concluſ.* 115 & 316. *Vaſq. Tract. de teſtam. c.* 2. *Molina Diſp.* 134. *Sanch. l.* 4. *conſil. c.* 1. *D.* 7. *Tanner.* D. 4. *p.* 7. *dub.* 11. *nu.* 302. *Tabienan* 5.

V. Similiter valida ſunt teſtamenta, & legata, quamvis alterius arbitrio & diſpoſitioni electio hæredis, & bonorum diviſio committantur. V. g hæres meus eſto, ex Academicis ille, quem Titius deſignarit: hæredem volo illum eſſe, cui ex 12. Senatoribus deferendam eſſe hæreditatem Titius cenſuerit. Atque ita ex certis incertus à teſtatore nominatur, certus verò à commiſſario deligitur. Idem in legatis fiet. Lego tertiam bonorum meorũ partem orphanis, & viduis, ſecundùm electionem, & arbitrium Titii: Inſtituo hæredes bonorum meorum pauperes, quos Titius eligeret. Lego 100 aureos puellæ pro dote, ſi hæres meus voluerit. Quod ſi ita dixerit. Committo omnia bona mea arbitrio, aut diſpoſitioni Titii, Titius erit hæres nomine tenus, totamque hæreditatem tenebitur in pias cauſas diſtribuere *c. Cum tibi* 13 *de teſtam.* ubi *Innoc.* III. Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus, quia talis cenſetur teſtatus eſſe ad pias cauſas, ut in Rubrica dicitur, & fuſius §. 11. explicabitur. *V. Vallens. l.* 3. *tt.* 26. §. 2. *Fachin. . .* 5. *c* 57. & 58.

VI. Teſtamenta, quæ inter filios à Patre, Matre, aliove ex aſcendentibus, maribus, aut fæminis conficiuntur, rata habentur, quamvis imperfecta ſint, & Iuris ſolennitate careant: *l. ult. C. famil. herciſc.*

Diſpo-

Digitized by Google

Diſpoſitio cuſtodiatur, etiãſi ſolennitate legum fuerit deſtituta. & *l. Conſultiſsima C. de teſtam.* Ex imperfecto teſtamento voluntatem tenere defuncti, niſi inter ſolos liberos à parentibus utriuſque ſexus habeatur, non volumus. Ratio videtur eſſe, quia liberorum per ſe favor magnus eſt, & decet omnimodam fraudis ſuſpicioné à teſtamentis parentum procul abeſſe. Non tamen iis æquari hæc teſtamenta debent, quorum pia cauſa hæres eſt. In his enim nutus quoque teſtatoris attenditur, quod in aliis non fit. *Glo. c. Si tibi de teſt. Molina D.* 136. *Iu. Clarus Q.* 6. *Schneidevvin. in §. de ſolen. teſtam. Inſtit. de Teſtam. Melonius tt.* 27.

VII. Ad maiorem ſecuritatem Iuſtinian. Imperator in *Auth de teſtam.* imperfectis, conſtituit, ut prædicta teſtamenta valida non ſint, niſi tempus facti teſtamenti, nomina filiorum, & portiones, in quibus inſtituti eſſent, manu ipſius parentis in teſtamento ſcripta exprimerentur: vel ſi alius teſtamentum ſcripſerat, ſubſcriptio parentum, aut filiorum acceſſiſſet: quia verò in Authentica citata teſtium non fit mentio, illos non requiri præſumitur. Vnde *Gaill l.* 2. *Obſ.* 112. Schedula reperta in ciſta patris continens diviſionem bonorum inter filios fidem facit, & ſervanda eſt, ſi manu Patris ſcripta, vel ſubſcripta fuerit. *Bald. Conſil.* 168. *Caſus talis eſt. l.* 3. *Alex. Conſil.* 176. *Tuſchus V. Teſtamentum concluſ.* 114. *Melon. n.* 6.

VIII. Teſtamenta, quæ manu teſtatoris iuxta modum præced. num. indicatum, vel liberorum manu ſcripta fuerint, etiam quoad legata, fidei commiſſa, libertates, &c. extraneis relicta valent, ut expreſsè dicitur *in Authen. Iuſtin.* Quod ſi teſtamentum nuncupativum fuerit, ſecundum Conſtantini Imper. legem iudicandum erit, nimirum, ut, ſi liberis extranea perſona mixta fuerit, quantum ad illam duntaxat, pro nullo habeatur, & liberis accreſcat. Idem de piis cauſis non legimus conſtitutum eſſe. *Boerius in Deciſ aureis Q.* 14. *Card. Tuſchus Concl.* 115. *Sanch l.* 4. *Conſil c.* 1. *D.* 8. *Iul. Clarus §. Teſtam. Q.* 7. & 14.

IX. Militum teſtamenta, quamdiu in expeditione bellicâ verſantur, rata ſunt, modò de voluntate teſtatoris conſtet. In vaginâ, haſtâ, clypeo, pulvere ſcripta, ſignatave, modò eius rei duo teſtes ſint, admittuntur. *l. Milites iun. Glo. V. ſub ipſo tempore. C. de teſtam. milit.* Si tamen extra neceſſitatem in caſtris quiſquam teſtari voluerit, duos teſtes adhibebit, qui illius voluntatem intelligant: quæque ſic facta ſunt, vel in expeditione, vel caſtris poſt miſſionem intra annum tantùm valebunt. §. *Hactenus Inſt. de milit. teſtam.* Eodem privilegio gaudent, quicunque in loco hoſtili deprehenditur, ibique decedit: ut quomodocunque vult, & poteſt, ſive in terra, ſive in mari teſtetur. *l un ff de bo. poſſ l.* 3. *C. de teſtam. mil. Schneidevv. l.* 2. *Inſt. tt.* 11. *Mynſing ibid Melonius Tit.* 28. *diſt.* 3. & 4. *Caniſ l.* 3. *tt.* 10.

X. Illis, qui ruri degunt, ubi plures quinque teſtibus haberi non poſſunt, condere licet teſtamentum, quod validum ſit, teſtamentum dico tam ſcriptum, quàm non ſcriptum, ſeu nuncupatorium *l. ul. C. de teſtam.* Neque ſi literati deſint, ſubſcriptione teſtium opus eſt: ſecus, ſi inveniri poſſint: imò ſi unus, vel duo tantùm literati fuerint, debent hi pro aliis ignorantibus, præſentibus tamen, & teſtatoris

 volun-

Digitized by Google

voluntatem cognoſcentibus ſubſcribere. *Molina Diſp.127 Melonius Tit.29. Coler. deciſ.35 nu. 4. Tuſchus* Concl. 122. & 123. ubi valere ſolo nutu factum tradit, cùm inter filios vel ad piam cauſſam diſponitur.

XI. Denique ratum habetur teſtamentum, coram Principe ſupremo factum oblato illi libello, in quo voluntas ultima deſcripta ſit, nulla alia ſolennitate adhibita. *l. Omnium. C. de teſtam. Tholoſ. l.*41. *Syntagm c.*3 *n* 8. Addunt aliqui, quocunque modo conſtiterit teſtamentum, aliamve diſpoſitionem ultimam inſinuatā eſſe coram Principe, nullam teſtium ſolennitatem requiri, quia acta iudicii teſtium præſentiam ſupplent, ut habetur lege citata *Omnium. Iul clarus.* §. *Teſtam. Q.*56. *V. antepan Molina Diſp.*129. *Tanner. D.*4. *Q* 8. *D.*11. *n.*303.

XII. De teſtamento tempore peſtis confecto variant ſententiæ. Benignior illorum eſt, qui pauciores ſeptem teſtibus ſufficere putant, cùm plures facilè haberi nequeunt: & ratio ſuffragari videtur. Sed quia legum auctoritas in eiuſmodi cauſis prævalet, dicendum cenſeo eiuſmodi teſtamenta valida non eſſe, quantumlibet illis favere æquitas videatur. Neque obſtat illud. *Neceſsitas legem non habet*, quia is modus argumentandi, nullum effectum habet, quando in contrarium leges actum irritantes producuntur. *Inſtas.* An ſaltem in foro conſcientiæ valeant eiuſmodi teſtamenta quibus communis Iuris ſolennitas deeſt? Valere ratio perſuadet, quia humani iuris diſpoſitio non tollit obligationem naturalem, ſed negat actionem forenſem, quando præſcripta ſolennitas deeſt. Atqui ſecundùm ius naturale ſufficiunt duo teſtes: imò quemadmodum in donatione nullus teſtis requiritur, & ſufficit abeſſe fraudem metumque, nec dubiam eſſe donatoris mentem, ſic in ultima voluntate morientis, ſi conſcientiam ſpectes, ſufficit, eā tibi ſatis cognitā eſſe, ut vel tibi vel aliis relicta capere poſſis. Favet huic reſolutioni *L. etſi inutiliter* 2. *C. de fideicom.* ubi Antonius Imperator ſanxit non poſſe per te repeti fideicommiſſum relictum à defuncto inutiliter (id eſt, in Scriptura minus ſolenni) ſi tu ſciens voluntatem defuncti, cuius es hæres illud præſtitiſti. Subdit rationem. Quia non ex ea ſola Scripturā, ſed ex conſcientia relicti fideicommiſſi defuncti voluntati ſatisfactum eſſe videtur. *Fachin. l.*5. *c* 92. *Vaſq. c* 3. *D* 1 *Vallens l* 3. *tt.*26. §. 2. *Melonius Tit.*31. Formulam teſtamentorum invenies ap. *Schneidevv. l.*2. *Inſt tt.*10. Modum in noſtra hinc Orientali Franciâ uſitatum in *Ordinat provinc. Par.* 5 *tt.* 40.

§. II.

De iis, qui teſtamentum condere poſſunt.

I. AD teſtandum inhabiles alios Natura facit, alios Lex. De numero variant Doctores. *Angelus*, eumque ſecutuſ *Silveſter, Roſella & Tabiena* 19 *genera* perſonarum numerant. *Cataneus* 14. His multò antiquior *Azo* in Summâ ſuâ 13. tantùm. Alii ſexdecim his Verſibus includunt.

Teſtari nequeunt, impubes, religioſus
Filius, in ſacris, morte damnatus, & obſes,
Prodigus, ac ſtultus, dubius, ſervus, furioſus.

Crimine

Digitized by Google

Crimine damnatus, cum muto Surdus, & ille,
Qui maieſtatem læſit. ſic cæcus & ipſe.

II. Excluduntur igitur 1. *impuberes*, anno ætatis 12. vel 14. nondum completo. *Inſtitut. Quib mod. tut fin. & l. Qua ætate ff. de teſtam.* Sufficit tamen, ſi ultimum diem inchoaverint, licet aliàs de momento ad momentum computari ſoleat. *l. 3. ff. de minori.* 2. *Religioſis*, qui ſolenniter profeſſi ſunt, quia nullius rei dominium habent. *c. Non dicatis* 12. Q. 1. *Az* 1. *l.* 12. *c.* 6 Q. 4. & 5. *Suar* III. *de relig. l.* 8 *c* 16. 3. *Filiifamilias*, qui in poteſtate patris ſunt: quamvis enim hic permitteret, non valebit teſtamentum etiam de adventitiis & profectitiis bonis, quia teſtamentum ex libero teſtantis arbitrio, non alieno procedere debet. *l. qui in poteſtate ff. de teſtam. l. Illa inſtitutio ff de hæred inſtit* de caſtrenſibus tamen & quaſi caſtr. liberè diſponunt. 4. *Beneficiati.* Quamvis enim de patrimonialibus licitè diſponant; de reditibus eccleſiæ non permittantur teſtari *c. 9. de teſtam.* Indigent ea propter diſpenſatione, vel communi, per conſuetudinem approbatam licentia, quam in ſua quilibet diœceſi conſulat. *Nav. de redit. q.* 1. *Piaſec. Par.* 2. *c.* 5. *ci fi. Guterrius l.* 1. *q.* 114. *V. quæ dix in* P. 1 *tt.* 2. §. 4. *num.* 11. 5. *Damnatus morte*, id eſt, ad mortem, puta, naturalem, vel civilem, quamvis effugiat manum Iudicis *l eius ff eod.* Secus, ſi ad minorem pœnam mutilationis V. g. condemnetur *VVeſenbec. in l.* 28. *Pand. tt.* 1. De damnatis ad perpetuum carcerem, ſi laici ſint idem affirmat *Panorm. Angelus & alii.* De clericis vero dubitant Mitior opinio eſt, poſſe teſtari ſic detentos, verior non poſſe, quia revera inter mutuos computantur. *V. Silveſtr.* §. 1. *n.* 3. 6 *Obſides.* intellige de Chriſtianis apud infideles & è contra non autem de illis qui dantur de civitate in civitatem. *l Obſides ff. eod.* 7. *Prodigi*, quibus à Iudice bonorum adminiſtratio interdicta eſt: §. *Item prodigus Inſtit. Quib. non eſt permiſſũ.* Sed id, quod ante fecit ratum eſt. Quid verò, ſi iniuſta interdictio ſit? Non valere quidam arbitrantur, ſi prodigus non eſt. *Argum l. Scia ff. de tut. & curatorib. datis his &c.* alii malunt validam, quia licet contra ius litigatoris, non tamẽ contra ius legis facta ſit. *l.* 1 *ff Quæ ſententia ſine appell reſcind.* Adde, quod nihilominus inter liberos teſtamentum condere poſſit. *Bald conſ.* 235. 8. *Stultus & furioſus.* Quid enim magis ad certã voluntatis noſtræ demonſtrationẽ, quàm ſanæ mentis ſtatus requiritur? *l furioſum* C. *qui teſt. fa. po* Si autẽ per id tempus teſtamentum fecerint, quo furor eorum intermiſſus eſt, iure teſtati eſſe videntur. §. *Præterea Inſtitut. Quibus non eſt.* 9. *Dubius* an ſcilicet in eo ſtatu ſit, in quo teſtari poſſet nec ne *l de ſtatu ff. eod.* ut ſi à prædonibus captus, dubitat an ſit ſervus, an liber *l.* 1. *ff. de leg* 1. 10. *Servus. c. illud* 13 *Q* 2 *l. filius ff. eod.* 11. *Crimine damnatus*, intellige famoſo, & cui iure annexa pœna, ut ſi libellum in alterius iniuriam ſcripſit: quia per id infamis efficitur. *l. is cui* § *ſi quis ob crimen. ff eod* Bartolus, & alii communiter ex alia cauſa infames non prohiberi à teſtamento faciendo tradit. Nec obſtat, quod infames privati ſunt actibus legitimis, quia non privantur illis, qui reſpiciunt privatam utilitatem. Nihilominus teſtari prohibetur, qui ſe ab hæreticis iterum baptizari permittit. *l. fin C Ne ſanctum baptiſma iteretur.* Item, qui ince-

 ſtas

Digitized by Google

ſtas nuptias contraxit *l. Si quis inceſti C. de ince. nupt.* 12. *Cum muto ſurdus.* Qui nimirum omnino loqui & audire nō poteſt non verò, qui tardè, & præpoſterè, aut qui difficulter audit § *Item Surdus inſt. quib. &c.* 13. Qui maieſtatem læſit; & perduellionis reus *l ſi quis l fin. C ad legem Iuliam maieſt* Horum namque bona fiſco addicuntur ut hæreticorum quoque, quamvis ante latam ſententiam poſſeſſionem retineant. 14. *Denique Caci*, qui utroque lumine orbati ſunt, non poſſunt teſtamentū facere, niſi per obſervationem, id eſt, ut coram ſeptem teſtibus, & tabellione, vel alio loco eius, dilucidè voluntatem ſuam declarent, & omnia in ſcriptis referantur. §. *Cacus autem. inſt Quib non eſt. &c. l. Hac conſultiſsima* C. *de teſtam.* Excipe niſi inter liberos vel ad pias cauſas teſtatur. Tunc enim duo teſtes ſufficiunt. *Schneid.* 4. *l. 2. inſt. tt. Melonius Tit.* 30. *nu.* 2. & 3. *Rolandinus Rubr.* 2. *Vaſqu. de teſtam. c.* 1. *§.* 5. *Leſſ. c* 19. *D.* 4.

III. His annumerant ex Summiſtis plerique Hæreticos, excommunicatos, Vſurarios, & eos, qui Cardinalem hoſtiliter perſequuntur: ſed certis incerta miſcent, quæ potiùs ſecernenda ſunt. Nam 1. quod hæreticos attinet, quamdiu occulti ſunt, vel nondū declarati tales, teſtamenti cōdendi ius retinent, ſed poſt ſententiam declaratoriam, (non condemnatoriam) infames ſunt & inteſtabiles, etiamſi ad pias cauſas teſtentur, vel inter liberos: neque licet eodicillo, vel alio modo diſponere. Quin etiā ſi ante ſententiā fecerit teſtamentum, ad diem patrati criminis retrotrahitur ſētentia, & teſtamentum perinde accipitur, ac ſi poſt ſententiam confectum eſſet, ut pluribus confirmat *Barb. in c. Excommunicamus de haret.* De excommunicatis fatetur *Silv. l. n* 3. hodie communē opinionem eſſe quòd teſtari poſsint, quamvis alii qui olim aliter ſenſerint. *Fachin. l.* 5. *c.* 88. Non enim pari cum deportatis iure habēdi ſunt. *V Avilam Par* 2. *c.* 6. *Diſp* 6. Vſurarii manifeſti teſtamentum nō abſolutè, ſed cum conditione reiicitur *c Quanquā de Vſuris in* 6. ſi cautionē de reſtitutione non præſtiterit. Eodē modo donatio cauſa mortis valida, vel invalida eſt. *c cita.* Vbi NOTA I. non ſufficere nudam cautionem, ſed requiri pignora, aut fideiuſſores, ut ex *Glo. monet Iul Clarus de teſtam. q.* 26. 2. prædictam cautionem eſſe neceſſariam pro illis quoque, qui Vſuram exercere deſierunt: fieri enim poteſt, ut quis uſuram non exerceat, & tamen Vſurarius maneat, & bona aliena poſsideat. Si tamen conſtaret iniuſtè parta reſtituiſſe, ac deſiiſſe, à teſtamenti iure arceri non poſſet. *Leſſ. c.* 20. *D.* 22. *Barb. in c. Quanquam citatum. Socinus conſil.* 127. *l* 3. *Iul. Clar. l. citato* qui *num* 3. ulterius quærit: Si non præſtita cautione conditum ab Vſurario teſtamentum ſit, præſtetur verò poſt confectionē, nam inde reconvaleſcat? Negant equidē non pauci ex *Reg.* 18. *Iuris in* 6. Quod ab initio non ſubſiſtit, non firmatur tractu temporis: probabilius tamen videtur reconvaleſcere & fictione quadam retrotrahi, quaſi ab initio cautio adhibita eſſet. *Felinus in c. Cùm dilectus nu* 3 *de accuſ. Decius in l Quod initio n.* 12 *ff de Reg. Iu Covarr. in c.* 3. *poſt num.* 9 *l.* 3. *Variar.*

Poſtremò quod de perſecutoribus Cardinalium additur, inteſtabiles eſſe ad *num.* 11. *de crimine damnatis* pertinet. Nam *c. Felicis de pœn. in* 6. quicunque Cardina-

Cardinalem hoſtiliter inſecutus fuerit, percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandavit, vel factum ratum habuerit & reus criminis læſæ majeſtatis declaratur, perpetuò infamis, diffidatus, bannitus, & inteſtabilis: ita ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocetur, quatenus ab omni ſucceſſione repulſus, publicave repulsâ confuſus minus inveniat ſuæ malitiæ ſucceſſorem. *Card. Lugo D. 24. Sect 4. num. 69.*

IV. Ex prædictis multi ne quidem ad pias cauſas teſtari poſſunt, velut 1. *mente capti. 2. impuberes. 3 filiifam.* niſi de bonis caſtrenſibus, & horum quocunque modo dominium, vel adminiſtrationem habet. de quo multa *Silveſter n. 4.* in utramque partem 4. *prodigus* poſt interdictum. 5. *Uſurarius* ante reſtitutionem, vel cautionem. 6. *damnatus ad mortem naturalem, vel civilem*, poſtquam publicata ſunt bona: imò teſtamentum prius factum rumpitur ſecutâ damnatione 7. *Hæreticus* juxta eundem proceſſum. Denique ſervus, captivus, religioſus, & quicunque dominio bonorum, vel adminiſtratione caret. *De dubio* quoad ſtatum ſuum, eſſe dubium indicat *Silveſter*, quod conſideratione & favore piæ cauſæ non difficulter tollitur: maximè quia in contrarium nihil à jure conſtitutum legimus. *Iul Clarus §. Teſtam q 4. Bald. in l. 1. C. de Sacroſ. Eccl. Armilla Tabiena. Reginald. l. 25. n. 624 Tuſchus Concluſ. 104. & 105.*

V. Qui quemquam à teſtamento faciendo impedierit, retraxerit, aut prohibuerit, ejus hæres eſſe non poteſt: & ſi inſtitutus tali dolo fuerit, actionibus ipſi negatis fiſcus occupabit. *l. 1. & 2 ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit aut coegerit. l eod C eod.* ubi ita ſtatuitur. Eos, qui ne teſtamentum ordinaretur, impedimento fuiſſe monſtrantur, velut indignas perſonas à ſucceſſionis compendio removeri, celeberrimi juris eſt. Rationem *Regula 38. Iuris in 6.* ſuggerit. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare. Nam & qui teſtamentum falſum dixerit, ex eo legatum ſperare non debet. *Dynus ibi, Pivianus. & Peckius. Zypæus l. 3 Reſponſ. 2. Tanner. III Diſp. 4. q. 7. Dub. 11. n. 309. Menoch. Caſu 395.* Præter ademptionem hæreditatis arbitrariâ pœna docet puniri poſſe.

§. III.

De idoneis teſtibus.

I. Quoniam neceſſarii ad teſtamentum, ne reprobetur, teſtes ſunt, iique integri, probatique delectum teſtator adhibebit. *c non oportet c. ſi hæreticus 2. quæſt. 7.* Cenſentur autem conditione, natura, & vita. Conditione, ſi liber, non ſervus. Natura, ſi vir, non femina. Vita, ſi innocens, & integer ſit. Quod ſi vita bona defuerit, fide carebit. *c. Teſtimonium de teſtib. & c. 1. de accuſat.* Admittendi igitur ſunt, quicunque jure non prohibentur. Nam edictum de teſtibus prohibitorium eſt certarum perſonarum, & permiſſorum regulæ Quilibet enim admittitur, niſi prohibeatur. *Lancelotus l. 3. tt. 14 Schneidewin. in §. Teſtes. Inſtitut. de teſtam Rolandus de Teſtament. Rubr 35. Melonius Tit. 26.*

II. Præ aliis teſtium numero feminæ excluduntur. Quamvis enim in judiciis ſubinde etiam criminalibus audiantur ſecundùm Jus Civile, non verò ſecundum Canones *l. ex eo ff de teſtib.* non tamen in teſtamentis *l. qui teſtamento ff. qui teſtam. fac poſſ.* non ſolùm ob judicii inconſtantiam, quæ inſanabilis reputatur, ſed quia juris publici, à quo teſtamenti confectio eſt, communionem non habet: adde fraudes & pericula, quæ quoad fieri poteſt, ſummo ſtudio ab ultimis voluntatibus arcenda ſunt. Quam ob rem à Jure Canonico etiam excludi videntur à profanis. *Clarus §. Teſtam q. 55.* Excipe teſtamentum patris inter liberos. *l. hac conſultiſſimâ §. ex imperfecto C. de teſtam.* Item militis ſtantis, & teſtantis in acie, ubi teſtes non debent eſſe rogati, & utrobique neglectâ juris civilis ſolennitate de qua in §. 1. juris gentium favor attenditur, qui habita voluntate, non attendit ſolennitatem.

III. An verò ad teſtamenta pia admitti debeant, non una omnium opinio eſt. Opponitur *c. Relatum & c. Cum eſſes de teſtam.* ubi requiruntur duo legitimi teſtes, qualis nõ eſt fæmina. *l. qui teſtamento §. eum qui V. Mulieri ff. de teſtam. l. Conſultiſſima C. eod. §. Teſtes Inſtit. eod. Ratio* eſt timor falſitatis, ut ibid. *Gloſſa* notat, quem pia cauſa non videtur purgare ſatis. Nihilominus eadem Gloſſ. communem opinionem admittere in teſtamentis ad pias cauſas adfirmat. Melius diceret communionem. Sic enim res habet, & probabilius eſt, cùm in contrarium in Jure nihil expreſsè definitum ſit, probantque poſt antiquiores, *Angelus, Silv. Roſella, Armilla. Bonacina. Zerola. part. 1. V. Teſtam. num. 2.* ambos teſtes eſſe feminas poſſe *Sanchez l. 4. Conſil. c. 1. dub. 5. Schneidevvin. lo. citato.* A quibus omnibus diſſentit *Vallenſis* .7. *num.* 5. non contemnendis rationibus. Nam 1 *In c. relatum de teſtam.* requiruntur duo legitimi teſtes, qualis in teſtamento non eſt mulier. 2. Licet in eo cap. derogetur ſolennitati Juris, quoad numerum teſtium, non invenitur tamen correctum Jus Civile, quoad habilitatem, ac proinde ſervandum eſt. *l. Sancimus C. de appell.* 3. Eadem mentis infirmitas, ob quam ab aliis teſtamentis excluditur femina etiam. Hic valet. 4. ſi in ſolenni teſtamento ubi. 7. teſtes requiruntur, non poſſit cum aliis adhiberi, quo in caſu tamen numerus aliorum facilè ſuppleret illius fragilitatem. *l ſi quis ex argentariis §. 1. ff. de edendo.* multo minus in teſtamento ad pias cauſas, in quo minor numerus teſtium exigitur. Hinc opinio negativa videtur ſatis probabilis reddi. Video tamen reſponderi poſſe: in hiſce teſtamentis jure præſumi feminas per ſe in pietatem & miſericordiam pronas fragilitatem ſuam ardore mentis ſuperaturas, & eò minus periculi eſſe quoad fraudem quo major animi propenſio eſt in charitatem.

IV. Quamvis Codicilli appellatione teſtamenti veniant, vel ipſius aliqua pars eſſe videantur, *Gloſſ. l. ult ff. de teſtam* pati feminas tamen inter teſtes probata ſententia eſt. *Gloſſ in l. fin V. quinque C. de Codicillis. Sanch. l. 4. Conſ c. 1. D. 12.* Et ſufficere videtur, quod Codicillus propriè non eſt teſtamentum. Nam ſi idem eſſent, cur diverſum in his inſtrumentis, *ait Rolandinus* 330. vocabulum mãdaretur, quæ vis, ac poteſtas una ſociaſſet. *C. de Codicillis l. ſi idem*

Digitized by Google

§ idem iun.Gloſſ. Adde plures differentias, de quibus latius *in* §.ſequenti dicemus.

V. Idonei teſtes non ſunt impubes, ſervus, furioſus, mutus, ſurdus, & prodigus, interdictus, item ſcriptus hæres, & qui eidem, vel teſtatori ratione patriæ poteſtatis conjunctus eſt. *§. in teſtibus* 9. *&* §. *ſeq. Inſtit. de teſtam, ordinandis.* Admittitur autem ſpeciali jure legatarius, & fideicommiſſarius ſingularis, eorumque filii puberes, & alii in poteſtate exiſtentes *§ Legatariis autem Inſtit. eod.* Neque per hoc in propria cauſa teſtimonium ferunt, ſed ad confirmationem teſtamenti principaliter adſunt, cui annexum eſt, quod in illorum cedit utilitatem. *Azor. III. l.13. c 28. Cardin. Lugo Diſp.* 24. *Sect.* 1.

VI. Quod religioſi, & fratres minores in teſtamento teſtes aſſiſtere poſſint, etjam abſque licentia Prælati ſui, concedit *Bald. in l* 1. *C de ſacroſ Eccl. & in Auth. ingreſſi eo. tit Iaſon quoque in l. Hec conſultiſſima C. de teſtam. Gomez verò limitat in l.* 3. *Tauri num.* 28. ut licentia Superioris neceſſaria ſit in teſtamento, in ſcriptis tempore teſtamenti, in nuncupativo autem tempore diſpoſitionis. *Clarus hoc tt q.* 55. *n.*7. *Guido Papa Deciſ.*517. *Vaſq c* 1. §.3 *Dub.* 1. *n.*1', *Roder. Tom. II. q* 71. *art.* 2.

VII. Ad extremum omnis, qui à Jure in judicio prohibetur eſſe teſtis, prohibetur quoque in teſtamento adhiberi. Item quoſcunque lex propter flagitia & impietatem ſuam inteſtabiles facit ad teſtificandum non admittuntur. Cum enim quis inteſtabilis jubetur eſſe, eo pertinet, ne ejus teſtimonium recipiatur, & eo amplius, ut quidam putant, neve ipſi dicatur teſtimonium. *l.*26. *ff. qui teſt. fac. poſſ. l.* 4. *C. de hæreticis.* Notas bonorum teſtium non nemo comprehendit in his Verſiculis.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio fama.
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

V. Panorm. in c. cum nuncius de teſtibus *& Barb. eod. titulo. Schneidevv. l.* 2. *Inſtitut. tt.*10. §. *Teſtes Armilla. V. Teſtam. n.* 8.

VIII. Quando vir & uxor, vel alii duo ſimul teſtamentum condunt, non opus eſt duplicato numero teſtium, & duplici ſolennitate, quia ſinguli in utroque teſtamento ſubſcribunt, & teſtificantur. *Burgoſ. Sanchez apud Card. Lugo Diſp.* 24. *Sect* 1. *num.*11. *VVeſenbec. in l.* 28. *Pandectas num.* 13. Poſſunt etiam duo in eadem charta teſtamentum facere, ſeque mutuò inſtituere; quamvis id de rarò contingentibus eſſe videatur. *Clarus q.*60.

§. IV.

De Codicillis.

I. CODicillus dicitur, quaſi parvus codex, ſeu libellus aut ſcriptura ultimam voluntatem continens abſque directa hæredis inſtitutione. *Tholoſ. l.* 43. *c.*1 *num.* 3. A teſtamento differt duobus modis. *Primò*, quia non fit ad inſtituendum hæredem (niſi interdum ex privilegio, uti militibus licet) ſed ad aliquid in teſtamento mutandum, addendum, vel demendum, vel ad faciendam fideicommiſſoriam inſtitutionem. *Secundò*, in codicillo ſufficiunt quinque teſtes etiam non rogati, inter quos mulieres quoque admittuntur, cùm in teſtamento ſolenni ſeptem requirantur, iique rogati, maſculi tantùm, & puberes. Hinc fit, ut ſi teſtator ſignificet, ſe velle diſpoſitionem ſuam

Digitized by Google

ſuam valere meliori modo, quo poteſt, eam vim Codicillus habeat, ut etiamſi teſtamentum defectu ſolennitatis non valeat, quâ teſtamentum, id eſt, quoad inſtitutionem hæredis directam, valeat tamen, quâ Codicillus. Unde ulterius ſequitur 1. ut legata tali teſtamento inſerta ſint ſolvenda. 2. ſi teſtator ἀπαὶς inſtituat hæredem extraneum, inſtitutio illa directa habebit vim Subſtitutionis fideicommiſſariæ. Nam frater, vel alius, qui ab inteſtato ſuccedit, obligatur illi tradere hæreditatem retentâ ſolum illius quartâ parte, quæ vocatur Trebellianica. 3. ſi teſtator liberos habeat, illis cedet legitima tantùm; reliqua omnia extraneus hæres capiet. *Tholoſ. lo. cit. Melonius Tit. 33. Molina Diſp 131. Rolandin. de Codicill. §. in quibus Tanner. D. 4. quæſt. 8. Dub. x1. num. 298.*

II. Codicillus ad ſimilitudinem teſtamenti dupliciter fieri poteſt. *Primò* per ſcripturam adhibitis quinque teſtibus, qui ſubſcribant nomina ſua etiam abſque ſigillis. *Secundò* per nuncupationem ſine ſcripto, ſi teſtator voluntatem ſuam declaret coram quinque teſtibus, quamvis illa poſtmodum ſcripto concipiatur. Quod ad hæredem & legata, differentia hæc eſt: Hæredem teſtator proprio ore ſaltem ad interrogationem alterius nominare debet *l. Iubemus C. de teſtam.* At legata ſolo nutu conſtitui poſſunt, ſi morbo impeditus teſtator articulatè loqui nequeat. *l. nutu ff. de legatis. VVeſenbec. in l. 29. Pandect. tit. 7. num. 6. & 7. Azor. l. 6. Rubr. 17. Tanner. D. 4. quæſt. 8 Dub. x1. Franc. Marcus Deciſ. 319. Tuſchus V. Concl. 404.*

III. Unus an plures codicilli fiant, non intereſt, modo contrarii non ſint: aliàs poſterior priorem tollit. *l. Divi §. Codicillos ff eod. l. Cum proponatis C. eod.* Duo autem teſtamenta ſimul non conſiſtunt: poſterius enim ſemper expungit prius, modò legitimè factum ſit, etiam cum nemo ex illo hæres exiſtet, vel quia renuit inſtitutus, vel quia vivo teſtatore deceſſit: quo in eventu hæredes ab inteſtato proximi vocantur *§. poſteriore Inſtit. quibus modis teſtam. infirmentur. l 3. C. de Codic. Tholoſ l. 43. c. 1. n. 13.*

IV. Quemadmodum Codicillus cum teſtamento, ita ſine illo fieri poteſt. Aliquando antecedit teſtamentum, aliquando ſequitur: aliquando ſimul jungitur. *§. Non tantum Inſtit. de Codicillis. l. conficiuntur ff. eod.* Si nullum teſtamentum factum ſit, ejus loco erit codicillus obligans hæredem ab inteſtato etiam poſthumum *l. ab inteſtato ff. eod.* Poſthumus autem in teſtamento neglectus irritum reddit teſtamentum, in quo ſui nulla mentio fit. *l 1. C. eod.* Si autē clauſula verbis futuri temporis addita eſt, poſthumi ſaltem in genere putantur nominati, & fideicommiſſum operatur retenta ſola legitima, non Trebellianica *Card. Tuſchus V. clauſula Codicillaris. Concluſ. 292.*

V. Si teſtator dicat quidem velle ſe teſtamentum condere, non adhibeat tamen neceſſariam ſolennitatem, manifeſtum eſt, nihil operari: ſi tamen clauſulam codicillarem addat expreſsè vel tacitè. Si hæc diſpoſitio non valet ut teſtamentum, valeat eo modo, quo valere poteſt, valebit, ut codicillus, modo nihil requiſitum deſit *l. 1. ff. eod. l. ult. §. illud*

quoque

quoque C.eod. Si prædicta clauſula abſit, præſumptioni locus eſt, & ex illa judicandum, velit, nec ne, diſpoſitionem ſuam, ut codicillum acceptari. Præſumitur autem 1. ſi teſtator juramento vel à ſe præſtito, vel ab hærede præſtando confirmarit, ut ſerventur omnia, quæ in teſtamento continentur. Juramentum enim cenſetur efficaciæ eſſe, ut actus, qui eo modo, quo factus eſt, non valet, valeat eo, quo poteſt. 2. ſi perſona, cui providit teſtator, filius ſit, vel alia perſona multùm dilecta, quia magus amor arguit propenſam voluntatem, adeoque præſumptionem operatur clauſulæ Codicillaris. 3. Idem de piâ cauſâ præſumi poteſt. *Layman.l.3.tract 5.c.8. Tanner. D. 4.q.8.Dub.xi.n 302.Tuſchus l.cit. & V. Teſtamentum Concl. 90. & 114.*

VI. Si prædicta omnia locum non habeant, ita ut neque adjecta ſit clauſula, neque præſumpta exiſtimetur, teſtatoris diſpoſitio caſſa & inanis eſt, non acceptanda, neque ut teſtamentum, neque ut codicillus, quamvis nihil eorum deſideretur quæ adhiberi in codicillis ſolent *l.1 ff.de Codicillis & l.ult.C eod.* quia non entis nullus effectus eſt. Sunt autem adjuncta omnia & circumſtantiæ non levi intuitu inſpiciendæ, ut teſtatoris incerta voluntas exploretur. *Specul.in tt. de Inſtrument.edit.§ Viſo. de impugnat. teſtam Roland. in Rubr.5. Connanus l.9.c.6.*

***

§. V.

De Hæredibus.

I. HÆredum genera tria ſunt 1. Aliqui enim ita proximè defunctum ſanguine contingunt, ut reputentur una perſona, quemadmodum filii & uxor. 2. Aliqui ab inteſtato ſuccedunt, uti fratres, & nepotes. 3. ſunt extranei, qui à teſtatore nominantur, & inſtituuntur. Ex prioribus alii vocantur ſui, & legitimi, filii ſcilicet & reliqui deſcendentes. Alii legitimi tantùm, qui in defectu præcedentium ab inteſtato ſuccedunt, ut agnati & propinqui. Qui verò hæredes ſcribuntur, ſive in totâ, ſive in parte hæreditatis, teſtamentarii hæredes appellantur: Legatarii verò, quibus aliqua portio relinquitur. Extraneos vocamus, qui teſtatoris poteſtati non ſunt ſubjecti: ſubſtitutos, qui hæredi legitimo, ſi non velit, aut non poſſit, ſubſtituuntur. Hæres commiſſarius eſt, cui per fideicommiſſum à defuncto hæreditas relicta eſt, ut eam inſtituto hæredi tradat. Hæres neceſſarius eſt ſervus, cui defunctus hæreditatem relinquit, ut, ſi vendi pro debitis neceſſe ſit, ſervi nomine vendatur, ad removendam ignominiam. *V. Connanum l.10 c.5.* Denique anomalus hæres dicitur, qui ſine certa qualitate eſt, vel qui planè extraneus: & ſuccedit hæredo non exequente voluntatem defuncti: vel cui addicuntur bona defuncti cauſâ conſervandarum libertatum. *VVeſenbec.in ff.l.28. num. 5.* In ſpeculo Saxonico hæredum accelerantium mentio fit, Vulgò Gehn Erben. illi ſcilicet, qui quando hæreditatem

neq; frater, neq; Soror adit, in pari cogna, tionis gradu ſe exiſtere probant, & quam hæreditatis portionem accipiunt. Nomen à verbo Germanico Sehen derivatum videtur, quia hæreditatem adeunt deſcendendo niderwarts Sehendt. *Spigel Lexic. Tholoſ l.40 Syntagm c 35.* *Roland. Rubrica* 11 *n.*1. *& ſeq.*

II. Suus Patris hæres propriè vocatur, proximus deſcendens, & in poteſtate defuncti tempore mortis exiſtens: cui annumerandi poſtumi, per ſubſequens matrimonium legitimati, vel per oblationem ad Curiam. *Inſtit. de hæreditatib. quæ ab inteſtato* §. *Inteſtatorum*, *& ſeq.* ſui hæredis, & patris una perſona cenſetur, quoad bonorum ſucceſſionem, adeò ut antequã adeat hæreditatem eorum dominium acquirat, morienſque ad quoſcunque hæredes non ſecus, atque alia bona & iura ſua transmittat Quod privilegium etiam filio religionem profeſſo, & epiſcopo competit, quamvis patria poteſtate egreſſi cenſeantur. *Gomez l* 1.*c.*9. Mol. *Diſp.*129. *Silv. V.* Hæreditas §. 1. *n.* 1. Nihilominus hæreditatem ſibi eatenus debitam, ſi non ſe immiſcuit, repudiare poteſt: ita ut nihil in eam iuris retineat, aut Dominij. *Sanch. de matr l* 6. D.4.*n.*8. *Leſſ.c.*6.*D.*13. Quicunque his inferior, non ſuus hæres reputatur, nec prius dominium hæreditatis obtinet, quam adeat, profitendo ſe hæredem eſſe velle. *§. ult. Inſt de hæredum qualitate.* licet nihil dum ex bonis apprehenderit. Conceditur verò illi unius anni ſpatium à notitia delatæ hæreditatis, ut de acceptanda, vel repudianda deliberet: intra quod ſi moriatur ius ſuum in hæredes tranſmittit. *l. Cùm in antiquioris.* C. *de iure deliber.* Hæreditas nondum adita iacere dicitur: Vacare, cùm nullus legitimus hæres adeſt. Dandus autem iacenti curator eſt ad petitionem creditorum, vel ex officio Iudicis *l.* 2. *ff. de curatore bonis dando.* Hoc ſi negligatur iudicium contra iacentem hæreditatem inſtitutum nullum erit. *Gaill. l.* 2 *obſ.*130. *&* 152. *Tholoſ.l.*42. *c.*35 *Laym. l.* 3 *tr.*5.*c.*6. *Tuſchus V.Suitas.* §.82. *& ſequ.*

No. Si pater filium nolit hæredem inſtituere, exhæredare debet cauſa, ob quam, ſcripto inſerta. Sunt autem exhæredandi cauſæ 14. his verſibus incluſæ.

Bis ſeptem ex cauſis exhæres filius eſto.
Si patrem feriat, ſi maledicat ei.
Carcere concluſum ſi negligat, ac furioſum.
Criminis accuſet, vel paret inſidias,
Si dederit gravia illi damna, nec hoſte redemit,
Teſtari prohibet, vel dat arena locum.
Si pravos ſequitur, vel amat genitoris amicam,
Non orthodoxus, filia quando coit.

*V. Roland. de teſtam. Rubr.*14.*n.*13. *Melonium* Tit. 25. *num.* 1.

Nota. Vt exhæredatio vim & effectum habeat, ipſa exhæredandi cauſa, eaque legitima & vera teſtamento inſerenda eſt: alias à filio per querelam in officioſi rumpetur, quemadmodum pluribus explicat *Iul clarus* § *de teſtam* Q. 40. *VVeſenbec l. ff.* 28. *Tit.* 2. *num.* 5. *Trentler.* Vol 1. *Diſp.*13.*n.*10.

III. Hæredes inſtitui poſſunt, quicunque ſpecialiter non prohibentur: nec ſinguli tantùm, ſed plures, imò Communitas quoque & Collegia. Nec obſtat amentia, vel alius corporis defectus. *l.* 1. C. *de ſacros. eccles. VVeſenbec. lo. cit. n.* 4. *Gomez* 10.1.

to l. c. 2. Prohibentur autem 1. Communitas Iudæorum *l. 1. C. de Iudæis.* 2. Collegium erectum privata auctoritate *l. Collegia §. in ſumma ff. de illic. colleg l. Collegium C. de heredib. inſtit.* Excipe Collegia, vel Congregationes, quæ pietatis intuitu conſtituta ſunt. *l 1. ff. eod.* 3. Deportatus vel ad metalla damnatus *l. 3. ff de his, quæ pro non ſcriptis habentur & l. 1. C. de inſtitu. hæred. l ſi in metallum ff. de his qui pro non ſcriptis.* 4. Hæretici & Apoſtatæ. *l. Manichæos. l. ult. C. de hæredib. l 3. de Apoſt. eod.* 5 Spurii, ſeu nati ex damnato & punibili coitu. *Auth. licet C. de natur. lib. Auth Quib. modis naturales.* Similiter parentes non ſuccedunt in bonis Spurii. *Authent. Quib. modis.* Avus tamen deficien te prole legitima Spurium hæredem inſtituere poteſt, non tamen intuitu patris. *Gaill l. 2. Obſ* 88. *Roland. Rubr. 19.* Ab aliis item non aſcendentibus inſtitui poſſunt ſpurij: imò ſuccedere poſſunt ab inteſtato fratribus, aliiſque conſanguineis uterinis. Si uterini non ſint, ſed diverſa matre nati, non cenſentur habere cognationem inter ſe & cum aliis cognatis Patris, quoad bonorum ſucceſſionem: idque etiam in naturalibus & legitimatis locum habet. *Auth quib mo. natural. §. filium vero. Tholoſ. l. 42. Syntagm. c. 35. Tanner.* D. 4. *Q 7. Dub.* 11. 6. Qui Nataràles filii ſecundùm Ius civile (cui non reſiſtit Canonicum) ab inteſtato ſuccedunt patri in duabus unciis, id eſt, ſextâ parte totius hæreditatis, ex quibus Matri ſuperſtiti portio utilis debetur. *Auth quib mod. nat. eff. legit. §. ſi quis autem defunctus. & c. liberi 22. Q* 4. modò filii legitimi deſint, vel legitima uxor. Quamvis enim uxor non ſuccedat in bonis mariti, facit tamen, ne naturales capere, aut ſuccedere poſsint. *Auth. liceat Patri. C. de nat. lib.* Si contingat filios vel nepotes legitimos ſupereſſe, non niſi uncia tribuetur naturalibus, & illorum Matri. Si nihil reliquerit Pater, in nullâ parte ſuccedent: ali tamen à legitimis debent. Matri verò cum legitimis ſuccedunt, etiam ſi ipſa ſit illuſtris. Denique ſi Pater non habeat filios, vel nepotes, vel deſcendentes, habeat tamen aſcendentes, illis aſſignata legitima poteſt naturales inſtituere etiam in totum. Si autem & aſcendentes legitimi deſint, naturales in ſolidum licebit inſtituere. *Azo. l 5 Rubr. 27. Molina Diſp. 166. Silv. V. Filiu n 3. Trenbl Tom. 11. Diſp. 16. n. 3.* Pari iure quemadmodum filii naturales ſuccedunt parentibus, ita parentes filiis ſuccedunt, ut par pietas ſervetur. Si tamen alicubi concubinatus non permittitur iuxta *Auth. de Lenon & Auth. Scenicas* eadem naturalium, & Spuriorum conditio erit. *Az. 11 l. 2. c. 8. Sanchez l 4. Conſil. c. 3. c. 16. & ſeq* 6. Teſtatorem qui occidit, hæreditate privandus eſt, ſaltem per Iudicis ſententiam, ut fiſco deferatur. *Clarus. V. Homicidium nu. 22. Nav. l. 4. conſil. 1.* 7. Qui Cardinalem perſequitur, percutit, vel capit. *c Felicis. de pœnis in 6* Denique quicunque ob crimen aliquod eſt inteſtabilis activè (hoc eſt inhabilis ad teſtamentum faciendum) etiam paſſivè inteſtabilis eſt, ut neque hæres eſſe poſſit, neque aliquid ex teſtamento capere. *Silv. V. Hereditas § 1 n. 2. Armilla. nu 26 Layman. l. 3 tr. 5 c. 5 n. 1 Leſſ. c. 19. Dub. 5*

IV. Religioſi etiam profeſsi hæredes inſtitui poſſunt, & ſuccedere ab inteſtatò, dummodò Religio aut monaſterium dominii bonorum capax ſit. *Clem. Exivi. V. Quia igitur. de verb ſign. Nav. Comm. 2. de*

Digitized by Google

Regular. nu. 50. *Sanchez l.* 7. *Moral.* D. 12. *Rodriq. To.* 11. *Q.* 78. *art.* 1. *Leſſ. c.* 41. *Dub.* 11. E contrario, quia bona immobilia non recipiunt Minores de Obſer. & Capuccini, hæreditatis incapaces ſunt (reſpectu perſonarum, quæ profeſſæ) ita ut ipſi acquirant ius ad bona immobilia, & teneantur ad onera defuncti. Aliàs in favorem illorum relinqui poteſt hæreditas, ut per executores vendatur: iiſque pretium detur pro neceſſariis ad victum, veſtitum, fabricam, & ſimilia, ut fusè declarat. *Roderiq. To.* 11. *Q.* 127 *Tholoſ l.* 42. *c* 35. *n.* 15. *Roland. Rubr.* 21. *n.* 15. *Laym lo. cit.* Silv. *V.* Hæreditas § 3 *n.* 2. *Armilla n.* 8.

V. Societatis Iesu profeſſi, & Coadiutores formati omnis hæreditariæ ſucceſſionis incapaces ſunt *p.* 6. *Conſt. c.* 5. *nu.* 4. quod tamen *VVadingus diſp.* 4. *d.* 5 § 4. ad ſucceſſionem ab inteſtato reſtringit. Domus profeſſa autem, & eccleſiæ licet reditus ſtabiles admittere nequeant, quorum diſpenſatio penes ipſam Societatem ſit, *Conſt. Par.* 6. *c.* 2. *nu.* 12. nihil obſtat tamen, quo minus inſtitui hæredes queant, ita, ut bona immobilia non retineant, ſed vendant, & pretium in uſus ſuos convertant; niſi fortè ſit domus vel hortus, ad habitationem neceſſariam, aut recreationem opportunus. *Mol. D.* 195. *Sanch. l.* 7. *Mor. c* 27. *n.* 15. *Laym l.* 3. *tr.* 5 *c.* 5. *V. Compend. privil. Soc. no. V. Bona. V. Commutatio, & V alienatio.* Quid verò, *inquis,* ſi legetur aliquid domui profeſſæ, quo ipſa nõ indiget? Si non addatur conditio repugnans paupertati Societatis, acceptari poteſt. Non indiget modo? indigebit aliquando. Poſſunt enim ad breve tempus retineri bona aliàs vendenda, ne ſubitanea venditio cum damno fiat. *Inſtas.* Si adiecta ſit conditio repugnans an propterea legatum, vel donatio irrita ſit? *Dico* non fore irritam, ſed conditionem adiectam pro nulla haberi ex præſumptione, quia teſtator in cauſis piis cenſetur omni modo benè facere voluiſſe indigentibus, & ſi sciviſſet vitium conditionis, minimè appoſuiſſet. *Suar.* 4. *de Relig l* 4 *c.* 9. *Roderic. Tomo* 11. *Q.* 1-6. *&* 127. *art.* 1. *& ſequentibus. Laym l.* 3 *Tract.* 5 *c* 6 *n* 6

VI. Profeſſi Societatis Iesu & Coadiutores formati recipere poſſunt pium aliquod legatum, cuius tamen liberam diſpoſitionem, & uſum non habeant. Nam eo modo, quo domus ipſa & Societas, capaces & incapaces perſonæ ſunt. Quomodo autem Societas pia legata admittere queat, paulò ante dictum eſt Igitur ſi contingat Petri vel Pauli intuitu legari aliquid, valebit donatio, & recipietur eo modo, quo Regula, vel Conſtitutiones permittũt. *Suar. lo. cit. Lay. l.* 3. *tr.* 5. *c* 5. *n.* 5.

VII. Quærunt aliqui, Vtra paupertas maior ſit Fratrum Minorum, an Societatis Iesu? Reſolutio eſt, habere ſe, ut excedens, & exceſſum. Minorum paupertas excedit in eo, quòd nullius rei immobilis aut mobilis dominium admittat, nec in particulari nec in communi: item, quòd non habeat ullam actionem ad bona ſibi relicta, neque hæres inſtitui poteſt, at Societatis Domus profeſſæ habent aliquarum rerum dominium in communi; puta mobilium, & immobilium, quæ ad habitationem, vel recreationem ſunt neceſſaria, aut valdè convenientia: item ad res quaslibet ſibi relictas actionem. Denique hæredes inſtitui poſſunt ut nu. 4. explicatum. Exceditur verò FF. Minorum paupertas 1. quia eccleſia illorum capax eſt legati annui ad cultum divinum, 2. recipere

poteſt

poteſt ſtipendium pro Miſſa, concionibus, & aliis miniſteriis, quæ Societati minimè licent. *Suarez 4. de Relig. l. 4. c. 9.*

VIII. Hæreditas generatim loquendo, duobus modis aditur Verbo, & facto. Verbo, ut ſi dixeris, *Volo adire hæreditatem*. Vel, *Iam nunc adeo. l. Avia C. de iure deliberandi.* Facto, cùm quis ſe ut hæredem gerit, faciendo actum aliquem, qui non niſi ab hærede fieri ſolet, cuiuſmodi eſt ſatisfacere ex hæreditate creditoribus, inhabitare domum hæreditariam cum familia ſua, & ſim. Adde, quod etiam adiiſſe præſumitur, qui ad deliberandum dato tempore intra illud, neque adit hæreditatem, neque expreſsè renunciat. Hæc autem renunciatio ſimiliter unico verbo fieri poteſt. Sed, factam renunciationem ſemel, licetne poſtea retractare? Diſtingue. Si minor eſt, poteſt per reſtitutionē in integrum. *l fin. C de repud. hær.* ſi ut maior eſt, & extraneus, non admittitur amplius. *l. Sicut C eod. ſi autem ſuus hæres &* bona hæreditaria ſunt in ſtatu, quo fuerunt tempore repudiationis, licet retractare infra triennium. Diſtractis bonis nulla ſpes revocandi ſupereſt *l fin. C. de repud. hær. VVeſenb. in l. 2. Inſt. tt.* 19 *ei fin.*

IX. Portio legitima hæredibus debita triplex eſt. Vna retento communi nomine *Legitima* appellatur: altera *Falcidia* à tribuno pl. Falcidio: tertia *Trebellianica* à Trebellio Maximo, quia ipſo Conſule à Senatu inſtituta eſt. *Legitima* ſimpliciter ſumitur ex bonis parentum, deducto ære alieno, & funeris impenſa. Debetur ſecundum Legiſtas filiis iure naturali, & pro alimentis computatur: Mortuis filiis ad nepotes legitimè natos devolvitur. Hoc tempore, ſi tres vel quatuor filii ſint, triens, ſeu tertia pars bonorum eſt: ſi plures, ſemiſſis ſeu dimidia. Iure Franconico autem duæ tertiæ ſunt legitima filiorum. *Ordinat provinc. Par. 3. tit. 28.* Falcidia debetur iure inſtitutionis, & eſt quarta pars totius hæreditatis, quam ut ſuppleat deficientibus aliis bonis hæres demit ex ſingulis legatis. *Auth ſimiliter C. ad leg. Falcid.* Imò fieri poſſe aliquando, ut filius duas quartas ex hæreditate detrahat, *Rolandinus* tradit in *Rubrica 29. nu. 2.* Neque ex legatis tantùm, ſed etiam fideicommiſſis particularibus, donationibus causâ mortis: denique mortis capione, id eſt, omni eo, quod occaſione mortis perceptum eſt *l. 1 ff. de legatis l. ſi mortis. C. eod.* Trebellianica itidem quarta hæreditatis pars eſt, quam ſibi retinet hæres inſtitutus ea conditione, ut ſi decedat ſine liberis alteri hæreditatem reſtituat. *§ ſed quia Inſt. de fideicom. hæred. Mynſing. in §. ſeq quia Inſt de fideicom hær. Gaill l 2. obſ. 38. Tholoſ. l. 42 Synt. c. 34. Roland Rub. 17.*

X. Falcidia non detrahitur in legatis ad pias cauſas relictis. *Auth. Similiter. C. ad Falcid.* Si tamen eccleſia, vel pius locus inſtituatur hæres, detrahitur Falcidia de legatis relictis alteri eccleſiæ, vel pio loco: quia currit privilegium cum privilegio, & ſic ad ius commune regredimur. Idem de Trebellianica ius eſto, ut in legatis ad pias cauſas non decerpatur. *Tholos l. 42. Synt. c. 34. Comitol l. 7. Q 10. n. 3. Silveſt V. Portio legitima n 9 & ſeq. & V. Legatum § 4. n. 6. Gaill l 2. Obſ. 119.* Præterea non detrahitur 1. quando teſtator ſciens quantitatem bonorum ſuorum prohibuit. *Auth. Sed cum teſtator C. ad l falcid.* In dubio autem præſumitur noviſſe. 2. non detrahitur ex legato relicto cum perpetua ina-

 lienabi-

lienabilitate. *Auth. ſed in ea re.* C. *eod* 3. neque ex legato libertatis, vel ad libertatem. §. *ul. Inſt. de le. Falc.* 4. quando alicui legatur Scriptura de re, cuius legatarius iam erat dominus. *l. prædiorum. ad le. Falc.* 5. quando hæres habita notitia virium hæreditatis ſoluit initio quibuſdam integra legata: tunc enim nil aliis demere poteſt, niſi fortè per errorem maiores, qui revera ſint, putaverit vires hæreditatis eſſe. Rurſus in pœnam prohibetur Falcidiam detrahere in hiſce tribus caſibus. 1. quando nõ confecit inventarium ſecundùm formam, & tempus præſcriptum. 2. quando monitus à Iudice intra annum nõ eſt executus voluntatem teſtatoris. 3. quando negavit, vel ſubtraxit quippiam de ſubſtantia hæreditatis §. *Hinc nobis. Verſu ſancimus & V. ſi verò non.* Nihilominus, quia ad hanc pœnam non tenetur, niſi poſt ſententiam Iudicis, ſi culpa & fraude caret, detrahere falcidiam, & retinere poterit *Mol D.* 213. *Rolandin. in Rubr.* 29. *Mynſing. in* §. *cum autem Inſt. hoc. tt. Schneidevvin. ib. in* §. *finalis. Card. Lugo D.* 24. *S.* 12. §. 1.

XI. Inventarii confectio, quam leges hæredi præcipiunt *Auth de hæred* § *Falcidia*, intra 3. menſes cùm res præſentes ſunt, cum vero abſentes, intra annum faciendam. *Franc. Marcus Pa* 1. *Qu.* 25. iure Canonico non eſt neceſſaria. Vbicunque enim ius civile in præſumptione fundatum eſt, ab Eccleſia non agnoſcitur, adeoque nullam in conſcientia obligationem patit. Poſito igitur, hæredem in foro conſcientiæ (ubi reo fides debetur) certum eſſe, quod bona fide egerit, non tantùm detrahere falcidiam poterit, ſed inſuper ab omni alio onere, quod Iure civili imponitur, ſolutus erit. *Card. Lugo diſp.* 24. *Sect.* 8. §. 5. *VVeſenb. in l.* 2. *Inſt. tt.* 19. *Rolandin. Rubrica* 29. *n.* 18. *Franc. Porcellinus de Inventar. c.* 2. *Guido Papa deciſ.* 571.

XII. Intra tempus conficiendi inventarii, non poteſt hæres in iudicio conveniri à creditoribus regulariter; ipſe verò alios convenire poteſt, præſertim debitores, non tamen ante tempus deliberandi. *Speculat tt. de actore* §. 1. *Verſ quod eſt hæres.* Cogi verò poteſt intra prædictum inventarii tempus proceſſum defuncti, vel reaſſumere, vel repudiare Pro hoc autem menſis illi ad deliberandum conceditur, niſi debitum hæreditarium ex nova conventione cum illo eſſet renovatum. *Boerius in Decis.* 53. *Angel. Conſil* 31. *Decius Conſil.* 96. *Melonius Tit.* 39 *Diſt.* 5.

XIII. Quod alias obligationes attinet, licet regulariter ad hæredem tranſeant contractus. *Gaill l.* 2 *obſ.* 2. *nn.* 10. *Lugo D.* 23. *S.* 6 *n.* 100. non tenetur tamen pro delicto, vel quaſi delicto teſtatoris defuncti, nec contra illum actio datur, niſi in delictis propter quæ ipſo facto pœna lege conſtituta eſt, ut patet in crimine hæreſis, & læſæ maieſtatis. Tunc enim contra hæredem agitur, non ut puniatur, ſed ut bona, quæ in commiſſum ceciderunt, fiſco inferãtur *l. commiſſ ff. de publicanis. c.* 2. *de præſcript. l* 6. *Boerius Deciſione* 57. Tenetur præterea in duobus caſibus. *Primò*, ſi lis conteſtata ſit cum defuncto. *l un* C. *ex delictis defunctor. Secundò* Si aliquid pervenit ad hæredem ex delicto defuncti. Addit *Bartolus*, quandocunque de damni ſatisfactione agitur, contra hæredem procedi, ut ſecundùm vires hæreditatis ſatisfaciat. *c. Tua nos de Vſur. c. Parochiano de ſepulturis.* (Si fama à defuncto læſa ſit, nec aliter compenſari, quàm pecunia

queat,

queat, hoc onus hæredi incumbere cenſet *Comitolus l. 4. Q. 42.* ſecutus opinionem quorundam Theologorum probabilem, de qua re alibi fuſiùs. Devotis ſimiliter in proprio loco. Nunc ſufficiat dixiſſe, realia ab hærede complenda eſſe, perſonalia non poſſe. *Vaſq. c. 9. §. 3. dub. 5. Silv. V. Hæreditas* 111. *Sayrus l.* 10. *Tr. 6. c 7. Armilla, V.* Hared *n* 14. Cùm plures hæredes ſunt, non tenetur in ſolidum quilibet, ad ſoluenda debita, ſed (niſi aliter diſponatur) pro rata, ſeu portione ſua. *Baldus Conſil.* 378. *Boerius deciſ.* 57. *l. pro hæreditar.* C. *de act. hæred.* Excipe 1. niſi obligatio indiuidua ſit. *l. in executione ff. de verb. ſignif.* 2. niſi ſit legatum ad hon. Dei & SS. vel rei pollicitæ *l.* 1. §. *ſi quis ff. hac pollic.* 3. niſi defuncti bona tacitè hypothecata ſint debitoribus. *Tabiena V. Hæred. n 6.*

XIIII. Præteritio vel excluſio hæredis legitimi teſtamentum irritum reddit, & inofficioſum appellatur, quia in eo officium debitum, & benevolentia negligitur. Quocirca ſolis legitimis hæredibus poteſtas datur à centum viris petendi, ut illud reſciſſum velint, ſibique hæreditatem adiudicari. Vnde hæreditatis petitio. *l. ſi quis* 34. *C. de inof. teſtam.* Idem ius datur filiis naturalibus, & ſpuriis, cùm prætereuntur à Matre, & aliis per lineam maternam aſcendentibus. *V. Schneidevvin. l. 3. Inſt. tt. 1. Tholoſan. l.* 42. *c.* 20. *& l.* 46. *c. 7. Mynſing. Decade 2. Reſponſo* 12. *etiam hæredis hæredi. l. Veluti. ff. de hæreditatis petitione VVeſenb. l. 2. tt. 17.* Supereſt ſucceſſio ab inteſtato, quæ paucis expedienda, ne ab inſtituto noſtro deviemus.

§. VI.

De ſucceſſione ab inteſtato.

I. INteſtatus mori dicitur, qui vel nullum, vel illegitimum teſtamentum condidit, vel ſi quod legitimè factum erat, amiſſum, ruptum, aut abolitum fuerit. Item, ſi quidem legitimè factum fuit teſtamentum, ſed nullus ex eo hæres exiſtit: vel inſtitutus non vult adire hæreditatem. Denique quando filius, qui ſuccederet, exhæredatus eſt, ſed poſt mortem Patris propoſitâ querelâ inofficioſi teſtamenti, per ſententiam teſtamentum reſcinditur. *VVeſenbec. l. 3. Inſt. tt 1.*

II. Tres ordines ſeu gradus ſunt ab inteſtato ſuccedentium, ad quos omnes caſus referri poſſunt. 1. deſcendentium, in quo liberi, nepotes, &c. 2. Aſcendentiũ, in quo Pater, avus & ſimiles. 3. collateralium, in quo Fratres & ſorores. Præterea filiorum 6 ſpecies numerantur, à *Glo. in c. Tanta. Qui filii ſint legit. & in c. liberi* 32. *q.* 4. hoc ordine 1. ſunt filii ſpiritnales. 2. naturales, & legitimi ſimul. 3. legitimi tantùm 4. naturales tantùm. 5. Spurii ſeu vulgò quæſiti. 6. nati ex damnato concubitu. *Silv. V. Filii n.* 1. ad tria genera revocat. Alii enim ſunt naturales, & non legitimi: alii legitimi, & non naturales: alii denique legitimi, & naturales ſimul. Sed prior diviſio hoc loco commodior eſt. Secundum quam notatu digna ſunt, quæ ſequuntur.

III. In ſucceſſione ab inteſtato primi ſunt legitimi liberi, mares, aut feminæ, ſecundùm æqualem portionem. Horum loco poſt mortem nepotes ſuccedunt in ſtirpes,

Digitized by Google

pes, hoc eſt, omnes ſimul accipiunt eam partem, quæ debebatur ei, cujus perſonam repræſentant. 2. Cùm nulli deſcendentium ſuperſunt, venit mater, & pater defuncti, & his deficientibus avi, & aviæ. *Nov.118. Coll 9.* 3. ſi cum patre, aut matre, avo, vel avia ſint fratres, aut ſorores utraque ex parte conjuncti, ſuccedent æqualiter, ſive in capita. 4. poſt deſcendentes ſi defecerint, ſuccedunt fratres, & ſorores, ex utraque parte conjuncti æqualiter, & illos excludunt, qui ex ſolo patre, vel ſolâ matre conjuncti ſunt. *Auth. ſuperius citata.* 5. ſi quis ex fratribus, aut ſororibus utrimque conjunctis mortuus liberos reliquerit, ii loco parentis ſui ſuccedent cum patribus in ſtirpes. Si autem omnes mortui fuerint, eorum liberi (excluſis patruis una tantum parte conjunctis) non in ſtirpes, ſed capita ſuccedere debent, juxta *Caroli V. conſtitutionem in Com. Spirenſ editam Ann.1529.* 6. Deficientibus ſimul fratribus, & ſororibus utrimque conjunctis, eorumque legitimis liberis, veniunt fratres, & ſorores ex una tantùm parte conjuncti, cum hoc diſcrimine tamen, ut qui ex parte patris conjuncti ſunt, ſuccedant in bonis à patre venientibus, & qui ex parte matris, in bonis à matre provenientibus: in reliquis verò bonis æqualiter omnes. *Gloſſ. in cita. Auth. Molin. D.164.* 7. Cùm fratres & ſorores, eorumque filii deficiunt, ſuccedunt proximiores collaterales uſque ad decimum gradum, numerando cum legiſtis. Succedunt, dico, in capita, nec intereſt, utrimque an ſingulariter tantùm conjuncti ſint. *Auth. de hæred ab inteſtato.c.3.§.ſi verò neque fratres Covar. in Epito. de ſucc.* 8. *Hæredibus* in linea tranſverſali uſque ad decimum gradum ſublatis venit conjux defuncti, nullo divortio ſeparata *l.un ff. & C. Unde vir & uxor.* Si contigerit nupſiſſe ſine dote, marito mortuo, & conſanguineos hæredes qualeſcunque relinquenti ſuccedit uxor, ſi pauper eſt, in quarta bonorum parte, & tali adhibita moderatione, ut ſi liberi ex defuncto adſint, ad ipſam ſolus uſusfructus, quamdiu vivit, pertineat; deinde, ſi plures, quàm tres filii ſint, ipſa cum eis in capita ſuccedat. *Auth. de exhibitis reis §. quoniam verò Auth. præterea C. unde vir & uxor.* Similis ratio eſt, ſi uxor ante maritum inopem decedat. 9. Mulier ſecundò nubens ſuſceptis ex priore marito liberis, quicquid ab illo quacunque donatione, aut teſtamento accepit, iiſdem liberis conſervare, & relinquere debet, omni alienatione penitus interdicta *l. femina C. de ſecund nupt* Pari modo maritus accepta ab uxore bona ſervare liberis ex ea ſuſceptis debet *l. Generaliter C. eod.* Si autem vir, aut mulier ſecundò non nupſerit, bona à conjuge ſuo allata, excepto lucro ex dote & donatione propter nuptias, arbitrio ſuo alienare, vel conſumere poteſt: ſi tamen non alienarint, vendicare ſibi poterunt liberi, quamvis hæreditatem adire nolint. *Auth. Hæres. iun. §. ſeq. & Auth. uxore mortuâ C. eod.* Ad extremum nullo hæreditatem adeunte, vel appetente, juris permiſſu, & auctoritate Fiſcus ſuccedens, non ut hæres, ſed ut ſucceſſor univerſalis, quod nemo capit, rapit. *l. 1. & 4. C. de bon. vacantibus.* niſi conſortes eum excludant. Nam Decurioni inteſtato ſuccedit Curia, naviculario Corpus naviculariorum. Et his quidem legibus in Im-

perio

perio Romano vivitur: alias alia regna ſequentur: nec in feudalibus locum habent *Melonius Tit. 43. & 36.*

IV. Quòd verò Clericorum bona attinet, ſi quis legitimos filios ante Clericatum, & ſacros Ordines genuit, in bonis patrimonialibus, & propria induſtria partis, primi hæredes erunt. Poſt illos parentes unà cum fratribus, & ſororibus ex utroque latere conjunctis. His deficientibus tertio loco venient collaterales ſecundùm gradus prærogativam uſque ad decimum gradum. Denique ſublatis omnibus ſuccedet Eccleſia, vel altare, cui ſervivit. *c. 1. 12. q. 5. & ibid Gloſſ. Silv. V. Hæreditas 5. 1. n. 6. Vallenſ. l. 3. tt. 27. §. un n. 6.* In bonis Eccleſiæ intuitu partis Collegium Clericorum, vel ipſius Clerici Succeſſor, ſi is bona ſeparatim extra Collegium poſſidebat, uti Epiſcopus, Parochus, & ſimil. ſuccedit *c. relatum 12. q. 1. c fin. de off. Ordin. in 6. Redoanus. de ſpoliis Eccl. q. 9.* Denique hic ſingulorum Epiſcopatuum conſuetudo attendenda eſt.

V. Succeſſioni ſeu hæreditati futuræ pacto in favorem tertii inito, non licet renunciare, nec ullius roboris eſt, ſi renunciatio fiat: dummodò juramento non firmetur. Hæreditas enim nec pactis dari, nec auferri poteſt, abſque gravi periculo, & damno communitatis, & ſingulorum civium, quibus avertendis ita ſancitum eſt. *l. qui ſuperſtitis ff de acqui. hæred. l. ult. de ſuis & legitimis hæredibus cod. l. ſi quando § illud C. de inoff. teſtam. Covarr. in c. quamvis pactum. par. 3. Mol. tract. 2. Tom. 3. Diſp. 579. num. 11. Sanch. l. 4. Conſ. c. 1. D. 34. & paſſim D D. in l. hæreditas. C. de pactis, & conventis. Melonius Tit. 37.* Excipe 1. niſi quis in ipſo actu teſtandi juri ſuo renunciet, vel confecto jam teſtamento, ſui præteritionem in ipſo factam approbet. *l. non putavit § ſi quis ſuâ manu ff de bonor. poſſe con. tabulas. Gomez. l. 1. c. 11. Rajnaldus de teſtam. § 2. num. 2. Molin. D. 175.* Excipe 2. niſi filius, qui legitimus, & ſuus hæres eſt, vivente patre, quotam ſibi debitam integrè accepit. Tunc enim reliquæ hæreditati renunciare poteſt. *Barboſ. in add. Gloſſ. ad l. ſi quando C. de in off. teſtam. clarus quæſt. 44. Abb. Vol. 2. conſil 116.*

DIXI, *dummodò juramento non firmetur.* Hoc enim cùm de opere per ſe licito ſit, nec animæ exitium, nec proximo damnum inferat, violari non debet. *c. in his diſt. 11. c. 1. de Cler. non reſid. in 6. & l. Cùm quis decedens. ff. de legat. 111. Sanchez lo. cit. Leſſ. c. 17. D. 7. num. 56.*

VI. Similiter irrita eſt omnis conventio, vel pactio de alicujus viventis hæreditate; ut ſi quam ſperas, Sempronii hæreditatem, donares, aut venderes Cajo: idque propter inſidias, quæ parantur ejus vitæ, ſuper cujus bonis pactū initur. *l. ult. C. de pactis. Franc. Marcus Deciſ. 136. n. 2.* Excipe 1. Niſi conſentiat, & perſiſtat uſque ad mortem in eo conſenſu Sempronius. 2. niſi pactum fiat indefinitè, circa perſonam incertam, aut de bonis particularibus. Tunc enim periculum inſidiarum, de quo paulo antè, ceſſat. *Vivius in V. pactum.* 3. niſi conventio fiat in favorem alicujus Communitatis, aut Collegii, ut ſi Monaſterio S. Petri dones hæreditatem tibi obventuram. Sic enim idē periculum avertitur. Quod enim Collegio datur, cùm ſingulorum non ſit, quaſi nemini datur juxta *Gloſſ. in c. cùm veniſſet V. Tenebat de reſtitut. ſpoliat.* Et naturale vitium eſt negligentia, quod communiter

ter poſſideтur *l.2.C.quando,& quib. quarta pars. Matthesſilan.de Success.art.3 n. ult. Laym.l.3.tract 5.c.7.Melonius Tit.35. n.16. Tuſchus.Concl 13.& 14. Sanchez l.4. Conſil. c.1.D.34.V.infra Tit.VI.§.1.n.8.*

§. VII.

De ſubſtitutione.

I. SUbſtituere dicitur teſtator, cùm unius loco hæredis alium deſignat: quod directè,& indirectè fieri poteſt. *Directa ſubſtitutio* eſt, quãdo ſine Miniſterio inſtituti hæreditas ſub conditione defertur ſubſtituto. Ex. gr. Inſtituo Cajum hæredem, ſi is vel noluerit, vel non potuerit, eſto Sempronius. Item ſi teſtator filium impuberem in ſuâ poteſtate conſtitutum, & poſt mortem ſuam in alterius poteſtatem non caſurum hæredem inſtituat, eique alium ſubſtituat, ſub conditione, ſi ante annos pubertatis decedat, ut habetur. *Inſt.de vulg.& pupill ſubſtit. Decius in l. In teſtamento C. de teſtam. mil. Subſtitutio indirecta*, ſeu fideicommiſſaria dicitur, quando hæreditas ſubſtituto tranſcribitur mediante hærede, cui teſtator conditionem præſcribit, quâ non impletâ hæreditatem vel totam, vel illius partem aliquam ſubſtituto relinquere debet, indeque fideicommiſſarius appellatur. Heres tamen ita gravatus poſtquã hæreditatem adiit, ſupra legitimam ſibi debitam, quartam partem ſumere poteſt, quæ vocatur Trebellianica. *§. ſed quia ſtipulationes Inſtit de fideicommiſſ. hæred.* Teſtator viciſſim prohibere poteſt, ne Trebellianica decerpatur. *Auth. ſed cùm teſtator. C.ad l.Falcid.* Excipe, niſi tam hæres inſtitutus, quàm fideicommiſſarius, aut legatarius pia cauſa ſit. Tunc enim detractioni locus non eſt; quia parium privilegiorum concurſus ad jus commune remittit. *Schneidevv.l.2.Inſt.tt.15. Connan.l.10.c.7.Gomez l 1.c.3.Leſſ.c.19. dub.2.*

II. Vulgaris ſubſtitutio definitur ſecundi hæredis in locum primi non adeuntis hæreditatem inſtitutio, quæ à quolibet de populo, idoneo tamen, & cuilibet capaci, vulgaribus, apertis, & communiter uſitatis verbis fit. Unde illi nomen *Vulgaris*. Exempl. gr. Antonius hæres meus eſto, & ſi is hæres meus non erit, Vincentius eſto *ff.de hæred. inſtit. l.11. Gomez l.cit.c.3.* Duplex eſt, expreſſa, & tacita. Expreſſa verbis negativis fit. *Si Titius hæres non erit, Cajus eſto.* In tacitâ negatio ſubauditur, & verbis affirmativis perficitur, ut ſi duos hæredes inſtituam, deinde faciam ſubſtitutionem hoc modo. Titium, & Cajum invicem hæredes inſtituo: vel uter duorum Titius, aut Cajus vixerit meus hæres eſto. Huic ſubſtitutioni peculiare eſt, ut ſemper adita hæreditate expiret. *l. poſt aditam C. de impub.& al.ſubſtit.l.quamdiu ff de acquir. hæred.Leſſ.l.cit D.7. Tuſchus Concl. 811.*

III. Subſtitutio pupillaris eſt, cùm pater filiis impuberibus in poteſtate ſua conſtitutis, attributa hæreditate, alium hæredem ſubſtituit, eamque ſubſtitutionem intra tempus pubertatis coarctat. Exempl. gr. Titius filius meus impubes hæres eſto, & ſi hæres non erit, vel erit, & intra pupillarem ætatem deceſſerit, Cajus hæres eſto. Sic differt à Vulgari, quæ, ut diximus n. præc. adita hæreditate extinguitur: hæc autem non finitur, licet adita ſit, modò ante puberta-

bertatem hæres moriatur. Finitur autem completa pubertate. In hac ſubſtitutione quod patri licet, matri & avo materno non permittitur, nec impuberi filio quēquam ſubſtituere poſſunt, quia in poteſtate non habent. Pater autem, & avus, in cujus poteſtate pupillus eſt, extraneum, quemcunq; voluerit, ſubſtituere poteſt, etiam nulla matris ratione habita. *l. precibus. C. de impub. & al. ſubſt.* *Ratio*, quia per prædictam ſubſtitutionem ſubſtitutus patri potius, quàm impuberi filio ſuccedere videtur. *l. patris & filii ff. de vulg. & pup. ſubſtit.* Ut autem matrem impuberis, ſeu uxorem ſuam pater inſtituat, nullo jure cautum eſt. Unde ſi filius patre mortuo etiam decedat ante pubertatem, mater ad ſucceſſionem non admittitur. Idem in foro conſcientiæ licitum eſſe defendit. *Mol Diſp. 184. §. His ita conſtitutis. Lugo l. cit. n. 146. Roland. Rubr. 22. n. 1. VVeſenbec in ff. l. 28. tt. 6.*

IV. Ex pupillari ſubſtitutione naſcitur exemplaris, ſic dicta, quia ad illius imitationem conficitur. Nam ut patri permittitur, filio impuberi ſubſtituere hæredem, ita etiam liberis amentibus, ſurdis ſimul, & mutis, quamdiu in tali ſtatu manent; quia non magis idonei ſunt ad diſponendum de bonis ſuis, quàm impuberes. Idem de prodigo dicendum; cui bonorum adminiſtratio ſublata eſt. *Roland. Rubr. 25. Fameus in tract. de ſubſtit.*

V. Subſtitutio reciproca, ſeu breviloqua vocatur, in qua plures hæredes minati ſibi invicem ſubſtituuntur. Verbi gratia. Inſtituo Titium, & Cajum hæredes meos; eosque invicem ſubſtituo. Ita fieri poteſt in omnibus prædictis ſubſtitutionibus vulgari, pupillari, exemplari, & fideicommiſſaria: idque vel expreſsè, in teſtamento, vel virtute in codicillo continente ſubſtitutionem directam pro fideicommiſſaria ſecundùm *Gloſſ. receptam. Inſtitut. de Vulg. ſubſtit. V. In teſtamento. Bartol. in l. Lucius ff. eod. Angel. in §. ſi plures Inſtitut. de Vulg. ſubſtit. Tuſchus Concluſ. 826. & ſequ.* qui etiam de ſubſtitutione piæ cauſſæ nonnulla ſubdit non contemnanda. *Concluſ. 831. & 832.*

VI. Reperitur etiam ſubſtitutio compendioſa, quæ plures in ſe continet, ſecundùm diverſa tempora, & ætates hæredum. Nam ſi pater teſtamentum ita concipiat. Inſtituo filium meum hæredem, eique, quandocunque mortuus fuerit, ſubſtituo Titium, tunc, ſi filius hæreditatem non adit, Titius ſuccedet, quaſi ſubſtitutione vulgari: ſi verò hæres extiterit, ſed intra annos pubertatis deceſſerit, admittetur Titius ex pupillari: ſi autem poſt pubertatem obierit, ſuccedet ex fideicommiſſariâ, detracta tamē ſimul & Trebellianica, & legitima. *Panor. in c. Raynut. Rol. Rub 26 Leſſ c. 19. D. 7. n. 86.*

VII. Nota, inter vivos quoque intervenire poſſe quaſi fideicōmmiſſariam ex pacto, ut ſi rem alicui dones, ea conditione, ut poſt certum tempus, aut eventu aliquo tradat alteri. Quod cùm ſit, res vinculata dicitur, quia alienari à poſſeſſore non poteſt. Donatur tamen, cùm res adhuc integra eſt; & tertius ille, cujus favore facta diſpoſitio eſt appoſitum gravamen removere poſſunt. Ejuſmodi fideicommiſſa autem, cùm per ultimas voluntates relinquuntur, innumeras tricas, & incōmoda pariunt. *Thol. l. 42. c. 29.*

Digitized by Google

VIII. Caius hæres iubetur ſub conditione, ſi abſque liberis decedat, hæreditatem ſeio relinquere: idem poſtea in monaſterio profeſſionem edit, utri hæreditas cedet, Seio, an monaſterio? Monaſterium præferendum videtur, quòd filii loco ſuccedat. *c. In præſentia de probationibus.* Sed hoc fictione iuris nititur, ac proinde ultra caſus in iure expreſſos extendi non debet. Igitur.

R. ſi ex adiunctis colligere probabiliter licet, mentem teſtatoris eſſe, ut ſubſtitutus monaſterio præferatur, non monaſterio, ſed ſubſtituto cedent bona. Eſt autem ſufficiens argumentum, ſi talia bona ſint, quæ expediat, non venire in alienas manus, ſed intra certam familiam permanere. Si verò compertum fuerit, deberi ſubſtituto, illis nihilominus monaſterium frui poterit, quamdiu profeſſus vivit. Monaſterium enim aliàs eiuſmodi bonorum, & ſucceſsionis capax in omnia bona profeſſi ſuccedit. *Auth. Ingreſſi. C. de ſacroſ. eccl.* Cum ergò profeſſus habeat ius fruendi prædictis bonis ad dies vitæ ſuæ, eius loco monaſterium accipiet, & utetur, donec vivere profeſſus deſinat. Si autem monaſterium ſucceſsionis incapax eſt, ſtatim peracta profeſsione ad ſubſtitutum hæredem devenient. *Covar. c. 2. num. 6. de teſtam. Roderic. Tom. 2. Q. 80. artic. 1. Rolandin. de ult. volunt. Rubr. 23. num. 19. Sanchez l. 7. Moral. c 3. Lajm. l. 3. tr. 5 c. 9. n. 7. Tholoſ l 42 c. 30. nu. 8 Reginald l. 25. c. 52. n. 628. & ſequ.*

* * *

§. VIII.

De Legatis.

I. Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præſtanda. *§. 1. Inſt. de legat. Silv. eod. §. 4. n. 1.* Explico. Dicitur *Donatio*, ſumendo latè pro quacunque datione gratuita, nō quælibet tamen, ſed rei particularis, quæ rationem hæreditatis non habeat: alioqui tota definitio fideicommiſsis univerſalibus conveniet. *A defuncto relicta* diſtinguit 1. legatum à donatione mortis cauſa, quæ non ab hærede neceſſariò præſtanda eſt, ſed ferè ab ipſo donante traditur. Denique additur. *Ab hærede præſtanda*, ut diſtinguat legatum ab hæredis directa inſtitutione. Hæreditas enim non ab alios ſed ipſo teſtatore immediatè accipitur. *VVeſenb l 30 ff tt. 1. nu 3. Angelus V. Legatum. Armilla & alii ſumm eod.* Hinc colligitur Legatum, & fideicommiſſum particulare reipſa idem eſſe, & non niſi verbis differre. Quod mirum videri non debet hoc tempore, quo legata omnia particularibus fideicommiſſis exæquata ſunt *l 1. tun. Glo ff de legat. § ſed non uſque Inſt eod. tt. VVeſenb. in ff lo cit. n. 9. Lajm l 3 Tr. 5 c. 30. n. 1.*

II. Aliud à legato *Prælegatum* eſt, inde ſic nuncupatum quòd hæredibus ultra, & præter hæreditatem legetur aliquid præcipuum, quod cohæredibus non communicetur, quodque etiam non accepta hæreditate retinere liceat, niſi contrarium teſtator voluerit. *l. filio pater. l. ſed ſi non l. quid ergo de legat. 1.* Hinc ſpeciali iure cōſtitutum eſt, ut hæres vulgari ſubſtitutione

facta,

facta, vel fideicommiſſo gravatus reſtituendo fideicommiſſum, retineat prælegatum ſuum, niſi illud quoque reſtitui teſtator præceperit. *l. Cùm reſponſo.* C. *de legat. Tholoſ. l. 42. c. 32. Boer. Deciſ.* 280.

III. Quatuor olim legatorum genera erant ſecundùm totidem legandi modos, ſeu formulas, per vendicationem, damnationem, ſinendi modum, & præceptionem. Per vendicationem his verbis, Do *lego, capito ſumito, habeto.* Per damnationem, Hæres meus damnas eſto dare, dato, facito: hæredem meum dare iubeo. Sinendi modo. Hæres meus damnas eſto ſinere Titium ſumere, illam rem habere. Per præceptionem. Titius illam rem præcipito, id eſt, ante partem capito. Ita Veteres uſque ad Iuſtiniani Imperat. ætatem, qui hiſce formulis ſublatis voluit unius generis legata eſſe, & mentem magis teſtantium, quàm verba ſequi. §. *ſed olim Inſtitut. de legatis, & ibi Schneidevvin. Mynſing. Vulteius, Suacius, & alii Interpretes.*

IV. Hoc tempore celebris eſt diviſio legatorum in ſacra, & profana, ad pias, & non pias cauſas: item ſimplicia ſeu pura, & conditionata. Sub pia cauſa continentur eccleſiæ, monaſteria, hoſpitalia, pauperum neceſſitates, captivorum redemptio, deſponſatio Virginum, viduarum ſubſidia, & ſimilia his Chriſtianæ charitatis opera, quæ communibus legum civilium vinculis non conſtringuntur. ut ex dicendis patebit. *Tuſchus Concluſ.* 106. Legatum purum etiam præſens appellatur, opponitur conditionali. Conditio vel de præterito, vel de præſenti eſt, & non ſuſpendit legatum neque alium actum, cui adiicitur, vel de futuro, eaque actum ſuſpendit, & ſubinde impoſſibilis eſt. Quæ verò poſsibilis, alia eſt poteſtativa, in noſtro ſcilicet arbitrio & poteſtate ſita, alia caſualis, alia ex his mixta. Conditio item in diem certum, vel incertum affigitur. Quæ in certum diem legata fiunt, puris & ſimplicibus annumerantur. Ac proinde quamvis ante illum diem peti non poſſint, ius tamen petendi ad hæredes legatarii tranſit, ſi poſt mortem teſtatoris ante illum diem decedat. *l ſi dies ff Quando dies legat. & c Palao Tr. 32. Diſp. 1. pun. 12.* Cùm legata in diem incertum relinquuntur. V. g quando Caius ad pubertatem venerit, aut uxorem duxerit, tunc adiectio incerti diei, ſi fiat in commodum hæredis, & non ſolius legatarii habet vim conditionis pendentis in futurum, adeoque ad hæredes legatarii non tranſeunt, ſi ille moriatur ante diei eventum. *Tholos. l. cit num. 48. Silv. Armilla V. Legatum. Sacer. eod. Cardin. Lugo lo. cit. Laym. l. 3. Tract. 5. c. 10. Suacius in §. ſi ead. res. Inſtit. de legat.*

V. Conditio impoſſibilis quocunque modo ſive ex natura rei, ſive ex diſpoſitione iuris, aut de facto, pro nulla habetur tam in legatis, quam alia quacunque diſpoſitione: nec quicquam obeſt *lex 1. lex ſi qua ita, lex, quæ ſub conditione ff. de condit. inſtit. Ratio* eſt favor ultimarum voluntatum, & litium fuga. Quis enim teſtatore mortuo mentis ipſius interpres? *Excipe primò*, niſi voluerit teſtator non niſi poſita tali conditione voluntatem ſuam valere. *Secundò*

Digitized by Google

niſi conditionem, quæ impoſsibilis eſt, putaverit eſſe poſsibilem. *Gomez. Tom.* 1. *c.* 12. *num.* 62. *Molina Diſp.* 206. Aliqui tamen conditionem impoſsibilem de facto cenſuerunt vitiare legatum, inter quos *Bart. & alii quidam apud Molinam.*

Vt conditio caſualis, & mixta effectum habeat, ſatis eſt, ſi poſt teſtamentum, & mortem teſtatoris, vel illo adhuc vivo impleatur. *l. hac conditio ff. de condit. & demonſtrat.* Idem erit, ſi ante teſtamentum evenerint, ipſo ignorante: poteſtativa verò poſt mortem teſtatoris adimpleri debet, niſi fortè non ſit iterabilis, ut manumiſsio ſervi. *l Si iam facta.* §. *ult. ff. de condit. & demonſtrat.* Non præfixo tempore ſufficiet impleri ante mortem. Aliàs expedit, quantocyus exequi. Pro conditione negativa V. gr. ſi non exieris patria, cùm uſque ad mortem porrigatur, cautio præſtanda eſt, de reſtituendo, quandocunque violari eam contigerit. Hæc cautio ab inventore ſuo Mutiana vocatur *l. hæres meus. ff de condit.*

VI. Caio hæreditas vel legatum relinquitur, ſi matrimonium contrahat, is verò ſpretis nuptiis religionem ingreditur, amittitne donationem? Non amittit ex benigna iuris interpretatione. Nam ſi in mentem veniſſet teſtatori de religione, probabile eſt, vel maximè donaturum fuiſſe. *Auth. de ſanctiſs epiſc.* §. *ſed & hac.* Quòd ſi teſtator expreſsis verbis ad nuptias aſtrinxit, ſtandum erit illius diſpoſitioni: quia fieri poteſt, ut ob ſpeciales, & neceſſarias cauſas matrimonium antepoſuerit. Idem dicendum, ſi alicui 100. aureos legarit, ſi nubat, 50. verò, ſi religionem intret: quia iuſtâ ad id cauſa moveri potuit. Contrarium tamen quibuſdam placet. *Molina D.* 207. *Vaſq c.* 8. *D.* 6. §. 2. *Roderic.* 11 *Q.* 128. *art.* 1. *Silv. V. Legatum* §. 1. *nu.* 13. & V. *Hæreditas* §. 4. *n.* 13.

VII. Conditio adiecta legatario, ut nullam religionem ingrediatur legatarius, pro non adiecta accipitur. *Primò* quidem, quia ſpirituale cõnubium æquiparari, imò præferri debet carnali. *Secundò.* quia talis conditio directè à religioſa, & perfecta vita avocat, per ſe autem, & directè ad matrimonium invitat. Dico *Directè* alia enim aliarum conditionum ratio eſt, ſi à religione indirectè, & per accidens avocant, per ſe autem, & directè ad matrimonium vocant. *Covar. l.* 1. *Var. c.* 19 *num.* 10. *Mol. lo cit. Em. Sa. V.* Legatum *n.* 34. *Tabiena V. Hæreditas. n.* 18.

VIII Aliquando legatis, & fidei cõmiſſis cauſa adiicitur, nunc vera, nunc falſa. Do, lego, 100. aureos, quia negotia mea curaſti, quia per te ex manibus hoſtium ereptus ſum: quid iuris in iſtis? *Silv.* §. 1. *num* 16. abſolutè pronunciat, nec demonſtratione, nec cauſa falſa legatum vitiari. Alii melius diſtinguunt. Vel error perſonæ cauſã dedit legato, vel non. Si nõ dedit, illæſum manet legatum, & per accidens ſe habet error. Si verò dedit, quemadmodum in aliis pactis & donationibus, ſic etiam in legatis actum irritum reddit defectu voluntarii. Quod demonſtrationem attinet, quantumvis falſa, non nocebit, ſi de perſona legatarii aliunde certum ſit, à teſtatore intentam fuiſſe. V. gr. Lego 100. aureos Miloni, qui in longa

longa platea habitat, legatum habebit, ſive in longa platea habitet, ſive in alia. Si vero non conſtet de perſona, & demonſtratio fiat circa qualitatem, quæ ſit cauſa finalis, vel conditio ſine qua non, V. gr. quia eſt conſanguineus meus, concidet omninò legatum propter eandem cauſam, id eſt, defectum voluntarii. *Lugo Diſp.24. ſect. 9.n.257. Salas de legib.* D.20. *Sect.* 15. *n.*121.

IX. In legatis piæ cauſæ error circa perſonam, locum, numerum, qualitatem, & ſimilia adiuncta non vitiat diſpoſitionem; quia illis vel mutatis, vel omnino ſublatis ſatisfieri poteſt teſtantis volūtati. Vnde ſequitur 1. Si erratum fuerit in nomine, nihil obeſſe. 2. locum mutari poſſe, ut ſi iuſſerit extrui Oratorium in loco prohibito. 3. ſi non reperiatur ſumma 100. V. gr. aureorum legata, capi poſſe eam, quæ reperitur. 4. ſi deſint pauperes, eccleſiæ dandum, & viciſsim, ſi eccleſia non indigeat, pauperibus. 5. quando incertum eſt, ab epiſcopo, aliove prælato decidi poſſe. *Franc. Marcus deciſ* 858. *Angel. Silv. & alii Summiſtæ.*

X. Legatorum capaces ſunt iidem, qui hæredes eſſe poſſunt. §. *legari. Inſt. de legatis* modo fraus & immoderatio abſit. Card. Lugo *diſp.*24. *Sect.*7. Excipe 1. ſpurios, quibus à teſtamenti, & legatorum participatione excluſis alimenta congrua debentur. *l. Is cui. ff. de alim. & cibariis legatis.* Excipe 2 FF Minores, & Capuccinos, qui teſtamenta reiiciunt, & pia legata admittunt. *c. Exiit. §. ad hæc quia fratrib. de verb. ſignif. in 6. Extrav.* 1. *V. Porro ut circa ſepulturam de Privileg.* Vbi tamen duo obſervanda ſunt. *Primò*, ne legatum adeò pingue ſit, ut vel relinqui in fraudem, vel nomine legati hæreditas relinqui videatur. *Clem. Exivi* §. *Cupientes. de verb. ſignif. Roderic.* 11. *p.*127. *Coton. in Sum.* Dian. *V. Legatum num* 4 *Secundo*, ne conditio vel modus apponatur ipſorum inſtituto contrarius V. gr. ne legetur vinea, ut eam ipſi colant, & fructus percipiant: vel pecunia, ut emantur veſtes duplices, ornamenta ſupervacua, & ſimilia. De hortis pro recreatione, & neceſſariis victualibus alia ratio eſt. *Suarez* 4. *de Relig. l.* 4. *c.* 9. *Rod l. cit. Sanchez l* 7. *Moral c.* 17. *Laym. l.* 3. *Tract.* 5. *c.* 10. *num.* 4 §. 2. *dixi.*

XI. Quod domos profeſſas Societatis Ieſu attinet, ut ſupra inſinuatum eſt §. 5. *nu.* 5. Tam pia legata, quàm hæreditates admittunt eo modo qui in *Par.* 6. *Conſtit. c.* 2. §. 5. præſcribitur. Immobilia, & parum neceſſaria vendi poterunt. Neque irritam diſpoſitionem, aut donationem conditio impertinens facit, ſed pro non adiecta numeratur: contraria verò vitiat. Præterea licet ex annuo reditu pro domo, vel eccleſia actionem, & ius civile non acquirat, hæres tamen in conſcientia præſtare tenetur. Non enim prohibetur ea recipere Societas, cùm offeruntur, ſed tantùm per iuris actionem exigere, quando negantur, aut differuntur. *Suarez l. cit. Sanchez l.* 7. *Moral c.* 27. *Molina diſp.* 195. *Laym l.* 3. *Tr* 5. *c.* 10. *n.* 6.

XII. Legari poſſunt, quæcunque ad teſtatorem ſpectent, etiam ſola Spe, & expectatione: iura quoque & actiones: imò res alienæ ita ut hæres illa teneatur reſtituere. §. *Non ſolùm. Inſtit. eod. l. Cùm alienam.* C. *de legat.* Card Lugo *Diſp.* 24. *S.* 19 *nu* 266.

Comitol.

Digitized by Google

Comitol.l.7.q.6. Idem dicendum, ſi res pro pignore obligata ſit: illam namque hæres redimere tenetur, & legatario liberam dare. §.*ſed etſi Inſtitut. eo Tholoſ. l. 42.c.32.* *Limita* 1. niſi teſtator ignorabat rem alienam eſſe, vel obligatam: aut ſi ex circumſtantiis colligatur non legaturum fuiſſe ſi ſciviſſet. 2. niſi ipſius hæredis aliqua res legata ſit. Tunc enim non niſi ipſi conſignanda eſt, quamvis ad ſe pertinere teſtator exiſtimaverit. §. *ſi rem ff de leg.* II.*l. Africanus.*§.*conſtat ff de leg. l. cum alienam C de legat.* Comit.*l 7.quaſt.* 6. *Laym.l.3.tract.5 c.10.n.7. Silv. V. Legatum III n.1.Em.Sa n.* 30.

XIII. Sitne eadem res numero, quam teſtator nominavit, præſtanda legatario vel potius alia ſubſtitui, a multis ſæpè petitum eſt *Reſp.* Abſolutè loquendo intentionem teſtatoris ſervandam eſſe cum nihil obſtat, una omnium ſententia eſt. Obſtat verò interdum vel rei legatæ conditio, vel operis faciendi, vel importunitas temporis; in quibus caſibus fieri commutatio poteſt, auctoritate Superiorum Papæ, Epiſcopi, vel alterius Prælati, quamvis in teſtamento addita eſſet clauſula, nec in alium uſum pecunia convertatur. Nam teſtatoris voluntas ſecundùm jus commune interpretanda eſt, ut res magis valeat, quàm pereat. *c. Abbate de verb.ſignif.Comitol.l.7 q 9.num.2. Layman. l.3 tract. 6.c.11. Tuſchus Concl.* 113. *&* 114. *Franc Leo part.2.c.26.num.48. Diana par. 2.tract.17.reſol.26.* Hinc ſequitur 1. ſi is, cui legatum eſt aliquid, ut trans mare peregrinetur, ſi via impedita ſit, factuum ſatis, ſi ad alium ſimilem locum vadat. 2. ſi quod modo fieri non poteſt, alio tempore videatur poſſe, differendum eſſe, uti ſi pro neceſſitate belli ſacri aliquid legatum fuerit. 3. ſi per errorem teſtator in circumſtantiâ loci, vel modi defecerit, jubendo v g. ut in loco aliàs prohibito templum extruatur, non legatum, ſed locum mutandum eſſe. *Franc. Leo in theſ. Eccleſ par.2 c. 26. num.51.* 4. Si quid jure civili prohibitum legaverit teſtator, irritum fore, in prophanis, in ſacris verò, cum ad pias cauſas diſpoſita facta fuerit, quamvis reſiſtere leges videantur, non idcò inutilis erit voluntas teſtatoris, ſed ad Eccleſiæ Prælatos judicium, & determinatio referetur. *Gloſſ in V. Apoſtolica de relig.dom.Silv.V.Legatum IV num.11.Covarr.in c.Tua.de teſtam Zerola pa t 1.V. Legatum num 2.Fran Leo l.cit.Card Lugo Diſp. 24.Sect 13 Zypaus l. 3. Reſponſor. de teſtament. num.* 1.

XIV. Legatum deficit, ſeu caducum efficitur duobus potiſſimè modis. *Primò* propter defectum in teſtatore, & rei ipsâ, ut ſi rem non exiſtentem nominet exiſtimans, revera ſupereſſe: vel ex illis aliquam quæ alienari non poſſunt, vel denique ſi legat homini mortuo, quem tamen inter vivos eſſe credebat. *Secundò* propter defectum legatarii, qui ante teſtatorem vitâ defungitur, vel efficitur ſervus pœnæ, vel ingrati animi argumentum præbet, teſtamentum inofficioſum vocans *l. Papinianus §. me ... ff de inoff. teſtam.* Denique ſi inter ipſum & teſtatorem graves inimicitiæ natæ fuerint, neque ceſſent: propter leves offenſas autem non fiet caducum. *l. ſi. inimicitiæ ff de his quib.ut indignis &c. Tholoſan l.42. Synt. c.33.Silv.V.Legatum I.num. 21. Roland. Rubrica 8.num.7 & ſeq. Schneidevvin. l. 2. Inſtit.tt.21. Mynſing.ibidem.*

XV.

XV Dubium eſt, ſi debitor creditori ſuo legavit aliquid nihil exprimens, an cenſendum reliquiſſe ad ſolutionem debiti, an potius in favorem? Non cenſeo in favorem reliquiſſe, ſi ex lege, vel imperio debebat: ſi autem contractus voluntarius cauſa debiti fuit, cenſeri poteſt contrariũ, legatum videlicet eſſe non animo compenſandi, ſed in favorem. *Arg. l un. § ſciendum C. de rei uxo. act. Tholoſan. l. 42. Syntagm c. 32. nu. 21. Roland. Rubrica 8. nu 28 Silv. §. 3. num. 12. Lugo D. 24. S 10. n. 263. Cardin. Tuſchus Concl. 141. Fachin. l. 3. v. 53.*

XVI. Denique legatorum effectus eſt dominii tranſlatio, quam teſtatoris voluntate ſtatim conſequitur legatarius etiam iacente hæreditate: poſſeſsionem vero non per ſe, & propria auctoritate adire permittitur. Pro remedio habet actionem ex quaſi contractu, hypothecariam & rei vindicationem; idque demum poſt hæreditatem aditam. *V. Azo in ſum. l 6 § 38. Treutlerum in Par 2. Diſp. 13 nu. 7. VVeſenbec. l 30 ff tit. 1. num. 8. Melonium Tit 39. num. 22 Bronohorſt Centur. 3. Aſſert. 63.*

§. IX.

De executione Teſtamenti.

I. EXecutorum duo genera ſunt. Vniverſales, & particulares. Particulares voco, cùm quis hæres inſtitutus eſt, vel ab inteſtato ſuccedit, & conſtituitur aliquis, qui executioni mandet voluntatem teſtatoris. Vniverſalis eſt, cùm præter animam defuncti nullus in particulari hæres nominatur, ſed conſtituitur aliquis, qui voluntatem defuncti exequatur. *Ex gr.* Titius ad pias cauſas teſtatur, hæredem inſtituit vel propriam animam, vel pauperes, aut captivos redimendos, non deſignando certum numerum, aut conditionẽ pauperum: huic propoſito exequendo qui à teſtatore præficiuntur, executores univerſales appellantur. Quod autem Vulgò Teſtamentarii nominentur, fieri peſsimo errore *Oldendorp in Lexico ait*, immemor illius, quod lex & norma loquendi conſuetudo eſt. *Molina D. 247. Barb. in c. Cùm tibi de teſtam. nu. 3. Silv. V. Teſtam. §. 11. n. 1.*

II. Executio teſtamenti per ſe ad hæredem pertinet, ubi alius deſignatus non eſt: quam ob cauſam alii executores loco hæredis eſſe cenſentur. *c. Nos quidem. c. ſi hæredes de teſtam.* His etiam deficientibus Magiſtratus dat, qui ideò *Dativi* vocantur. *l Solent Iudices. §. 1. de alim. & cibariis legatis.* Pro legatis ad redimendos captivos, item relictis in alimenta pauperum, & eleemoſynas epiſcopos. *Auth. de eccleſiaſt. titul. § ſi quis* autem executores conſtituit. De qua re loci conſuetudo inſpicienda *Abb. in c. Nos quidem h. t. Covarr. de teſtam. c. 3 n. 11. Zerola Par. 2. n. 2. Mol. l. cit Layman l. 3. tr. 6. c. 11. Tanner 3. Diſp. 4. Q. 8. n 320.*

III. Pro executoribus à teſtatore nominari poſſunt, unus aut plures pro libitu, clerici, laici, & mixtim, maſculi, feminæ, religioſi quoque ſpecialibus ſtatutis non prohibiti. *c. Nos quidem c. Tua nobis. c. Ioannes. de teſtament. l à filio ff de alim. leg.* quia ultimæ voluntatis cura, & executio piis operibus annumeratur. Quoad religioſos limitandum monet *Silveſter*, exequi poſſe, ſi à Superioribus ſuis licentiam

Digitized by Google

habeant: quod etiam *Covar. tangit in c. 17. Tua nob.* addens coram Iudice ordinario conveniri poſſe de culpa, & fraude: cogique, ut adminiſtrationis ſuæ rationem reddant. *Clem. Exivit. §. Verùm de verb ſignif.* Romanus *conſ.* 409. *Sanch. in Prac. Decal. to.* 11. 16. *c.* 11. *Card Lugo* D. 24. *Sect.* 16. *Armilla V. Executor n.* 2. *Vaſq. c.* 9. *§.* 3. *Dub.* 1. Religioſos pro executione facienda ita Superiorum conſenſu indigere, ut eo neglecto invalidè operentur, *VVadingus probat Diſp.* 4. *dub.* 13. *§.* 4.

IV. Deſignatus executor à teſtatore nō tenetur ſuſcipere munus oblatum, nec ad id cogi poteſt. *Panor in c. Ioa. h. t. & Barb. ibid.* Quoad pia legata tamen cogi ab epiſcopo poſſe non ut executorem, ſed delegatum, ut in qualibet alia, delegatione *c. Paſtoralis de off. d: leg existimat Silveſt. §.* 2. *num* 3. Alias non niſi poſt ſuſceptum munus exequendi, Epiſcopo & Vicario ipſius permittitur compellere reſtitantes Modus facillimus eſt per ſubtractionem emolumēti, quod ex teſtamēto expectāt: non excludendo alias pœnas, & cenſuram eccleſiaſticam. *Auth. de eccl titul. §. ſi autem.* Conc. *Trid. S.* 22. *c.* 8. *Nav. conſ.* 3. *de Relig. domib. Covar. in c. Nos quidem Abb. in c. heredes. Zerola. Par.* 1. *nu.* 8. *&* 9. *Vallenſ l* 3. *tt.* 27. §. *ult.* qui addit, etiam à Principe ſæculari executores modò laici ſint, compelli, & puniri poſſe non tantùm propter negligentiam, vel culpam in ſæcularibus, ſed piis quoque legatis, ita ut mixti fori hæc cauſa ſit. *Novella* 131. *de eccl. titulis c.* 10. *& c.* 11. *l. Hereditas ff. de hered. Abb. in c. Si heredes h. t Laym n.* 12. *&* 13. *Zerola Par.* 1. *n.* 11. *Sanch. de matrim. l.* 2. *D.* 250. *nu.* 1. *Tanner.* 111. *Diſp.* 4 *Q.* 7. *num.* 322. Quod ſi hæres negaverit quicquam ad cauſas pias relictum eſſe, inque ea negatione perſiſtat uſque ad ſententiam, condemnandus eſt in duplum. §. *Item mixta Inſtitut. de actionib. Tabiena V°. Hered. n.* 15.

V. Quando certum executioni terminum defunctus non præfixit, unius anni ſpatium ſalva obligatione iuris naturalis, pro teſtamēti executione ad effugiendam pœnam Canones indulgent: quo finito, ſi ſatis non fecerint voluntati teſtatoris, qui nominati ſunt, ius exequendi ad epiſcopum transfertur. *c. Nos quidem h. t. Sanch l.* 4. *Conſ. c.* 1. D. 51. *Vallens. hic* §. 8. Etiam, quoad legata profana. *Dian. Par.* 1. *Tr.* 2. *Reſ* 99. Præmittenda autem monitio eſt, (unicam ſufficere putem) ita ut annus currat à die monitionis factæ per epiſcopum: ignorantes & impediti excuſati ſint. *Baldus in l captatorias* C. *de teſtamen. mil. Felinus in c Cùm inter numo* 20. *de except. Barb. in c. Nos quidem. Tholoſan. l.* 42. *Syntagm. c.* 36. *Melonius Tit.* 26. *num.* 57. Piorum legatorum executio ultra ſex menſes differenda non eſt: imò cùm nihil obſtat, quantocyus complenda, etiam nondum adita hæreditate quia terminus à iure præfixus nō tollit obligationē naturalē *Panorm. ad c citat. Vallenſis* §. 8. *Covart. in c. ſi heredes n.* 5. *Tholoſ loc. cit. Boer. deciſ tt. Em. Sa. V. Legatum nu.* 22. *Sanch. l.* 4. *c.* 1. *Diana Tom.* 11. *Tr.* 5. *Reſ.* 59. *Card Lugo D.* 24 *Sect.* 11. *n.* 296. *Armilla n.* 18.

VI. Executor teſtamentarius pecuniam uſui pauperum deſtinatam ſibi, ac ſuis paupertate, & inopia laborantibus applicare poteſt. Neque enim quia diſtributoris officio fungitur, donationis gratia privatur, ut deterioris conditionis ſit in pari

causa.

Digitized by Google

cauſa. Idem permittitur Religioſo cùm fuerit diſtributor, ut ſuo monaſterio & fratribus eleemoſynam communicet, quam aliis pauperibus erogare poſſet. Nemini debet eſſe damnoſum officium, ſed potius lucroſum *l. Sed ſi quis ff. de teſtam. Panorm. c. cum in iure de off. de legati Angel. V. Eleem. nu 3. Silv. §. 11. n. 2 Bonac. To. 11 p. 670. Card* Lugo *Diſp* 24. *Sect. 11. nu.* 297. *Sanchez l. 6. Moral. c. 11. nu. 54. &c. c. 1.* D. 58.

VII. Merus exequutor (qui non ſimul legatarius eſt, vel aliud emolumentum habet) non poteſt in iudicio convenire hæredem, & debitores de præſtandis legatis non piis, ſed Iudicis auxilium implorare debet. B*art. in l. ſi quis Titio ff. de legatis* 11. Aliis executoribus tum adverſus hæredem, tum adverſus alios bonorum defuncti poſſeſſores agere licet. *l. Nulli leg. ſi quis ad declin.* C. *de epiſc. & cler. Azo. in Sum l 6. §. 38. Abb in c.* Ioannes *h. t n. 4. Covar. n. 5* Mol. *D* 149. §. *Quod ad ultimum Angel. Silv. Armilla, & alii Summiſtæ. Schneidevv l. 2 Inſt tt. 23. § ſed quia Laym. l. 3. tr 6. c. 11. n. 15.*

VIII. In defectu executorum, cùm nemo exigit, vel exigere poteſt debita legata, Magiſtratus eccleſiaſticus, vel ſæcularis hæredem urgebit, ut ſatisfaciat. *Abb. in c Nos quidem.* De teſtam Hoc quoque deficiente executor erit. *Epiſcopus Sanch. l.* 4. *Conſ c. 1.* D. 43. *Coton. in Summa Dian. V. Teſtam executor. nu* 4. Ad eundem pertinet, ea quæ FF. Minoribus piorum hominum liberalitate aſſignata ſunt, ut præſtentur, ſatagere: quandoquidem nulla ipſis in foro iudiciali actio permittitur. *c. Exiit. §. Cæterum. de verb ſign in 6.* quan quam prædicti FF. extra Curiam admoneꝛe poſſint, & rogare Iudicem, ut officii ſui memor cunctantes ad ſoluendum impellat. *Roder. To. 11 Q. 126. ar. 4. Sanch. l. 7. Mor. c. 26. nu. 62.* Martha *de iuriſd. Par. 2. c. 10. Zypa. eod. l. 1. c. 61. Sanch. l. 2. Conſ c. 2. D. 32. Roland. Rubrica* 40. Tholoſ. *l.* 42. *Syntag. c. 36.*

IX. Executoris teſtamentarii munus finitur, & deſinit 4. ſequentibus modis.

I. Ipſius executoris morte. Mors enim omnia ſoluit. *§. Solvitur Inſt Pro ſocio.* Atque in hoc pari paſſu tutor, & executor ambulant, qui nomen ſuum morte naturali vel civili (quæ eſt deportatio) amittit.

2. Lapſu temporis præfiniti puta anni ad exequendum conſtituti à lege. *Nulli C. de epiſc. & cler.* Idem fiet, ſi aliud tempus à Magiſtratu, vel republ. præfixum fuerit, vel etiam ipſo teſtatore.

3. Finitur ſententia Iudicis declaratoria, quòd ſit privatus, dummodò tranſierit in rem iudicatam. *c. Cùm inter de re iud. l. præſes.* C. *eod.*

4. Finitur operis complemento, cùm nihil reſtat agendum *l Cum Syllanianum. c. de his, quib. ut indign. hær. auf* Nam magis attenditur finis, quàm principium. *l 1. §. hoc interdictum de aqua quotid.* Hinc colligitur, officium hoc ad nullum hæredem, vel ſucceſſorem prorogari, quia non Dignitati ulli, vel titulo affixum eſt, ſed perſonæ ſpecialiter electæ attributum. *Sanchez l. 4. Conſil. cap 1. D. 41. Angel. V. Executor n. 7 Silv §. 2. n. 4. Armilla. n eod. Francus c 2 n. 6. Iacob à Canib. Par 3 n 15.*

* * *

§. X.

De revocatione teſtamenti.

I. ELegans eſt ſecundùm Legiſtarum grammaticam gnome, *Ambulatoria eſt voluntas defuncti uſque ad vita ſupremum exitum. l. 4 ff de adem. leg.* Quod idem alio tropo Theologi dicunt, nondum defunctos in via eſſe, indeque huius ſæculi cives *Viatores* appellant Nam ſicuti ambulans in via ſua, reſpicere reſiſtere, retrogredi, pro arbitrio, ſic corrigere voluntatē ſuā, augere, minuere, & omninò immutare teſtator poteſt. *Gall. l. 2. Obſerv.* 117. *Iul. Clarus Q.* 93. *hoc tt.* Generatim igitur loquendo factum ſemel teſtamentū tolli & abrogari poteſt; altero legitimè cōdito, vel priore rupto, & deſtructo. Neq, ſatis exiſtimes, dixiſſe *Nolo, quod feci, teſtamentum valere: non agnoſco ut legitimum, tollo, abrogo:* quia contrarium legibus ſancitum eſt. *l ſi unus de ſeptem. L. Noſtrum C de teſtam.* Covarr. *Par* 2. *num.* 21. *Mol.* D. 153. *Vaſquez c.* 2. *Dub.* 1. *VVeſenb l.* 28. *ff tt.* 3. *Leſſ. c.* 19. *Dub.* 8 *Layman l.* 3. *Tract.* 5. *c.* 4. *num.* 1. *Sanch. l* 4. *Conſ. c.* 1. D 16.

II. Factum inter liberos teſtamentum illæſum manet, à quocunque ſubſecuto, niſi reliquis ſolennitatibus teſtator addiderit, ſe nolle prius teſtamentum valere. *Auth. de teſtament.* Laym *lo cit num.* 2. §. *Hoc verò.* Excipe 1. cùm in poſteriori teſtamento etiam liberi hæredes inſtituuntur, iuxta doctrinam. *Clari p. citata, & Gloſſ in Auth. de teſtam imperfectis. c.* 3. *V. Perfecta Rolandin. hoc tt. Rubr.* 36. Excipe 2. ſi cauſa pia pro hærede nominetur in ſecundo. Tunc enim nulla Iuris ſolennitas neceſſaria eſt, ſed ſufficit, voluntatem teſtatoris cognitā eſſe. *Abb. Roland Rubr.* 36. *Sanchez L.* 4 *Conſ. c.* 1. *Dub.* 7. *Leſſ. c.* 19. D. 3. Similiter cauſa pia valebit in dubio, ſi inter duo teſtamenta diſcerni non poſſit, utri deferendum ſit. *Tiraquel. de privil. piæ cauſæ* 35. *Iul. Clar. Q. ult. Guido Papa in Tract. de præſumpt. nu.* 30. Illud enim præſumitur poſterius, in quo ad pias cauſas eſt facta diſpoſitio.

III. Quando in primo teſtamento addidit proteſtando teſtator, velle ſe, ut quodlibet poſtea quomodocunque conditum valeat, nihilominus ſi aliunde nihil obſtet, valebit primum, niſi addita fuerit clauſula ſpecialis derogatoria. *Non obſtante prioris teſtamenti clauſula &c.* Nemo enim ſibi legem dicere poteſt, ut à priori voluntate recedere non liceat. *l.* 1 *ſi quis in principio ff de legatis* III. *Rolandin. Rubr.* 32. *Covar. Par.* 2. *num.* 59 *Fachin. l* 4, *Controv. c.* 92. *Molan de teſtam. c.* 49.

IV. Nec iuramentum obſtare, quo minus revocari poſſit prius teſtamentum, cenſent non pauci. *DD. apud Didacum Covar. l. cit num.* 48. *Vaſquez c.* 1. *Dub.* 3. *Rolandinum Rubrica* 32 *in Additione num* 3. Teſtamentum enim, *inquiunt*, naturâ ſuâ revocabile eſt, neque per iuramenti appoſitionem immutatur. Sed fundamentum hoc firmitate caret Nam revocabile eſt teſtamentum non in qualibet conſideratione. & eventu, ſed quando in ſe & ſolitariè ſpectatur. Aliàs nec promiſſio ulla, aut contractus natura ſua mutabilis firmaretur iuramento, fieretque irrevocabilis, quod manifeſtè falſum eſt. Valet ergò

Digitized by Google

ergò Theologorum regula. Servandum eſſe juramentum, quandocunque ſine præjudicio ſalutis æternæ ſervari poteſt, quemadmodum hic uſu venit. Eſt enim de re per ſe licita & honeſta. *c. quamvis pactum de pactis in 6 Tuſchus Concluſ. 151. Barboſ. in c. quamvis de pactis in 6. n. 27. Leſſ. c. 19. dub. 8. n 95* Unde ſequitur neceſſario teſtamentum juramento ſtabilitum mutari non poſſe abſque peccato perjurii illius, qui revocaret. Sed occurrit ſtatim alia quæſtio. Si ſpreta juramenti religione Titius ſuum teſtamentum revocet, ea revocatio valida ſit, & prius teſtamentum evertat?

V. Validam eſſe ejuſmodi revocationem, & prius teſtamentum evertere, probatur 1. quia Juramentum imperare quidem poteſt, & conſtringere animum, ut non liceat contrarium attentare, non tamen auferre libertatem diſponendi aliter de bonis, & teſtandi: hac igitur manente prima diſpoſitio ad libitum mutatur, quamvis interveniente peccato. 2. Titius Bertæ juravit, ſe non aliam, ſed ipſam matrimonio juncturum, mutata poſtmodum voluntate matrimonio ſibi jungit Corneliam, contractus valet. *Sanchez l. 1 de Matrimon Diſp* 48. *num* 4. 3 promiſiſti me fore procuratorem negotiorum tuorum, nec revocaturum eſſe juraſti: ſi tamen revoces, deſinit officium meum Procuratoris. Idem ergò in ſecunda teſtamenti editione fiet. Illicita, ſed valida eſt. Verùm, *inquis*, in primo teſtamento hæres inſtitutus, cum ut ſuppono, ſciverit teſtatoris mentem & juſjurandum acceptavit, indeque jus ad rem acquiſivit, pro ſe, & ſuis proximis hæredibus. Eo jure per alterius infidelitatem, & inconſtantiam privari non debet. Ita eſt, ſatisfaciendum propterea illi erit per ſecundùm hæredem, ne teſtator ex perfidia ſuâ lucrum, & ſpretus hæres pro lucro damnum reportet. *l. ſi quis ff. de leg.* III. *Covarr. part.* 2. *num.* 19 *Anton. Gomez in leg.* 3. *Tauri num* 93. *Silv. V. Iuramentum* §. 4. *num.* 12. *Leſſius c.* 19. *D.* 8. *n* 98. *Vaſqu c.* 2. *D.* 3. *Fill tr.* 34. *c.* 7. *n* 17. *Rolandin. Rubrica* 12. *ci. fin. Gregor. Lopez, Burgos de Paz part* 2. *l.* 3. *Taur. Sanchez l.* 4. *Conſil. c.* 1. *Dub.* 17. *Benedictus c. Raynuſius de teſtamen. Armilla V. Teſtam num.* 4 *Tabien. ibid. nu.* 12. *Gutierez de iuram part.* 2. *c.* 1.

VI. Teſtamentùm legitimè factum ante ingreſſum religionis, per profeſſionem non rumpitur, ſive Monaſterium capax ſucceſſionis ſit, ſive non ſit, etiam quando faciens teſtamentum cogitaſſet de ingreſſu Religionis, & nihil omnino Ordini, aut Monaſterio legaſſet. *Franc. Arer. ad l.* 1 *ff. de teſt. Panorm in c. In præſentia n.* 52. *Felin ibid. num.* 54 *de probat.* Nam qui aliter ſentiunt & loquuntur, nullo ſtabili fundamento nituntur. Loco filii, dicunt aliqui, Monaſterium eſt, adeóque quaſi agnatione poſthumi teſtamentum rumpitur. In caſibus jure expreſſis concedo, inter illos autem noſter non invenitur. Profeſſus capite minuitur. Gratis hoc aſſerunt, & latè refellitur à *Cuiacio in Novella* 5. Sufficit, *aiunt*, contraria profeſſi voluntas, qui ſe ſuaque omnia Deo & Ordini conſecrat. At conjectura hæc, & præſumptio per actum & diſpoſitionem expreſſam eliditur, neque ſufficere poteſt ad tollendum prius factum teſtamentum, ſed requiritur alia explicita voluntas ſolenni ritu conteſtata §. *ex eo autem ſolo Inſtit. quib. mod teſtam.*

infirm. & l. Sancimus C. de teſtam. Leſſ. c. 41. Dub. 10. Nav. Com. 2. de Regular. num 51 Iul. Clarus §. Teſtam. q. 28 num. 4. & 5. Molina De primogeniis c. 6. num. 44. Fachinaus l. 6. c. 14. Manuel. tom. 2. Summâ c. 7. Sanch. l. 7. Mor. c. 3. n. 34. Em. Sa. hoc tt. n. 38.

VII. Hæres tamen in prædicto teſtamento inſtitutus non poteſt factâ profeſſione teſtatoris ſtatim adire hæreditatem, ſed expectanda eſt mors naturalis profeſſi: puta ſi Monaſterium capax eſt ſucceſſionis. Ita communiter DD. *ex l. cùm pater 79 §. Hæreditatem ff. de Legat. II. & l. ſtatius 48. §. Cornelio. ff. de Iure Fiſci,* ubi decernitur, fideicommiſſum relictũ in diem mortis, non cedere fideicommiſſario, ſi gravatus deportetur & ita civiliter moriatur, ſed à die mortis naturalis: interim verò ad fiſcum pertinere. *Ratio* additur, quia fieri poteſt, ut ante gravatum fideicommiſſarius moriatur: quæ omnia in noſtro caſu valent, cùm profeſſus deportato ſimilis ſit & civiliter mortuus. Unde ſi illius hæres & legatarii ante ipſum moriantur, tota hæreditas Monaſterio cedet, quod ſupponimus ſucceſſionis capax eſſe. In iis enim quæ non poſſ. ſuccedere, probabilius eſt ſtatim à profeſſione factâ executioni mandari poſſe teſtamentum. Nam profeſſi in ejuſmodi clauſtris habentur quaſi non eſſent, naturaliter etiam mortui: neque ullus eſt, qui perſonam illorum repræſentare, & vice illorum capere, aut frui bonis poſſit. *Bartol. l. 1 num. 7. de teſtam. Ibid. Bald. num Vn. Gutieres l. 2. c. 1 num. 18. Iul. Clarus q. 28 Navar. Comm 1. de Regular. n. 54. Covar. c 2. num 6. de teſtam. Molin. diſp. 140. Manuel qq. Reg. Tom. II. q. 80. art 1. Alex. Conſil 13 Vaſquez c 5. Dub. 4. de reditibus. Barth. Sozinus Conſil. 92. n. 2. l. 1. Sanchez l. 7. Mor. c. 3. nu. 68. Surdus conſil. 90 n. 7. Silv. V. Hæreditas §. 1. n. 10. Azor. Tom. I. l. 12 c. 6. q. 5. & c. 8. q. 6.*

VIII. In tribus caſibus abrogari poteſt teſtamentum quamvis ſolenniter confectum ſolâ voce, aut ſaltem minus ſolenni diſpoſitione. 1. Si poſt decennium à tempore primi teſtamenti, illud coram tribus ſaltem teſtibus Auctor revocet. *l. Sancimus C. eod. & ibid. Gloſſa.* 2. Si volens inteſtatus mori id ipſum coram teſtibus dicat: quia in tali voluntate hæredum ab inteſtato ſuccedentium inſtitutio tacita continetur, quemadmodum ex communi DD. ſenſu tradit *Iul. Clarus q. 92. de teſtam. Didacus part. 2 num. 80. & pleriq; alii ex l. 1. §. ſi hæres ff ſi tabulæ teſtamenti nullæ extabunt. Roland. de ult. volunt. Rubr. 36. in addit.* 3. Quando hæres extraneus inſtitutus eſt, in teſtamento priore, per minus ſolenne, quo ab inteſtato venientes inſtituuntur, dummodò quinque teſtes adhibeantur. *l. Hac conſultiſſimâ C. de teſtam. ubi Gloſſ. declarat. in V. Sancimus.* Excipe. Si cauſa pia in priori teſtamento inſtituta fuit. Non tollitur enim, niſi per aliud ſolenne juxta doctrinam *Abb. part. 1. conſ 11. præſumpt. 2. Tiraquell privileg. 53. Sanchez l. 4. Conſilior. Dub. 16.*

IX. Teſtamentum per ſe concidit, & pro nullo habetur in his 4. caſibus. 1. Si auctor teſtamenti deprehendatur inhabilis ad teſtandum propter defectum conditionis alicujus requiſitæ. 2. Si nullus hæres, vel hæreditatis incapax pro hærede inſtitutus eſt. 3. Si præteritus eſt jam natus, quem inſtituere hæredem oportuit. 4. Cùm legitimus numerus teſtium

Digitized by Google

ſtium deſideratur, vel aliud quid ad eſſentiam teſtamenti neceſſarium. *Inſtit. quibus modus teſtament. infirm. Angel. num. 7. Silv. §. 1. num. 6. Armilla num. 10 Clarus hoc tt. quaſt.* 89. Præterea quamvis ritè factum irritari poteſt. 1. Si poſthumus naſcatur, vel ſi poſt teſtamentum factum arroget ſibi filium: vel ſi ſuus poſtea fiat, qui tempore teſtamenti non erat. 2. Si teſtator capite minuatur, nec recipiat libertatem. 3. Si exhæredationem ſuam accuſet, & per ſententiam obtineat hæres. 4. Si inſtitutus hæres non adiit libertatem, vel antequam adiret, mortuus eſt. *Inſtit. l. cit. & Summiſta paßim Bartal. l 1. num. 10. ff. de Iure codicill. Treutler. Vol 11. Diſp* 10. *num.* 7. Annotat verò Roland. multum intereſſe, an teſtamentum ſit ipſo jure nullum, vel rumpatur per querelam, quia jus dicendi teſtamentum nullum eſſe, 30. annis durat: quando verò per querelam rumpendum eſt, unius anni ſpatium actori conceditur. *Bald. in l filio præterito ff. de injuſto teſtam. Roland. de teſtam. Rubr.* 17. *num.* 20. *Connanus l* 9. *Commentarior. Iuris civil. c.* 7.

§. XI.

Satisfit Dubiis de teſtamento.

DUB. 1. An teſtamentum alterius voluntati rectè committi queat. *Innoc. III. in c. cum tibi de teſtam.* ita reſpondit. Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus. ex quibus verbis magna & intricata hæc Quæſtio naſcitur, an valeat teſtamentum, quod meo nomine rogatus à me Sempronius faceret? Diſcordantes interpretum opiniones apud *Covarr. in Comm huius cap. & Barboſam invenies.* Neque enim operæ pretium eſt hic congerere. Sed Reſpon. Innocentii mentem eſſe, quod committens omnia bona ſua alicujus voluntati cupiat, ut velut illorum Dominus & hæres de illis diſponat ad pias cauſas, vel quatenus ad animæ ſuæ ſalutem conducit. Ita colligo ex DD. diverſis explicationibus, qui ferè conveniunt in duobus. *Primum eſt*, hæredis inſtitutionem ſoli teſtatori competere. *Alterum* electionem hæredis, & diſpoſitionem legatorum alterius voluntati & arbitrio relinqui poſſe: quæ duo optimè ſalvantur in ſenſu quem poſuimus. Nec video aliam viam magis planam & facilem, quâ Pontificis intentio eruatur. *V. Covarr. & Barb. Vaſquez tt. de teſtam. Sanchez l. 4. conſil. c. 1. D. 1. Zypæus in Enar. anal. pag.* 193. *Eberh. Conſil* 60. *num* 30. *Dices.* Sic inſtitutus erit hæres abſque hæreditate, merum & inane nomen.

Reſp. 1. Poterit falcidiæ beneficio ex omnibus bonis quartam partem capere ſic interpretando mentem teſtatoris *2.* ſi indiget, ſui quoque in diſtribuendo memor erit, quod permitti *ex §. præced.* liquet. *3.* quia teſtatori pro hærede ſeipſum ſeu animam ſuam inſtituere licet, in dubio non cenſebitur alius hæres, cui bona commiſit, merus executor, vel commiſſarius vocabitur. 4. practicorum hoc tempore doctrina eſt, *teſte Zypæo in analyt. Enarr. pag.* 194. non requiri hæredis inſtitutionem in quolib. teſtament

mento: poſſe etiam teſtatorem decedere partim teſtatum, partim inteſtatum. Quod ſi verum eſt, nihil abſurdi *Innocentius* aſſeruit *in c. cita.* dicens non videri inteſtatum decedere, qui voluntatem ſuam in alterius diſpoſitionem committit, ut vel neglecto hæredis titulo diſponat pro ſalute animæ ſuæ de bonis à ſe relictis. *V. Molinam Diſp. 134. cir. fin. & Diſp. 157.* ubi adductis pluribus, & hæredis inſtitutionem, & legata alterius voluntati commiſſa, communi jure Cæſareo pro invalidis habet.

Dub. 2. An juris naturalis ſit quod aliquis non poſſit teſtatus, & inteſtatus decedere? Non poſſe quem decedere partim teſtatum, & partim non teſtatum, pro certa Regula habetur. *l. Ius noſtrum, ff. de Reg. Iur. Clar. in §. Teſtamentum q. 16. in princ Bart. Conſil. 156. lib. 1. Franc Tigurin. Conſ Bart. 81. & alii.* Rationem dant, quia Jus accreſcendi obtinet, ita, ut ſi inſtitutus in parte adeat, cenſeatur in toto adire per jus accreſcendi etiam invitus, & ignorans. Quod de ordinario & communi modo procedendi verum eſt. Sed ab eo recedendo, & rem altiùs contemplando quæritur, an nullo modo poſſibile ſit, decedere aliquem partim teſtatum, & partim inteſtatum?

Reſp. *Card. Lugo D. 24. Sect. 8. n. 140.* in hoc ſenſu Juris naturalis eſſe, quòd ſaltem virtualiter, & interpretativè non ſit teſtatus de omnibus. Vel enim cogitavit de parte bonorum omiſſa, vel non. Si cogitavit vel ideò eam non attribuit hæredi, quia aliter de ea voluit diſponere, & oblitus fuit: tunc verò manet hæredi inſtituto ſicut legata, quorum Domini deſunt. Si verò voluit de ea parte diſponere, eo ipſo cenſetur velle ut hæredi obveniat ab inteſtato: atque ita jam virtualiter de ea diſpoſuit. Si autem omnino de aliis bonis, utpote oblitus, non cogitavit, eo ipſo præſumitur relinquere hæredi à ſe inſtituto, quem aliis omnibus prætulit. Ita ferè Lugo nimium fortè præſumens. Cur enim in caſu oblivionis non præſumimus velle, ut bona non aſſignata hæredi in ſubſidium pauperum impendantur? hoc enim videtur potius & probabilius? quia hæredem directè excluſit ab illis, certam partem attribuendo: pauperes verò, Eccleſiam aliaſque pias cauſas directè non excluſit. Cùm ergò quilibet ſalutis ſuæ memor in extremo vitæ articulo exiſtimetur, meritò præſumitur bona ſuperflua in pios uſus velle diſtribui: nec plus hæredis ſui commodo quàm propriæ ſaluti conſulere arguatur. Manet nihilominus, etſi hoc daretur, non decedere teſtatum & inteſtatum: ſed nondum liquet an ex jure naturali id proveniat? Quid enim, ſi quis directè vellet non niſi de dimidio bonorum ſuorum teſtari, reliquum verò nollet hæredi accreſcere, ſed ſimpliciter deſerere. Veniet id quidem, ubi conſtiterit, in manus Fiſci (poſito hæredes neceſſarios deeſſe) verùm nihilominus erit, partim teſtatum, partim inteſtatum decedere: ac proinde non eſt ex natura rei inſolubilis nexus inter illa duo, ut ſimul, & nunquam ſeorſim inveniantur. Nec facile eſt in praxi evenire quod inter Gymnaſii parietes ſpeculamur, ita rerum ſuarum quenquam ignarum, & immemorem eſſe, ut numerum earum, pondus, & menſuram ignoret? Aulam potius, ut Plautinus ille auri plenam vi

ſumma

Digitized by Google

ſummâ ſervat miſeris affectus modis. *l. Ius noſtrum ff de Reg Iur. V. Inſtit. de hæred. Inſt.* §. *Hæreditas l. Ius noſtrum ff. de Reg Iur. Schneidevv. in l.* 2. *Inſtit.* §. *cit num.*6. *Card. Tuſchus. V. Teſtamentum Concluſ* 96. *I. Clarus* §. *Teſtamentum. q.*16.

Dub. 3. An Regis & ſupremi Principis poteſtate, addito teſtatoris conſenſu teſtamentum irrevocabile fieri poſſit? Negat cum pluribus à ſe citatis *Sanchez l.*4. *conſil. c.*1. *Dub.*19. Quod enim teſtamentum revocabile ſit, & non niſi teſtatoris morte confirmetur, non ex poſitivo aliquo jure, ſed naturali ſeu gentium, quod ex *c.*9. *epiſt. ad Hebr.* colligitur, ubi Apoſtolus probat, Vetus teſtamentum revocari potuiſſe, quia non interceſſit mors teſtatoris. Teſtamentum n. in mortuis confirmatum eſt, alioqui nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt. Nulla igitur via patet, qua teſtamentum irrevocabile fieri poſſit. Verùm *Card. Lugo* in iſta ratiocinatione nullum robur agnoſcit. Quia Apoſtolus non propterea aſſerit V. T. revocabile fuiſſe, quod mors teſtatoris deeſſet, ſed potius Chriſto moriendum fuiſſe, ut teſtamentum novum à ſe conditum ipſius morte confirmaretur, cùm vetus novi figura, non fuerit ſine animalium ſanguine dedicatum, qui ſanguis Chriſti ſanguinem præfigurabat, ut interpretes notarunt: quod non arguit irrevocabilitatem, ſed invaliditatem ante mortem teſtatoris, alioqui non teſtamẽtum, ſed donatio inter vivos eſſet. Præterea quamvis de irrevocabilitate loqueretur, ſufficit juris poſitivi eſſe ab omnibus recepti, volueritq; Deus in hac quoque teſtamenti conditione ſeu proprietate morem humanum ſequi, & illi conſentaneum loqui. Secundam hanc opinionem quæ verior apparet.

R. Principis poteſtate, addito teſtatoris conſenſu irrevocabile teſtamentum fieri poſſe. *Ratio* eſt. quòd obligare ſe nemo poſſit ad non revocandum, præcisè oritur ex lege civili, quæ ejuſmodi pacta irritat. Sublato igitur per contrariam legem tali impedimento non amplius irrevocabile erit teſtamentum. Sic enim donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum tollit poteſtatem teſtandi, & tamen facta Eccleſiæ approbatur legibus imperialibus. Poſſet ergò quis obligare ſe ad non revocandum teſtamentum, ita ut teneatur, ſi non obſtet legis alicujus, vel Principis auctoritas. Præterea certum videtur, poſſe quem in delicti pœnam privari poteſtate teſtamenti faciendi: quo facto morietur inteſtatus, & bona ſua relinquet hæredibus ab inteſtato. Is ſi teſtamentum prius feciſſet, ante delictum ſcilicet, & illius pœnam non teſtandi, privatus eſſet poteſtate revocandi illud, moriq́ue cogeretur cum teſtamento non revocato, & irrevocabili. Idem ergò ex rationabili causâ cum aliis ſubditis fieri poteſt. Unde ſequitur, non eſſe juris gentiũ, ut quælibet ultimæ voluntatis diſpoſitio revocabilis ſit, quamdiu teſtator vivit. Imo poſſet communi lege conſtitui, ut teſtamentum aliquod in particulari propter favorem hæredis & familiæ ipſius, ſit irrevocabile, quemadmodum *Mol. notavit D* 151. *Archid c. ultima voluntas* 13. *q.* 2. *Deci. in c. cùm acceſſiſſet de Conſt Cov. Rubr. de teſt. pa.*2. *n.*6. *Barth. de Bellenz add. ad Pan. c. cum Marth. de cel. Miſſ. Card Lug. D.*24. *S.*2 *n.*41.

Dub 4. An ſi teſtator miraculosè reſuſcitaretur, teſtamẽtum ipſius, ut agna-

tione poſthumi, rumperetur? *Iul. Clarus.* Quæſtionem hanc pulchram vocat, & raram, ac ſi contingat, ut in Lazaro, quē Chriſtus D.N. à mortuis reſuſcitavit, tenendum, quod Lazarus hæreditatem ſuā de jure recuperavit, & rupit teſtamentū ſi prius condidit, vel tanquam ipſemet, (non enim videtur defunctus, qui tam citò revixit) vel tanquam poſthumus, qui de novo natus eſſet. Ita tenuit *Gl. in l. ex his ff. de leg.* quæ in hoc communiter eſt approbata, ut dicit Alber. *in d. l. ex his n. 1. Alex. in l. ſi marito n. 5. ff. ſol matr. Ita Clarus.* cujus opinionem licet *Malder tr. 1. c. 11 de teſt. Dub. 10.* videatur approbare. *Card. Lugo* tamen apertè falſam pronunciat: quia mens teſtatoris fuit, ut ipſo decedente, loco ſui talis hæres ſuccedat, quæ eadem mens manet, ut poſt ſecundam mortem ita fiat; niſi interim poſt reſurrectionem revocet, prout poteſt. Bona tamen debere reſtitui, quia ea videtur mens teſtatoris fuiſſe, ut ſe omnibus aliis præferret. Magis enim ſe diligebat, quàm ſuum hæredem, quem ſolùm loco ſui ſuccedere voluit, quod à fortiori procedet, quando mortuus eſt ab inteſtato, cùm ipſe ſibi ſit omnium proximus. Sed ratio hæc ſi legibus conformis, & præſumptio, quâ nititur, proba, non ad bona tantùm externa, ſed alia quæcunq; bona & jura extendi debet, reſtituiq; ue reſuſcitatum in ſtatum, in quo an. mortem fuit, integrè, & perfectè. Diligebat ſe magis quàm quēlibet alium: ergò bona ipſi reſtituenda ſunt, ne alium ſibi videatur præferre. Dicamus ſimiliter, diligebat ſe magis, quam hæredem: ergò quæ hæredi attribuit, magis ſibi amabat, ne videatur præferre illū ſibi. Ac proinde dominium bonorum & omnia jura hæres illi reſtituere debet. Præterea, ſi præſumptionibus uti conceditur: omnino videtur teſtatoris mens fuiſſe excipere caſum adeò rarum & inexpectatum, quemadmodum affectus eſſe præſumitur erga poſthumum, qui naſceretur. Rogetur Titius ante mortem. Viſne teſtamentum tuum valere, etiamſi te contingat in vitam redire? haud dubie reſpondebit non velle: aliàs contra priorem illam præſumptionem magis alios, quàm ſeipſum diligeret, cupiens ut bonis abundent, ipſe verò ex divite in pauperem, & mendicum Lazarum mutaretur. Hinc colligitur I. Clari opinionem non eſſe apertè falſam, ſed cum oppoſita certare de probabilitate poſſe. *Anton Bardus de temp. utili c. 14. pag. 134.*

Dub. 5. Duo teſtamenta proferuntur eodem die confecta, & neſcitur utrum ſit poſterius, quid facto opus? Utrumque valere, & bona æqualiter ſcriptis hæredibus tradenda volunt aliqui, ita ut immediatè uterque hæres ſuccedat. Pro hac opinione citatur Rofredus, *Guil de Suza, & Molina Diſp. 153. §. quando eod. die* nec abhorrere videtur *Lugo Diſp. 24. Sect. 3.* & valere eam in Regno Hiſpaniæ aſſerit *Sanchez l. 4. conſil. c. 1. Dub. 22.*

Reſp. Cum in duobus teſtamentis nulla omnino diverſitatis, aut poſterioritatis nota apparet, utrumque rejicitur propter incertitudinem. *l. Duo ſunt Titii ff. de teſtament. tutela. Gloſſ. Bart. Dynus, Azo, Albericus. Corneus, Iaſon, Curtius Boerius, I. Clarus quæſt. 100. & alii apud Sanchez indicati.* Melius enim & juri conformius videtur permittere, ut hæredes ab inteſtato

ſtato ſuccedant, de quorum jure non ambigitur, quam hæreditatem relinquere illis, qui non niſi per ambages, & incertam præſumptionem ad ſucceſſionem nituntur.

Excipe 1. Niſi unus duorum poſſideret. Tunc enim juxta *Reg* 65. *Iu. in* 6. melior ipſius conditio foret & alterum excluderet.

Excipe 2. Si in uno teſtamento inſtitutus eſſet hæres extraneus, in altero ab inteſtato veniens. Hic enim abſque controverſia præferendus erit.

Excipe 3 Si ex Notarii, à quo teſtamenta ſcripta, Protocollo de poſterioritate aliquod indicium appareat, quo incertitudo minui videatur.

Excipe 4. Si in uno inſtituta ſit pia cauſa, vel ſaltem legatum aliquod ad piam cauſam. Illud enim pro rato habebitur favore piæ cauſæ, & animæ defuncti, qui meritò præſumitur illud malle, quod animæ ſuæ conducibilius eſt. *Anton. Gomez l.* 45. *Tauri num.* 149. *Sanchez & Lugo lo. citato. Tiraquel. de privil. piæ cauſa num.* 35. *Layman. l.* 3 *tract.* 5. *c.* 4. 5. *Hoc vero ſpecia iter ſtatutum eſt.* Phil. Decius in l. Edicto Divi Adr. C. de edicto Adr. toll.

Nota. Ad curam Magiſtratus, ac Principum ſpectat, ejuſmodi dubiis caſibus aliquâ deciſione remedium ponere: quemadmodum in Hiſpaniæ regno factum eſſ. *Padilla*, *& Gomez* affirmant *apud Sanchez lo. citat.* Si igitur contingat duo teſtamenta proferri, de quorum ordine nihil decidi poſſit, ex æquo dividetur, & uterque hæres ſuam dimidiam accipiet: adeoque corruent omnes exceptiones ſupra poſitæ. Neque per hoc injuria fit illis, qui alioqui ab inteſtato ſuccederent: ſi quidem illorum nulla in teſtamento facta mentio eſt, & ſuccedendi jus non abſolutam habent, ſed conditionatum, quando nimirum alius nemo ſupereſſet, cui teſtator bona ſua maluerit relinquere. *V. Sanch. lo. cit.*

Dub. 6. Utrum legitima filiorum jure naturali debeatur? Pro affirmativa parte facit *c. Ius naturale Diſt.* 1. ubi inter partes ſeu exempla juris naturalis ponitur liberorum ſucceſſio, & educatio *l. ſcriptur.* §. *ult. ff Vnde liberi.* ubi *Papinianus* ait liberos ad ſucceſſionem, & hæreditatem admitti parentum ſimul, & naturæ voto: quod votum in *l.* 7. *de bonis damnator. cod.* ratio naturalis, & lex quædam tacita appellatur, indeque *Gloſſ. infert*, propterea in dubio cenſeri parentes bona filiis ſuis relinquere: de qua præſumptione *Alciatus.* 1. *de præſum. pt.* 8. His accedit quod *Levitici c* 25. præcipitur Hebræis, ut hæreditario jure ad poſteros tranſmittant poſſeſſiones ſuas, & Apoſtolus in *epiſt. ad Galat.* 4. argumentatur. Si filius & hæres. Addere licet ſi hæres, ergò Dominus, & poſſeſſor bonorũ patris. Atque in hunc fere ſenſum plerique legum DD. & interpretes loquuntur, filiis quotam ſuam jure naturali deberi, ut videre eſt apud *Tholoſ. l.* 4. 2. *c.* 5. *Gaill l.* 2. *obſ.* 122. *num* 16. *Treuler. Vol.* 1. *Diſp.* 13. *num.* 11. qui merito & ſententiam illorum & rationes rejicit. Nam ſi legitima jure naturali filiis debetur, neque impii, ingrati aut ſpurii excludi poſſent, quod illorum nemo admittet. Item nec minui poſſet, nec augeri: quandoquidem Juris naturalis præcepta immutabilia ſunt. *l. Iur. ſang. ff. de reg. Iur.*

Digitized by Google

Iam verò non tantùm minuitur legitima, & tollitur aliquando, ſed in Aragoniæ regno lege permittitur exhæredatio ſine cauſa, datis exiguis alimentis. Potuit enim id fieri, *inquit Card. Lugo*, ad continendos filios in obedientia parentum, & comprimendam illorum inſolentiam, qua ſuo iure bona paterna ſibi promittentes de eorum mandatis parùm curabant. Ex his ergò manifeſtè ſequitur legitimam filiorum ſeu certam quotam bonorum non iure naturali, ſed ſuppoſita rerum diviſione ad ſummum iure gentium conſtitutam eſſe, ut parentibus filii ſuccederent in bonis relictis. Illud verò ratio & lex naturalis præcipit parentibus, ut quamdiu non poſſunt ſibiipſis comparare alimenta, parentes ſuppeditent.

Neque aliud citatæ leges & teſtimonia evincunt, quam naturæ inclinatione & affectu genitores propendere ad bonam educationem, & prolis ſuſtentationem: eodemque fine. & propter continuationem in eadem familia poſſeſſionis à Moſe præcipitur *Levit. 25.* ut hæreditario iure in filios derivetur hæreditas. Dici etiam poteſt cum Lugo legitimam eſſe iuris naturalis fundamentaliter; unde prædicta inclinatio, & commune parentum votum oritur. *Schneidevvin l. 2. Inſtit. tt. 18.* §. *ſed hæc Vaſq. c. 4. & 6. Lugo* D. 24. S. 8. §. 2. *Tholoſ. l. 42. c. 5. Franc. de Porcellinis de confect.* Invent. *c. 5. num.* 40. *Fachina. l. 4. c. 31.*

DVB. 7 An hæreditatem amittat, qui teſtatorem à quo inſtitutus eſt, occidit?

R. Aff. *argumento l. Indignum ff de his, quibus ut indignis &c.* Nam ibi indignum eſſe hæreditate decernitur, qui comprobatus eſt id egiſſe, ut per negligentiam, & culpam ſuam mulier, à qua hæres inſtitutus erat moreretur. Vnde colligitur, multò magis privandos hæreditate eos, qui non per negligentiam ſed deſtinatam malitiam mortem teſtatori ſuo inferunt. Quod ulterius probatur ex *l. ul ff de bonis damnator.* ubi cùm patris ſui iuſſu filia veneno ſuſtuliſſet, eum, à quo inſtituta hæres erat, fiſco inferendam eſſe hæreditatem definitur. Si autem contingat non unum, ſed plures hæredes eſſe, interfectoris portio non accreſcet aliis innocentibus, ſed ad fiſcum deferetur. Neque contrariū colligitur ex *l. 2. §. fratris ff. ſi quis aliquam* teſtari prohibuerit, uti maior Interpretum pars opinatur. *Molina Diſp.* 178. Excipe niſi teſtator accepto vulnere ex quo perit, ignoverit occiſori, & relinquat inſtitutum, vel etiam de novo hæredem declaret. Tunc enim Fiſco excluſo hæreditatem retinebit *Arg l ult. C. de revocan. donat.* ubi idem de donationibus conſtituitur. *Bald. Iaſon. Gomez & alii.*

Quid verò, *inquis*, ſi Patrem filius occiderit, aut è converſo filium Pater, an pari modo hæreditatem amittent? Dicendum amittere, ut magis indignos ſucceſſione & magis dignos privatione hæreditatis delatæ: adeoque Fiſco deberi bona ipſis aſſignata. Leges enim indifferenter loquuntur, nec ulla ratio occurrit, quæ parricidas excipiat.

Alium caſum *Molina* fingit. Caius uxorem ſuam occidit, ex qua filium habet ſuperſtitem, qui idcirco matri hæres eſt: ſed non multo poſt moritur. nunquid illi Pater in prædictis Matris bonis ſuccedit? Negat ex communi *DD. ſententia Bartolus.* & meritò, quia ipſius delicto effectum eſt; ut eiuſmodi ad ſe tandem bona devenirent,

Digitized by Google

nirent, quæ in pœnam commiſsi Fiſcus ſibi vendicat iuxta *l. Lucius ff. de iure fiſci.* & *l. Cùm ratio. §. ul ff. de bon. damnator.* Et ſic iudicatum eſſe in Salmanticenſi & Brixienſi Curia refert *Anto. Gomez apud Molinam* allegatus *Diſp.* 187. qui addit, eum quoque hæreditate privari & ſucceſſione, qui auctores cædis cùm poſſit, non perſequitur, & publica auctoritate curat puniri: Ingratus enim, adeoque indignus eſſe præſumitur, qui illius ſubſtantia, & bonis fruatur, cuius iniuriæ vindicandæ nullo ſenſu tangitur. Excuſari autem poterit, ſi ſuis rebus magnum ex tali punitione damnum immineat.

DVB. 8. Vtrum hæres qui teſtatoris uxorem violavit, hæreditatem amittat fiſco damnatam.

R. Delicti ſpecies tali caſtigatione digniſſima videtur. Quid enim tam fœda, & impudenti compenſatione turpius? non eſt tamē æquè facile id certis legibus probare. *Glo. in l. Sororem* C. *de his quibus ut indignis aſſerens citat l. 3. § ult. iuncta l. ſequent & l. ex parte ff de adimendis legatis*; ſed nihil tale ex illis legibus, imò contrarium potius colligi putant, quicquid ſit de legatis, ut *Molina l. 1. de primog. c. 9. cum aliis teſtatur.* Neque ſi in Caſtellæ regno ita ſancitum eſt, teſte *Grego. Lopez*, aliis provinciis attribui poteſt.

Reſtat ergò, ut ad ſtatuta ſpecialia recurramus, uſum, & praxin conſulamus: quod multò conſultius, quàm eiuſmodi pœnas abſque certa lege ad caſum prætermiſſum extendere. Molliendæ potiùs, quàm exaſperandæ ſunt pœnæ. *l. Interpretatione ff. de pœnis.* Et benignior interpretatio commendatur. *c. In pœnis de Reg. Iur. in 6* ubi *Dynus, Canis. Peckius, & alii.* Limita, ſi ex tali benignitate aliis præiudicium, aut grave malum meritò timeretur.

DVB. 9. An legatum pro puellis matrimonio iungendis applicari poſſit illis, quæ religionem ingrediuntur?

R. Quando legatum eſt certæ ac determinatæ perſonæ, non poteſt, niſi illi ſive nubat, ſive religionem intret, relinqui. Ita communiter DD. ſentire affirmat *Sanchez l. 1. de Matrim. Diſp. 33. nu 29.* Nam ex pio affectu teſtantis præſumptio eſt, ſi ita puellam ſciviſſet diſpoſitam eſſe, multò maximè adiutam voluiſſe. *§. ſed & hoc praeſenti. Auth. de Sanct. epiſc collat. 9. & auth. Niſi rogati.* C. *ad* S.C. *Trebellian.*

R. 2. Quando legatum indefinite relictum eſt pro Virginum matrimonio, nō poteſt ingredientibus religionem tribui, ſed in propriâ, & ſpecificâ formâ complēdum eſt. Ceſſat enim hic præſumptio, de qua in prima Reſponſ. diximus. Nec ſuffragatur. Auth. ſupra allegata, quia à iure communi exorbitat: adeoque non debet extendi ad caſus in illa non expreſſos. Exprimuntur autem non incertæ perſonæ, ſed certæ, & determinatæ dum ita dicit, *Sive reliquerit ſuis liberis. ſive alii cuicunque perſona.* Non deſunt tamen, qui contrarium ſentiant mandatum ſtrictè interpretandum, legatum verò latè dictitantes, præſertim, quia ingreſſus Religionis Spirituale quoddam matrimonium eſt, & verba citatæ Auth. abſque violentia extendi poſſunt. *Salv. V. Legatum 1. Q. 9. Vaſq. c. 8. § 2. D. 5. Mol. D 207. Lud. Lopez Par. 2. c. 36. Card. Lugo D. 24. S. 11. n. 293.*

DVB. 10. An ſicut uno hærede deficiente aliis cohæredibus accreſcit illius

Digitized by Google

portio ; ita in legatis quoque faciendum ſit?

Legata vel coniunctim vel diſiunctim aſſignantur. Coniunctim tripliciter. Legatarii enim vel coniunguntur re tantùm, ut ſi idem fundus tribus legetur. Lego tibi Petre, tibi Paule, & tibi Iacobe, agrum meum Piſanum: vel coniunguntur verbis tantùm. Titio, & Caio fundum meum Syllanum æquis portionibus lego: vel re, & verbis ſimul, quando unâ oratione una res pluribus aſſignatur, non deſignatis partibus. V. gr. Caio & Mutio domum meam lego. His prænotatis ſeqq. Regulæ notandæ ſunt.

Prima. Quando legata diviſim aſſignata ſunt, ſua ſingulis parte conſtituta, uno deficiente, vel quia acceptare non poteſt, vel quia non vult, aliis collegatariis non accreſcit, ſed hæredi traditur, qui defunctum repræſentat. Nam hæc præſumitur mens fuiſſe teſtatoris. *Glo. in V. ſeiunctim de leg. l. 2. Inſtitut.*

Secunda. Legatum pluribus relictum coniunctim verbis & re ſimul, vel coniunctim verbis tantùm, inter legatarios æqualiter dividendum eſt. *l. Vnicam §. ubi autem legatarii C. de cadu. tollend.* In coniunctis re tantum ab initio legatum non dividitur, ſed ad inſtantiam huius vel illius. Vno repudiante alter in ſolidum habebit, non iure accreſcendi, ſed iure ſuo, ſcilicet non diminuendi, vel non decreſcendi.

Tertia. Inter coniunctos ſi unus rem legatam non acceptet, vel acceptatam dimittat, non cedit hæredi, ſed aliis collegatariis *§. ſi ead. res. Inſt. de legat. l. un §. ubi autem. C. de cadu toll.* Et quando concurrunt coniuncti verbis, & re ſimul, cum coniunctis re tantùm, vel verbis tantùm præferuntur magis coniuncti, id eſt, re & verbis. Deinde admittuntur ſimul, qui re tantùm, & verbis tantùm coniuncti ſunt. *Glo. V. ut ipſe & DD. in l. de coniuncti. C. de cadu tollend.*

Nota. Legatum deficit non tantùm defectu voluntatis in legatario, ſed inſuper, ſi vivo teſtatore moriatur legatarius, vel res legata non ſit in rerum natura. Item, ſi mihi & poſtumo fuerit relictum, hic verò per abortum concidat. Denique ſi res legata non eſt in commercio hominum, nec mutare dominium poteſt: quo de genere ſunt res ſacræ, & publicæ, de quibus in *tr. 9. §. 1. num.* 11. intelliges vendi non poſſe: *Glo. in V. defecerit Inſtit. de legat. Azo in ſum. l. 6. §.* 38. *Bart. in l. Re coniuncti C. de cadu. tollend Angelus V. Legatum. §. 1. num.* 27 *Schneidevvinus l. 2. Inſt. tt.* 20. *Silveſt.* V. *Legatum §.* 1. *nu.* 21. *Card. Lugo Diſp.* 24. *Sect. Trentler. Par.* 2. *Diſp.* 13. *n.* 4.

DVB. II. An negligentia & procraſtinatio executorum animæ defuncti obſit? *Petr. Navarrus l. 3. de reſt. c. 4. n.* 169. quando teſtator ipſe nihil definivit certi, ſed hæredi, vel commiſſariis reliquit diſponendum, illi verò cunctantur, moram illam animæ defuncti quoad meritum nocere. Putat *Angelus* verò plenus fide executorem qui defuncti debita non ſolvit, peccare, & nocere defuncto confirmat ex Minorum Chronicis, ubi quidam in purgatorio detentus tam diu ſcribitur, donec eſſet ſatisfactum creditoribus. Et favere videtur *c in literis de raptoribus, ubi Alexand.* III. Claromontenſi Epiſcopo mandat, ut cuiuſdam incendiarii qui pœnitens deceſſerat, hæredes moneat, & com-

pellat, ut per ipſum læſis ac damnificatis iuxta facultates ſuas condignè ſatisfaciant, ut ſic à peccato valeat liberari. Ex quibus verbis *Barb.* infert. Ergo defunctus à peccato non liberatur, ſi eius hæredes omittant, vel negligant reſtituere. Mox corrigens ſe, ait Communiter tamen reſoluunt DD. defunctum, qui reſtitutionem hæredibus reliquit faciendam, non teneri propter moram illorum in Purgatorio. Sed hæc nihil ad literam, & textum. *Navarrus autem in Man. c.* 17. *num* 68 mendum agnoſcit, & legi vult non, *Vt à peccato valeat*, ſed *valeant liberari*, hæredes nimirum, qui quamdiu culpabiliter omittunt reſtituere, & ſatisfacere peccant. Addit *Vgualdus in Candela aur tt de Purgato.n.16.* Si locus ille de defuncto intelligendus eſſet potius loqueretur in generali, dicendo, ut à peccatis valeat liberari, quam in particulari *A peccato.* Deinde eſſet impropria locutio, cùm ſupponatur defunctus per pœnitentiam ante mortem à peccatis liberatus, maneatque ſolùm pœnæ obnoxius. Hanc expoſitionem divinatoriam vocat. *Ve.Navarr c.4. de reſt num.*73. approbant tamen *Lud Lopez. Carlo, Spino, Carillo, & Sayrus l* 10. *tr.* 1. *c.* 2. quibus ſubſcribere nihil abſurdi continet. Pro maio. notitia.

R. 1. Peccatum neglectæ reſtitutionis ab hærede, vel executore, non poteſt nocere defuncto, qui iuſſit reſtituere: quia adeò ipſi involuntarium eſt, ut contrarium ſeriò mandaverit. Neque dici poteſt, reſtitutionem faciendam opus ſatisfactorium eſſe reſpectu defuncti, quia neceſſaria eſt, non ut pœnam minuat, ſed peccatum ceſſare faciat, in quo moroſè hæret non reſtituens. Non ergò patitur detrimentum ex tali mora, quoniam mandans reſtitutionem fecit, quod potuit *Angel V. Executor. num* 23. *Silv. V. Teſtam.* 11. *Q.* 6. *Armilla. V. Executor num* 16. *Tabiena eod. Anton Par.* 3.*tt.*10.*c.*3. *Bellarm. l.* 2. *de Purgat c.*16.

R. 2. Si hæres, vel executor differat largiri eleemoſynas, vel oblationem Sacrificii à defuncto imperatam, nocent ipſi, non quidem quoad meritum, ſed quoad ſatisfactionem pro pœnis in quibus detinetur. Meritum enim cum vita terminatur, nec poſt eam operari quod proſit ad ſalutem vel obſit quiſquam poteſt. *S.Thom. in 4 diſt.* 18. *art.* 2. At ſatisfactionis, & ſuffragiorum defectus vel retardatio plurimum nocere poteſt, dum ſubtrahitur medium, quo pœna conſtituta tolleretur aut minueretur. Eleemoſyna enim mundat peccata, & interpellat pro nob. ad Dominum. *S. Auguſt ſerm. de divite. S.Thom. quodl* 6. *ar* 13. *Soto l*.4. *Diſt.*45 *q.*2. *artic.*4. *Richard ibid. Gabr lect.* 25. *in Can. Ang. Silv. & alii Summiſtæ.* Qui verò meritum & demeritum animabus defunctorum tribuunt, cum vulgo ſentiunt, & linguam loquuntur, quam non noverunt. Deferendi propterea vel, ſi ſpes emendationis, inſtruendi, & corrigendi ſunt. *V Habr. Vaſquez in* 12 *Diſp.* 216. *nu.*36. §. *Hoc ipſum, quod diximus Fagund. in Prac.* 2 *Eccl l.* 9. *c.* 2. *n.* 8 *&* 9.

DVB. 12. Quid Epiſcopus poſſit circa ultimas voluntates, an mutare, differre, aliove modo variare?

Franc. Zypaus in Anclyt. Enarr. l. 2. *tt. de fo comp. n.* 5. refert in Brabantia eccleſiaſticos Iudices cognoſcere de tribus materiis planè civilibus, & inter perſonas ſæculares, videlicet de validitate, & invali-

invalidate teſtamentorum, contractuum antenuptialium, & de bonis amortizatis, id eſt, quæ à iuriſdictione ſæculari per principem exempta ſunt. Igitur ſi quis petat teſtamentum, contractum dotalem, vel antenuptialem validum, vel invalidum declarari, & effectum ſortiri debere, poterit ad hoc coram iudice eccleſiaſtico concludere, & is de eo inter quoſcunque litigantes cognoſcet: ut & de his, ſine quibus cauſæ huiuſmodi expediri non poſſunt, & poterit ſententiam ſuam per ceſuras exequi, vel per Iudicis ſæcularis requiſitionem, cogendo ſcilicet conformare ſe teſtamento eiuſque executioni quantum ad hæredis inſtitutionem, valoremque legatorum cognoſcendum ſpectat. *Ita Zypæus* de peculiari iure, quod pii Duces in Brabantia ſacris præſulibus ex liberali benignitate conceſſerunt, pro aliis ius commune adeundum. Igitur.

R. Generatim loquendo, cùm magna neceſsitas eſt, epiſcopus teſtatoris diſpoſitionem mutare ſaltem ad tempus, & pecuniam convertere in alium uſum poteſt. *Ratio* eſt, quia præſumi poteſt in tali caſu non deeſſe conſenſum teſtatoris, qui nihil aliud in teſtamento ſuo, & piis legatis intendit, quàm honorem Dei, & bonum Eccleſiæ promovere, ſubiiciendo voluntatem ſuam Eccleſiæ præpoſitis, qui communes patroni & executores piarum voluntatum ſunt. Vnde ſequitur 1. ſi teſtator reliquiſſet certam pecuniæ ſummam pro anniverſario celebrando in eccleſia S. Petri; illa autem reparatione indigeret, aliaque media deeſſent, de licentia epiſcopi pecuniam illam ad tempus applicari poſſe, & converti in reparationem eccleſiæ. *Ita Guil. Bened. in c. Raynutius de teſtam.* §. *Reliquit. n. 29.* ubi allegat etiam Io. Andream, addens, ſic Tholoſæ practicatum eſſe. *Felin. in c. cùm acceſſiſſet de Conſtit. n. 19.* tradit epiſcopum ex iuſta cauſa aliter conferre beneficium poſſe, quàm inſtitutum eſt, dummodò conſenſus patroni accedat: Imò ſi repugnet, etiam invito illo cõmutari poſſe. *Comitolus l. 7. Q. 9. Laym. in Defenſ iuſta c. 4. p. 177.* 2. Si teſtator reliquerit pecuniam pro novo opere in eccleſia faciendo V. g. novo ſacello, ubi multa & ſufficientia ſunt, ita ut minor novi ſacelli neceſsitas, quam veteris templi reſtaurandi ſit, cum epiſcopi conſenſu ad reparationem templi pecuniam convertere licet. 3. Idem fieri poteſt, ſi quis voluiſſet novum monaſterium erigi in civitate, in qua multa, & ruinoſa forent, pro quorum reparatione deeſſet pecunia. Tunc enim reſpiciendo finem teſtatoris meritò præſumitur hanc illius mentem, & intentionem fuiſſe; niſi fortè credimus plus merito ex novo conſtruendo, quàm veteribus conſervandis ſperari poſſe. *Covar. c. Tua de teſtam. nu. 7. ubi diſertè.* Auctoritate epiſcopi poteſt pecunia à teſtatore relicta in certum uſum pium, expendi in alium itidem uſum pium, magis Reip. Chriſtianæ, ac religioni neceſſarium, cui neceſſitati aliundè ſubveniri nequit abſque maxima difficultate. 4. Quando pium legatum impleri non poteſt, Epiſcopo licet mutare in aliud, ſicuti ratio & pietas ſuaſerit: idem dicendum, ſi quidem impleri poſſet, ſed cum magna difficultate. Nam quæ eiuſmodi ſit, impoſſibilibus annumerantur. *Silv. V. Legatum 4. Q. 12 Armil. Tab. & alii ſummiſtæ. Felin. conſil. 42. Ananias c. Nos de teſtam. n. 4. Sanch l. 4. Conſ. c. 2. D. 5.* Plerique tamẽ volunt,

Digitized by Google

volunt,ut in eiuſmodi caſibus hæredis, & legatarii conſenſus requiratur. Iniuſtè negantibus nihilominus efficiet Epiſcopus. Denique addunt in particulari, etiamſi pro calice emendo aliove ſacro inſtrumento legata pecunia eſſet, in opus magis neceſſarium converti poſſe. *Bart. l. fin. de oper. publ. Silv. & al. loc. cit. Covar. in c. Tua. n. 12. de teſtam. Emm. Sa. V. Teſtamentum num. 33. Ioan. Molanus Tract. de Teſtam. piis c. 72. Comitol. l. 7. Qu. 9. Layman. l. 3. Tract. 5. c. 11. Q. 4. num. 11. Angel. V. Legatum. §. 2. num 12. & 13. Armilla eod. num. 54. & 55. Emm. Sa. num. 2. & 3. Layman in defenſ. iuſta. Q. 2. praamb. p. 23.*

TITULUS V.

De Sepulturis.

POſtquam hinc decedentes longum ſecuturis Vale diximus, domum æternitatis anima ſubeunte, corpus exanime communis Mater noſtra humili caſa excipit, quam utpote tenebroſam, & nulla pulchritudinis ſpecie inſignem ſepulchrum, & Sepulturam appellamus. Cuius quanta olim fidelibus cura fuerit. Sacræ nobis literæ indicant. *Gen 23. Exo. 13. Deuter. ult. Tob.* 1. & 2. 2. *Reg.* 2. & 11. *Matth.* 26. Quam autem Chriſti Eccleſia ſollicitudinem pro defunctorum corporibus gerat, & omnibus commendet, ex Sacris Canonibus liquet 13. *Q. 2. l 3. Decretal tt. de ſepulturis & l 6. eod.* Equidem contemnere humilitatis ſtudio licet cuilibet, exemplo Papæ Marcellini, & Arbogaſti Argentinenſium epiſcopi, quorum ille omninò reſpuit, hic verò penè patibulum condi voluit; Eccleſia tamen inhumata iacere credentium corpora non patitur, ſed honorificè condit: nec minus ſolliciti morientes, quid quove modo fieri deſiderent, teſtamento inſerunt. De quo quia quæ neceſſaria videbantur, attulimus: hanc de ſepulturis veluti mantiſſam addemus.

§. I.

De Loco Sepulturæ.

I. DVobus potiſſimum modis Sepulturæ nomen Canonum Sacrorum Interpretes uſurpant. *Primò* enim locum ipſum, ſive terra ſit, ſive tumba aliqua, arca, vel Vrna, Sepulcrum appellant *Secundò* ius ipſum, quod Eccleſiæ præpoſiti petentibus pro ſe ſuiſque tribuere ſolet, ut extra, vel intra eccleſiam certis limitibus circumſcriptum locum, ſeu repoſitorium habeant. Quod locum attinet (de iure enim poſtea Sermo erit) is ab Epiſcopo deligendus, atque dedicandus eſt, ut pro religioſo habeatur. Neque enim ethnicorum conſuetudo probanda viſa eſt, quibus religioſus efficiebatur locus in quemcunque mortuus illatus eſſet, quemad

quemadmodum initio huius Partis indicavimus. *c. abolenda de ſepult. Queſta eſt.* 13. *Q 2. c. poſtquam c. præcipiendum ead. Innoc. in cit. c. abolenda. Cornel. à lap. in c.* 17. *Gen. Silveſt.* V. *Sepultura n.* 1. *Armilla. Tabiena eod. Parochiale Lochmayer c.* 6. *Zerola n.* 2 *Connanus l.* 3. *c.* 1. *n.* 4.

II. Locum ſepulturæ convenit propè eccleſiam eſſe, ut *Innoc. monuit in c. Abolenda de ſepult.* & uſus ipſe demõſtrat. Silveſter autem vellet nonnihil ab Eccleſiæ remotum eſſe propter fœtorẽ: multò minùs ergò in ipſa eccleſia ſepeliendus quiſquam eſt: quis paſſim aliter etiam ab ipſo Silveſtri Ordine fiat. Videmus tamen alicubi cœmeteria ampla & magnifica, quaſi 12. tabularum mandato extra urbes & oppida exiſtere non tam fœtoris elongandi cauſa, quàm ipſius terræ & fundi defectu, quo Eccleſia caret. Quod verò Angelus non niſi apud eccleſiam conſecratam conſtituendum cœmeterium exiſtimat humana, non angelica perſuaſio eſt nullo iuris fulcro ſuſtentata. Sufficit enim epiſcopi deſignatio ſeu ut aliqui impropriè vocant, conſecratio *Tholoſ. l.* 23. *c.* 23 *Valens. l.* 2. *tt* 28. §. 1. *Canis. l.* 3. *Inſt. tt.* 12.

III Non credimus, ait *Silveſter*, *quod Roſella ſequitur nu.* 6. quod alicui loco etiã Religioſo, hoſpitali, vel huiuſmodi poſſit accedere ſepultura, niſi habeat eccleſiam. Expecto cauſam. aliàs nimis modicæ fidei eſt, cui hoc incredibile videatur. Omnem civitatem, & omne caſtellum ante ingreſſum habere cæmeterium, loquens de ſuo tempore *S. Chryſ. aſſerit in Or. de fide & lege.* Idem uſu receptum in Galliæ regno Durantus fatetur *l.* 3. *c.* 23. *n.* 8. An ubique coniuncta eccleſia fuit? Ne hoc quidem tempore, quamvis ut plurimum hoſpitalia templis aut oratoriis inſtructa ſint. Epiſcopi munus eſt perſpicere quid cuique loco conveniens aut neceſſarium ſit. Dabit hoſpitali, dabit Xenodochio, gerontrophio & ſimilibus, prout expedire iudicabit. *Tuſchus Concluſ.* 190.

IV. Communi iure ſepulturæ locus eccleſia parochialis, vel eius cœmeterium eſt *c. Certificari de ſepulturis ubi Abb. videndus* Nam ubi renaſcimur per Baptiſmum, paſcimur per Verbum Dei, mundamur per pœnitentiam denique Sacramentis omnibus munimur, ibi convenit reponere exuvias defectaque membra. *Clem. Dudum* §. *Verum de ſepulturis.* Roder. 111. *Q.* 46. *ar.* 3. Primis certe ſæculis, antequam Mendicantium Ordinum ſubſidia Parochis acceſſiſſent, de alio cœmeterio, quam Parochiæ ſuæ, nemo cogitaſſe videtur. Nunc autem, quemadmodum peregrè intrantes Vrbem, ubi cuique placet, diverſorio recipitur, ita ſepulturæ ſuæ locum morituri deligunt. Attamen peregrini omnes, & qui aliam ſepulturam non elegerunt, in parochiali eccleſia proxima vel illius cœmeterio humandi ſunt. Pro leproſis conſultum eſt, peculiarem locum aſſignare. *Parochiale Curatorum Lochmaier cum Panorm. Innoc. in Rubr. de Sepult. Silv. nu.* 8. *Armilla num* 6. & 32. *Molina D.* 215 *Zerola Par.* 1. *V. Sepultura num.* 1. *Roſella num.* 8. *Lancel. l.* 2. *tt.* 24.

V. Intra eccleſiam humari primis Chriſtianis ignotum & illicitum fuit *c. Nullus. c. Quibus. c. Præcipiendum* 13. *q* 2 *ubi Ioann. de Turrecremata.* Extat quoque Synodi Braccar. Conſtitutio apud *Burch. L.* 3. *c.* 157. Conſtantinop. Imperatores, ait *Chryſ. in Orat. Quod Chriſtus Deus eſt, &c.* mag-

&c. magni æſtimabant corpora ſua non prope Apoſtolos, ſed extra eorum veſtibula ſepeliri, & *homil. 66. ad pop. Antioch.* dicit Conſtantinum Imp. magno honore affectum, quod pro foribus piſcatoris, corpus eius humatum fuerit factuſque ſit Conſtantinus Piſcatoris ianitor. Conſtat quoque Theodoſium iuniorem, patrem quoque Arcadium, nec non avum Theodoſium in dextra templi Apoſtolorum porticu ſepultos. *Niceph. l. 14 c. 58.* Sed iſta piorum Principum Religio non diu propria fuit, permiſſumque paulatim eſt cauſis ex ipſa religione erutis, ut eccleſiarum præſides, ac Prælati, deinde presbyteri, tandem laici, quicunque intra templi limites ſepulturæ mandarentur, ut clarè vides *in c. cum liberum. de Sepul. Durantus de ritib. eccleſ l. 1. c. 23. Zerola* Pa. 1. *V. Sepultura num 1.* Zecchus *de Rep. Chriſt. c.* 28.

VI. Ritum hunc defunctorum in locis ad id conſecratis corpora funerandi non corporis tantum, ſed animæ cauſa quoque inventum eſſe complures obſervarunt. Corpus enim oculis ſubtrahit ne noceat, iniuriis ne pereat. &c. In nidulo ſuo quieſcens: expetet vocem Angeli vocantis, Anima vero piorum precibus & votis ſublevatur, facitque ſepulcri monumentum, ne memoriam perdat eorum, quorum præſentia iam tum deſtituta eſt. Nec dubium viventium opera bona prodeſſe mortuis, qui ſic vixerunt, ut prodeſſe poſſint. Atque in hunc ſenſum *S. Auguſtini verba l. 1. de civ. Dei c. 11. & 13.* intellige ſolatio vivorum eſſe funeris pompam, non verò ſubſidia mortuorum. Nam ſicuti non obeſt iuſtis Sepultura quantumlibet vilis & neglecta, ita impiis non prodeſt quælibet exquiſita ſpecioſa, & pretioſa. *c. Non æſtimemus. cum ſequentibus* 13. *Q. 2. Bellarm. l. 2. de Purgat. c. ult.* Lo*richius. V. Sepultura* §. 11. *Lancelot. l. 2. Inſt. tt. 24. Durantus l. 1 c. 23. num. 11. & ſequ. Gretſer. 3. libris de funere Chriſtiano Tholoſan. l. 2. c. 13. & 14. Viguerius Inſtitut. Theolog tt de Sacramento Panis. Verſ. 33. de liberat. animar. à Purgatorio.*

§. II.

De Iure Sepulcri

I. CONſuetudo obtinuit hodie, ut electio ſepulturæ nulli non permittatur, modo pubes ſit, & ſpecialis nulla prohibitio obſtet. Impuberi filio deligere pater poteſt, niſi fortè loci conſuetudo vetet. Matri idem permittitur cùm Pater deeſt. *Tholoſ l. 2. Synt. c. 13 Mol.* D. 214. *Armilla V. Sepultura n. 8. Navarr de Sepult. Conſil. 2. Laym. l. 3. Tr. 6 c. 11. n 6. Zypaus in Enar. anal p.* 200. Quin etiam alteri committere pôtes electionem, & variare uſque ad finem dierum vitæ tuæ, quamvis contrarium promiſiſſes. *c. 1. hoc tt in 6. c. 1 de pactis eod. Riccius in praxi. deciſ 663.* qui addit electionem ſepulcri per teſtes ſingulares probari.

II. Regulares, à quibus *velle & nolle* ſublatum eſt, non eligunt ſepulturam, niſi fortè ſic à proprio cœnobio procul diſtent, ut illuc non poſſint cadavera deferri. *c. ul. de Sepult. in 6. iun. Glo. Abb in c. Nimis num. 2. de exceſſ. Pral.* Quod ſi ita remotus non elegerit certum locum, in Parochiali eccleſia condetur; niſi Ordinis ſui vicinum monaſterium ſit, quod monaſterium expenſas

præſtabat pro Sepultura. *Arg. l. ſi quis Sepulchrum. ff de Religioſis, & ſumptib. fun. ubi Prator.* Qui funeris cauſa ſumptus factus erit, eius recuperandi nomine in eũ, ad quem ea res pertinet, iudiciũ dabo. Quòd verò Prælatos attinet, qui Superiore carent, eligendi pro arbitrio poteſtatem habent. Sed an extra monaſterium ſuum? poſſe, qui Superiorem non agnoſcunt, tradit *Abb. in c. de uxore de ſepul. Silv. Q. 2. Arm n. 6. Roſella* 11. *nu.* 2. *Roder. To* 111. *Q* 60. *ar.* 1. De iis, qui Superiorem habent, quales ſunt Priores, & Guardiani, non liquet. Mea ſi quid prodeſſe liberalitas poteſt, lubens, volens conceſſero. *Sanch. l.* 6. Mor. *c.* 14. *n.* 7. *Rod. to.* 3. *q.* 61.

III. Ordinarius eſt Epiſcopus, & ab illo animarum curæ præfecti, à quibus petatur Sepulturæ locus etiam intra eccleſiam, cathedralem videlicet, & parochialem. *Abb. in c. Certificari de ſepul. nu.* 8. *Zypa in Enar. anal p.* 201. Poſt illos Religioſi privilegium habent recipiendi quoſcunque tã in cemeterio, quàm eccleſia propria. *Cle. Dudum. Abb nu.* 6. Mol. *diſp.* 214. Hic autem Notandum eſt *1.* huic iuri renunciare poſſe Religioſos, & paciſci cum epiſcopo. & Parocho de non admittendis poſtulationibus ſepulturæ: quod pactum, licet abſit Generalis, & Provincialis conſenſus, validum erit, modò Superior immediatus & Conventus conſentiant *c.* 1. *de pactis in* 6. 2 Cavendum prædictis Religioſis, ne cui Votum, aut iuramentũ perſuadeant ut nullibi, quam in ſua eccleſia ſepulturã eligant, vel ſemel factam, non immutent. *c.* 1. *de ſepul. in* 6. Prohibitioni quadruplex pœna annexa eſt *1.* excommunicationis ipſo iure incurrendæ, ac Pontifici reſervatæ. *Clem. Cupientes de pœnis ci. ſi.* 2. ut talis electio pro nulla habeatur, & ſepeliatur defunctus, ubi nulla electione facta ſepultus fuiſſet. 3. Si quem ſepelire contra hanc prohibitionem præſumpſerint, & reſtitutionem corporum, & ratione illius acceptorum teneantur. *c. Ex parte. c. cùm liberum h. t.* 4. Hanc reſtitutionem ſi intra decem dies non fecerint, eorum eccleſiæ, & cœmeteria tam diu interdicto ſubiacebunt, donec fiat. *Roder. tom.* 3 *Q* 58 *ar.* 7. *Tuſchus Concluſ.* 194.

IV. An religioſi, apud quos defunctus Sepulturã elegit, nõ recipere tantùm corpus poſſint, ſed & Parochiam proceſsionaliter intrare invito Parocho quærunt. *Franc. Zypaus l. cit. & Andr. de Vaulx in in Parat. l* 3 *tt.* 28. §. 3. & conveniunt, uſum hic, atque concordata locum habere, cæterùm minimè licere *c Eccleſia* 13. *q.* 1. *Addit Præfectus Par* 2 *c.* 3. *nu.* 50. *Leonis* X. *in Conc. Later. Conſtitutionem, & ſuper ea declarationem Sacra* Congreg. 12. *Ian.* An. 1603. editã, ubi dicitur, nulli Ordini Mendicantium aut non Mendicantium cuiuſc: cõſuetudinis prætextu permitti parochias cum cruce proceſsionaliter, aut aliàs ad efferenda, & levanda defunctorum funera intrare vel illa levare, niſi vocato, & expectato proprio defuncti parocho, eoq; ibi præſente. Monet autẽ *Roder. To.* 3. *Q.* 25. *ar.* 1. in Leoni X. Cõſtitutione Parochiæ nomen nõ ſignificare eccleſiã parochialẽ, ad quam primò deferantur cadavera, indeq; à Regularibus leventur, ſed locum, in quo degit populus alicui eccleſiæ baptiſmali aſsignatus, ac certis limitibus terminatus: & per hunc velle Pontificem, ne tranſeant proceſsionaliter Fratres, niſi præmonito Parochiano presbytero, cuius recuſatione nõ obſtãte poſsint cũ cruce ſua, parochiã intrare,

intrare, ſine tamē ejus, & ordinarii præjudicio, quod præjudiciū cōſiſtat in negatione quartæ funeralis. *Silv.q.4. Oldrad. Conſil. 23. Zerola part.2. V. ſepultura. n.* 3.

V. Famuli Domeſtici Mendicantium Ordinum, etiam Societatis Jesu, qui intra limites Monaſteriorum obeunt, in Eccleſiâ, vel cœmeterio Monaſterii, aut Collegii quantumlibet invito, & repugnante Parocho humari poſſunt, ſine debito, & obligatione ſolvendi portionem Canonicam. *Molin. diſp.* 214. *Roderic. Tom.* 2. *q.*68. *art.*2. Addens, etiam interdicti tempore eadem ſolennitate, qua Fratres ſepeliri. *Comp. Privil Societ IESV. V. Famil.* §.1. Idem de Novitiis, & potiori jure dicendum, ſive intra, ſive extra Monaſterium retento habitu decedant. *Roder. To.* 1. *q.*39. *art.*4. *& Tom.*3. *q.*61. *art.* 4. *Laym. l.* 3. *Tract.*6. *c.*12.

VI. Electione ſepulcri non indigent, qui Familiare vel hæreditarium habent. Familiaria dicuntur, quæ ſibi quis, & familiæ ſuæ conſtituit: quorum jus non tranſit ad cognatos, vel affines, ſi non inſtituantur hæredes. *l. Ius familiarium C. de relig. & ſumptib. fun.* hæredibus tamen licet extraneis competit. *l. is, conſequente ff Familiæ herciſc.* Hæreditaria ſunt, quæ nobis, & hæredibus noſtris procuramus. *l.*6. *ff. de religioſis &c.* vel quod paterfam. jure hæreditario acquiſivit. *Covarr. in c. Raynutius* §.9. *num.*23 *Molin. diſp.* 188. §. *Etiamſi hæres Vallenſ. l.* 3 *tt* 28. §. 4. *num* 4. addens non licere pactum, ne in Sacello aliquo præter poſteros fundatoris alius ſepeliatur: & tali pacto noſtro obſtante Prælatum urgente neceſſitate, ut ſi alius locus non ſit, alios inibi humare poſſe. *Archid. in c. Præcipimus* 12. *quæ.*1. *Lud. Rom. ſingul.*189. *Zoeſius de rep. Chriſt. c.*28. *nu.* 16. *Tuſchus Concl.*191. ulterius concedit Jus ſepulcri extraneis legari, donari, & cum univerſitate bonorum alienari poſſe.

VII. Quia viventium unio, & affectio morte non ſolvitur, ſed perdurare creditur, eaque major inter patrem, & filiū, quàm nepotem, & avum eſſe ſolet, ſi in diverſo ſepulcro conditus fuerit avus & pater, cum hoc, non cum illo ſepelietur filius. Frater autem, & ſoror in eodem tumulandi ſunt, *c. Vnaquaque* 13. *quæſt.*2. Filii verò naturales in ſepulcro patris, niſi hic in dignitate fuerit conſtitutus. *arg. l. ex facto* § *ſi quis ff. ad S.C. Trebell* Spurii, & legitimati à Principe cum matre ſepeliuntur, niſi hæc illuſtris ſit *l.*1. *ff. ad municipalem*, vel aliud à patre conſtitutum ſit. Legitimi verò, & naturales cum patre, licet hæredes illius non exiſtant *c. Hebron.* 13. *q.*2. *Oldr. Conſ.*25. *&* 257. *Decianus l.* 6. *c.*40. *num.*31. *Barb in c. Cùm quis de ſepult. in* 6. *Silveſt. quæſt.* 8.

VIII. Uxor non electa ſepultura cum viro ſociabitur, ut non ſeparet mors, quos vita conjunxerat. Si nupta pluribus fuit, ultimi ſepulcro condetur, quamvis in paternam domum vidua rediiſſet. Non n. loci hoc, ſed perſonæ privilegium eſt. Si ante maritum deceſſerit, vel majorūm ſepulcro, ſi maritus non providit aliud, vel ubi placuerit, requieſcet. Quid autem, ſi ſepulturam ipſa elegit, & ante maritum deceſſit, hic, qui nullam elegit, nunquid illam ſequetur? Conſuetudo docebi: *c. is qui de ſepul. in* 6. *Roſella n.*15. *&* 16. *Caniſ. l.*3. *de reſul. tt.*12.

IX. Neque jus ſepeliendi, neque officium funebre, neque locus ſepulturæ dedicatus aut conſecratus vendi, & emi

 poteſt

poteſt abſque Simonia. *c. abolenda ubi Innoc. Archid. c. dictum* 1. *q.* 1. *c. præcipiendum* 13 *q.* 2. *c in Eccleſiaſtico de Simoniâ.* Terra verò ſeu locus nondum conſecratus comparari pretio poteſt. *c. Aurum* 12. *q.* 2. Neque hic aliter ratiocinandum, quàm de vaſis, & ſuppellectile ſacra vendenda. Ubi *S. Thom. in 4. Diſt.* 25. *quæſt* 3 *art.* 2. diſtinctio valet, in neceſſitate aurum vendi, non conſecrationem, nec ideò, quia conſecrata res eſt, pluris æſtimari. De reliquiis & ſimilibus idem Summiſtæ docent. *V. Tabienam V. Simonia n.* 37. *&* 38. qui addit Simoniam eſſe, quando pecunia taxatur pro hoc vel illo cœmeterio, cùm plura ſunt: quod ex intentione dantium, & accipientium pendet. *V. Zerol. part.* 1. *V. ſepultura.*

X. Æris alieni & debitorum cauſa nullius differenda, aut impedienda ſepultura eſt, *l. cùm ſit injuſtum C. de ſepulc. viol.* nec inferri ulla moleſtia debet intra decem dies ab obitu, & quicquid attentatum fuerit irritum, & inutile eſt. *Auth. ſed nec ante C. de ſepult. viol.* Si quis verò ad domum defuncti accedens ipſam, vel domeſticos divexet, vel inſignia rebus ipſis affigit, ipſo jure actionem perdit, & condemnatur hæredibus injuriatur in compenſam, tertia ipſius bonorum pars publicatur, & eſt infamis. Idem juris de eo eſt, qui circa funus peccat. *Angel. num.* 34. *Silv. num.* 12. *Tabiena num.* 19 *Covar. l.* 2. *Var. c.* 13 *num.* 10. *Layman l.* 3 *tract.* 6. *c.* 12. *n.* 10. *Navar. de ſepult. Conſil.* 4.

XI. Quod funeris expenſas attinet, eas præſtare tenetur hæres illorum, quibus ſuccedit: pater reſpectu filiorum, Dominus reſpectu ſervorum, maritus uxoris *l.* 1. *ff. de religioſis, & ſumptibus fun. l ſi quis ff. eod.* Si uxor dotem habet, ex illa fiet, ſi ſimul alia bona, de his, & illa pro rata. *l. Neratius ff eod.* In horum defectu vir de ſuis. Aliqui malunt hoc onus hæredibus imponere, quos mulier reliquit. *l. quod ſi nulla ff. de relig. & ſumpt. fun. Decianus l.* 6. *c.* 40. *num.* 49. *Silv. V. Hæreditas* III. *num.* 3 *Item V. ſepultura q.* 12. 14. *&* 15. *Tabiena num.* 22. *Lorichius eod.* §. 9. *Eman. Sa. V. ſepultura num.* 11. *Roſella n.* 21. *Parochiale Curatorum Lochmayer c.* 6.

XII. Statutum à Laicis factum, de quota ſumptuum, ne quis ultra ſummam definitam amplius quid expendat, irritum eſt. Quamvis enim non videatur eſſe de re aliqua ſpirituali, eſt tamen de connexis, piæ cauſæ nocet, & intentionem morientium limitat. *c. cùm Laicis de reb. Eccl. non alien. ubi Innoc.* III. contra Laicos queritur, quod de mortuariis, aliiſque, quæ juri ſpirituali annexa videntur; illicitè præſumant. Quod de mortuariis dicitur, *Marta de Iuriſd. part.* 4. intelligit de impenſis, quæ fiunt in remedium ſive ſolatium animæ defuncti, non verò de iis, quæ fiunt ad pompam vivorum. Idem prius ſcripſerat *Imola, & Panorm. in c. fi. de reb. Eccl. non alien.* valere ſcilicet ejuſmodi ſtatuta quatenus diſponunt de iis, quæ non applicantur Eccleſiæ. *Angel. V. ſepult. num. ult. V.* ......*ntas num.* 47. *Armilla V. exequiæ num.* 2.

XIII. Cujus hæredibus ſuis præcepit, ut corpus ſuum non ſepelirent, quid facto opus?

Reſp. Plerique Summiſtæ, non eſſe parendum, allegando *l. quidam de conditioni. inſtitutionum.* Sed ibi de eo tantùm quæſtio proponitur, qui corpus ſuum juſſit in mare projici, quod propter inhumanitatem

nitatem meritò non recipitur faciendum. Manet ergò dubium de eo, qui jubet non inferri ſepulcro corpus ſuum, ſed extra illud ſervari: de quo una reſolutio nōn videtur ſuffectura, niſi de cauſa motiva conſtiterit. In dubio conſulendus erit Epiſcopus.

§. III.

De indignis ſepultura.

I. IN loco ſacro humandi & ſepeliendi ſunt omnes ſacro baptiſmate abluti. *c.nullus iun Glo.13.q 2 c.Eccl.de conſecr. Diſt. 1.* niſi obſtet excommunicatio, interdictum, prohibitio, conſuetudo, vel impœnitentia. Unde etiam ad mortem damnatos ſepelire in loco ſacro fas, quando pœnitentes obiiſſe certum eſt. *Abb. & DD in c.ex parte n 4 de ſepult.* Aliquando tamen vel in exaggerationem pœnæ vel aliorū commonitionem & exemplum cadavera inſepulta manent. *Covar.l.2.Var. c.1.* ex eo, quòd nulli quiſquis flagitioſiſſimo petenti Sacramentum pœnitentiæ negari poteſt, ſequi neceſſariò exiſtimat, neque ſepulturam negari poſſe; imò nec conſuetudinem induci, ut damnatis ultimo ſupplicio non permittatur ſepultura Eccleſiaſtica, nec Judices illam negantes à peccato immunes eſſe, *ex Clem 1. de ſepult. Petrus Ravenn.* probat, quod verum, ſi abſque rationabili cauſa id faciant. Cenſetur autem ſufficiens cauſa quam ſupra indicavimus, pœna, & exemplum. *Torre blanca l.3.Dæmonolog.c.31. Clarus § fin q.51.*

II. Duodecim conditionibus perſonarum, *ait Angelus n.13* Eccleſiaſtica ſepultura interdicitur, vel negatur. 1. non baptizatis, inter quos numerandi etiam infantes Chriſtianorum parentum, hæreticis item licet poſt mortem primò detegantur *c.Eccleſiam de conſecr. Diſt.1. c. Sanè 24.q.2.* Adde Catechumenos, pro quibus tamen, ſi credentes deceſſerint Eccleſia orat *Palud in 4 Diſt.4 q.3.art.1.ex S. Ambroſ.de obitu Valent. Imper.* 2. Excommunicatis, ne mortuis cōmunicemus, quos vivos execrati ſumus *c. ex parte c. ſacris h. t.Clem 1. eod.* Intellige non de minori, ut fruſtra quidam, ſed majori excommunicatione. 3. Uſurariis publicis, ac notoriis. *c quia in omnib.de uſur c.quanquam eod. titulo in 6. & Clem.1 eod.* Intellige poſt latam condemnationis ſententiam. 4. Illis, qui ſibi ex propoſito, ac ſponte impias manus mortemque intulerunt. *c.placuit.24 q 5.c.quib.13. q. 2.* niſi pœnitentiam egerint. *Ign LopeZ in pact.crim c 17 n.11.* 5. Interfectis in duello vel torneamento, ſeu haſtiludio ubi eſt probabile mortis periculum. *Con.Tr. S. 25.c.19.* 6. blaſphemis impœnitentibus. *c.ſtatuimus de maleſ.* 7. Raptoribus non ſatisfacientibus. *c. 2. de raptoribus.* 8. Furibus, & latronibus in flagranti delicto occiſis: non verò, ſi comprehenſi, vulnerati, & ritè confeſſi fuerint *c.Fures & latrones. 14.q.5.* 9. Nominatim interdictis. *Clem.1. de ſepultur.* 10. Qui tutorem presbyterum in teſtamento conſtituunt *c.ult. Diſt 88.* 11. Qui ne ſemel quidem in anno confeſſi ſunt, quique Paſchali tempore Euchariſtiam non ſumpſerint. *c. omnis. utriuſque de pænit. & remiſſ.* 12. Monachis qui poſt mortem deprehenſi fuerint cum peculio, ac proprietarii. *c. Monachi 2. c. ſuper quodam 4 c.Cum ad Monaſterium § quod ſi proprietas de ſtatu Monachor.*

Deniquè

Denique omnibus illis deneganda ſepultura eſt, quos de vita turpiter, & ſceleratè acta nullam egiſſe pœnitentiam conſtat, quemadmodum Romæ fit meretricibus in fœditate ſua miſerabiliter extinctis. *c. pro obeuntibus* 13. *q.* 2. de pœnitentia & contritione in extremis monſtrata unicus ſufficere teſtis poteſt *Zecchus de rep. Chriſt. Ang. Silv. Armil. Tabiena. Marchant. in Horto. Paſtor. part.* 7. *tract.* 6. *c. ult. Roderic. Tom.* III. *q.* 61. *art.* 1. *& Tom. IV. Tit.* 4 *c.* 14. *num* 36. *Navarr. c.* 2. *de pœnit. Diſt.* 7 *Laym. l.* 3. *tract.* 5. *c.* 12. *num.* 10. *& ſeq. Lorich. V. ſepultura* §. 6. *Duenas in Reg.* 589. *Vallenſ. l.* 3. *tt* 28. §. 7. *Barb. in c. ex parte de ſepult. Poſſeu. l. de Curato c* 14.

III. Horum aliquis ſi in loco ſacro ſepultus fuerit, præter excommunicationem ſepelientibus poſitam. *c. quicunque de hæred. in* 6. exhumandus eſt, cum fieri commodè poteſt. *c. ſacris de ſepult. c. Eccleſiam* 1. *&* 2. *Diſt.* 4. *de conſecr.* Eccleſia tamen non ideò polluta cenſetur, nec reconciliatione indiget, niſi in ea conditus fuerit infidelis, aut nominatim excommunicatus, quo caſu etiam parietes radi debent *c. Eccleſiam* 2. *Diſt.* 1. *de conſecr. Silv. V. ſepultura q.* 9. *Armilla n.* 19 *Barb. in c. ſacris de ſepult. Bonac. Tom.* III. *D.* 2. *q* 2. *Roderic. l. cit. Vallenſ. l.* 3. *tt.* 28. §. 7. *Caniſius l.* 3. *Decretal. tt.* 12. *Marchant l. cit.* Si in aliqua Eccleſia ſepultus fuerit, qui ad aliam jure pertinet, exhumari & reſtitui debet, cum omnibus oblationibus, ſi petantur. *c. ex parte & c cum liberum de ſepult. Oſt. Panor. & Barb. in citatis capit.* annotans corpus non reſtitui per viam attentati, ſed per ſententiā definitivam in judicio ordinario, & principali latam. Idem & multò magis faciendum, ſi quis alio pertinens funus per vim rapuerit. *Armilla l. cit. Roderic. tom* III. *q.* 61. *art.* 3. *Farinac. l.* 1. *de del. & pœn. c.* 20. *n.* 136.

IV. Denique interdicti tempore generaliter omnibus ſepultura denegatur excommun. indicta ſepelientibus, exceptis Clericis & Regularibus, quibus ſpeciali privilegio permittitur *c quod in te de pœn. & remiſſ. c alma de ſent. excom.* De modo & conditionibus *V. Fill. tract.* 18. *c.* 4. *n.* 94. Quod in Ordinibus Mendicantium extenditur etiam ad familiares, & officiales quemadmodum *Roderic. declarat. tom.* II. *q.* 115 *art.* 1. *Navar. c.* 27. *num.* 179 *Armilla V. Interdictum num.* 48. *Tabiena num.* 11. *&* 12. *Avila part.* 5. *D.* 4. *Seſſ.* 3. *Dub.* 2. *Laym. l.* 1. *tract.* 5 *part.* 4. *c.* 2. *num.* 3. *Henriq. c.* 44. *n.* 5. *Bonac.* III. *D.* 2. *q.* 2. ubi notat probabile eſſe comitantes funus hominis excommunicati, terram fodientes, vel etiam mandantes ſepeliri, non incurrere excommunicationem, ſed eos tantùm, qui propriis manibus ſepeliunt. Quod majori diſcuſſione indiget.

§. IV.

De portione Canonica, ſeu quota funerali.

I. PORtio Canonica duplex eſt Epiſcopalis, & Parochialis. Nomen habet à Canonibus à quibus conſtituta vel approbata eſt. Funeralis dicitur, quia pro funere & propter funus præſtanda. Alicubi dimidia pars, alicubi tertia vel minor, alicubi quarta pars in uſu eſt, & hæc frequentior. *c requiſiſti de teſtam. c. cùm ſuper c. relatum eod.* Unde ſpectanda, & ſequenda conſuetudo eſt. *c. certificari Barb.*

Barb. & DD. eodem. Sufficit autem ſi Abbati credimus 10. annorum conſuetudo, quando non eſt contra, ſed præter jus. Eſt etiam ſuus pactis, & concordatis locus. *c. ult. de pactis in 6. Concil. Trid. quoque Seſſ. 25. c. 13.* decernit, ut quibus in locis jam ante 40. annos quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita fuerit perſolvi, eadem integro jure, & eadem portione, ut ante, eidem Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus gratiis, privilegiis, etiam *Mare magnum* nuncupatis, aut aliis quibuſcunque. *V. Rodericum tom. I. q. 39. art. 1. & ſequ. Parochiale Curatorum Lochmayeri c. 7.*

II. Prædicta portio debetur, & detrahitur ex omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, unde funeralia approbantur: in ipſo ſcilicet die funeris, & de omnibus legatis Eccleſiæ factis, in quâ, vel ad quam eligit ſepulturam. *c. in noſtrâ de ſepult. & Clem. Dudum eod.* Nec diſtinctio inter mobilia, & immobilia facienda eſt. *Azor. II l. 9 c. 13. q. 13 Piaſec. part. 2. c. 3. n. 50.* Non detrahitur autem ex iis, quæ aliis Eccleſiis, aut piis locis relinquuntur. *Glo. & Abb. in c. 1. & c. cùm ſuper c. certificari. h. tit.* Neque ex legatis, pro ornamentis Eccleſiæ, pro fabricâ, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, triceſimo, ſive aliis ad cultum divinum perpetuum aſſignatis, modò abſit fraus, nec jure ſuo Epiſcopus, vel Parochus privetur. *c fin. de teſtam. c. ex parte noſtrâ 31. de verb. ſignif.* Præterea non ſumitur ex donatis Eccleſiæ inter vivos: neque de equis, & armis, quæ indulta ſunt militibus Jeroſolymitanis in ſubſidium terræ ſanctæ *c. in noſtrâ h. t.* Denique non de relictis pro ſatisfactione, & reſtitutione malè partorum. *Innoc. in c. relatum Azor. tom II. l. 9. c. 13. Angel. V. Cano. portio num. 14. Silv. eod. num. 7. Lal. Zecchus de rep. Chriſt c. 28. Molina Diſp. 215 Valenſis l. 3. tt. 28. §. 5. Rodriq. tom. I. quæſt. 39. art. 1. & 2.*

III. Licet quis extra Eccleſiam ſuam Parochialem alio in loco ſepeliatur, nihilominus quarta funeralis debetur Eccleſiæ Parochiali, in quâ divini verbi prædicationem audivit, & Sacramenta percepit, vel audire & percipere debuit, pro labore nimirum, & cura animarum, quam Curatus geſſit. *c requiſiſti de teſtam. c. relatum eod. Vbi Barb. notat* electionem ſepulturæ non ideò invalidam eſſe, quæ quarta funeralis non eſt legata à defuncto, ſed eam deberi, etiamſi non relinquatur, ut multis declarat *Gr. Lopez l. 5. tt. 1. part. 1. & Miranda in Manu. Prælator. to II. q. 48. art. 11. Concl 1. quibus etiam ſubſcribit Roder. tom. I. q. 39. art. 6.* Qui domicilium in duabus parœciis habet æqualiter, vel in una ſolitus eſt audire divina, in alia verò Sacramenta percipere, cùm in una tantum ſepeliatur, an ſoli illi debeatur quarta funeralis, quæritur? *Silveſt.* illi tribuit, in qua Sacramenta percepit, quod illa propriè Parochialis cenſeatur: *Innocentius V. Archid.* & alii melius ſentiunt, dividendam eſſe. *Azor. II. l. 9. c. 13. quæſt. 9.*

IV. Ordines religioſorum Mendicantium ab obligatione ſolvendi juſtitiam Parochorum, ſeu Canonicam portionem, multis Pontificum privilegiis conceſſis liberos eſſe probat Compendium Privilegiorum FF. Minorum & *in V Canonica portio.* & fatentur alias parum benigni & æqui Canonum interpretes,

inter quos *Andr. de Vaul. in Paratitlis ſuis l. 3. tt. 28. §. 5.* cum Zypæo mentem Pontificum eſſe ſcribit, ut Religioſi privilegiis ſuis civiliter & urbane utantur: Pium V. declaraſſe hanc ſibi mentem fuiſſe, ut Parochi invitentur, quoties eorum Parochiani in Eccleſiis Mendicantium ſepeliuntur, ibique præſentes ſint: ac propterea quartam partem conſequantur omnium quæ ab hæredibus defunctorum pro funeralibus dantur. Officia tamen mortuorum, & alia munia, quæ in hujuſmodi Monaſteriis adhiberi ſolent non à Canonicis, Parochis, ac Clero, ſed ab ipſis fratribus peragenda eſſe. *Mar. Anton. Genu in praxi Neapol c 62.*

V. Quia verò privilegium hoc per ſe aliis grave, & nocivum videtur, pro Parochis noviſſimè colligit Barboſa, quæ ſequuntur. 1. Parochi defunctorum apud Regulares humandorum corpora, uſque ad ipſam Eccleſiam aſſociare, & in illis permanere poſſunt, modo enim ſe intromittant Officio peragendo, niſi contraria conſuetudo. *Sa. Congr. Epiſ. & Regul. in Nicoterenſi 6. Iul. 1615.* 2. Parochus nullatenus excludendus eſt, quamvis ad ſepeliendum cadaver Regulares duntaxat à defuncto accerſiri jubeantur. *Sa. Congr. Ep. & Regul. in Montiſpiloſi 1581.* 3. ad Parochum ſpectat, declarare, per quam viam ſit exportandus defunctus, & facere omnia neceſſaria uſque ad januam Eccleſiæ Regularium, ubi ſepeliendus eſt. *Ead Congr. in Caſtellanat. 3. Ian. 1594.* 4. Parochi occaſione cadaverum in Regularium Eccleſiis humandorum prætendere poſſunt quartam funeralium ceræ Eccleſiæ Parochiali debitæ. *Ead. Congr. in Barenſi 29. Iul. 1616.* 5. Parochi licentia ſeu interventus requiritur, ad hoc ut Regulares poſſint defunctorum funera in ejus Parochia levare, niſi ipſe requiſitus venire expreſsè omnino recuſet. *Sa. Congr. Rituum in Catanienſi 18. Octobr. 1619* 6 Parochus ſi ſit in quaſi poſſeſſione faciendi Officium ſupra defunctos ſuæ Parochiæ, etiamſi ſepeliantur extra Parochiam in quacunque Eccleſia ſive Regularium, ſive ſæcularium vel abbatialium, manu tenendus eſt. *Ead. Congr. in Ravennat. 28. & 31 Aug. 1615. Barb Summa deciſ Apoſt. n. 558.* Iſta quomodo cum privilegiis Ordinum Mendicantium in Compendio privileg. FF. Minorum, & apud Summiſtas, qui ex iiſdem Ordinibus, præſertim *Roderic. in Tom. 1. q 39* conveniant, aliis relinquo, jam pridem conſcius, ut materia hæc lactem & lanam (phraſi legiſtica) ſic litem importare, cujus umbram quandam habes apud Eraſmum in Colloquio Funus.

VI. Eadem libertate non præſtandi quartam funeralem gaudet Ordo Ciſtercienſium, & quicunque alius à tempore Conc. Trid. retro 40. annis in jure & poſſeſſione non præſtandi quartam funeralem fuit. Noluiſſe enim *Conc. Trid. Patres in Decreto ſuo Seſſ. 25 c. 13.* jus quæſitum Ordinibus Religioſis auferre benè advertit *Roder Tom. 1. q. 39. art. 2.* Conſuetudo igitur, & præſcriptio hic quoque vim ſuam obtinet. *T. Molin. Diſp. 215. Angel. V. Canonica portio num. 14. Silv. num. 15. Armilla num. 17. Tabien num. 11. Layman l. 3. tract. 5. c. ult. num. 13. Em. Sa. V. ſepultura num. 10. Piaſec. part. 2. c. 3. n. 50.*

§. V.

Satisfit Dubiis de ſepulturâ.

DUB. 1. An ſine Epiſcopi conſenſu locus ſepulturæ alicui pretio dari poſſit in Eccleſia?

Reſp. Tribus modis contingit ejuſmodi locum dare, & acquirere 1. ut ejus dominium obtineat. 2. ut habeat poteſtatem in eo tumulandi mortuos ſuos, & excludendi alios. 3. ut in eo aliquem ſepelire poſſit. *Innoc. Panorm. in c. abolenda de ſepult.* Primo modo ne quidem cum Epiſcopi cōſenſu locus ſepulturæ dari poteſt in Eccleſia, quia rei ſacræ dominium nulli cōpetit. Secundò modo non poteſt dari ſine auctoritate Epiſcopi, ſed cū illa fieri p. & ſervata forma in alienatione rerum Eccleſiaſticarū ſervanda. Transfertur enim uſus rei ſacræ, quāvis maneat penes Eccleſiam quoad ſubſtantiam. Tertio modo poteſt dari à quolibet aliàs habente jus ſepulturæ, ſive ſit Parochus, ſive Regularis privilegiatus, ut paſſim videmus factum in Eccleſiis Ordinum Mendicantium. *Navar de ſepult. Conſil. 1. Clement. Dudum, de ſepult. Decianus l. 6. c. 40. num. 19. Zypæus de Iuriſd. Eccleſ. l. 2. c. 83. nu. 36. Roſilla num. 2.*

Dub. 2. An qui proprium locum ſeu capellam habet pro ſe, & ſuis ſepeliendis alios admittere poſſit?

Reſp. Poſſe, modò non fiat in præjudicium Epiſcopi, cui ex ſingulis funeribus portio aliqua debetur. Nam ſine præjudicio tertii privilegia donantur *c. ex tuarum de auct. & uſu pallii ubi Gloſſa in V. permittat*: nec Papa conferre ſolet beneficium, in quo alius acquiſitum jus habet. Requiritur prætereà, ut non obſtet in contrarium facta conventio, vel prohibitio. E contra illi, in quorum Eccleſia eſt ejuſmodi locus, cum aliis concedere abſque conſenſu illius, cui ſemel addixerunt, minimè poſſunt, ne datæ fidei violatores audiant. *Armilla num. 24. Zerola part. 2. V. ſepultura num. 1. Decianus l. 6. c. 40. num. 26. Tuſchus Concluſ. 191.* Uſus enim ſepulchri in noſtra poteſtate, quicquid de proprietate ſit, quam bonis civilibus annumerare non audet. *Anchar. Conſi. 113.* quem ſcrupulum diſtinctio in §. *præced num. 9.* indicata facilè tollit.

Dub. 3. Utrum infans non ſolenniter baptizatus omiſſis ritibus propter neceſſitatem in loco ſacro ſepeliri poſſit?

Reſp. Poſſe, ac deberi, quia Regularis eſt, quòd omnis Chriſtianus in loco ſacro ſepeliri debeat. *arg. c. Eccleſiam de conſecr. Diſt. 1. & to tit. de ſepult.* Supponimus autem prædictum puerum virtute Baptiſmi eſſentialiter perfecti fidelibus annumeratum eſſe: nec ullo ſpeciali jure contrarium definitur. Ergò poteſt, & debet ſepeliri cum ſolennitate crucis, luminaribus & aliis de more ritibus. Sacramentalia enim ſicut adhibita non conferunt ex opere operato gratiam, ita omiſſa nihil detrahere de virtute, & charactere Baptiſmi poſſunt. *c. in Eccleſiaſtico 13. q. 2. Oſtienſ. in Summâ. tt. de conſecr. Eccleſ. Navar. de ſepult. Conſil. 2. Layman. l. 3. tr. 6. c. 12. num. 10. Vallenſ. l. 3. tt. 28. §. 7. q. 1.* Idem dicendum de illis infantibus, quibus in utero hærentibus, manus aut pes exertus aqua baptiſmali tinctus eſt. *Bern. Poſſen. de Curato. c. 14. n. 4.*

Digitized by Google

Dub. 4. An qui in actu criminoſo occiditur, furto, fornicatione & ſimilibus ſepeliri in Eccleſia, vel ſacro loco poſſit?

Reſp. Non poſſe. Contritio enim, vi cujus à peccato liberamur, & divinæ gratiæ participes efficimur, quia in facto conſiſtit, non præſumitur. Unde *Concil. Tribur. in c. Fures. de furtis.* pro illis non eſſe orandum ſtatuit, qui inter furandum, & prædandum occiduntur. Ex quo generaliter concludit Barb. pro nullo orandum, qui in flagranti aliquo delicto occiditur, neque oblationem in Miſſa fieri poſſe, tanquam pro eo, qui eſt in publico peccato obſtinatus, & excommunicatus. *Baſil. Ponc. de imped. matrim. c. 35. ci fi.* exiſtimans hic agi de raptoribus rerum Eccleſiaſticarum, in quos lata eſt excommunicationis ſententia. *Rodericus verò To. III. q. 61. art.* 2. de illis intelligit, qui furando, rapiendo, vel aliàs mortaliter delinquendo occiduntur. *V. Layman. lo. cit. nu.* 32. Idem aliqui dicendum putant de meretrice, quæ poſt peractam in Paſchate confeſſionem, & communionem in domo veteris amaſii ſui multis vulneribus occiſa reperitur. Sed privandam non eſſe ſepultura probat Navarrus 1. quia in dubio præſumi poteſt eam inductam in domum amaſii ab ipſo non meretricandi cauſa, ſed ut vindictam ſumeret de aliqua injuria, quæ ſibi ab ea illata putavit. 2. quæ cùm antea communicaſſet, probabile eſt, cùm imminens periculum cerneret, nomen Jeſu invocaſſe, & alia pœnitentis animi ſigna dediſſe, quod ſufficit ad concedendam ſepulturam, quando contrarium non conſtat. *c. à nobis de ſent. excomm. Rodriq. To. III. q 61. ar. 2. Nav. de ſepult. Conſil. 6. Zer. par. 2. V. ſepult. §. 2. an meretrix.*

Dub. 5. An privandus ſepultura, qui in duello occiſus eſt, edito prius aliquo pœnitentiæ ſigno vel etiam data abſolutione? *Con. Tr. S. 25. c. 19.* præter alias pœnas monomachis conſtitutas etiam Eccleſiaſtica ſepultura privandos decernit. *Si in ipſo conflictu deceſſerint*, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura. Quid verò velint illa *in ipſo conflictu* decedere, obſcurum eſt. Titius ex. gr. in duello lethaliter vulneratus non continuò moritur, ſed humi jacens, dolere ſe de peccatis ſuis oſtendit, eo, quo poteſt modo, confitetur, & abſolvitur, ac tandem expirat, ſi in ipſo conflictu cenſetur mortuus, de ſepultura concedenda dubium eſt: ſi extra conflictum, non videtur ſupereſſe dubitationi locus. Pro affirmativa parte eſt calamus hiſtoricorum omnium, qui in pugna prælio, vel congreſſu obiiſſe ſcribunt, quicunque in loco prælii reperiuntur occiſi, ſive ſtatim à vulnere, ſive aliquo intervallo pòſt. Deinde pro fure manifeſto habetur, & judicatur deprehenſus in delicto, quando rem ſublatam nondum detulit, quo intendebat. In ipſo conflictu igitur occiſus dicetur, qui in loco, ubi pugnatum eſt, occubuit. E contra ita intelligi poſſe videtur, quemadmodum *in l. heredes 21 ff de teſtam. §. ult. & C. eod. l. cùm antiquitus.* ut in conflictu obiiſſe cenſeatur vulneratus, niſi inter vulnerationem, & mortem alius actus intercesſerit, uti ponimus hic actum pœnitentiæ & abſolutionem interceſſiſſe. Adde, quòd *Zyp. teſte*, Archiep. Mechlinienſis *A. 1629. 19. Mart.* in notabili quatuor comitū duello mortuū, quia à Parocho abſolutus erat, ex præclarorū Juriſconſ. ſententia Eccleſ. ſepultura non privavit.

Reſp.

R. Igitur cùm in iure nullibi legamus expreſsè prohibitum, favore Sacramenti pœnitentiæ, quando conſtat, confeſſum, & abſolutum eſſe, quamvis in loco duelli occiſum eccleſiaſtica Sepultura recipi poſſe, non obſtantibus quæ *in c. Felicis memoriæ de torneam.* legimus eccleſ. Sepultura privandum, qui mortuus fuerit in torneamento, quiſquis ei poſcenti pœnitentia non negetur quoniam id eo tempore conſtitutum eſt, quo torneamenta tanquam feriæ, & nundinæ agebantur legum Sacrarum contemptu addito. *Tholoſ. l.39.c.5.nu.*31. Si quis tamen eccleſiaſticus iudex rigorem illum cenſuerit in caſu particulari neceſſarium eſſe, poterit citati capitis auctoritate reſiſtentes ſibi abigere & coercere. *Zyp.l.5.Conſult l.de pugnantib. in duello. Angel V. Sepultura nu.29. Silv. ead n.9. Armillan* 17. *Reginald.l.21.c.7.n.* 75. *Bonac. de Cenſur. diſp. 2. q. 6 pun.* 12. *Molfes. in ſum. Theol.* Mor. *To. 2. Tract. 7. c.*18 *Filliuc. Tr.*15. *nu.* 103 *& Tract. 29. c. 8. nu. Tolet. l. 5. c. 6. num. 32. & 33. Navar. c. 11. n. 39.*

D. 6. Non minor difficultas eſt de homine, qui in domo ſua, vel conclavi ſuſpenſus reperitur.

Navar. ita proponit. Quidam monachus manè confeſſus, & abſolutus, qui tota die, & Veſpera ſtetit lætus, fuit inventus manè mortuus intra cellã ſuam oſtio clauſo, habens laqueum pendentem ex collo, ipſe autem non pendebat, ſed quaſi genu flexus extabat: quæritur, An poſſit, & debeat in loco ſacro ſepeliri? Reſpõdet verò, prædicti monachi cadaver debuiſſe in loco ſacro ſepeliri, & ex profano loco, ubi humatum fuerat, transferendum eſſe in locum Sacrum, tum quia omnis Chriſtianus, ſi fieri poteſt, in locó ſacro ſepeliendus eſt, *c. Ex parte. de Sepult.* niſi in caſibus exceptis: tum quia de nemine præſumendum eſt, quòd deliquerit, præſertim tam grande delictum & abominabile cõditioni & inclinationi humanæ, & maximè de confeſſo, & communicato eodem die. Vnde mulier incidens de cymba in fluvium iubetur ſepeliri in loco ſacro, etiamſi fugiendo cecidiſſet, quia non præſumitur voluntariè ſe ad occidendum deieciſſe. Idem dicendum de eo, qui in puteo, vel ciſterna ſuffocatus invenitur, maximè ſi mores, & anteacta vita probabilis fuerit. Memini cuiuſdam Eccleſiæ Collegiatæ Canonicum recens à Scholis abſtractum, cùm in puteo domeſtico mortuus inventus eſſet, nec quiſquam dubitaret, ſeipſum præcipitaſſe propter improbè exactam iuventutem, in periſtylio eccleſiæ ſepulturam, minus tamen honorato loco obtinuiſſe. ne videlicet negata Sepultura nimium præſumptioni tributum eſſe videretur. *Navar. Conſil. 7. de Sepulturis. Em. Sa. V. Sepultura n. 6. Ign. Lopez in* Pract. *Crim c.*37. *n.*12.

Dub. 7. An quilibet regularis, apud quẽ defunctum pecunia reperta eſt, ut proprietarius Sacra Sepultura carere debeat?

R. minime, ſed in eiuſmodi caſibus magna cautione, & prudentia opus eſſe, nec permittendum, ut veritati, & innocentiæ Zelus prævaleat. Sacri canones enim non privant Sepultura monachum quemcunque, in cuius cella poſt mortem burſa cum pecunia reperta eſt, ſed eum duntaxat, qui de peculio monitus à Superiore non reſignavit. Cùm enim eiuſmodi pœna graviſſima ſit, non eſt infligenda

Digitized by Google

homini non audito, nec legitimè condemnato, quod poſt mortem fieri non poteſt. Pecuniam occultè habuit, nec moriens indicavit, aut reſignavit. Fateor, at quo conſilio, & intentione habuerit, cur non reſignarit, ignoramus. Quid ſi voluit, & morbo impeditus non potuit? quid ſi ab aliquo Superiore licentiam habuit? quid ſi ab alio ad breve tempus cuſtodiendam? Hæc & ſimilia, quoniam uſu venire poſſunt, non eſt temere condemnandus reus, quem aliàs nemo accuſat, vel convincit: ſed potiùs vitæ ſtatus, & religioſi mores commendant. Confirmatur ex doctrina *Silveſtri*, qui *V. Sepultura num.*10. ei, qui intra annum non eſt confeſſus, nec communionem accepit, non poſſe à parocho negari ſepulturam dicit, quod in dubio præſumatur non immemorem ſuæ ſalutis fuiſſe. *c. Sancimus* 1. *Q.* 7. potuit enim alicui Regularium confiteri, & illius mandato communionem omittere. Similiter itaque poteſt, & debet de tali monacho præſumi, quod ab aliquo Superiore vivæ vocis oraculo licentiam fuit conſecutus, ut apud ſe dictam denariorum burſam retineret, quam in morte oblivione, aut infirmitate abſorptus non reſignavit: quod eò magis verum, ſi Sacerdos fuit, cui propter tantæ dignitatis excellentiam maximè eſt deferendum. *Ita fere Roder. Tom. III. q. 61. artic.* 1. cui miror exempla defuiſſe, cùm nec rara, nec pauca ſuperſint. Viri admodum Religioſi, & ſenio confecti, qui cum magna Sanctioris vitæ opinione deceſſit Sepulturæ interfici, inter cuius ſcruta cum aliqu d nummorum eſſet inventum, nemo aliud ſuſpicatus eſt, quamquã pro pauperibus in eleemoſynã collegerat, oblitum eſſe, ne diſtribueret. Item Superior de meis quidam pecuniam præter Ordinis morem in diuturno morbo repoſuerat in ciſtella quadam; qua poſt mortem reperta provinciæ præſes ſolum oblivionem accuſavit, qua corpori malè affecto nihil facilius. In alio quodam dementiæ opinio pro excuſatione valuit. *V. Negron. in Reg.* 7. *Commun. nu.* 22.

DVB. 8. An defunctorum corpora exhumare, transferre, vel dividere liceat?

R. 1. Corpora nondum certo loco ad perpetuam ſepulturam tradita movere loco & in alium transferre licet, quia leges de hoc nihil definiunt, ſed de traditis perpetuæ Sepulturæ loquuntur. *l. ſi necdum. l. Nemo hominum C. de relig. & ſumpt. fun l oſſa ff. eod. tit. Tholoſ. l.* 2. *c.* 14. *Roder. to.* 3. *Q.* 62 *ar.* 1. *Navar. Conſil* 7 *de Sepult.*

R. 2. Qui abſque licentia Papæ mortuorum corpora in fruſta concidunt, aut aqua calida ſoluunt carnem ab oſſibus, ut hæc aliò transferant ad ſepulturam, excommunicationem incurrunt S. P. reſervatam. Cadaver quoque eccl. Sepultura privatur, in deteſtationem eius carnificinæ. Ita conſtituit *Bonifacius* VIII. in quadam Extrav. quia incipit. *Deteſtandum* de qua ambigere licet, an prohibeat etiam ſectiones, & anatomiam Medicorum. Bartolus certè conſiderationi doctorum relinquit in *l. fin ff. de cadav.* Hoc temp. provaluit ſententia, & praxis contraria, quæ quia à timoratis Iudicibus recepta eſt, non videtur damnanda; idemque Carolo Imperatori conſulenti Vniverſitas Salmanticenſis reſpond. Neque hoc

hoc comprehendi in præfata Conſtitutione Bonifacii *Silv.* aſſerit in *V. Excommunicatio §. 7. §. 79.* Nam pœnæ ultra proprios caſus non ſunt extendendæ. *c. 18. de pœnit Diſt. 1.* Sed molliendæ potiùs. *l. Interpretatione. ff. de pœnis.* Extravagans autem Bonifacii ſolùm loquitur de caſu, in quo cadavera exenterantur, & in fruſta ſecantur, eo fine, ut alio in loco tumulentur. Adde, quod finis & utilitas Medicorum praxin facilè excuſat. Ideò enim corpora membratim ſecant, ut internam partium diſpoſitionem, & colligaturam diſcant, ſedem, & receptacula morborum deprehendant, quò mederi facilius malè habentibus poſſint, quod non ſingulis modò hominibus, ſed ipſi reip. & communitati plurimùm prodeſt. *Roder. l. cit Ancharan. in Clem. 1. de pœn. & remiſ. Boerius Deciſione 287. Decianus l. 4. c. 44 n. 17. Bonac. To. 3. Diſp 2 Q. 3 pun. 45.* ubi ad incurrendam excommunicationem requirit, ut is, cuius cadaver exenteratur, in terris Catholicorum obierit. Nam ſi apud infideles, aut hæreticos deceſſerit, nō videtur excōmunicandus, qui diſſecat, ut ad eccleſiaſticam ſepulturam trāsferatur. Satius enim eſt hoc fieri, quàm hominis Chriſtiani corpus apud infideles ſacra ſepultura privatum iacere. Hinc Silveſtri opinionem, cui multi alii favent, *Suarez To. 5. Diſp. 22. ſect. 5 n 3.* veram eſſe contitetur, indeque inferri, ſi quis cadavera ex odio, & vindicta diſſecaret, non incurrere hanc cenſuram. Pœnam verò, ut corpus ſepultura careat, non niſi poſt legitimam ſententiam deberi.

DVB. 9. Vtrum epiſcopus exhumare poſſit corpora eorum, qui quamvis nominatim excommunicati aut Vſurarii eſſent, à Religioſis ſepulti ſunt?

Rt *Emm. Roder. To. 3. Q. 61. a. 4* id poſſe epiſcopum virtute *Clementinæ. Eos qui. de Sepult.* inque eum finem intrare loca exempta, cum in ea Clementina privilegia in contrarium abrogentur. Verùm ex quibus verbis id colligatur, non apparet. Nihil enim de exhumatione inſeritur, neque Barboſa diligētiſſimus collector quicquā annotavit. Privilegia ſublata ſunt, ut videlicet non obſint excommunicationi, quæ contra ſepelientes fertur; an verò per hoc epiſcopus accipiat licentiam exhumandi ſepultos, etiam intrando violenter in monaſteria exempta non liquet, neque neceſſarium eſt. Tenentur enim, qui contra ius ſepelierunt excommunicatos vel Vſurarios petenti epiſcopo tradere ſepulta cadavera, quemadmodum ipſe *Emmanuel in ar. 3. docet.* Quoc. *Silv. V. Sepultura nu. 16. & Armilla nu 19* omiſſa diſtinctione loci exempti, & nō exempti cum *Panorm. in c. Sacris eod* reſpondet non poſſe epiſcopum eiuſmodi corpora exhumare, & procul abiicere: poſſe verò impedire ſepulturam, ne transferantur corpora ad locum exemptum. Cum enim delinquatur in territorio ſuo, poteſt obſiſtere, & facere, ut in loco privato ſepeliantur.

DVB. 10. Quæ ſit pœna violantium ſepulchra.

NOTA 1. Sepulchri nomine intelligimus cum Iure-Conſultis non tantum id, quod quaſi immediatum corporis conditorium, ſeu tumba eſt, ſed etiam omne illud cæli quod ſupra eſt, ſicuti dicimus, quod qui dominus eſt portionis alicuius Soli, intelligitur etiam aëris dominus, qui ſupra eam portionem conſiſtit uſque ad cœlum. *l fin. ff de ſervitut.*

NOTA 2.

NOTA 2. Sepulcra pluribus modis violantur, magis vel minus, gravius aut levius, ſecundùm diverſitatem intentionis, & actionis malefactorum. Fieri enim poteſt, ut totum diſſipetur, fieri etiam, ut pars ſepulcri tantùm, in quo iterum magna varietas: quemadmodum legere potes apud *Decianum l.* 40. *c.* 42. Noſtro inſtituto brevitas commoda eſt. Ad Q. ig.

R. Iure Canonico non videtur alia, & gravior pœna violatoribus ſepulchrorum conſtituta, quàm quòd geſta irritantur, iuxta intellectum. *c. Fraternitatem*, *& c. cum liberum de ſepult.* Ita *Farinc. l.* 1. *de deli. & pœn. c.* 20. *Concl.* 5. Extraordinariæ igitur pœnæ locus erit, & arbitrio boni Iudicis, quemadmodū Menochius dicit *l.* 2. *de arbitrar. Caſu* 387. *n.* 1. Iure Civili autem plures pœnæ decernuntur. Nam 1. qui violaturus ſepulcrum attigerit tãtùm, 20. libris auri multatur: qua pœna etiam Iudices puniendi, ſi id vindicare neglexerint. *l ſi quis ſepulcrum.* C. *eod.* Si tamen præter attactum non ſit alius effectus, aut iniuria, *Accurſius in V. Violatores* excuſari putat à prædicta pœna. Porrò auri libram 72. aurei faciunt *l. Quotieſc.* C. *de ſuſcept. prapoſ. & arcariis:* Argenti verò quinque ſolidi ſive aurei. *l.* 1. C. *de argenti pretio &c.* 2. Qui corpora ſepulta aut reliquias contrectarint, decem libras argenti coguntur fiſco inferre *l. Qui ſepulcra ci. fin.* C. *eod.* Qui verò extraxit, armata manu vel oſſa eruit, ſi humilioris conditionis eſt, extremo ſupplicio afficietur; ſi verò honeſtioris, in inſulam deportabitur, vel damnabitur in metallum. *l fin ff. eod. Farinac. l.* 1. *de deli. & pœn. c.* 20. *Menoch. Caſu* 387. *Decianus l.* 6. *c.* 42. *&* 43. *Silv V. Sepultura n.* 13. *Damh. c.* 109. *Iul. Clarus l.* 5. *§. fin. Q* 59. *num* 45. addens hoc crimen propter multa cœmeteria conſtructa apud eccleſias iam in deſuetudinem abiiſſe, ut modò Rubrica hæc parum in uſu ſit: vidiſſe tamen ſe ingentem proceſſum Cremonæ factum ſuper hoc crimine, & fuiſſe quendam Galcacium condemnatum in uno ictu funis, & aureis decem: pro qua tamen condemnatione obtinuit gratiam. 3. qui epitaphia, tabulas, imagines, aut columnas frangit vel aufert, præter compenſationem damni, eadem pecuniaria pœna 10. librarum auri mulctatur. *V. Berlichium Par.* 5. *Concluſ.* 47. *nu.* 41. *&* 42. *Tholoſ. l* 33. *c.* 23. *Vallenſem l.* 3. *tit.* 28. *§.* 29.

TITULUS VI.

De Conventionibus.

DVæ nos cauſæ in huius materiæ pertractationem impellunt.

Prima eſt, quia commercia rerum, quibus in vita civili nihil frequentius, & utilius, pactis, conventionibuſque abſolvuntur: illa rem faciunt, & perdunt, poſſeſſiones mutant, dominia transferunt, lites & iudicia fovent, laicis, & eccleſiaſticis, qui etiam ipſi cives, communia ſunt.

Secunda

Digitized by Google

Secunda, quia in ampliſſima hæc materia, propter diverſitatem finis, non paucæ differentiæ inter Canones, & leges reperiuntur, quemadmodum in progreſſu patebit.

§. I.

De Pactis in genere.

I. PActum in genere acceptum, eſt *duorum vel plurium in idem placitum vel de re ſua, puta aliquo dando, vel faciendo conſenſus*. atque ita à conventione, non diſtinguitur, & Contractum, atque tranſactionem veluti ſpeciem ſub ſe continet. *l.* 1. §. 2. *ff. de Pactis*. Nam conventionum pleræque in aliud nomen tranſeunt, veluti emptionem, locationem, in pignus, vel in ſtipulationem. §. 4 *eod.* In Contractu ſtrictè accepto συνάλλαγμα eſt ultrò citroque obligatio. In tranſactione res dubiæ terminantur, aliquo dato, vel retento, promiſſo, vel remiſſo. *Tholoſ. l.* 21. *c.* 2 *num* 7 *Cagnalus in Rubr. de pactis init. Vallenſ. l.* 1. *tt.* 35. *§.* 1. Vnuſquiſque autem non alterum paciſcendo, ſed ſeipſum duntaxat obligare poteſt, niſi quis alterius ſubiectus ſit poteſtati. *l.* 11. *ff. de oblig & act Laym l.* 3 *tr* 4 *c.* 2.

II. Dividitur 1. in publicum, & privatum hoc de re familiari ſcil. illud de communi, puta induciis, pace, & ſimilibus 2. Expreſſum & tacitum. *l* 2 *ff h t.* Expreſſa vel reipſa inter præſentes, vel inter abſentes per literas, vel nuntium fiunt. Tacita nullo horum modorum, ſed interpretatione quadam facti, ut ſi debitori cautionem reddas, dicetur remitti debitum, & taciti pacti actionem habebit debitor. Si in prædium Vrbanum intuleris, aut invexeris aliquid, tenebuntur ut pignori obligata locatori pro mercede habitationis. 3. Ex privatis pactis quædam ſunt Iuris gentium, quædam legitima. Iuris gentium illud eſt, quod ſola æquitatis ratione ſubſiſtit; non actionem, ſed exceptionem parit. *l. Iuris gentium* 7. *ff. hoc. tit.* Legitimum, quod lege aliqua civili confirmatur *le.* 6 *eod.* Hoc parere, & tollere actionem poteſt. 4. Alia ſunt in rem: alia in perſonam. In rem paciſcimur, quando generaliter paciſcimur, ne petamus. In perſonam, cùm paciſcor, ne à perſona, Titio, aut Caio petam. *di. le.* 7. §. 8. *ff. eod.* Denique Pactum aliud eſt nudum, aliud veſtitum. Nudum in mera conventione, ſeu conſenſione conſiſtit, nec proprium nomen, nec cauſam (id eſt dationem vel factum, ob quod oporteat alterum alteri præſtare quod promiſit) habet, ut ſi tecum conveniam de mutando invicem pallio, ut tu meum, ego, tuum habeam, ſine traditione, nudum pactum eſt. Pactum veſtitum dicitur Contractus ſtrictè acceptus, qui iure civili actionem parit, ut emptio & venditio: vel ſi proprio nomine caret, cauſa ſubeſt, puta factum aliquod ab altero, vi cuius obligatur alter præſtare, dare vel facere id, de quo conventum eſt. Ex gr. Si palliū tibi antea promiſſum tradidero, hic actus facit, ut tu quoque, ut promiſiſti, tuum mihi tribuas. *Tholoſan. l.* 21. *Synt c* 6. *Tuſchus Concl* 18. *Silv. num.* 2 *Treutler. Vol.* 1. *Diſp* 6. *numer.* 2. *&* 3. *Azo. lib.* 2. *Rubr.* 2.

III. Veſtitur autem 6. modis 1. reipſa, præ-

præſtito ſaltem ab una parte, quod oportet. 2. verbis, ut in ſtipulatione 3. literis, ut ſi tibi ſatisfactum eſſe ſcripto teſteris, quemadmodum in acceptilatione fit. 4. ſpecifico nomine Contractus. Hinc omnes contractus nominati, qui conſenſu perficiuntur, veſtiti ſunt. 5. Cohærentia cum Contractu veſtito. Vendis mihi agrũ 100. flor. cum pacto, ut huius anni cultum, & fructum habeam, pactum hoc nudum eſt; ſed veſtitum cenſetur, quia adhæret emptioni, quæ eſt Contractus veſtitus, quia Acceſſorium ſequitur naturam principalis. *Reg.* 42. *Iu in* 6. Denique 6 veſtitur iuramento. Per hoc enim vires accipit, & roboratur pactum nudum, ſicut aliæ actiones quoque *Angel n* 3. *Silv.* §. 4. *nu.* 21. *Mol Diſp.* 255 *Lorichius V. Pactum. n.* 3. *Leſſ. c.* 17. *D.* 3. *nu.* 18. *Laym. l.* 3. *Tr.* 4. *c.* 2. *Lugo Diſp.* 22. *S.* 2. *num.* 13. *Tuſchus Concluſ.* 29.

IV. Ex pacto veſtito obligationem & actionem naſci dubium non eſt. *l. Iuris gent. & tom tt ff. de præſcriptis verbis.* Ex nudo licet obligatio naturalis oriatur, actio tamen non datur iure civili *di. l* §. 4 Nimirum lites odit Ius Civile, quas pactorum frequentia neceſſariò progenerat: & meritò præſumitur, tot promiſſiones animi levitate quadam, & inconſideratione perfici, ad quarum obſervitionem cogere durum videtur. *VVeſenb. l.* 2. *ff tt.* 14. *num* 9. *Trentl. l cit nu.* 9 *Fern. Vaſq. controv. illuſtr. c.* 10. Vniuſcuiuſque honeſtati igitur relinquitur, ut niſi malè audire velit, promiſſiones ſuas adimpleat. Promiſſarii autem dent operam, ut promiſſis ſibi factis robur accedat, veſtiendo illa uno aliquo ſex modorum, quos *n. præc.* enumeravimus.

Nota. Etiam Iure Civili Actionem naſci ex pacto nudo, cùm id illi ſpecialiter à legibus tribuitur. Exemplum habes in donatione, quæ à promiſſione acceptata incipit nondum facta traditione. Huius n. obligatio & ad hæredes tranſit. *l. Si quis argentum.* §. *ult.* C. *de donationib.* Idem valet in nudo pacto dotis promiſſæ 1. ad exactionem C. de dotis promiſſ. *VVadingus diſp* 1. §. 3. Idem in promiſſione, qua quis promittit, alicui ſe ſoluturum, quod alius ipſi debet. *Mol. D* 255. *ci. fin. Onnate diſp.* 2 *nu.* 148. *Phil. Decius in ff. de iuriſd. om. Iud. l. Si convenerit.*

V. At quæſtio non levis eſt, utrùm ſecundùm Canones ex nudo pacto obligatio & actio naſcatur? Diſſentiunt Interpretes apud. *Fachin. l* 2. *c.* 100. Vera opinio eſt, ex pacto nudo, quod cum expreſſione cauſæ initum eſt, oriri. Nam quæ de labiis ſuis procedunt, nemo irrita facere debet *pſ.* 88. *V.* 35. *Et c.* 1. *de pactis*, uti in Conc. Africus Antigonus Epiſcopus dixit. Aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam. Dixerunt univerſi (Patres congregati) *Pax ſervetur, pacta cuſtodiantur.* Vbi *Barb.* catervam DD. annumerat, & notat, etiam Iure civili pactum nudum producere actionem in foro mercatorum: idemque facere, ſi geminatum ſit. *Covar in c. cùm in officiis num.* 9. *de teſtament. & in c* Quamvis *pactum par.* 2. § 4. *Gomez tom.* 11. *cap.* 9. *num.* 7. *Maranta Par.* 4 *tt. de iuramento. Rebellus de oblig iuſtitiæ Par.* 2. *l.* 10. *p.* 1. *Laz.* 1. *l.* 11. *c.* 7. *Q.* 1 *Barb. in Prætermiſſis*

termiſſis tt. de Pactis. Laym l.3. Tr.4.c.2. num. 3. ubi excipit promiſſiones Eccleſiæ factas, in quibus non ſit opus cauſam exprimere.

VI. Cæterùm obligatio (ut in futurum hoc ſemel ſtatuatur) eſt Iuris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicuius rei ſoluendæ, vel faciendæ. *Inſtit. de obligat. init.* Per ly *neceſsitate aſtringimur* differt ab obligatione, quam fidelitas, gratitudo, vel alia Virtus à Iuſtitia diſtincta parit. Alia eſt naturalis, alia civilis, alia mixta ſeu naturalis & civilis ſimul. Naturalis ex rei natura, Civilis ex legibus oritur. Mixta utrimque. Cauſa, & materia eſt vel Contractus, vel delictum, aut quaſi. Pro effectu obligatio civils actionem habet, id eſt, poteſtatem ius ſuũ proſequendi quia duplex Realis perſonalis. Naturalis ſola, niſi Iuris civilis accedat auctoritas, in foro externo non actionem, ſed exceptionem parit *l. Iuris gent.* §. *ſed cum nulla ff. de pactis.* Quæ exceptio ſufficit ad novandum *l. 1. cs fin. ff. de novat. ad conſtituendum l.* 1. §. *Debitum ff. de conſtit pec.* ad compenſandum. *l. & ff de compenſat.* Præterea ut accedat fideiuſſor. *l. ſtipulatus ſum cum l ſeq. de fideiuſſ.* Item, ut accipiatur pignus *l. Naturaliter ff. de cond. indebit. Lex Prateii. Tholoſan. l.* 21. *Syntag c.* 3. *num.* 4. *Laym. l.* 3 *Tr.* 4. *c* 9 *num.* 9. *Ang. V. Obligatio Silveſt. Armill. eod. Fill. Tract.* 33. *c.* 5. *n.* 82. *Regin. l* 25. *c.* 4.

VII. Omnis pactio & conventio de re ſpirituali, irrita & nullius momenti eſt. *c. Pactiones* 8. *hoc tit.* ubi pactio de tertia tantùm parte decimarum præſtanda irrita declaratur, niſi probetur, auctoritate Apoſtolica confirmatam eſſe. Idem de annexis rerum Spiritualium dicendum, quia in horum omnium commercio fons uberrimus Simoniæ eſt, de quo copioſè Summarum Auctores. *Angel. Silv. Armilla. Tab. Tuſchus Concluſ.* 11. *Navar. c.* 23 *n.* 100. *Soto l.* 4. *Q.* 7 *ar.* 1. *Tholoſan. l cit. c.* 4. *Leſſ. c.* 35. *Dub.* 2. *Azor Tom.* III. *l* 12 *c.* 1. *Decianus l.* 5. *c.* 82. *num.* 1. Limita, niſi annexum rei ſacræ, omninò temporale ſit, quemadmodum in Sacris Vaſis eſt aurum, argentum, aut ſimile quid. *c. Aurum.* 12. *q* 2. Huiuſmodi enim, cùm neceſſitas, vel charitas urget, vendere, & diſtrahere licet, ut communiter DD. tradunt, & à Sanctis viris non ſemel factum eſt.

VIII. Irrita etiam ſunt pacta. 1. de beneficio eccleſiaſtico mediante pecunia reſignando. *c. Cùm pridem h t. & Barb. ibid.* 2. de ſoluendo expenſas, & fructus pro celsione juris *Put. l.* 2. *deciſ.* 40. 3. renunciatio cum pacto facta, ut reſignatarius ſoluat reſignanti expenſas factas in illo beneficio conſequendo. *Flamin. de reſign. l.* 14. *q.* 7. 4. pactum de ſuccedendo poſt mortem Prælati in ipſius eccleſia. *c. Accepimus. hoc tt. Covar. in c. Quamvis pactum eod.* 5. Pactum non ſuccedendi ſeu renunciatio legitimæ, *l pactum dotale. C. de Collat.* Niſi firmetur iuramento. *Sanch. l.* 4. *Conſ. c.* 1. *D.* 34. 6. Eccleſiam acquirens per pactum augendæ penſionis, illâ privandus eſt. *c. Cum clerici. hoc tt. Az.* 11. *l* 8. *c.* 12. *q.* 12. 7 irrita conventio eſt, quando eccleſiæ locant domos, vel prædia vel infeudant cum præiudicio eccleſiæ. V. g. ut ſoluant decimas, vel apud eas Sepulturam eli-

Digitized by Google

gant. *c. Plerique hoc. tt.* Panor. *& alii.* Adde, qui talis pacti occaſione quicquam acquiſiverunt, eccleſiæ reſtituere debent. *Silv. V. Simonia num.* 191. *&* 20. *8.* Irrita ſunt pacta, quæ, con. leges, Conſtitutiones, vel bonos mores fiunt. *l. Pacta C. eod l. Non dubium* C. *de legib. l. Contra ff. de pactis.* Nemo n. ad peccatum obligari poteſt. *Leſſ c.* 18. D. 7. Vnde ſequitur 1. concidere omnia pacta de futura ſucceſſione inita. *l pactum, quod dotali.* C. *de pactis. l. Cùm donationis de tranſact. ead* Excipe pacta particularia, de quibuſdam rebus poſt mortem relinquendis. Item Principum de mutuâ ſucceſſione in caſu deficientium liberorum. Denique militum pacta de ſucceſſione mutua. *V. Gaill. l.* 2. *obſ.* 126. *&* 127. *Sanch. l.* 4. Mor. *Conſil. c.* 1. *D.* 34. *Tuſch. concl.* 13. *&* 14. *2.* dolo, vi, aut metu extorta. *l. Iuriſgent. ff. dolo malo. §. Generaliter de pact.* 3. illa quibus ius tertii læditur. *l.* 3. *de tranſact. l.* Pacta. *quæ C. eod.* 4. quæ turpē cauſam continent. Cuncta denique quibus ius reſiſtit, iuxta *Reg.* 64. *de* Re. *Iu. in* 6. Quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi. Idem dicendū de Iuramento, quod con. bonos mores factum nullius eſt momenti intellige con. bonos mores, quos vel Naturale, vel divinum, vel Cano. Ius proſcribit. *VVeſenbec l.* 2. *ff. tt* 14. *num.* 9. *Az. Tom.* 1. *l.* 11. *c.* 6. Q. 4. *ci. fi. Silv. V.* Iuramentum §. 4. *num.* 1.

IX. Pacta ſtatutis prævalent, intellige legitima. *c. Venientes de iureiu.* §. *Quia verò non minus.* Quin etiam Apoſtolicis inſtitutis, & decretis derogant, maximè, quæ ſequuntur privilegium *c. Cùm olim de præſcript* Antecedentia quoque tunc, cùm illorum in indulto non ſit mentio. *c. Ex multiplici de Decim. Clem. Dudum de Sepult. Ratio* dari poteſt, quia ſic paciſcentes cedunt iure ſuo, quod ex ſtatutis, privilegiis, aliiſve cauſis adipiſci poſſunt, modò nulla prohibitio obſtet. Nam publici iuris alia ratio eſt, cui pactis privatorum non derogatur. *l Ius publicum de act. em. & vend l. Iuris gent. ff. de pactis. Caramuel Theol fundam n.* 856.

X Pactum & conventio duorum ſubditorum aliàs irrita, & dependens ab imperio Superiorum, ratihabitione illorum conſolidatur. *c. Quoties* 2. *hoc tit.* Quoties, *ait Greg. Papa* in conventionibus noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant, quæ geruntur, ratihabitio eas debet pro ſecuritate partium ſolidare. Vnde colligunt Interpretes, ratihabitionem retrotrahi ad diem initæ conventionis ſeu pacti, ac mandato comparari. *V. Decium in Reg. Semper quis ff. de R.* I. Excipe, niſi agatur de præiudicio tertii, vel quando actus, ad quem retrotrahi debet, ab initio nullus fuit. *Barb. in cit. c. Quoties. Silv. V. Conſenſus. num.* 6. *ubi ex Innoc.* limitationem adiungit. Niſi Papa, qui non eſt ſubiectus legibus, velit ſupplere defectum. Permittitur enim illi, ſententiam, quæ nulla ab initio fuit, ita ratificare, ut valeat, non ſecus atque ſi nulla unquam illi ſolennitas defuiſſet. *Oldrad. Conſil.* 257. *Guido* Papa *Conſil.* 134. *Tuſchus in V.* Confirmatio. *Concluſ.* 710. Idem de ſæculari Principe ſupremo dicendum, ut pluribus declarat *Tuſch. lo. cit.*

XI. Licet Iure communi Cæſareo dominium rei ſolo & nudo pacto non transferatur. *l. Traditionibus C. de pactis & l.* 15. *de rei vendic. eod. l.* 31. *ff. de acqu. rer. domin.*

VVeſenb.

Digitized by Google

*VVeſenbec.ff.l.18.tt.1.*in rebus Eccleſiæ tamen acquirendis neglectâ traditione ſola & nuda promiſſio ſufficit. *l.ut inter C. de Sacroſ.Eccleſ Bartol. ibidem.* Præterea ſi contingat, rem aliquam vendi Eccleſiæ, & poſtmodum alteri alicui tradi, non habebitur hujus traditionis ratio, ſed Eccleſiæ ſimpliciter adjudicabitur. Idem dices de quibuslibet donationibus ac piis legatis. In his enim ſola acceptatio ad dominium acquirendum ſufficit. *Felinus in c.Eccleſia S. Mariæ de Conſtit Azor. III. l. 11. c.6.Leſſius c 3.D.3.& c.18.D.6.n.36 item c. 21.Dub.20.num.141.Molin tract.2. Diſp.3.* Eadem ratio de beneficiis Eccleſiaſticis eſt, quorum collatio ante omnem acceptationem jus tribuit etiam abſenti, quod poſtmodùm per acceptationem perficitur. *c ſi tibi abſenti de præb.in 6.* Unde fit, ut Epiſcopus re integrâ, antequam acceptetur beneficium, alteri conferre non poſſit, ſed expectare debeat, donec conſtet acceptare nolle, illum cui facta collatio eſt. *V.Covarr.l.3.Variar.c.16.Sanc. de Matrim.l.1.D.7.nu.20 & l.3 D. 36. Vallenſ.de beneſ.l.1.c.6.Barb. in cap. 17. Si tibi abſenti.de ben.in 6.Sanchez l.2.Conſil. c.2. D 3 & in c quodam de Cler.agrot in 6.Gonzalez ad Reg.& Cancel.Gloſſ.15.* Amplia 1. ut idem privilegium conveniat, aliis piis locis, & civitatibus, quibus rerum donatarum, vel emptarum dominium ante traditionem acquiritur 2. Si alicui donatio facta ſit ſub modò, ſeu conditione, ut donatori alimenta præſtentur, conditionem verò non impleat donatarius, rei donatæ dominium abſque traditione redit ad donantem. 3. dominium rei legatæ tempore mortis teſtatoris fictione juris in legatarium tranſit, ita ut fructus ex eo tempore eidem debeantur; præſertim, ſi ad pias cauſas ordinata ſit. *l.ſi tibi homo ff. de legat 1.l.à Titio ff.de furt. Gloſſ. ibi Fern. Vaſq l.2.Controv.illuſtr.c.55.n.27.Farbina l.1.c.94.§ ſexto.*

§. II.

De Pactis in ſpecie.

I. PActum ſpecificè ſumptum, quatenus à tranſactione, & contractibus ſtrictè acceptis tam nominatis, quàm innominatis diſtinguitur, eſt *Conventio quæ ſuper re certâ, & gratuitò, id eſt, animo donandi fit.Connanus l.5.c.8.num.1* Quamvis enim non repugnet non gratuitò, ſed ob cauſam fieri, hoc tamen quaſi accidentarium cenſetur, quia per ſe, & ex naturâ ſuâ gratuitum eſt: idque potiſſimè attendi debet. *Azor.l.2.Summæ Rubr. 3. VVeſenbec.l.2. tt.14. num.3* E contra tranſactio ſemper fit ob cauſam, & de re incertâ juxta Verſic.

Incertâ de re tranſactio dicitur eſſe,
Sed fiunt certæ pacta favore rei.

V.Bald.& Decium in Rubr.de pact. Oſtienſ. in Summ. eod.tit.

II. Diviſiones §.præc. allatæ ferè omnes pactis in ſpecie ſumptis conveniunt, cùm non eſſentiales, ſed accidentales ſint. 1. igitur alia ſunt expreſſa, alia tacita. *l. 2. ff.hoc tit.*2 alia ſunt realia, alia perſonalia, prout circa rem, vel perſonam verſantur *l Iuriſg 7.pactorum hoc tit.* In dubio pacta omnia realia cenſentur *Iaſon num. 1. & DD in l.cit.Iuriſg.* Perſonalia bifariam accipiuntur 1. perſonale dicitur quod non tranſit in aliam perſonam. *l.ſi unus 27. hoc tit.*2, quod quidem non tranſit ad hære-

Digitized by Google

des,ſed tamen vivente eo, qui pepigit,in alium tranſire poteſt. *l. ſi tibi 18.hoc tit.* 3. alia ſunt judicialia, alia extrajudicialia. Hæc actionem non pariunt,ſed illa,quia in judiciis quaſi contrahitur. *Bald. in l. Tali pactum.* 41.§.*qui provocavit.* Alias diviſiones ſuppeditat *Azor.loc cit.* 4. denique quædam obligant, ab una ſaltem parte. Quædam obligationem tollunt, ideoque liberatoria vocantur, cujuſmodi eſt acceptatio. Differunt, quòd obligatoria non fiunt, niſi alterâ parte acceptante: liberatoria autem valent, non tantum præſenti facta, quamvis non acceptet, ſed etiam abſenti dummodò nomine ipſius alius acceptet, quia in ejuſmodi commodis etiam tacens, & abſens conſentire cenſetur. *Iaſon & DD in l.7.ſup citata. Decius conſil.* 45. *Cagnolus in Rubr.de pactis.Lugo Diſp.22.Sect.3.num.28. & 29.VVeſenbecius l.2.ff.tt.14 num.* 4. *Iul. Clarus* §.*Donatio.quæſt* 14.*Tiraquel. de nobilitate c 6.Barb in Reg. Iuris.qui tacet. & de Reg Iur.in 6.num.14 Corraſ.de Iure civil. part 3.c.8.Layman l.3.tract.4.c.3.n.1.*

III. Ex dictis colligi poteſt, quænam cauſæ ad conſtituendum pactum concurrant. Efficiens enim remota eſt lex gentium, aut civilis,aut prætoria *l.5.6.7. hoc tit.*quæ ejuſmodi contractum approbans validum,& efficacem reddit. Proxima v.conſenſus partium.*l.1.§ pœn. h. tit.* Materialis res circa quas verſatur conventio. Formalis animi motus, & conſenſio. Finalis denique juſta conventionis cauſa,puta, reſpectus compenſationis,donationis, aut ſimilis. *l. ſi convenerit 56.hoc tit.* Ubi notandum in pactis obligatoriis nunquam præſumi cauſam donationis,niſi exprimatur. *l.2,§. circa ff. de doli mali.exc.* adeoque nullâ expreſſâ cauſa pactum nullius momenti eſt. In pactis verò liberatoriis, licet nulla cauſa exprimatur, conventio valet: præſumitur enim pro ſubjecta materia, & fine conventionis cauſam donationi ſubeſſe. *l.1.de tranſactionibus Cagnolus loc.cit.*

IV. De materia pactorum ulterius noſſe oportet,eam latiſſimè patere.Omnes ſiquidem res,quæ in commercio ſerviunt,complectitur.*l ſi in emptione 34.§. Omnium de contrah. empt.* ſive præſentes ſint, ſive abſentes, ſive etiam futuræ, dummodò non alienæ, ſed propriæ ſint *l pactum 46.hoc tit.* neque juris publici. *l.Iura ſanguinis de Re. Iur. VVeſenbec l. 2. ff.tt.14.num.6.* Uſus præterea habet, ut paciſcentibus, vel tranſigentibus de cæde,aliove crimine publico à civili,& publica actione excludantur, non ſublata per hoc tamen Magiſtratus auctoritate, qui vindicare poſſit. *Barto in l.1. §. uſque adeo de injuriis.* De injuriis autem,& furtis etiam Jure civili paciſci licet. *l. ſi unus §.illud hoc tit.*quia crimina hæc non publica, ſed privata ſunt; ac proinde de illis inita pactio ipſo jure actionem tollit. *Tholoſan. l. 21. c.* 4. *Hartman.l.2. tt.* 49. *obſ.* 5.

V. Finalis cauſa,ut *num.*3. indicatum, generatim loquendo eſt, ut donetur, aut remittatur aliquid. Niſi enim in conventione aliquid remittatur,nihil actum ut pactum jure civili eſt: quandoquidem non prodeſt pactio,niſi ad excipiendum. Exceptio autem competere non poteſt niſi illi, cui aliquid remiſſum eſt, & cum quo agi poteſt. Exceptio enim actionis excluſio eſt.*l.2 ff.de excep.* Quod ſi paciſcendo non remittere, ſed novum jus

jus conſtituere velis, nihil commodi habetis, cùm de eo jure non poſſis actionem inſtituere, quia id pactorum natura non patitur, ut ſupra diximus. Porrò ſi ob cauſam fiat donatio, aut remiſſio (*quod licere ex num.* 1. *conſtat*) non ideò deſinit eſſe liberalis, ſed quaſi à latere & per indirectum impellitur animus ad donandum ex tali cauſa, qui nihilominus ſolam ob liberalitatem facturus erat. Quemadmodum pluribus exponit *VVeſenbec.l.2 ff.tt.*14 *num.*8.

VI. Jam quod effectus attinet, obligationem naturalem ex nudo *pacto* oriri §.1.*num.*4.*&* 5.diximus, quod etiam Juris civilis auctoritate corroborat *VVeſenbec.lo cit.num* 9 *lege* 1.*l Iurisgent.* 7.§.1. *hoc tit.l.legem* 10.*l in bona fidei* 13. *C. eod.* Quod verò ibidem diximus, actionem non dari ſed exceptionem, Prætor olim ſupplevit edicto ſuo, *Pacta conventa & ſervabo*, id eſt, tuebor, ut fides præſtetur: hodie autem Jure Canonico ſuppletur, ſecundùm quod ex quolibet pacto oritur actio *c* 1.*&* 2.*de pactis.* Idem in foro ſæculari obtinet, ubi ex æquo, & bono, vel ex ſuprema poteſtate judicatur, uti ſolent Curiæ Summorum principum, Arbitratorum, mercatorum, ac ſimilium *Maranta part.*4.*diſtinct.* 9. *num.*49. Imò generaliter uſu receptum videtur, ut in reliquis Curiis quoque indiſtinctè ex pactis nudis ſeriò, & deliberatè initis civilis actio detur. *Bald. & Salicet, in l potens C. de pactis. & Iaſon.* [illegible] *eſſe communem in l legitima* 6. *hoc tit.* Quod valdè conſentaneum æquitati eſt. Cùm enim ejuſmodi pacta legitimè inita naturaliter, & in conſcientia obligent, ratio exigit, ut ſerventur, & compellantur, qui iniquè reſiſtunt. Quem in finem boni Judices etiam in civili foro Canonum præcepta ſequuntur.*c.*1.*&* 2.*&* *DD de nov. op. nunciat.* Quænam verò actio danda ſit, *VVeſenbec.explicat loc.cit.* Condictionem ex lege, vel potiùs Canone malim, qualis dari ſolet ex omnibus contractibus, qui nova aliqua lege, vel Canone vim conſequuntur. *Abb. in c. qualiter. de pactis.Tuſchus Concl.*18.

VII. Quoniam pacta ſtricti juris ſunt, ejuſdem generis intellectum, & interpretationem exigunt, rejiciendo, quicquid non diſertè verbis comprehenſum, & expreſſum ſit, ſecundùm naturam, & conditionem omnium ſtricti juris contractuum. Excipe pacta, quæ bonæ fidei contractibus adhærent. Horum enim cauſæ interpretationem ex bono, & æquo admittunt. *l.Iurisgent.*7.*§. adeò l.ab emptione* 59.*h.t.Melon.l.cit.num.*35. Quamobrem nec ad alias res, nec alias perſonas niſi nominatim comprehenſas extendi debent. *l.ſi unus* 27.*§. pacta hoc tit.* Illis enim qui non pepigerunt, neque nocent, neque proſunt. *l.ſi actionem C.eod.* intellige, niſi ex diſpoſitione juris, aut veroſimili partium conventione ad aliquem, qui pactus non eſt, extendantur. Sic interpretamur pactum procuratoris ad dominum, tutoris ad pupillum, magiſtratus ad civitatem, præfecti ad Collegium pertinere.*l.item* 14. *hoc tit. l. præſes C.de tranſact. Tuſchus Concl.* 10. ampliandum monens, ut neque ad hæredem, quod perſonale eſt, tranſeat, neque ad fidejuſſorem, quod cum debitore principali initum eſt.

§ III.

Digitized by Google

§. III.

De Tranſactionibus.

I. TRanſigere, & Tranſactio ſumi bifariam poteſt, generaliter, & ſpecialiter. Generaliter quamlibet conventionem denotat. *l.* 1. *§.1. ff de pactis.* Conventionis verbum generale eſt, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi tranſigendique cauſa conſentiunt. Specialiter accipimus, quando non de qualibet, ſed certa, eaque litigioſa re convenitur. *l.1. ff de tranſact. l Tranſactio C.eo* Sic accepta definitur, *Pactio gratuita de re dubiâ & lite ancipiti necdum ad finem deductâ.* Aliqui addunt, *nullam pariens iure civili actionem*, ſed tantummodò exceptionem, *Sed VVeſenbecio l.2. ff.tt.15.* hæc definitio placet. *Tranſactio eſt contractus, vel potius diſtractus iuris gentium, innominatus, & ſtricti iuris, quo inter litigatores res dubia, aliquo contra dato, aut promiſſo remittitur, & finitur nullam pariens iure civili actionem ſed tantùm ad exceptionem proficiens.* Ad tranſactionem igitur neceſſariò & eſſentialiter tria pertinent. 1. res dubia. 2. Lis. neque enim aliunde orta controverſia ſufficit 3. alicujus rei pro remiſſione litis præſtatio. Species communiter duæ ponuntur. Simplex, & quæ ſtipulatione Aquiliana munitur. *DD. in l. ſi cauſa 32. C.eo.* Poteſt etiam dividi in generalem & ſpecialem. Item in juratam, & non juratam. *l. ſi quis maior. 41. & l. pen. C. eod. Tholoſ.l.28.c.2. Mynſing. Decade 6. Reſponſo 60. Item 7. Reſp. 64.*

II. Materia tranſactionis ſunt res dubiæ & litigioſæ, hoc eſt, de quibus actu lis eſt, vel eſſe poteſt. *l.2. ubi DD.* Unde de re judicata, quia lis eſſe non poteſt, ne ſine fine litigemus, nemo tranſigit, quãvis pacto remitti poſſit. Sed neque de controverſiis, quæ ex teſtamento oriuntur, tranſigimus, tum quia cenſentur captioſæ, adeoque improbæ *l. 5. hoc tit.* tum quia ultimis voluntatibus adverſantur, earumque intentionem & exitum pervertunt. Idem dicendum de alimentis futuris, ut tranſactio de illis ſine auctoritate Prætoris irrita ſit: de præteritis tamen licet tranſigere *l.8.C. de alim.* Neque enim amplius alimenta ſunt, poſteaquam vita aliunde ſuſtentata eſt, ſed parum & ſimplex debitum, de quo nihil cauſæ eſt, cur non tranſigatur. *Menoch. l. 2. Caſu 169. & ſequ. Cardin. Tuſch V. Tranſactio Conclu. 346. & ſequ. Angelus V. Tranſactio num. 1 Silveſt. eod. Decius conſil. 474. Tuſchus concluſ. 345. & ſequ.*

III. Tranſigere licet de crimine publico, quod pœnam capitis meretur, excepto adulterio, quia licet cuique ſanguinem *l.3. C. ad S.C. Turpil.* ſuum quovis modo redimere. At tranſigere de crimine publico non capitali leges vetant. *l.18. C de tranſactionibus Azor. l.2. Rubr. 4. n. 11. VVeſenbec. l.2 ff. tt.15. n.5. Franc. Marcus qu. 662.* Nam in hujuſmodi delictis ſi actor tranſigere velit, ſuſpicionem falſi incurrit, quamvis fieri poſſit, ut rationabilem cauſam habeat deſiſtendi, fortè quia videt probationes ſibi deeſſe. Eſt & alia cauſa, ne conceſſa tranſigendi licentia, proniores ad delinquendum fiant mali. Nihilominus infamiæ notam incurrit, qui de actione injuriarum data pecunia tranſigit. *l. non damnatos ff. ex quib. cauſ. infamia irrog. Melonius in Theſau. Iur. feud. tt. 16. n.*

Digitized by Google

10.*num* 34. Porrò adulterii crimen excipitur ex triplici potiſſimùm cauſa. *Prima* eſt frequentia ipſius & enormitas. *Secunda* matrimonii favor, ne fiat ſanguinis turbatio, & ſordidæ ſtirpis viri ſplendidis natalibus ſurrogentur. *Tertia* ne maritis occaſio detur lenocinii. *Jul. Clarus l. 5 § fin.q.*58 *VVeſenbec l.cit.Tholoſ. l.* 28. *c.* 2.*num.*10 *Connanius l.*5 *c.*7.*num.*3. *l.*6.*obſerv.c.*11.*Fachinæ l.*1 *c.*8. Nihilominus inter maritum, & uxorem adulteram tranſigi poteſt, ut hanc ille non accuſet ad pœnam capitalem infligendam: (id enim etiam ſuo adulterio non obſtante, facere permittitur, quamvis quoad divortium, & pœnam civilem adulteria compenſentur) illaque in locum honeſtum ſe recipiat, ubi à viri conſortio ſeparata reliquum vitæ traducat. Abſque ipſius conſenſu tamen fieri non poteſt, neque in pactum deducere licet, quando jus accuſandi criminaliter amiſit lapſu temporis, vel alia quapiam ex cauſa, vel quia probatio deficit. Hæc enim pœna non debetur ante ſententiam Judicis, nec maritus uxorem accuſare deficiente probatione poteſt: nec ipſa coram Judice fateri delictum ſuum non probatum judicialiter obligata eſt, ſecundùm ea, quæ dicemus in *parte* 3. *Summa tt*. 6. §. 1. Jam quia tranſactio hæc non importat lucrum marito accuſanti, nec aliquam ex prædictis cauſis ſubvertit, non adverſatur *legi* 18. *tranſigere. C. de tranſactionibus.* Nihil aliud enim intendit, quàm vitare incommoda illa, quæ adulterorum tranſactio parere ſolet, quando minus pura & ſincera intentio eſt. *Sanchez l.*10 *de Matrimon.Diſp.* 6. *num.* 10. *Cardin. Tuſchus V. tranſactio Concluſ.* 347. ubi docet negata tranſactione nihilominus pacem conſtitui poſſe, per quam rancor animi remittatur, etiam pœna ex parte minuatur adultero; ſiquidem de omni maleficio pax admitti poteſt. *Bartol.l.*1.*Conſil.*175 *Verb. Quidam eſt* per textum in *Auth ſed hodie C. de adult.* ubi dicitur maritum reconciliari poſſe adulteræ, & ſic pacem facere. Denique addit, limitandum, ne detur tranſactio ſuper accuſatione attentati criminis Sodomiæ. *Bald. Conſil.*27 *V.Punctus ſuper quo, & Conſil.*30.*præpoſitu verbu ſtatuti l* 4.

IV. Omnis tranſactio, in qua pro aliquo temporali jus ſpirituale remittitur, vel retinetur, illicita eſt. *c. ſuper eo de tranſact. c. cùm pridem de pactis c.ult. de rer. permut.* In tranſactione enim fit permutatio quædam, quæ ſub venditione comprehenditur, in eaque pretium intervenit. Unde ſequitur in tranſactione, qua pro temporali aliquo Jus ſpirituale remittitur, emi rem ſpiritualem, quod Simoniæ proprium eſt. Ex quo deducitur ulterius. 1. Cùm de Juriſdictione ſpirituali lis eſt, non licere dando pecuniam tranſigere. 2. Cùm de beneficio Eccleſiaſtico agitur, peccare, qui vel componunt litem, offerendo pecuniam actori ut deſiſtat, vel ab eodem recipiendo pecuniam, & relinquendo ipſi beneficium. 3. Idem dicendum de jure patronatus, de rebus & vaſis ſacris, reliquiis, & ſimilibus. *Innoc. Imola. Panorm. Alagona. Silv.V.tranſactio Suarez* 1. *de Religion. l.* 4. *de Simonia c.*51.*Regin.l.*23.*c.*11.*D.*11. *Bonac. de Simon.q.*4.§.15.*V.ſup.§.*1. *num.* 2.

V. Similiter in materia beneficiorum

Eccleſiaſticorum illicita tranſactio eſt, licet ſpirituale pro ſpirituali offeratur, ſi propria agentium auctoritate fiat. *Innoc. Panorm. & alii in c. Conſtitutus & c. ſuper eo. hoc tit.* Rationem ex natura rei non peto. Nam pro ſpirituali re ſpiritualem dare ſervata æqualitate non videtur per ſe malum, & in beneficiis ſemper adeſt corporale quippiam, ratione cujus poſſit fieri commenſuratio. Jure poſitivo igitur prohibitum eſt, propter periculum, quod in ejuſmodi commutationibus latet, ne loco juſtitiæ aliquando Simonia ſubintret. *c. quaſitum. c. olim de rerum permut. V. Leſſius c. 35. D. 4. & 17. Laymann. l. 4. tract. 10. c. ult.*

DIXI *Si propriâ litigantium auctoritate fiat*: quia ſi Prælati conſentiant, fieri poſſe liquet, ex iis, quæ *c. 2. de tranſact. Barboſa* differit. Sed dubium remanet, an non cum conſenſu partium delecti arbitri (ex Clericis) facere poſſint tranſactionem de beneficio, imponendo onus aliquod temporale propter bonum pacis? Dico poſſe. *c. Niſi 22. de prabend.* modò pecunia non imponatur danda illi, cui beneficium abjudicatur. Nam ſi beneficium detur ei, cujus cauſa videtur melior, juſtitiæ conſulitur: & ſi pecunia abſit, nullum Simoniæ periculum eſt: ſimul bonum pacis procuratur, aliquid imponendo, quod adverſario ſuo beneficiarius præſtet. *Suarez l. de Relig. l. 4 de Simonia c. 51. Tholoſan. l. 28. c. 1. num. 16. Tuſchus Concluſ. 348. Vallenſ. l. 1. tt. 36. §. 3. & l. 3 de beneſic. c. 25. Silv. V. tranſactio.*

VI. Nec de ſubjectione ſpirituali alicui Eccleſiæ debita, nec de annexo rei ſpiritualis permittitur tranſactio. *c. praterea 10. de tranſact.* ubi damnantur religioſi quidam, volentes cellam aliquam à ſubjectione matricis Eccleſiæ ſubtrahere propter tranſactionem olim factam. De annexo rei ſpiritualis teſtatur. *c. quanto de judic.* cauſam Juriſpatronatus ita conjunctam, & annexam eſſe ſpiritualibus cauſis, ut non niſi Eccleſiaſtico judicio valeat definiri. *Anchar. Panorm. Oſtienſis. Ximen in Concord. part. 1. Anton Auguſt. collect. 2. Decretal. l. 1. tt. 16. Silv. V. tranſactio.*

VII. Tranſactio de decimis, ut tali modò, etiam in minori quantitate dentur, ſi cum facultate, & conſenſu Ordinarii fiat, licida & valida eſt. *c. ſtatuimus hoc tit.* Si inter Parochos compoſitio fiat, abſque Ordinarii conſenſu pro vita illorum tantùm valebit, nec inde præjudicium ſucceſſori faciendum. Ut verò Laicis decimæ concedantur, non convenit, niſi forte ad breve tempus, & gravi cauſa. *Tuſchus Concluſ. 348. Zabar. Bellam. Ioan. Andr. Vivian. Alagena Barboſ. in c. cit. V. ſupra Tit. 2. §. 2. n. 4.*

VIII. Judex interponere partes ſuas poteſt ad tranſigendum in caſibus jure permiſſis, & ſemper inclinare in meliorem partem debet, prout cauſarum, perſonarum, & temporis circumſtantia exigit *c. ex parte hoc tit.* Nam quandocunque in aliquo particulari caſu lex ſcripta nihil diſponit, ad æquitatem recurrimus, & naturæ ſenſum perquerimus. Ratio enim ſola ad decidendum ſufficiens eſt, etiam ſublata lege *l. ſcire oportet. l. ſufficit. ff. de execut. tutor. c. requiris 2. de appellat. Tiraquel. in c. Ceſſante cauſa.* Limit. *1. Gambar. de off. legati l. 10. Menoch. conſ. 202. Souſa de largit. munerum Fundam. 2. num. 18. Coriolan. Caſu. 5. §. 8. num. 11.*

Vbi notandum occurrit, partium transactione quomodocunque perfecta & firmata non tolli poteſtatem Magiſtratui, ne cognoſcere, inquirere ac punire crimen poſſit, de quo transactum eſt: nec impediuntur alii, quò minùs de eo inſtituere accuſationem queant. Cum enim publicè interſit crimina puniri, tale ius publicum pactis privatorum non tollitur. *l. Ius publicum. ff de pact. l. Iurisgent § ſi paciſcar. eod. tit. l ita vulneratus. ff ad l Aquil. l. in delict. ff. de nox. action.* Super eodem tamen proceſſu non licet procedere, ſed novus inchoandus eſt, ut pleriquè DD. tradunt. *Decianus l. 3. c. 34. num. 35.* Tholoſ. *l. 28. c. 2. num. 9.*

IX. Poſtquam peracta legitimè transactio eſt, ſcripta, diplomata, privilegia & documenta, quæcunque in cauſa illa favere, aut prodeſſe poſſunt, irrita in futurum cenſentur, & ſtandum ſoli transactioni eſt. Si quid verò ex requiſitis ſolennitatibus omiſſum fuerit, Papæ auctoritas ſupplebit. *c. Sicut grave. hoc tit. S. Gr. l. 7. ep 27.* Generaliter enim defectum Iuris, & legum Supremi Principis auctoritas tollit, & redintegrat. *Bald ſuper Rubr. c 1. de tranſact Iaſon in l.* Fratris C. *de tranſact Schurff.* Conſil. *32. num. 4. Melonius in* Theſau *Iur. feud. tt. 16. num 6. Berlich. Deciſ. 40. abb. nunc Imola. Panorm. Vivianus. Maſcard. de probationib* Concl. *1315. num. 26. Barb. in c. cit. Sicut grave. Gaill. l. 2. obſ. 70.*

X. Transactio perfecta inſtar Contractuum innominatorum pœnitudinem non admittit, ſed obſervanda firmiter eſt. *l Fratris. l Etiam te. l. qua res.* C. *de tranſact.* Quod *Mynſingerus Decade 6. Reſponſ* 60. intelligendum monet de transactionibus quæ ſimpliciter initiæ perficiuntur non verò, ſi in Scripturam redigendæ ſunt. Tunc enim tantiſper locus pœnitentiæ relinquitur, donec Scriptura expediatur. Quin etiam nullius planè roboris, & momenti cenſentur, quamdiu Scriptura deſideratur. Obtenta autem Scripturâ via retractandi præcluſa eſt, non ſecus, atque in ſententia lata uſu venit. Transactio n. & ſententia æquiparantur. *l. 2. ff de iureiur. l. poſt rem ff de re iudic. l. Non minorem.* C. *de tranſact. Gaill. l. 2. obſ. 70. & 71. Mynſing. Decade 6. Reſponſo 60.* Tholoſan. *l. 28. c. 3. nu. 2. & 3. Vallenſ. l. 1. tt. 36. §. 4. Decius in l. Fratris tui.* C. *de tranſact.*

XI. Dubium eſt, poſsitne reſcindi transactio, probata læſione ultra dimidium? Affirmat Bartol. nixus auctoritate *legis. 2.* C *de reſcind. vend.* quam locum habere non tantum in contractu empt. & vendit. ſed aliis quoque tam bonæ fidei, quàm ſtricti iuris contractibus plerique DD. cenſent. Mentem Bartoli *Angel. Aretinus in l ſi quis cùm aliter. ff. de verb. oblig.* ita explicat, ut velit, reſcindi poſſe transactionem, ſi probetur læſio ultra dimidium pretii, inſpecto, quantum valeret, vel potuiſſet vendi ius tranſigentis in illo dubio litis eventu. Pro illa opinione igitur facit fortiſſimè, *ut Gaill. loquitur l. ſi ſuperſtite.* C. *de dolo malo.* ubi cuidam Amphidroſæ Imperat Deocletianus & Maximianus reſcripſit. Si læſa es immodicè, in factum actio tibi tribuenda eſt.

Gotofr. annotat, tranſactionem reſcindi poſſe ob immodicam læſionem, qualis ſine dubio eſt major dimidia. Aſſentitur *Ludou. Romanus Imola, Decius, Socinus ſenior*, addens videri communem opinionem, & quæ fraudibus obviat, amplectendam. Nihilominùs, ne quidem propter dimidiam bonorum jacturam reſcindi tranſactionem poſſe Baldus defendit, opinionem Bartoli vocans truſam, & erroneam. Fundamentum ipſius eſt *in l. 1. C. de plus petitionibus.* ubi tranſactio ſervanda dicitur, etiamſi doloſè plus debito petitum ſit: imò quadruplùm læſo adverſus tranſactionem reſtitutio negatur in *l. Lucius ff. ad Trebellianum.* Ut mirum non ſit, plurimos DD. Baldo ſubſcribere multis excogitatis rationibus, quarum 1. Tranſactio inſtituta, & permiſſa eſt ad finiendas lites, ne in immenſum protendantur. *l. fratris C. de tranſactionib.* quas neque imperiali reſcripto, neque prætextu inſtrumentorum recens inventorum reſuſcitare oportet. *l. cauſam & l ſub prætextu inſtrumenti C. eod.* Hinc peracta tranſactione ſcripta, & inſtrumenta pro irritis habentur, ut *num. 9.* diximus 2. Sententia propter immodicam læſionem non retractatur. *l. ſub ſpecie C. de re iudic.* ergò nec tranſactio, quæ quoad firmitatem huic ſententiæ æquiparatur. 3. In actu liberatorio, cujuſmodi eſt tranſactio, remedium *l. 2 C. de reſcin. empt. locum non habet loco citat.* ſub ſpecie novorum inſtrumentorum. 4. Juramentum ratione læſionis non revocatur. *l. Non erit §. dato. ff. de iureiur.* Huic autem tranſactio æquiparatur *l. 2 ff. de iureiur.* 5. Hoc ipſo, quod lis terminatur, magnum tranſigenti commodum accedit, *c. pœn. de empt. & vend. in V. reſtituerunt Gloſſ. in d. l. Lucius §. fin.* Hinc indebitum per tranſactionem ſolutum repeti nequit *l. 2. C de tranſact.* Propter has, & ſimiles rationes etiam à Camera Spirenſi ſæpius pro hac opinione judicatum eſſe *Gaill. affirmat l. 2. Obſ. 70. num. 11.* Verùm quicquid ſit de foro externo ac civili, quod temporale bonum non rarò ponit ante ſalutem, non dubito, quin jure naturali, à quo non recedet in hac materia Canonicum, tranſactio cum immodica læſione facta reſcindi poſſit, ac debeat. Nam qui ita tranſegit inculpabiliter deceptus eſt per ignorantiam & errorem invincibilem: adeoque præſumi non poteſt, donare voluiſſe exceſſum illum, qui nullo jure debetur adverſæ parti. Ita ſentiunt ex DD. illi, qui à Gaill citati per diſtinctionem reſpondent, in modica læſione firmam manere tranſactionem: in enormi verò reſcindendam eſſe, modò de illa læſione evidens notitia ſit. *Cardin. Tuſch. Concluſ. 383. Corn conſil 27 l. 4. Decius conſil. 203. Maranta part. 6. tt. appellatio num. 80. Molinæus in Apoſtil. ad Alexandr. conſil. 24. num. 11. Corn. Conſil. 166 & 189. Faber. de erroril. pragmat. Decade 8. Errore 10. Decius Conſil. 85. l. 1, Burg in c. cum cauſa de empt. & vendit. Rebuff. de reciſſ contract art un Gloſſ. 15. Fachinæus l. 2. contrav. Iuris c. 26.*

XII. Sempronius uxorem ſuam impiè trucidavit, eoque ſcelere perpetrato tranſactionem, ſeu pacem cum filiis utriſque communibus iniit, nunquid illi proderit? *Boſſ. in tt. de pace num. 21.* ejuſmodi caſum ſuo tempore accidiſſe narrat. Magiſtratum verò in approbando tali pacto, & pace difficilem ſe præbuiſſe.

Addit

Addit *Iul. Clarus* comperiſſe ſe, quod Senatus (Mediolanenſis) expreſsè reiecerit gratiam, quam obtinuerat quidem Georgius Barata uxoricida à filiis communibus eorumque tutoribus ſpecialibus, volueritque ſimul fratres, & agnatos occiſæ uxoris in prædictam pacem conſentire. E contrario approbatam fuiſſe gratiam cuiuſdam Dominæ de Cabianis, quæ maritum in rixâ occiderat habitâ remiſſione tantummodò à filiis: fortè quia non militat ratio metus reverentialis in Matre, prout in Patre. Ex quibus colligere licet per ſe & abſolutè eiuſmodi tranſactiones non eſſe certas & firmas, ſed ab arbitrio Magiſtratus pendere. Fieri poteſt, ut expediat, acceptare, & approbare; quod ex circumſtantiis ſumendum erit. Fieri è converſo poteſt, ut minimè expediat bono communi tam horrenda ſcelera impunita relinquere, & in ſimilia animare improbos. Modum dabit prudentia, & æquitas.

XIII. Procurator ab offenſo conſtitutus, quamvis mandatum habeat *cum libera*, & generali adminiſtratione, cum eo, qui offendit, non poteſt tranſigere aut pacem conſtituere. *Speculator in Rubr. de trenga & pace num.* 4. & ſervari in praxi teſtatur *Nellus in Tr. de banditis Par. 3. Q. 37.* Pro ratione allegari poteſt, quòd in mandato *cum libera* non comprehenduntur ea, quæ veroſimile eſt, non conceſſurum fuiſſe conſtituentem, ſi prævidiſſet. Remiſſio autem debiti liquidi donationi æquiparatur. Non dubito tamen, quin particulari aliquo in caſu aliter fieri queat, puta, ſi conſideratis facti, & perſonæ circumſtantiis procurator de domini ſui voluntate prudenter audeat præſumere, non fore ingratum illi, ſi in commodum, ac favorem ipſius cum offenſore tranſigat, aut pacem ineat. *V. Iul. Clarum §. fin. Q. 58. n. 28.*

TITULUS VII.

De variis Contractuum generibus.

QVi minùs propriè loquuntur, cum *Baldo* Contractuum tria genera faciunt. In primo propriè dictos, in ſecundo impropriè, in tertio impropriſſimè dictos collocant. Proprie dicti utrimque obligationem pariunt: impropriè dicti in unâ parte tantùm. Reliqui non tam obligationem quam deobligationem, ſeu liberationem continent, cuiuſmodi eſt acceptilatio, ſeu imaginaria ſolutio, quâ ſimulamus à debitore nobis ſatisfactum. *Inſtit Quib. mo. toll. obl & L. Vbi pactum. C. de tranſact.* Aliqui Diſtractus vocant. Noſtro inſtituto conformiter de primis duobus generibus ex profeſſo agendum erit: de reliquis quaſi per accidens, prout materiæ neceſsitas, & connexio poſtularit:

§. I.

De Contractibus Generatim.

I. Contractus aliud nihil eſt, quam *ultro citroque obligatio*, Græcis συνάλλαγμα. *L.19. Labeo ff. de verb ſignif.* Sic per effectum deſcribitur. Definitio plenior eſt iſta. *Contractus eſt pactum ex quo vel utrimque, vel altera ex parte naſcitur obligatio.* Dicitur 1. *pactum*, quia huic velut generi ſpecies ſubeſt. Neque enim pro Synonomis accipienda ſunt. *2. ex quo, vel utrimque &c.* ut comprehendat ſtrictè, & latè ſumptos in quibus unus tantùm contrahentium obligatur, quemadmodum in donatione acceptata contingit. 3. *Per obligationem* intelligo tum naturalem, quæ ex ipſa rei natura oritur, & à Iure civili non impeditur; tum civilem, quæ Iuris humani ſtatuto naſcitur, & ab eodem iure fovetur concedente actionem parti adverſus partem. Obligatio quid ſit, ſupra explicatum eſt, *Tit prac. §. 1. n. 6 V. Onnatum Tr. 1. Sect. 6.*

II. Contractus aliqui 1. ſunt nominati, alii innominati. *l. Iuris gent. initio ff. de Pactis.* Nominati proprium, & ſpecificum nomen habent; Innominati carent. Species quatuor ſunt, *Do, ut des Do, ut facias. Facio ut facias. Facio ut des.* Reducuntur eò. qui terminis negativis explicantur *Do, ut non des. Do ut non facias* &c. *l. Natura lis 5. ff. de praſcri. verbis.* In dubio innominatus cenſetur, de quo aliud non conſtat. *l. 1. & 2 ff de verb ſignif V. Thols. l. 22. c. 1 Connan l 7. c. 15. Vieſenbec. l 19. ff. tt. 5. ubi* annotat. 1. huius generis Contractus, quia circa rerum commercia verſantur, actionem civilem parere, cuius propter negotiorum varietatem certa forma non ſit, ſed præſcriptis à prætore verbis perficiatur, 2. Quoniam plura ſunt negotia, quàm rerum vocabula *l. 4 ff. de praſcr. verbis.* reperiri contractus, qui nec ſpecificum nomen habeant, nec ad innominatos reduci poſſint; in quibus tamen actio præſcriptis verbis locum habeat. Differunt præterea. quod Contractus nominati pariunt non ſolùm exceptionem, ſed etiam actionem, & obligationem civilem: contractus verò innominati exceptionem quidem pariunt, non tamen actionem, & obligationem civilem. *l 1. & l 7 ff de pactis.* 2. Contractus nominati ſunt bonæ fidei: innominati verò ſtricti iuris. 3. In contractibus nominatis læta interpretatio facienda eſt, ſecundùm iura ipſius contractus, in contractibus innominatis interpretatio ſtricta locum habet. 4. in contractibus nominatis non admittitur pœnitentia, at in innominatis admittitur. *l. Sicut. C. de oblig. & act.* 5 In contractibus nominatis metus dans cauſam contractui irritat illos ipſo facto. At innominati non ipſo facto irriti, ſed irritabiles habentur. *l. 1. & ſeq ff. Quod metus cauſa* 6. In contractibus nominatis dantur actiones nominatæ iuxta cuiuſque propriâ denominationem, puta, ex empto, conducto, locato. Innominati verò, quia ſpecifico nomine carent, nullam communicare poſſunt. Sed hæc, ut alia quædam in Iure Canonico non agnoſcuntur, ſed tam innominati, quam nominati Contractus actionem pariunt. *Bald in Rubr. C. de rer. permut V Onnate Tract 1. Diſp 2. n 98. & ſeq.* 2 Alii Contractus ſunt bonæ fidei, alii ſtricti iuris. In his attendimus præcisè ad

ad id, de quo conventum eſt in illis æquitati, & arbitrio Iudicis vel arbitri multum tribuitur. Bonæ fidei ſunt emptio, locatio, conductio, negotia geſta, mandatum, depoſitum, commodatum, pignus. Stricti Iuris Mutuum, ſtipulatio, donatio, feudum, & ſimiles. *Inſtit de act.* §. *Actionum.* Omnes contractus bonæ fidei eſſe Iure Canonico docet *Bald in c. 1. de plus petition. & Iaſon in § actionum n. 4. & in § quadrupli ci fin. de act Item Lancel. Galiav. in l. 4. § Cato ff de verb. oblig* quibus tamen *Covarr. Par. 2. §. 6. de bo fi in præſcript. nu. 5.* fortiter contradicit, eò quod nullibi in Iure Canonico reperiatur improbata diſtinctio in Contractibus bonæ fidei, & ſtricti iuris. 3. alii ſunt gratuiti, ſeu lucroſi, alii non gratuiti, ſed oneroſi. In his onus reciprocum, in illis nullus pretii aut mercis reſpectus eſt. Oneroſi ſunt emptio, venditio, locatio, Societas, permutatio. Lucroſi donatio, mutuum, Commodatum, precarium, depoſitum. Eadem eſt diviſio quoad rem, in abſolutos, & reſpectivos: Mutuum, & non mutuum. *V. Onnatum. Diſp. 24.* 4. In quibuſdam transfertur dominium etiam directum, ut in venditione, donatione, mutuo, & permutatione: in aliis non transfertur niſi dominium utile, cuiuſmodi eſt, emphyteuſis, feudum, libellus: in quibuſdam aliis tantum uſus, ut Commodato, & precario, & locationibus quibuſdam. In aliis denique non niſi retentio rei, ut depoſito pignore, & hypotheca Neque enim licet depoſitario uti re depoſita, niſi certis in caſibus, ut ſuo loco videbimus. 5. Alius Cōtractus re perficitur, alius Scriptura, ſeu literis, alius verbis, alius conſenſu. Re perficitur, in quo non ex ſola conventione, ſed ipſius rei traditione obligatio naſcitur. Sic fit Commodatum, Depoſitum, Mutuum, Permutatio. Scripturâ perficitur, qui ante Scripturam ratus non habetur, uti emphyteuſis, & quemcunque contrahentes abſque Scriptura, & Notario nolunt validum eſſe. *Verbis* perfici cenſetur, qui cum conſenſu certam verborum formam exigit: qualis eſt Stipulatio. *Promittis dare agrū? Promitto Nunquid facies? faciam.* Conſenſu finiuntur in quibus nec certa verborum forma, vel ſcriptura, nec rei traditio neceſſaria eſt. *l. Conſenſu ff. de oblig. & act.* Talis eſt emptio, venditio, locatio, conductio, Mandatum, Societas. In his enim quamvis præter animi conſenſum verba, & res neceſſaria ſint; nihilominus ſolo conſenſu perfici dicuntur, quia nec certa verborum forma, nec rei, de qua convenitur traditio ad ſubſtantiam contractus requiritur. *Tholos l. 11. c. 6 Leſſ. c. 17. Dub. 2. Vallenſ l. 3. tt. 14. §. Tertiò alins. Tuſcbus. Concluſ. 985.* De nudo & veſtito pacto ſuperius dixi. *Tit. 6.* § 1. Denique alius Contractus eſt guarentigius, qui nimirum paratam habet executionē propter adiunctum iuramentum, vel hypothecam, vel inſtrumentum publicum, quo conceditur poteſtas exequendi, non expectata Iudicis ſententia. Non guarentigium vocamus, cui iſta deſunt. *Mol. Diſp. 71. Fagund l. 1 c 1 n 12.*

III. Contractum facit conſenſus. 1. Si liber eſt, nulla vi dolo, aut iniuſto metu extortus. 2. animo obligandi ſe elicitus. 3. externo aliquo ſigno declaratus. Formalis, an virtualis ſit, nihil attinet. Formalem dico ipſum actum voluntatis; Virtualem, qui eius vim, ac valorem continet eo ferè modo, quo in antecedente conſequens contine-

continetur. *Fagund. l. 1. c. 2. num. 11. & 12.* Nam qui emit, V. g. velle præſumitur emere: donare, item qui rem ſuam alteri ſponte, & liberaliter tradit. Hinc colligas licet 1. non contrahere illum, cuius actio ficta, & ſimulata eſt, abſque animo contrahendi. Si tamen inde damnum ortum ſit, compenſabit. *c. Cùm Apoſtolica de reſer. c. cùm ex tenore eod. c. Ex literis de contumacia.* 2. non obligari eum, qui quidem promittit, ſed abſque voluntate obligandi ſe. *VVading. D. 1. d. 4. §. 2. Nav. c. 12. nu. 38. Henriq. l. 11. c. 13. Az. 1. l. 2. c. 17. q. 9. Fagun. l. cit. n. 6.* E contra obligari, qui habet animum obligandi ſe, ſed non ſervandi. *Hugo D. 22. S. 4. n. 36.* 3. neque illum, qui contrahere vult, & ignorat obligationem ineſſe contractui. *Sanch. l. 4. Decal. c. 1. nu. 26. Fagund. l. cit. nu. 7.* 4. qui ſciens naturam Contractus, & obligationem illius, ita contrahit, ut neque velit, neque nolit obligare ſe, revera obligari: quia obligatio Contractui eſſentialiter annexa eſt, & qui vult antecedens, etiam velle conſequens cenſetur. Contractus enim initio voluntatis eſt, poſt factum neceſsitatis. *l. Sicut. C de act. & oblig. Fagund. num. 10. Azor 1. l. 6. c. 12. Comit. l. 3 q. 3 Onnate. diſp. 3. Sect. 1. Filliuc. Tract. 33 c. 2. n. 17. Romanus Conſilio 291. Card. Tuſchus in V. Contractus Concluſ. 983.*

IV. Contractus metu gravi extortus nõ eſt iure naturali invalidus, quia non deeſt illi conſenſus neceſſarius, neque à Iure poſitivo reprobatur. § *1. V. ſi metu coactus Inſtit. de except. l. ſi mulier. ff Quod metus cauſa. & l. ul. C de his, quæ vi. Bonac. Tom. 2. p. 481. Pallavicinus l. 5. de act. hum. c. 5. nu. 60.* Excipe caſus à *Glo. notatos c. 2. de his quæ vi.* cuius generis eſt Matrimoniũ, dos promiſſa, Votum, profeſsio religioſa, & contractus de rebus eccleſiæ, & renunciatio beneficii eccleſiaſtici: de quibus. *V. Leſſ. c. 17. D. 6. n. 36. Lugo D. 22. nu. 120. Onnate diſp. 3. S. 13. V. Azor 3. l. 6. c. 7. Q. 1.* Qui verò metum iniuſtè illatum paſſus eſt, in conſcientia irritare poteſt, promiſſionem & contractum ſuum. *c. 4. de his, quæ vi.* Quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum revocari. *& c. 4. ibid.* Quæ vi metuſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis. Vbi *Barb.* extendit ad metum reverentialem præcedentibus minis, aut verberibus qui ſufficiat ad reſcindendos contractus. Quod tunc facilius acceptari poteſt, ſi quod *Tit. 1. §. 4. Dub. 12.* diximus, verum eſt, omnem contractum, cuius cauſa principalis fuit metus etiam levis, in foro conſcientiæ irritum eſſe, uti *Tanner. probat. 3. D. 4. Dub. 11. n. 319. Onnate Diſp. 3. n. 224.* Dixi metum iniuſtè illatum ut intelligas, valere Contractus, quando per metum ex iuſta cauſa obtinentur iuxta communem DD. ſenſum. *Glo. in c. Abbas. de his quæ vi. Panorm. & alii ibid. l. Dolo C de inutil. ſtipul. l. ult. C. de his, quæ vi. Inſtit. de except. princ. l. ſi mulier. § ult. ff Quod metus cau. Vaſq. 1. 2. D. 27. c. 3. Suar. 11. de relig. l. 1. de Voto. c. 7. & l. 6. c. 27. Nav. l. 1. Conſil. 4. ſalv. V. Metus. q. 8. ioan. Faber Inſtit. de oblig. §. Nunc tranſeamus Lugo Diſp. 22. Sect. 7. n. 115. Vallenſ. l. 1. tit. 40. Comitol. l. 3 p. 2. Fagundez l. 1. c. 6. nu. 3.* Contractus propter metum iniuſtum invalidi ſunt. 1. matrimonium, & ſponſalia. 2. dotis promiſſæ, vel ſolutæ. 3. abſolutio ab excommunicatione & aliis cenſuris. 4. renunciatio beneficii. 5. teſtimonium in teſtamentis. 6. donatio, & quicunque actus vim donationis habet.

V. Quan-

V. Quando contrahens errat, vel decipitur circa ſubſtantiam, rei, quam per ſe, & principaliter appetit, contractus iure naturæ irritus eſt, puta, ſi pro gemma vitrum, vel pro vino quam emerit Errantis enim nullus conſenſus eſt. *l. 9. C de iuris & facti ignora. Conſenſus autem ut nu. 3. diximus*, contractum efficit. *Dixi*, Iure naturali irritum eſſe contractum errantis circa ſubſtantiam rei, quia leges aliter ſtatuere videntur, de errore cui alterius dolus cauſam dedit. De qua re, quoniam valdè incerta & intricata eſt, nolim fruſtra contendere. Legi poteſt *Leſſ c. 17. dub. 5. & VVadingus diſp 1. Dub 2 § 2* Si autem contingat circa accidens rei, & concomitetur tantùm, contractum neque infirmat, neque ut infirmetur facit Exemplum eſto Cùm velles emere vinum Rhenanũ, Neccaricum oblatum eſt, quod etiam ſi ſciviſſes, Rhenanum non eſſe, comparare voluiſſes. Sed actio tibi permittitur contra deceptorem, ut ſolvat, quanti intereſt, dolum adhibitum non fuiſſe. *Covar. Par. 2. Relect. c. Poſſeſſor 5. 6. de bo. fi. in præſcript. Medina C de reſt. Q. 33 Soto l. 6. p. 3 ar. 2. Mol. Diſp 357. Concl. 4. Leſſ. l 2. c 17 D. 5. Becan de fi har ſervanda c. 3. aſſ. 2. Bonac. To. 11. p. 478 Fagund l 1 de Contract. c. 2. n. 5. Onnate Tr. 1. Diſp. 3 Sect 5.*

VI. Validus igitur contractus eſſe poteſt, cui error circa qualitatem cauſam dedit, vel ex propria perſuaſione, vel alterius machinatione proveniens. Nam ſic agendo manet ſufficiens conſenſus in rem, de quâ agitur & non niſi circa qualitatem fit error. Propter iniuriam tamen pro reſciſſione contractus agere poteſt, ut mox dicetur. Præterea ſi conſenſus fuerit conditionalis non contrahendi, niſi talis in ſubiecto qualitas inſit, nulla conventio fiet, ſive intentio formalis, ſive virtualis fuerit. *Conr. de Contr. Q. 57. Sanch. l 6 de Matr. D. 18. Vallent. 3. Diſp. 5. q. 20. Lugo D. 22. Sect. 6 n. 88. & 106. pun. 4. Concl. 4. Fill. Tr. 33. c. 7. n. 117. Onnate l. cit. Sect. 6. Leſſ l cit.* Porrò virtute conditionalis intentio eſt. 1. quando verſatur circa qualitatem quaſi exiſtentem, quæ vim haber animum, & propoſitum immutandi. Petrus ex. g. vovet iter Ieroſolymam, & loca Sancta, falsò perſuaſus non niſi bidui itinere per terram abeſſe. Omninò ſic affectum fuiſſe apparet, ut propter brevitatem talis viæ ac facilitatem, & non aliter vovere vellet. 2. Si error ſit circa qualitatem, quæ eſt principale motivum paciſcendi Donas Caio, non alia ex cauſa, quam quia conſanguineus tuus eſt: beneficium promittis ideò tantum, quia eiuſdem tecum cognationis eſſe credis: nemo dubitat, quin revocare queas, cognito errore, & deceptione. *Mol. diſp. 209. Leſſ. lo. cit. Vaſqu de reſtit c. 7. n* 10. Aliter verò iudicandum ſi finis tuus ſit, exercere miſericordiam, & te impellat opinio ſanctitatis, ut huic potiùs, quàm alteri puellæ dotem promittas. Obligatus enim es, ſive vera ſanctitatis perſuaſio fuerit, ſive falſa, quia motivum principale fuit non honoranda ſanctitatis, ſed exercendæ charitatis. *Sotus l 9 q 7. ar. 3 Pe. Navar. l. 3. c. 1. num.* 301. Ad dignoſcendum verò, quando Contractus circa ſubſtantiam, aut qualitatem occupetur, ſubſtantia rei non eſt abſolutè conſiderãda, ſed cum reſpectu ad actum voluntarium, ita ut obiectum ſubſtantiale cenſeatur, circa quod actus voluntarius per ſe, & non per accidens verſatur. Vnde colligimus, quòd in donationibus ut plurimùm

Digitized by Google

perſona, cui donatio deſtinatur, obiectũ principale conſtituit: quia illius intuitu principaliter ad exercẽdam liberalitatem donator excitatur. Contrarium in aliis pactis, præſertim emptione fieri comperimus. Nihil enim intereſſe ſua quivis emptor exiſtimat, à magno, aut paruo emat rẽ, cuius utilitatem deſiderat. Vendens ſimiliter non eligit, cui merces ſuas vendat, ſed de pretio, & lucro ſollicitus cum primo quocunque cõtrahit. Tros Tutiluſve fuat, nullo diſcrimine habetur.

VII. Verùm quia dolus nemini patrocinari, aut prodeſſe debet *l. Verũ* §. *Tempus. ff. Pro ſocio*, ius habet qui deceptus eſt, agendi pro reſciſsione cõtractus, modò nõ ſit indiſſolubilis, ut ex ſupra cita. *l. Si dolo. C. de inut ſtipul. Inſt de except.* §. 1. Nã proximũ ſuum qui dolo ludit, iniuriã & damnum facit, unde ad reſtitutionem obligatur, & cogi per Magiſtratum debet. Idem iudiciũ de vi per iniuriam incuſſa & Metu ſit *l. ſi Mulier ff. de eo quod metus cauſa*. Nõ obſtat huic ſententiæ, quod *l. Et eleganter 7 ff de dolo & l. 3. Pro ſocio ead.* dicitur, bonæ fidei contractus dolo malo initos ipſo iure nullius momenti, eſſe, unde ſequi videtur per ſe, & omnimodè invalidos eſſe contractus alterius dolo procuratos. Etenim non de ſubſtantia Contractus, ſed effectu, intelligi debet, ratione cuius nullã vim, aut robur obtinent. Neq; ideò lucrũ ex dolo reportat decipiens: quia ſi quid commodi ad eũ derivatur, nõ ex dolo, ſed mutuo utriuſque conſenſu naſcitur, quem probavi natura ſua validũ eſſe. *VVeſenbec. l. 4. ff tt 3. Coninck 22. Diſp. 23. Dub. 9. Becan c. 3. aſſert. 3. Az. 3. l. 6. c. 10. Laym. l. 4. Tr 4 c. 5. n. 6. Leſſ. c. 17. D. 1. Lugo D. 22. Sect. 6. Fill. Tr. 33. c. 7. 123. Eſcobar Tract. 3. Exa. 2. c. 4.*

VIII. Contractus, cui Iuris ſcripti ſollennitas deeſt, validos eſſe: eoſdẽ non eſſe validos: partim, vel ſecũdum quid validos: partim invalidos eſſe, pari propemodum probabilitate aſſeritur, ita ut unicuique quod placuerit, relinquatur electio. *Lugo* D. 22. S. 10. Illis tamen accedo promptius, qui in foro conſcientiæ validos eſſe cõtractus, non ſpecialiter à Iure damnatos pronunciant, ita ut poſſeſſor bona fide retinere poſſit quod acquiſivit, donec à Iudice ad reſtituẽdum obligetur. Cum enim materia hæc practica ſit, & communi uſu teratur, in tanta opinionum varietate, cùm res urget. licebit cuivis eam viam inſiſtere, quæ ſibi commodiſſimâ videtur, itaque omnes opiniones aliæ ſimul concident. Supervacaneum igitur eſt, aliquam illarũ inculcare, & obtrudere nolentibus. Adde, quod apud *Leſſium c. 19. Dub. 3.* plerique Theologi agnoſcunt, teſtamentum ad pias cauſas factum abſque formâ Iure Civili præſcripta in foro conſcientiæ validum eſſe, & retineri ſine ſcrupulo poſſe, quæ obvenerint. Item ſi de contractibus & quaſi contractibus dixerimus, ſatisfiet legislatorum intentioni, qui reip. cauſa certas formas Contractibus præfixerunt, quibus non ſervatis Iudex actionem negaret; ſimul auxiis mentibus formidinem tollemus, ut bona fide accepta, bona conſervantia norint ſe retinere poſſe, ita tamen, ut propter boni publici favorem, & auctoritatem legum à Iudice requiſiti dimittant. *Soto l, 4. de iuſt. Q. 5. ar. 3.* Lud. *Lopez*, *Palacios*, *Henr. & Burgoz de Paz quos citat & approbat Sanch, l. 4. Conſil. c.* 1. *Dub. 14. n. 5. & 6. Lugo. D 22. Sect. 10. nu.* 251. *Az* III. *l. 6. c. 9. Emm. Sa. V. Contractus num. 1. Salm. Q. 5. de dominio Arragon.* in 22.

in 22. Q. 62. Eſcobar Tract. 3. Exam. 3. c. 6.

IX. Contractus ex prohibitione Iuris naturalis, vel etiam poſitivi omninò irritus non poteſt iuramento confirmari, iuxta communem DD. ſententiam. Quomodo enim quod non eſt, confirmetur, cùm non entis nulla accidentia ſint? *l. Contractus ff de Re. Iur. Bart. in l ſi quis pro ſocio ff de fideiuſſorib.* Si tamen actus circa rem natura ſua non turpem verſetur, ita ut contineat obligationem naturalem, vel admittat alium actum, ſeu promiſsionem non retractandi, quoad hanc, confirmari poterit, quemadmodum fusè explicat. *Suar. l. 2. de iuramento. c. 29. Patin. Par. 6. Q. 160.* Idem de actu prohibito principaliter, & immediatè ob favorē publicū boni communis, cui renunciare privatis hominibus non licet, iudicandum eſt. *c. Si diligenti 12. de fo. comp. l. Ius publicum ff. de pactis. c. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum de Reg. Iur. in 6. de qua Reg. V. Commentarium noſtrum in Reg. Iur. & al. Interp.* At verò quādo principaliter, & immediatè propter privatam alicuius utilitatem cōtractus prohibetur; cùm abſque diſpendio ſalutis æternæ ſervari queat, & quilibet ure ſuo cedere poſſit, iuramentum additum vires addet contractui, utpote non planè irrito, ſed minimùm naturaliter obliganti, quemadmodum de pupilli contractibus paſſim *DD. affirmant. c 2. de pactis in 6. Auth. Sacramenta puberum.* Neque obſtat, quod privatorum favor cum bono publico coniunctus eſt, illud enim velut non magni ponderis à Iure Canonico minime attenditur. Excipe *1.* niſi & contractus & iuramentum à iure irritetur. *2.* contractum, reprobatum odio creditoris, qui abſque peccato, non poteſt quod promiſſum eſt, recipere, ut in Vſurario contingit. Quamvis enim iuramentum de ſoluendo uſuras, cùm à parte promittentis non contineat iniquitatem validum ſit, non confirmat tamen promiſſionem factam, ſed per ſe ſtans obligat, donec legitimè relaxetur. *c. Quamvis de pactis in 6. c. Debitores. de Iureiur. c. cùm contingat eod. Az. t. l. 11. c. 7. Barb. in Prætermiſsis ad tt. de Iureiur. pag. 124. & in c. cita. Quamvis Reginald. l. 25. c. 4. n. 53. Tholoſ. l. 50. c. 5. Fill. Tr. 25. c. 7. n. 212.*

X. Inter contractus iure civili tantùm prohibitos qui iuramento confirmentur, eſt. 1. donatio omnium bonorum tam præſentium, quam futurorum. *l. ult.* C. *de pactis.* 2. donatio abſque inſinuatione facta. *l. in hac ſacratiſsima* C. *de donat.* 3. donatio inter virum & uxorem Patrem, & filium. *Covarr de teſtam par. 2. n 16.* 4. donatio & alienatio abſque auctore tutoris à pupillo facta. *l pupillus ff. de acquir. rer. dom.* 5. pactum de non revocando teſtamento. *Leſſ c. 19.* D. *8.* 6. pactum filiæ ut dote cōtenta cedat iure ſuo ſuccedendi in bonis paternis *c quis 2 de pactis in 6.* 7. alienatio rerū dotaliū, & quæ propter nuptias donata ſunt *l. Iulianus ff. de fundo dotali. Silv. V dos. n. 1 Mol. Diſp. 49.* Hæc, & ſimilia quia per ſe mala non ſunt, ſed ſolo civili iure propter maiorē ſecuritatē prohibita, quamvis ut inania à legibus reiiciātur, ſi tamen iuramentū acceſſerit, obligant, & ſervanda ſunt, ut ſatis probatū eſt num. præc At verò, quæ pacta iure Canonico irritantur, intuitu libertatis eccleſiaſticæ, nullam firmitatem ex iuramento capiunt. Irritus enim omninò cum ſit con-

tractus, & promiſſio, qua clericus renunciat libertati ſuæ, iuramento nō confirmatur. Et ſi contrarium quid egerit ipſe, vel alius quicunque nullum effectum ſortietur. In his enim & ſimilibus nō ipſius clerici in particulari, ſed totius ordinis, & eccleſiæ favor attenditur cui non poſſunt renunciare privati. Imo quæcunque per leges Canonicas prohibentur, etiam abſque irritatione, nullo iuramento confirmari poſſunt, quia in conſcientia obligāt ad ſui obſervationem. *Dynus in Reg.* 58. *de Reg. Iur. in* 6. *Az. lo. citato, & To* III. *l.* 6 *c.* 6. *Reginald l* 25. *n* 52. *Eſcobar* Tr. 1. *Exa.* 3. *c.* 2 *Barb in c. Sicut. de iureiur. & c. Cùm contingat, eod. Fillius* Tr. 10. *c.* 4. *n.* 122. *&* Tract. 25. *c.* 7. *n.* 195. *Suarez l.* 2. *de Iuram. c.* 28. *Farinac lo. cit.*

XI. Accidunt Contractui. Conditio; Modus, Demonſtratio, & Cauſa. Conditio per particulam Si. & æquivalentes explicatur, & ſuſpendit actum, qui eâ expleta purificatur. *l. Itaque ff. ſi certum petatur.* Ex. g. Promitto, me daturum mille aureos, ſi ingreſſus fueris religionem. Modus eſt clauſula per particulam. Vt vel æquivalentem notari ſolita, cuius natura eſt, non ſuſpendere contractum, uti Conditio, ſed ſtatim quod promiſſum eſt, exigi & accipi poteſt data cautione de modo ſervando. *l Qui heredi.* §. *fin. & l. quib diebus. ff. de condit.* Ex. g. Lego decem millia florenorum, ut ædificetur domus hoſpitalis, vel erigatur Seminarium. Demonſtratio eſt clauſula, & ſignum notificans rem, de qua agitur ex aliquo præterito, vel præſente Ex. g. Lego tibi libros meos, qui ſunt in ciſta rubea. Dono villam, quæ eſt ad radicem montis aſperi. Cauſa eſt clauſula adiecta ſignificans cauſam finalem Contractus, & notatur per *Quia*, *Quoniam*, & ſimiles præpoſitiones. Quia negotia mea ſedulò, & gnaviter executus es, promitto tibi tertiam partem bonorum meorum. *Dixi* ſignificare cauſam finalem, non excludendo impulſivam, quæ eodem pertinet. Dicitur autem propriè finalis, quæ principaliter movet agētem, & cuius gratia agimus. Impulſiva, quæ facit, ut citius, aut lubentius, ita ut ea abſente nihilominus fieret, quod inſtitutum eſt. *Angelus & Silv. V. Conditio. Laym.* Tr. 4. *l.* 3. *c.* 4. *Eſcobar. Tract.* 3. *Exam.* 3 *c.* 5.

XII. Conditionis ea natura eſt 1. ut ſi contra ſubſtantiam Contractus ſit, illum evertat, ſecus, ſi contra accidentia tantùm. *Mynſing. in* §. Hæres *& pure. Inſtit. de hæred.* 2. Si impoſſibilis ſit, nihil operatur, ſed in utroque iure pro non appoſita habetur. §. *Impoſſibilis Inſt. de hæred c fin. de pactis.* Idem iuris eſt de turpi conditione, quæ ſine peccato confici nō poteſt. *c. Verùm de condition. appoſ.* Idem de cōditione, quæ à matrimonio retrahit. *l. Titia ff. de conditionib.* Multò magis, ſi à Religione avocet *Silv. V. Hæreditas* 4. *Q. ult. Az.* 3 *l* 4. *c.* 24. Iam quia dubium exiſtere poteſt, an qui cōditionem impoſſibilem, aut turpem adiecit, animū habuerit verè contrahendi, & obligandi ſe; conſenſum adfuiſſe iudicabit Eccleſia in favorem religionis, Matrimonii, vel alterius piæ cauſæ. In dubiis enim id magis agere cōvenit, ut actus valeat, quam ut inanis, & irritus ſit. *Medin de reſt. Q.* 23. *Soto in* 4 *Diſt.* 29. *Sanch. l.* 5. *De Matrim. D.* 3. *num.* 18. *& Barb. Axiom.* 12. *num.* 16. Cæterum in contractibus temporalibus regulariter vitiare conditionē impoſſibilem aut turpē. *Silv. ait in V. Conditio nu.* 8 *cū Glo. in c. fin. de cong-*

Digitized by Google

de conditionibus. & colligitur ex *l. impoſſibiles ff de verb. oblig.* ubi ratio inſinuatur, quia omnium ea cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment, appoſitâ eâ conditione, quam ſciant eſſe impoſſibilem. Nam talis conditio diſſenſum potius, quàm conſenſum indicat. Quod intellige, ſive conditio reipſa, ſive jure impoſſibilis ſit, hoc eſt, illic ita & turpis. Neque excipi debent ultimæ voluntates, niſi per alium actum æquipollentem appoſita conditio adimpleri poſſit. *V. Gail l. 2. obſ. 4. n. 15. Leſſius c. 18. Dub. 15 num. 121. Comitol. l. 1. quæſt 113. num. 3. Tuſchum V. Conditio Concluſ. 591. Mynſing. §. impoſſibilis. Inſtit. de hæred. Schneidevv. ibid.*

XIII. De modo *Bart tradit in l. 2. §. fin. de donat. ſi fuerit cauſa finalis* in donatione, vel contractu, nec impleatur, revocari poſſe. Dedi pecuniam, ut templum extrueretur, repeto, quia non fit. Si autem fuerit cauſa impulſiva tantùm, non revocatur contractus etiam modo neglecto. *l. Mavius ff. de manumiſſionibus.* Idem dicendum, ſi ex mente donantis colligi poſſit non velle obligare ad modum, ſed tantummodò allicere. In dubio an fuerit cauſa finalis, vel impulſiva tantùm, pro favore piæ cauſæ judicandum eſt, ita, ut finalis cauſæ loco illa tunc fuiſſe præſumatur. *Filliut. tract. 33. c. 10. num.* 176. Quod ſi modus ſubſtantiæ contractus ſit contrarius, annihilat illum: ſi autem impoſſibilis, aut turpis, non vitiat, ſed habetur pro non adjecto, quemadmodum de conditione dixi n. præced. *Mol. Diſp.* 208. *V. modus impoſſib. Sanchez l. 5 de matrim Diſp. 19. num. 5. Reginald l. 25. c. 5 n. 63. Filliut. tract. 10 part 1. c 4. Barb in tr. de dictionib. num.* 479. *Layman. l. 3. tr. 4. c. 4.*

XIV. Demonſtratio contractui adjecta, comperta illius falſitate, actum, & contractum vitiat. *l. Quintus Mutius ait. ff. de auro, & argento leg.* niſi ex verbis præcedentibus ſufficienter de re cognoſci queat. Ex. gr. Dono tibi libros meos, qui ſunt in ciſtâ rubrâ: ſi conſtet aliunde, quos, qualeſve libros habuerim, ubicumque etiam extra ciſtam reperiantur, tui erunt. Si autem nec quos, nec quales libros habuerim, conſtet, imò dubitetur an ullos unquam, & demonſtratio fallat, corruere etiam donationem neceſſe eſt. *Silv. V. conditio. q 7. Reginald. li. cit nu.* 64. *Mol. D.* 211. *Azor. III. l. 4. c. 24 q.* 3. ubi plura in hanc rem exempla colligit. *Fill tract.* 33. *c.* 10. *num.* 179.

XV Denique cauſam quod attinet, illâ non ſubſiſtente, propter quam ſolam contrahere voluiſti, promiſſio nulla eſt, quia contractus ex intentione agentium ſortiuntur valorem, & ſpeciem ſuam. Igitur quando contrahentis intentio conditionalis eſt, ut in propoſito, & nulla conditio ineſt, inanis conventio redditur. Nihilominus ſi poſt factum cognito defectu vellet quis ſtare promiſſioni ſuæ, eamque ratam manere etiam ſine conditione, & cauſa, non minus valebit, quam ſi ab initio cum tali intentione elicita foret. *Silv V. pactum q. 4. Navar. c.* 18. *num. 6. Molina Diſp.* 209. *Filliut. tract.* 33. *c.* 10 *num.* 178 *Barboſ. Axiom.* 37. In gratuitis, ubi motivis quibuſdam ad finem præfixum impellimur, ſi illa ſubſiſtant, & miſceatur aliquid ad finem illum impertinens, quo cognito tamen nollemus actum valere, adhuc manebit valida diſpoſitio. Nam in gratuita diſpoſitione voluntas innititur motivis cognitis, ita ut ſi

actio inde procedens valeat etiam ad transferendum dominium. Neque obeſſe poteſt ignorantia alicujus circumſtantiæ, quæ cognita poſſet immutare propoſitum. Hoc enim impertinens, & minimè neceſſarium eſt, ad liberalem donationem. Aliàs omnium circumſtantiarum habenda cognitio eſſet, quod modum agendi noſtræ mentis excedit. Quamobrem communi DD. ſenſu valida cenſetur eleemoſyna quandocunque intuitu miſericordiæ principaliter expenditur, etiamſi obveniat pauperi flagitioſiſſimo, cui minimè voluiſſes largiri, niſi ignoraſſes. *Medina de reſt q. 24. concl. 1. Adria. in 4. de reſtit. Reginald num. 66. Pe. Navarr. l. 3. c. 1. num. 30. Baldus Conſil. 402. Calder. Conſil. 1. de translat. Prælat. Tuſchus. Concl. 137. Caſtrenſ. l. 2. Conſil. 134. Barboſ. Axiom. 40. Card. Lugo Diſp. 22. Sect. 7. n. 124*

XVI. Contractum duo mala infeſtant Culpa, & Fortuna: hujus incurſum nec prævidere, nec evitare poſſumus. *Gloſſ. in l. ſi quis §. quæſitum ff. ſi quis cautionib. Panor. Angel. Azor, alii.* Illa ex legibus reos facit, innoxia ſubinde conſcientia. Dividitur in latam, levem, & leviſſimam. Lata eſt, omiſiſſe curam, in rebus alienis, quam quilibet etiam parùm diligens ſuis adhibere ſolet. Levis, omiſſio curæ ordinariæ, & communis. Leviſſima ejus, quam diligentiſſimi adhibere ſolent. *Tholoſ. l. 21. c. 11. Layman l. 3. tract. 4. c. 7.* Ubi, & quomodo locum habeat, ex tribus ſequentibus Regulis cognoſcere licet. 1. In Contractu, qui in ſolius accipientis utilitatem inſtitutus eſt, non tantùm ex culpa lata tenetur accipiens, ſed etiam ex levi, & leviſſima. *l. contractus ff. de Reg. Iur. & c. 1. de commodato.* Excipe Precarium, quia pro libitu revocari poteſt. 2. Quando contractus in utilitatem ſolius dantis eſt, non tenetur accipiens, niſi ex dolo, & culpa lata: puta, in Depoſito *l. cita. Contractus l. ſi ut certò §. interdum ff. commodati.* Sibi enim imputare debet, qui non elegit, magis fidum, & ſollicitum. Si autem Depoſitum in ſolius accipientis gratiam, & utilitatem fieret, ex culpa etiam leviſſima teneretur: ſi pro pretio in utriusque favorem, de levi tantùm. 3. Si contractus in utriusque utilitatem fiat, ejuſmodi eſt Locatio, Societas, Emphyteuſis, pignus, & ſimiles, obligatio ſatisfaciendi naſcitur ex culpa non tantùm lata, ſed etiam levi, non tamen leviſſima *DD. ad l. cit. contractus. & l. ſi ut certò §. nunc videndum ff. commodati.* Contingere tamen poteſt ſubinde, ut advocatus, & alius quilibet artifex non quidem ratione Contractus præciſè, ſed erroris, & deceptionis ex jactantia, & præſumptione etiam de leviſſima culpa teneatur: ſi nimirum vel excludat alium, qui pro eodem pretio diligentiſſimam operam offerebat, vel ſi ipſa rei conditio maximè accuratam operam exigebat, ut ſi gemma aliqua polienda, & formanda eſſet. *VVeſenbec. l. 16. ff. tt. 3. ci. fin. Rebell. de oblig. iuſt. l. 1 c. ult Reginald. l. 10. c. 3. Navar c. 17. Azor. III. l. 6. c 4. Fillint. tract. 33 c. 8. & 9. Sotol. 4. q. 6. art. 2. Leſſius c. 7. Dub. 8. Tholoſ. l. 21. c. 11. & 12. Layman. l. cit. Fagundez l. 1. c. 9.*

Nota. Quod Contractus innominatos attinet, idem de illis judicium eſt, obſervando analogiam, quam habent cum Contractibus nominatis. *Bart. in l. quod Nerva. ff. depoſiti q. 14. Ang. & Silv. V. Locatio Fill. lo cit. Exemplum eſto in eo.* qui rem ſuam dedit inſpectori, ut de valore illius, & pre-

& precio inquirat. Hic enim non tenetur, niſi ex culpa lata, quia in ſolius dantis utilitatem conventum eſt.

XVII. Peccatur etiam in Contractibus non rarò contra ſcientiam per fictionem ſcilicet & vitioſam intentionem, puta, 1. quando contrahentes nihil aliud agere intendunt, quàm quod extrinſecus apparet, ita, ut animus verè paciſcendi, & ſe obligandi deſit. 2. cùm de pretio quidem convenitur, ſed admodum vili; animus verò eſt, rem donare. Ex. gr. ſi equum generoſum pro 10 flo. relinquas. 3. quando ſimulant unum contractum. V.g. cambium, reipſa verò aliū conficiunt, qui uſurarius eſt ſub titulo mutui. 4. fieri poteſt, ut habeatur pro ſimulato, qui revera non eſt ſimulatus, ut ſi non fuerit juratus, extra conſuetum locum, vel nocturno tempore factus. 5 ſi quis fingat, ſe alteri donare fundum confecto publico inſtrumento, ut donatarius ſuſcipere poſſit ſacros ordines, poſtea verò reddat illum donanti, ex inſtrumento etiam publico antea confecto, quo ad id obligatur. Denique quando contrahentes ſimulant unum contractum, revera autem alium conficiunt. De his certum eſt 1. graviter peccare contra legem Naturæ faciendo aliis, quod fieri ſibi nolunt. *l. ſi quis teſtamentum C. de inoff. teſtam.* 2. non tamen obligari in conſcientia, quando contractus voluntarii defectu nullus eſt. *l in ſummâ. ff. de condict. indebiti.* 3. in foro externo autem nulla ſimulationis ratione habita, ut verè contractus acceptabuntur, nec, exceptio admittetur. *l. 1. ff. de pactis.* 4. quicquid ex ſimulato contractu damni provenit, compenſandum, & reſtituendum eſſe: quia bono, & æquo non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum. *l. Iure ff. de iure dotium.* Neque ſi per jocum, aut demonſtrandi intellectus gratia tibi dixero. *Spondes?* & tu reſponderis, *Spondeo*, naſcitur obligatio *l. 2. ff. de oblig* Et *meritò Baldus* contractum ſine intentione requiſita formatum appellat corpus ſine anima. *Molin. Diſp 252. num. 4. Lugo Diſp. 22. Sect. 6. Fagundez l. 1. de contractibus c. 2. Alvarus l 2. de planctu Eccl. art. 42. Toletus l. 8. c. 47. & ſequentibus. Azor. III. l. 6. c. 12. Leſſius c 18. D. 17. num. 132. Lorich. V. Contractus num. 4. Fill tract. 33. c. 7. num. ult. Suar. Tom. III. de Relig. c. 19 num. 2. Onnate tract. 1. Diſp. 3. num. 30. Antonin. part. 2. tt. 1. c. 8. §. 15.*

§. II.

Satisfit Dubiis de Contractibus.

DUB. 1. An Princeps obligetur ex Contractu cum Subditis ſuis inito?

Reſp. Ex omni Contractu, & quaſi Contractu, ſive cum æqualibus, ſive cum ſubditis ſuis inito Principem teneri, nec poſſe ſalva juſtitia, & conſcientia reniti. *c. 1 de probat* Nam 1. explorati juris eſt in contractu συνάλλαγμα eſſe, quo non, ut accidente, ſed forma eſſentiali conſtituatur. Quemadmodum igitur Principi ſubditus, ita ſubdito Princeps ex Contractu obligatur. Relatorum eadem ratio eſt. 2. In contrahendo Princeps non uti Princeps, ſed privati civis inſtar conſideratur. Unde communi aliorum civiū lege agere, & condicere debet. Aliàs non inveniet, cum quo paciſcatur. 3. Leges

Contra-

Contractum pro Univerſitate, ſeu communitate feruntur, ita ut ſingulos in ea afficiant. Igitur quemadmodum membra inferiora, ſic etiam caput, & ſuperiora continentur. Neque alio fine, & modo Principes à populo conſtituuntur, quàm ut boni publici rationem habeant, fidem & juſtitiam colant. Ut meritò *Baldus* dixerit in *Conſil.* 327. Principem eſſe dominum mundi, non quoad malum, ſed quoad bonum, ideò ligari edicto illo. Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem utatur. *l.* 2. *ff. tt.* 2. in quo ſumma æquitas, & nullius indignatio juſta eſt. Ac proinde hanc ſententiam communiter Theologi, Juriſperiti tenent *S.Thom.* 1.2.*q.*96.*art.*5.*ad* 3 *& l.*3.*Politicor, lect.*9.*Cajet. Medina. Victoria. Mol.* D.26 *Soto* 1.*de Iuſt.q.*6.*art.*7. *Vaſquez. D.* 167.*c.*3.*Laym.l.*1.*tract.*4.*c.*8.§ 9 *Sanch.l.* 6.*Mor.c.*6.*Lugo* D.22.*Seſſ.*10.*num.*280.*Cynus in l.digna vox.C. de legib. Caſtrenſ.in l Princeps ff de legib. Abb. & Ioan. Andr.c.*1. *de probat. Roman. Conſil.* 345.*col.* 3. *Calcan. conſil.* 80.*verſ. eod.modo. Iaſon conſ.*1.*num.*2. *Decius in l.*1.*ff.quod quiſque juris. Tholoſ. de rep.l.*8 *c* 8.*num.*6. *Adam.Contzen Politicor. l.*5.*c.*20.§ 11.*Gomez Tom.II.c.*1. *Pellitus in c. quod ſemel placuit num.*6. *de Re Iur. in* 6. *Morl.in emporio Iuris p.*1 *tt* 1.*Fachin.Contr. l.*1.*c.*2.*Bobadil.in ſuâ Politicâ l.* 2.*c.*10. *Menoch.de arb.q.*7.*num.*70.*Mynſing. Decade* 7. *Reſponſo* 64 *Cagnolus de regim. Principum num* 92.*Vaſquius l.*1.*c.*26.*n.*19.*& Gomez Tom.*11.*c.*4. Denique omnes illi, qui Principem ſuis legibus ſubjiciunt, quando eadem illius quæ Subditorum ratio in iis. Auctorum nomina reperies apud *Franc.Suar.de legib.l.*3.*c.* 35.*num.* 4. *Barb. in c.Iuſtum. Diſt.*9. *& Layman.lo. citato.* Digna ſanè vox majeſtate regnantis eſt, legibus alligatum ſe Principem profiteri. *l.*4.*C.de leg.* Indigna viciſſim Quod libet, licet. Ex dd. ſeq. 1. Si contractus aliquis à jure irritetur, etiam reſpectu Principis irritum fore *l.* 23.*ff. de Legatis III.* Ex imperfecto teſtamento legata vel fideicommiſſa Imperatorem vendicare inverecundum eſt. 2. Onus ſtatuto Civitatis impoſitum civibus ipſi quoque Magiſtratui ſubeundum. Statutum eſt ex.gr. ut nemo debitor ante quinquennium teneatur ſolvere Creditoribus. Qui Magiſtratui debent, ante quinquennium elapſum non ſolvent. *V.Layman.loc cit & Fellerium in praxi Cenſuali.pag.*66 *&* 477.

DUB. 3. An Princeps, & Prælatus prædeceſſoris ſui pacta & contractus ſervare debeat?

Reſp. Aff. ſupponendo ſuccedere illum univerſaliter in omnia bona, & jura prædeceſſoris ſui. *c. veniens de transl. c.* 1.*de probat c.is qui in Ius ſuccedit. alterius de Reg.Iu.in* 6 *ubi Dynus, Peckius & alii.* Nec obſtat, quod vulgò audimus. Succeſſorem ſuum nemo ligat. *c. fin. de reſcr. in* 6. Fallit enim in iis, quæ ad totius Reipubl. regni, aut Provinciæ bonum pertinent, nec arbitrariam, ſed ex natura rei obligationem conjunctam habent, cujuſmodi ſunt pacta, & conventiones ſecundùm leges, vel conſuetudinem loci legitimo modo perfectæ: ad quarum obſervationem in primo ſui muneris, aut dignitatis ingreſſu quilibet Princeps, aut Prælatus ſe obſtringit. Quod ponderans *Surdus Conſil.*419 *num.*27. infert, aliàs futurum, ut Princeps ſibi ipſi contrarius ſit juxta Baldi obſervationem in *Conſil.* 326. *col.* 3. *Vol.*1. idque potiſſimùm valet, quando agitur

Digitized by Google

agitur de conceſſis à prædeceſſore ob benè merita accipientium; quo caſu donatio & conceſſio revocari non poteſt, ut multis probat *Menoch. in conſ.* 1003. *num.* 64. allegans inter alios *Soarium alleg.* 10. qui ſpecialiter de Hiſpaniarum Rege aſſerit, eum prædeceſſoris ſui donationem ob benè merita factam revocare non poſſe. Nam ejuſmodi conceſſa in contractum oneroſum tranſeunt, cujus generis quicunque ſunt non admittunt variationem, vel abrogationem, ut communiter *DD. tradunt in c.* 1 *de probat. c. Abbate ſanè. de re iudica. in* 6. *Bartol. in l. prohibere. § planè ff quod vi. Bald. in l. digna vox. C. de legib. Decius in c.* 1. *de probat. Oldrad. conſil.* 94. *Caſtrenſ. in l. fin. C. de tranſact. Igneus in l. donationes. quas C de donat. inter vir. & ux. Reminald. in conſ.* 63. *num.* 32. *Decian. conſ.* 25. *Molina Diſp.* 541. *& ſeq. Ferdin. Vaſquius c.* 35. *num.* 12. *&* 13 *Franc. Marcus part.* 1. *Deciſ.* 87. *num.* 12 *Barb. in prætermiſſ. c. dilecti. de fo. compet. Denique Roderic. Tom.* 3 *quæſt.* 26. *art.* 1. confirmans exemplo Summi Pontificis qui in tam celſa dignitate conſtitutus ſervat contractus prædeceſſoris ſui, ut tenent *Cynus, Baldus, Paulus de Caſtro, Romanus, Oldrad. Iaſon* & ſaltem ex urbanitate, clementia, & æquitate mandat, ut adimpleantur ea, ad quæ prædeceſſor ſe obligaverat, prout in ſacris Canonibus notatur. *c. quia Ioannes.* 12. *quæſt.* 5. *c. ult.* 16. *quæſt.* 6. *c. literis iun. Gloſſ. de reſcriptis c. Acceſſorium cum ſimilibus. de Re. Iur. in* 6: *Ita Rodriq. Anton. Peregrinus l* 1. *de iuribus Fiſci pag* 66 74 & 84. *Cardin. Tuſchus in V Princeps Con luſ* 690. & 691. *Mynſinger. Decade* 10. *Reſponſo* 98. Addens conceſſiones à Principe factas ſine cauſa, ab iiſdem revocari poſſe.

DUB. 3. An quando Contractus cum aliquo religioſo initus eſt, eidem, quod ex contractu debetur, ſolvi poſſit?

Reſp. Roder. loc. cit. art. 2. in Capella Tholoſana deciſum eſſe affirmativè, ſi nō intervenit factum Abbatis, aut Superioris *l. quod ſervus ff. de ſolut. ubi Alfenus Varus ait.* Quod ſervus ex peculio ſuo crediderit, aut depoſuiſſet, ei, ſive veniſſet, ſive manumiſſus eſſet, rectè ſolvi poteſt, niſi aliqua cauſa interciderit, ex qua intelligi poſſit, invito eo, cujus tum is ſervus fuiſſet, ei ſolvi. Cùm igitur in hoc rerum genere religioſus æquiparetur ſervo, eodem pede metiemur, ut in bonum Monaſterii potiſſimè contractus acceptetur, & per ſolutionem ipſi factam debitor liberetur. *Navar. Comm.* 2. *de Regul. num.* 43. *Caram. Theol. Morali l.* 2. *Diſp.* 2. *art.* 8. In alienationibus autem alio idiomate loquendum erit. Addit *Roder.* Si autem in tali contractu intervenerit factum Prælati, tunc Monacho, & Religioſo ſolvi non poterit: & ita intelligit. *Bart. l. cùm qui §. quæ ſibi ff. de verb. obligationibus.* Et ideò, *ait*, ſi Monachus mutuat, vel deponit pecuniam, & ei reſtituatur ſine licentia Prælati, debitor vel depoſitarius liberatur: cujus ſententiam ſequuntur *Bald. & Salicetus.* Idem in procuratore dicendum *Bartol.* putat. Nam ſi quis pecuniam mutuò accepiſſet à procuratore, vel cum eo aliter contraxiſſet, nullo actu domini interveniente, poſſet procuratori ſolvere *arg. legis cit. Cùm qui.* Sed quando intervenit actus domini, puta, quia actionem jam quæſitam deduxit in judicium, & fecit reum condemnari, non poteſt procuratori ſolvi, ut innuitur *in lege. Hoc iure ff. de ſolut.* Neque

Digitized by Google

intereſt, Contractum à parte Monachi propter defectum poteſtatis claudicare, cum ſufficere poſſit in alterâ parte bona fides,& ignorantia. Præterea æquitas juris, & præſumptio facit, ut magis expediat ita liberari debitorem ex contractu etiam nullo, quam prolixis litibus viam aperire. Si quid à religioſo peccatum eſt, Prælatus vindicabit, & ne in eandem foveam deinceps labatur, providebit. *c. fin. de dolo,& contum. Mol. D. 140 Sanchez l 7. Moral c.31.n.27. Leſſius c. 41. Dub. 11. num. 90. Navar. in c. Non dicatis num. 42.* Ubi promiſſionem Religioſi factam ſæculari alicui probat valere, & obligare, donec à Prælato irritetur. Fieri enim revera poteſt, ut emptio alicujus rei, abſente, & ignorante ſuperiore facta à Religioſo ſubdito, plurimum conducat rebus Monaſterii; quo in caſu illam facilè approbabit Prælatus: ſin minus, inita pacta concidet,& nullum ſortientur effectum.

Dub. 4. An Princeps Subditorum ſuorum pacta, & Contractus diſſolvere queat?

Reſp. Ex juſtâ causâ poſſe, imò debere, aliquando, cùm videlicet aut bono publico, aut ipſis contrahentibus noxii ſunt. Ideò enim ſumma inſtructus poteſtate eſt, ut evellat, & deſtruat, ædificet, & plantet, de omnium ſalute & proſperitate ſollicitus ſit. Imò tutoris inſtar eſt reſpectu Subditorum, ut pericula, & damna avertat, læſos reſtituat, quæ neceſſaria,& conducibilia, procuret. *Leſſ c. 3. D. 3 num. 13.* Idem omnes ſentire teſtatur *Navar l.3. Conſil.3. n 15. citat. Felinum, qui in c. Novit. de iudiciis.* ex eo, quòd jus ſubditi non à ſe, ſed alio ortum revocari à Principe poteſt, etiam decretum, & privilegium ſuum revocare poſſe demonſtrat *l. Lucius ff. de evict.* Adde quod leges,& juramenta pro re nata tollere, aut relaxare Princeps poteſt. *c. licet de iure iurando in 6. Azor. III. l.1.c.3.q.3. Tholoſ. l.50. c.12. num.10. Ferd. Vaſq. c.2. num 26.* Verùm quia Contractuum ingens varietas,& multitudo eſt,& aliud alio vinculum potentius, adhibito peritorum conſilio diſpiciet, quid in quoque caſu, & eventu expediat. Quæ pacta minus conſideratè, vel non magna cauſa fiunt, ad interitum proniora ſunt, cujuſmodi cenſentur juvenum, mulierum, & prodigorum: quibus meritò Principum auctoritate ſubveniendum. Solidum judicium in alienationibus requirit *Caſſiodorus l.2. ep.11.* & facta à liberto inconſulta donatio revocatur per patronum, ſi liberos ſuſceperit. *l. ſi unquam de revoc. donat.* Præterea exceſſivæ donationes omnes legibus inviſæ ſunt, quemadmodum illæ etiam, quæ cauſa carent. *tt. de inoff. donat. in C.& l. 1. tt. de conditione ſine cauſa.* Hinc ergò ad diſcindendum contractus occaſionem habet Judex, ut jure videatur agere: ac multò magis ſi partes ſimul vel alterutra ſaltem id expetat. Abſque juſta, & gravi cauſa jus acquiſitum ſubditis tollere, pacta & conventiones diſturbare nulli Magiſtratui permiſſum eſt. *Gloſſa in c. conſtitutus. de Religioſis domib Tuſchus V. pactum. concluſ. 4. Menoch de arbitrar. l.1. quaſt. 48. Ferd. Vaſquez l. 1. Controv. c. 15. Silv. V. Dominium. num.3.& V. Princeps Emm. Sa. eod num.6. Petra de poteſtate Principum pag.526. Leſſius c.5. Dub. 8. Gemin. Conſil. 74. Zarabella Conſil.147. Cardin. Tuſchus Concluſ.680.& 690. Tholoſ. l.47. Syntagm. c.20. n.8.& 18.*

Dub. 5.

DUB 5. An Dominus, & ſervus ex contractu invicè obligentur? Nullam obligationem agnoſcit *l. interpoſitas* 13. C. *de tranſact.* ubi dicitur, Dominos cum ſervis ſuis paciſcentes ex placitis ſuis teneri atque obligari non poſſe certi juris eſt. Cui conſonat *l. cùm affirmes*. C. *de liberali cauſa*, ubi cum Dominus accepta pecunia libertatem ſervo promiſiſſet nec fidem ſervaret; Rectori Provinciæ præcipitur, ut hortetur Dominum ad id, quod placuit, præſtandum: quæ verba merum conſilium ſignificant. Tandem *l. poſt certi* 36. C. *eod. tit.* manifeſtè id ipſum docet. Poſt certi temporis, *inquit*, miniſterium ancillæ liberam eam cum ea paciſcendo, conventionis obtemperandi lege domina nullam habet neceſſitatem. Contrarium videtur indicare *l. ſi ſervum* 70. §. *ſi quis ff. de acquir hære.* Si quis dederit nummos domino, ut manumittatur, puto omni modo huic eſſe ſuccurrendum. An fortè caſus libertatis excipitur, de quo ſervus cum domino validè paciſcatur, quando dubius eſt ſervitutis ſtatus. In aliis omnibus minimè? Ita ſentiunt DD. aliqui & ſic conciliare diverſa jure conantur *Baldus* verò, & quidem ſolus (ſi Sanchezio credimus) nullam omnino, vel civilem, vel naturalem obligationem ſed ſolius honeſtatis ex tali pacto oriri exiſtimat in *l. cùm affirmes* C. *de liberali cauſa*. Verùm his non obſtantibus.

1. Reſp. Dominum ex contractu cum ſervo ſuo naturaliter, & in foro conſcientiæ obligari: quod omnes fateri neceſſe eſt, ſi proprium peculium ſervo tribuerimus. Quis autem neget, ſervum vel laborando extraordinariè, vel ludendo, vel per donationem aliquid acquirere poſſe? Non enim, quia ſervus eſt, homo eſſe deſinit, nec quoad omnia omninò libertatem amiſit, *teſte Ariſt.* 8. *Eth. c.* 11. quod etiam probat textus *legis. Non ſolùm* 49. § *ſi ignorante V. an debitor. ff de peculio.* An debitor vel ſervus Domino, vel dominus ſervo (obligetur) ex cauſa civili computandum eſt. Ubi ſupponitur, inter dominum, & ſervũ debito locũ eſſe, Unde ſequitur neceſſariò leges, quæ contrarium loqui videntur, de obligatione civili intelligendas eſſe. *Mol.* To. 1. *de iuſt. Diſp.* 38. *Azor.* 11. *l.* 2. *c* 36. *Q.* 1 *Rebellus de iuſt. par.* 2. *l.* 1. *p.* 8. *ſect ult. Roderic.* 111. *Q.* 9. *ar* 9 *Navar. de redit q.* 1. *Mon.* 10 *Suarez de iuſtia Dei. Sect.* 6 *Lugo Diſput.* 3. *Sect* 3. *Leſſ c.* 4. D. 4. Eandem doctrinam valere in religioſis profeſſis, quibus adminiſtratio bonorum commiſſa eſt, tradunt. *Navar. in c. Non dicatis Roderic. l. cit. Mol.* D. 273. *Iacob de canib de executorib. ult. volunt. partic.* 2. *nu.* 5. *Pet. Nav. l* 3. *de reſſ. c.* 1. *Rebell. l.* 1. *Q* 8. *Sect ult. Filliut Tract.* 33. *c.* 3. *nu.* 59. *Fagund. l.* 1 *de Contract c.* 20 *num.* 5. *Leſſius c.* 41. *D.* 9. *num.* 78. *Sanchez l* 7. *Moral. c.* 8. *num.* 16. *& ſeq reclamante* Lugo *Diſp.* 3. *Seſſ.* 6. *num.* 114. *Compend Privileg FF. Minor. V. Conventiones. & Alienatio bonorum.*

DUB. 6. Quid iuris ſit de contractu pupilli, & minorum.

R. 1. Contractus minorum annis 25 cõpletis non ſunt omnino & abſolutè validi, quando deeſt decretum Iudicis, & cõſenſus tutoris, aut Curatoris. Ita communiter DD. *apud.* Mol. *Diſp.* 224. *Sanch. de Matrim. l.* 6. *Diſp.* 38. *Laym. l.* 3. *Tract.* 4. *c.* 9. *n.* 7. *Onnate Tract* 2. *Diſp.* 4. *Sect.* 3. *Lugo* D. 22. *Sect.* 10. Ratio eſt, quia propter infirmitatem ætatis illius,

Digitized by Google

& pericula damnorum pro forma Contractus valituri Jus inſtituit auctoritatem Judicis,& tutoris: ita ut alterum ſine altero non ſufficiat, quemadmodum accuratè probat. *Reinoſus obſervat 43. Abb. in c.cùm nos num.5 de his,quæ fiunt à Prælat. Barto.in l.bonorum C. qui admitti. Cardin. Tuſchus concluſ. 978. & V. Minor. concluſ. 252. VVeſenbec.in l.26 ff tt.8.* Auctoritatem præſtare tutor dicitur, cùm probat id, quod agitur, ſi modò quid agatur, intellexerit. *l.non multum ff. de auctorit. & conſenſu tutorum.*

DIXI *Non omnino validos eſſe.* Valdè enim rationi conſentaneum videtur, ut quando pupillus pubertati proximus eſt, puta, poſt annum decimum cum dimidio ſaltem quoad naturalem obligationem validè contrahat etiam abſque conſenſu tutoris. *§. placuit Inſtitut. de auctor. tutor.* Placuit meliorem quidem ſuam conditionem facere poſſe, etiam ſine auctoritate tutoris: quæ verba indicant, ſi in ſuum commodum pupillus cum majore contrahat, hunc obligatum iri, ita, ut cogi poſſit ad ſervandum cōtractum, licet viciſſim pupillus non obligetur: ſi autem pupillus cum pupillo, vel minore contractum fecerit, neuter obligabitur ex diſpoſitione Juris, quod ſecuritati illorum cautum voluit. Nulla item obligatio naſcitur ex alienatione rei immobilis, ut mobilis pretioſæ.

Reſp.2. Minor & pupillus ex contractu ſuo damnum paſſus petere reſtitutionem in integrum poteſt. *l.1. & 2. ac toto tt. C. ſi tutor intervenerit. Item l. 3. & 5. C. de integr. reſtitut. l.1. & ſequentibus ff de minoribus & ff. de in integrum reſtitut. l. quod pupillus 41. ff. de condict. indebit.* Item dicendum eſt; quamvis interveniente decreto Judicis contraxerit: quia auctoritas Judicis tutoris aut curatoris actum valere facit mero jure, beneficium verò reſtitutionis non excludit. Porrò læſus cenſetur pupillus ubicunque ita contraxit, ut nulla utilitas inde proveniat. *V. Tholoſan. l.12.c.3. num. 19. VVeſenbec. in C. l.2.tt.38. Leſſius c.17.D.9. Covarr. l. 1. Variar. c.3. num.* 10. Limita 1. niſi major factus id eſt, expleto anno ætatis 25. contractum ratificarit. *l.1. & 2. C. ſi maior factus Azor 111. l.6. c.14. §. quid dicendum.* Limita 2. niſi juramento confirmarit etiam in minori ætate. *Authen. Sacramenta puberum C. ſi adv. venditionem Gaill. l. 2. obſ.65.* Limita 3. niſi terminum præſcriptum neglexerit, qui eſt annorum quatuor poſt expletam minorem ætatem. *Azor 111 loco cit. Lugo Diſp. 22. Sect.10. Leſſ l.cit.n.64. & ſeq. Fagund. l.1 de contract. c.12. Layman. lo.cit. Onnate tract. 2. Diſp.4. Sect.3. VVeſenbecius l.4. ff tt. 4. num. 3.*

DUB. 7 Utrum hominis excommunicati contractus validi ſint?

Reſp.1. Si excommunicatus beneficiū Eccleſiaſticum habeat, & contrahat de rebus Eccleſiæ actus ipſius nihil valet. *c. veritatis de dolo & contum. Oſtius cum aliis multis in c. Paſtoralis § verùm de appell. Fernandes in exam. Theol. Mor. part. 2. c 9. §.12. Tolet. l.1. c. 11. num. 4.*

Reſp.2. Contractus excommunicati de rebus civilibus (ut teſtamenta quoq;) validos eſſe ita tamen, ut executio ſuſpenſa maneat, donec ab excommunicatione liberetur. *Oſtienſ. in c. Veritatis de dolo & contum. Innocent. & Abb. ibidem. Summa Confeſſor. l. 3. tt. 33. q. 133. Sil. V.*

Excom-

Excommunicatio 3. *ci ſi. Henr. Boich. in di. c. Veritatis addens ſententiã hanc ipſo uſu approbatam eſſe. Silv V. Excom.* 3. *nu.*2. *Suar. V. Diſp.*15. *Sect* 8.*n.*14. *Avila de Cenſuris* Par 2.*c.*6. *Diſp* 6.*p.*128. *Toletus. l.*1.*c.* 11.*n.*3. *& ſeq. Fernandes l.cit. Angel. nu.* 19. *Laym.l* 5. P.2.*c.*2.*n* 17. *Avila* P 2 *c.*6.D.6. excipiens excommunicatos propter hæreſim, vel percuſsionem alicuius Cardinalis, qui ſint inteſtabiles. *c Felicis de panis in* 6. Ratio dari poteſt, quia nullo iure contractus cum excommunicatis initi reprobantur, eſto peccent contrahentes propter prohibitam communionem, ex qua non poteſt vitium contractibus adferri, ut invalidi reputentur. Dixi, ſuſpenſam manere executionem, quia excommunicatus agere contra adverſam partem in iudicio non poteſt iuxta doctrinam. *Abb. & Henr. Boich ſupra Anchorani in c. Pia* §. *ſi quis n* 2. *de except in* 6. *probatque ex c. Intelleximus de iudiciis.* ubi expreſſe dicitur convenire non poſſe excommunicatum: quod explicans *Barb. ait* conveniri poſſe ut reum neceſſarium, & proponere omnes defenſiones ſibi ſervientes, & quæ naturam excluſionis habent; qualis eſt non numeratæ pecuniæ, debiti non ſoluti, doli mali, iuramenti, nullitatis, & ſimilium. Si impeditus in propria perſona ſit, procuratorem conſtituere debet. Ut reus voluntarius autem non admittitur, quia in hac materia æquiparantur actor, & reus voluntarius. Voluntarium reum appellamus illum, qui ad cauſam non trahitur, ſed iudicium aperit illi viam ad contradicendum, & opponendum. Quod ſi excommunicationẽ floxi faciat, neq; pro impetranda abſolutione ſollicitus ſit, ne quidem ut reus neceſſarius audiendus eſt. *Geminian. in c.*1.*n.*10. *Felin in c. cit. Intelleximus. Hippol ſingulari* 360.

Limita 1. niſi agatur de concernentibus animæ periculum, ubi actoris quoque loco ſtare licitum. *Oſtiens. in c. ſignificaver. de except.*

Limita 2. ſi petere velit revocationem attentatorum. Nam in tali iudicio non obſtat exceptio excommunicationis. *Menoch. remed.*17 *de recuper. poſſ.*

Limita 3. Cum periculum in mora eſt, quia tunc cenſetur non omninò voluntariè agere. *Felinus in c.* Cùm *inter. n.* 16. *de except.*

Limita 4. quando impeditur facere ſibi permiſſa, ut eiuſmodi impedimentum tollatur, *Io. Andr. hic. n* 4. *Abb nu.*7. *Felin nu* 14. *Plura V. ap. Barb. in c. cit. Intelligimus.*

R. 3. Matrimonium ab excommunicato contractum validum ac firmum eſt. *c. ſignificaſti de eo qui duxit. & c. cum haberet. eod. V Navar. c.*27 *nu.*36. *Ad Sextam. Sanch l.*7. Diſp. 9 *V.* Par. 3. *Tit.*16. §. 11. *nu.* 5.

DUB. 8. An Contrahentes ſe mutuò obligare ad pœnam queant?

No. Pœna apponi contractibus ſolita Conventionalis appellatur, eò quod non à Magiſtratu invitis decernitur, ſed quia ipſi paciſcentes, de ea propter moram, aut fraudem ſubeunda conveniunt. Nec dubitare poſſumus, quin rationi & æquitati conſentanea ſit. Peccat enim contra iuſtitiam debitor, alienum ultra tempus, & conſenſum domini retinens. *l. ſtipulationum.* §. *ſi ſortem ff. de verb. oblig. Onnate Diſp.*8. *ſect* 6. Sed illud minimè liquet, an ea pœna contrahentes in conſcientia obliget, vel potius poſt ſententiam Iudicis

 primùm,

Digitized by Google

primùm, quemadmodum pœnæ legales à Magiſtratu conſtitutæ?

R. 1. Pœna conventionalis ante Iudicis ſententiam non eſt neceſſario ſubeunda, niſi aliter contrahentes pacti fuerint. *Covar. & alii ap.* Az. 1. *l.* 5. *c.* 8. *Q.* 7. Neque enim alio fine eiuſmodi pœna à contrahentibus addi videtur, niſi ut caſtigare moram, & cogere ad ſatisfaciendum cunctantes poſſint. Adde, quod non apparet ſufficiens ratio, cur ad pœnam legalem ante Iudicis ſententiam nemo obligetur, ut ex communi DD. tradunt: cogatur verò, ſi à contrahentibus decreta ſit. Sic enim faciendo quaſi Magiſtratus, ac Principis officio funguntur. Idem conſuetudo videtur approbare, teſte. *Nav. c.* 23. *num.* 67. Ita ſentiunt *Adrianus Quodlib.* 6. *art.* 1. *concluſ.* 2. *Lopez l.* 1. *de contract. c.* 31. & *l.* 2. *c.* 34. *Victoria, ut Lopez refert. Vaſquius c.* 28 *nu* 16 *Onnate Diſp.* 8. *Sect.* 6. *num.* 126 *Sanch. l.* 1. *de Matrim. Diſp.* 37. addens neotericos multos idem ſentire. Denique ut probabilem agnoſcit *Leſſ. c.* 20 *Dub.* 15. *Suar. de leg. l.* 4. *c.* 5. *num.* 8. ex intentione contrahentium iudicandum eſſe contendit: ex illa enim pendet obligatio, & quoad illam eorum confeſſioni ſtandum eſt in foro conſcientiæ: in dubio verba ponderanda, ac poſtremo, ſi conſuetudo generalis ſit, uti Navarrus affirmat, illi acquieſcendum.

R. 2. Si in Contractu appoſita fuerit pœna excommunicationis neminem ligat: neque Iudex reum punire debet, aut declarare excommunicatum, iuxta Conſtitutionem Pii V. in reformatione tribunalis Auditorum Cameræ. Nec quiſquam, *ait*, ratione ſui conſenſus in contractu, ſeu quaſi contractu, aut aliàs in iudicio, vel extra iudicium, per ſe, vel alium quocunque modo, etiam in ſusceptione, quã vocant, Cenſuratum, de cætero præſtiti, purè aut ſub conditione aut in diem cenſuris eccleſiaſticis innodetur, aut innodatus declaretur. *Ita Pont.* Et meritò. Fieri enim poteſt, ut qui contractum non ſervat, uti pactus eſt, non niſi venialiter peccet, ratione cujus nemo excommunicari poteſt; cavendumque ſeduló ne eccleſiaſticæ cenſuræ propter abuſum vileſcant, & contemnantur. *Conc. Triden. Seſſ.* 25. *c.* 3. *c. Multi.* 2. Q. 1. *Piaſecius Par.* 2. *c.* 4. *num.* 83. *Franc. Leo in theſaur. eccleſ. Par.* 2. *c.* 27. *num.* 35. *Barb. in c. Pervenit. de exceſſ. Prælat.*

R. 3. Pari iure non obligat pactum, ut debitor, non ſoluens in termino convento, carceri mancipetur. *Auth. Imò à debitore. C. de act. & oblig. Bald. ibid. n* 3. In Germania tamen contrarium uſu receptum eſt, & paſſim carceribus clauſi debitores ad ſatisfaciendum compelluntur, auctoritate prætoris. *l.* 3. § *tutores ff de ſuſpe. tutor. Glo. ibid in V. Vinculis. Melonius Tit.* 13. *n* 7.

DVB. 9. Idemne iudicium de hæreticis ſit, quoad valorem contractuum?

R. Hæretici bona omnia ipſo iure Fiſco addicta, eſſe, cumque proprietatem illorum amiſiſſe, adeoque nullam de illis conventionem, aut diſpoſitionem facere poſſe. Nec intereſt, occultus aut manifeſtus ſit, modò hæreſis ipſius externa ſit. Statim namque privatus eſt dominio omnium bonorum in foro conſcientiæ, ita tamen, ut retineat eorum poſſeſſionem quouſque per ſententiam Iudicis fuerit condemnatus. Tunc enim Fiſcus ſibi

Digitized by Google

ſibi vendicat. *c. Cum ſecund. leges. de hæret. in* 6. & hanc omnium ſententiam eſſe pronunciat. *Comitol. l.* 4. *Q.* 1. *Silvam auctorum apud Barb. in cita. c. Cùm ſecundùm*, *& Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 22. *invenies.*

Vnde ſequitur manifeſtò, donationem, venditionem, & quemcunque alienationis contractum irritum eſſe, & contrahentes cum hæreticis aut accipientes ab iis aliquid ſive ſcienter, ſive ignoranter nullum dominium acquirere, ſed reſcindenda fore poſt ſententiam declaratoriam omnia pacta cum hæreticis inita à die commiſſi criminis, ac fiſco inferenda bona.

At, *inquis.* Malæ igitur fidei poſſeſſores ſunt tam multi, qui in provinciis, & regnis, ubi hæreticorum agmina ſunt cum illis negotiantur, emunt quotidie, & vendunt.

R. Vbi abundat & creſcit iniquitas, legum ſæpe remittit ſeveritas. Benignitas Eccleſiæ permittit, ut bona aliàs ſibi debita, quæ conſequi non poteſt Catholicorum manus per mutuos contractus veniant, aliàs omnino peritura. Quamobrem *Innoc. IV* Peruſii cùm eſſet, Conſtitutionem edidit, qua Rectoribus & Præfectis ſuis per Italiam mandat, ut nullum hæreticum patiantur eſſe intra fines ditionis ſuæ, & poteſtatem facit omnibus capiendi, ac ſpoliandi bonis ſuis hæreticos, eaq; pleno iure acquirere, ac poſſidere. Hinc manifeſtè apparet bona hæreticorum, quæ ad Eccleſiam de iure pertinent, Pontificem Catholicis tribuere etiam per ſpoliationem erepta. *Eandem Conſtitutionem ab Alexand. IV. & Clem. IV. confirmatam eſſe Comitolus teſtatur l cit. ci. fin.*

Contrariam opinionem, quod hæretici non ſint ipſo iure privati dominio bonorum ſuorum, ac proinde validos contractus ineant, cum aliis non paucis probabilibus argumentis tuetur, & confirmat *Fagund. l.* 1. *de Contract. c.* 21. *num.* 9 *& ſeqq. allegans Franc. Suarez. de fide diſp.* 22. *Sect.* 2. *num.* 5. *& Sanchez l* 2. *Decal. c.* 22. *num.* 31. Ea tamen, quæ reſpondet ad *textum c. cit. Cùm ſecundum. Bona hæreticorum ipſo iure decernimus confiſcata.* minimè ſatisfaciunt, quia litera apertior eſt, & clarior, quàm ut tortis quibuſdam explicationibus obſcurari queat.

DVB. 10. An liceat paciſci cum moribundo, ut poſt mortem ſe præſentet, & de ſuo ſtatu certiores reddat.

No *Comitolus* ita quæſtionem proponit, ut non de ſtatu, ipſius animæ, quem in altera vita habet, ſed de ſtatu ipſius paciſcentis cum anima loquatur, qui ſcire cupiat, num ipſe in gratia Dei ſit, vel non ſit.

Rt. verò non licere. 1. quia noſtrum non eſt ſcire, aut perſcrutari ea, quæ cæleſtis pater poſuit in ſua poteſtate. *Actor.* 1. *V.* 7. 2. Quia liberum non eſt, animabus defunctorum redire in hunc mundum, & cum viventibus ſermocinari. 3. quamvis in numero beatorum recepta anima ſit, non ideò illorum, quæ apud nos fiunt claram notitiam habet, neque Deus revelat illis, quæ non intereſt noſſe, quemadmodum. *S. Auguſtin.* pluribus explicat in. *l De cura pro mortuis c.* 13. *& ſeq. Item l. de Anima & Spir.* Quin etiam fatetur, nihil ſe ſtatuere certi poſſe, utrum mortuorum appari-

appatitiones ipſorum ſint, an verò angelorum imaginem, & aſpectum eorum, qui defuncti ſunt aſsimilantium. *V. Bellarm. l. 2. de Purgat. c. 8. Valent.* D 9. *q.* 9. *pun.* 2. *Tanner.* 4. *D.* 6. *q.* 8. *D.* 5. *Sanchez l.* 2. *Mor. c.* 38. *num.* 25. Nihilominus preces noſtras beatis animabus innoteſcere conſtat, vel eas deferentibus. Angelis, ut *S. Dion. indicat. c.* 2. *de caleſti hierarchia*. vel in Verbo videntibus ut *S. Greg. aut l.* 12. *Moral. c.* 13. quem ſequitur *S. Thom.* 22. *p.* 83. *ar.* 4. *ad* 2. Illud, quod decet eos cognoſcere de iis quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores cordis motus, in Verbo manifeſtatur: maximè autem excellentiam eorum decet, ut cognoſcant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. *V. Bellarm. l.* 1. *de Sanct. Beat. c.* 20. De illis, qui rogati ſua cauſa potius, quàm viventium poſt mortem redierunt, & quo loco eſſent, indicarunt, non pauca Sanctorum exempla leguntur, quæ ſi vera, docent, nihil inconceſſum appetere, qui id à morientibus debito fine, ac modo poſtulant. Nam eiuſmodi apparitiones, & nobis, qui adhuc peregrinamur, & illis qui terminum attigerunt, plurimum adferre poſſunt utilitatis, ſive in proprio corpore, ſive in alieno appareant. Nam ſi opis & auxilii indigæ ſunt à vivis eleemoſynas, ſuffragia, ieiunia, miſſarum Sacrificia impetrant, quibus divinæ iuſtitiæ faciant ſatis, & pœnarum diminutionem obtineant, ſi verò beatorum albo inſcripti ſunt, apparentibus Dei permiſſu à nobis honor exhibetur, & non mediocre gaudium ex rerum noſtrarum particulari cognitione hauriunt. Nobis verò quantum boni allatura ſit. ipſorum præſentia, non eſt difficile aſſequi & pluribus exponit. *Mart. Delrio Diſquis. Magicar. l.* 2. *Q.* 26. *Sect.* 3.

DVB. II. Quid conſuetudo poſsit in Contractibus de quibus liciti, an illiciti, iuſti vel iniuſti ſunt, dubitatur?

R. A peritis, & expertis ſequentia documenta tradentur.

1. eſt. Conſuetudo iniuſta, ſecundum quam contractus per ſe illicitus impunè exercetur, non excuſat conſcientiam à peccato, nec à pœna illi debita in iudicio Dei liberat. *Glo. rece. in c. denique Diſt.* 4. *Silv. V. Conſuetudo. num.* 18. *Armilla. num.* 9.

2. Qui bona fide exercet contractum aliquem in ſua regione uſitatum, qui uſuram ſapit, nec tamen ex forma talis apparet, ſed dubii, & obſcuri iuris eſt, à peccato excuſatur propter conſuetudinem. *Bart. in l. Quid ſi fugitivus.* §. *apud Labeonem. Decius conſil* 170. *Nav conſ.* 25. *nu.* 5. *tt. de uſuris* ubi multorum in Vrbe Sanctiſsimâ Româ opinione cenſum eſſe licitum aſſerit, in quo 8. pro 100. annuè dantur, manente Salvo capitali. Et quamvis ipſe in ſeqq. reprobare videatur, non ſufficit pro abſoluta, & generali damnatione. Cùm enim iniuria horum contractuum non ſit manifeſta tolerari poterunt, dicendo, ſi quid in illis lateat inæqualitatis, à Rep. ſuppleri, vel ſibi mutuò remittere ipſos contrahentes. Præterea, ſi 5. floreni annuè pro 100. dantur nullo reclamante, unde, rogo, conſtabit non licere 6. aut 7. petere? Vnde conſtat tibi præcisè numerum quinarium iuſtitiæ mediũ eſſe, non verò minorem, aut maiorem. In mercibus triplex precium admittimus maximum, minimum, & medium, in cenſibus annuis cur idem non liceat, nondũ ab ullo demonſtratum eſt. Quamdiu igitur du-

Digitized by Google

tur dubium eſt an contractus hic, ille illicitus ſit, qui paſſim celebratur, ſi quis bona fide ſecundum conſuetudinem illam operatur, condemnati non debet.

3. Actus,& contractus non propterea licitus cenſetur, quia palàm, & publicè fit, quaſi conſuetudo ſupplere iuſtitiam queat, ſed efficit,ut quamdiu contrarium non liquet o,perans excuſetur à peccato. Conſuetudo enim iuri naturali, & divino non derogat. *c. fin. de conſuetud. nec veritati praiudicat. c. Veritate. c. Qui contempta. c. Fruſtra. & c. Siſolus* *Diſt.*8.*Navar. de Vſuris* *Conſil.*26 *num* 2. *Comitol. l.*3.*Q.*10.*num* 4. Sed bona fides, & ignorantia contrahentem excuſare poteſt à culpa, quando de iniuſtitia contractus non habetur certa notitia, ſed à viris doctis, & bonis dubitatur, à quibuſdam etiam exercetur. Quocirca non excuſamus eos, qui contra ius clarum, & paſſim notum operantur, quamvis aliorum idem facientium exemplo ſe protegant. Non enim multitudo peccantium minuere culpam poteſt: nec propterea minus ardebunt improbi, quia cum multis ardebunt. *c. Multi corriguntur* 2. *Q.* 2.

4. Qui dubitat practicè de iuſtitia alicuius contractus, quamvis à parte rei iuſtus, licitus, adeoque frequens ſit,ineundo illum contra iuſtitiam & conſcientiam ſuam peccat. *c.* 14. *Ad* *Rom. V.ul.* Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt,id eſt, ut *S. Thom. explicat* 1. 2. *q.* 19. *ar.*5. quod contra conſcientiam agitur peccatum eſt. *c. Dominus de ſecundis nuptiis. c. Inquiſitioni de ſentent. excomm. & communi DD. cum S. Thom. quodl.* 8. *art.* 3. Quia agere contra conſcientiam practicè dubiam nihil aliud eſt, quia ſe exponere manifeſto periculo peccandi quemadmodum multis declarat. *Navar. in c. ſi quis autem de pœniten.* D.7. *Sanch. l.*6. *Moral. c.* 3. *Bardus Diſceptat.* 5. *de Conſc. dubia c.* 2.

5. Quando de bonitate & iuſtitia contractus diverſæ probatorum Auctorum opiniones ſunt, alterutram ſequi etiam minus probabilem in contrahendo licet *c. Capellanus de feriis, cum Glo. Panorm. Anto-Butrius, & aliis ibid. Innoc. in c. Ne innitaris. de Conſtit. Alexander l.* 2. *conſil.* 1. *Ang. Silv. cum al. Summ. in V. Opinio Antonin.* 1. Par *tt.* 3. *c.* 10. *Corrad de Contract. Q. ult. Navar. in c. Si quis autem de pœnit.* D. 7. *num.* 7. *Azor.* 1. *l.* 1. *c.* 16.

Dixi *probatorum auctorum.* quia non quicunque thyrſigeri, iidem Bacch. Non eadem omnium Doctorum ſcientia, fides, experientia, & auctoritas eſt: melioribus igitur aures dandæ, nec uni fidendum in rebus ad conſcientiæ regimen pertinentibus, ſed pluribus, quando illorum copia eſt. Examinandæ inſuper rationes, quibus unaquæque opinio fulcitur. Nam in *cit. c. Capellanus,* non qualibet etiam probabilis, ſed ea ſententia præfertur, quæ meliori & ſubtiliori ratione nititur. *Vaſq.* 12.*Q.*16. *Diſp.*62. *Sayrum in clave l.*1,*c.*6 *Valent.*1.2.*Diſp.*2.*Qu.* 12. *puncto* 5. *Sanchez l.* 1. *Moral c.*9.*Layman l.* 1. *Tract.*1.*c.*5.§. 2. *Filliut.Tract.* 21. *c.*14 *num.*134. *Reginald. l.* 9 *c.*3.*Sect.*1.*nu.* 26.*Tanner.* 3. *Diſp.*4. *Qu.*6.*Dub*13.*& alii apud Barbos. in c. cit. Capellanus. de feriis. Adde Binsfeld in c. Naviganti de Vſuris.*

Digitized by Google

§. III.

De quaſi Contractibus.

QVemadmodum in Contractu propriè dicto propriè dictus conſenſus eſt, ita in quaſi-contractu, quaſi conſenſus, indeque illi nomen. Sicubi aliter, ſpeciale, & per accidens eſt. Etenim nobis quoque invitis peraguntur, ut in tutela, & negotiis geſtis patet, in quibus cùm nihil a nobis actum aut pactum ſit, præſumitur adeſſe conſenſum. Tutorem pupillo Iudex dedit. Negotia mea Titius ultrò ſuſcepit, & expedivit, quia æquum eſt annuere, & approbare, leges inter nos conventũ eſſe credunt. *Quaſi cõtractus* igitur veris, & perfectis cõtractibus ſimiles quoquo modo ſunt, eorũve conditionẽ quãtum res ipſa patitur, æmulari videntur. *Facund. l.1.c.2* ſic definit. Quaſi contractus eſt obligatio, qua quis obligatur alteri non ex aliquo contractu vel delicto, ſed ex officio, aut facto honeſto, licet non interveniat, expreſſa voluntas utriuſque. Illorum genera alii aliter numerant. Magis præcipui ſunt iſti octo. Mandatum, Negotia, Tutela, Cura, Acceptilatio. Communio rerum. Hæreditatis aditæ & indebiti ſoluti de quibus ordine agemus. *Soaſius in l 3. Inſtit tt.27. Azor. 111. l. 11. c.23. Schneidevv l.3. Inſt tt.28.*

I. *Mandatum* eſt gratuita ſuſceptio aliquid exequendi, quod alius, formaliter, aut virtute illi iniungit. Ita colligitur ex *l.1.§.ul ff Mandati & Inſtit. eod. tt §. ult. iuncta annot. in princ.* 1. dicitur *Gratuita ſuſceptio.* quia ubi de mercede conventum eſt, in conductionem, & locationem operatum tranſit. 2. *formaliter, aut virtute.* Nam qui videns in ſui gratiam aliquid fieri tacet, conſentire, & mandare cenſetur. Atque ita differt mandatum à negotiis geſtis, quod geſtor negotiorũ dicitur is, qui in gratiam aliorum agit, ipſis ignorantibus; mandatarius autem agit ſciente mandante. *VVeſenbec. ff. l 17. tt.1. nu.6. Molina Diſp 548. Tholoſan. l.27. c.5. Connanus. l.7 c 14. num.6.* Vnde patet eſſe contractum nominatum, & ſolo conſenſu qualitercunque expreſſo perfici, per verba *Volo, rogo, mando.* Nec repugnat inter abſentes fieri, idque ad certum tempus, aut ſub conditione, ſi hoc vel illud eveniat. *l. Iuris gent. ff. de pact. l.*

II. Mandatum ad honeſta & licita tantùm dirigitur. *l Lucius §. pro infante ff ad l municipales.* Si quid pro illicito aut turpi opere mandatarius acceperit, reſtituere tenetur. Si autem executus fuerit, retinere, cùm moderatum eſt, poteſt. In foro externo Fiſcus ſibi vendicat. Damna primariò compenſabit Mandans, illo deficiente mandatarius, & in utroque foro, nec deerit ſubſequens reum pede pœna claudo. Non totam exhauriet mandatarius terminis mandati prætergreſſis. Quantum? arbitrabitur Iudex Mandans percuſſionem tantùm, homicidii à mandatario facti, reus non eſt; nec illius pœnâ, ſed minore plectendus. *l. diligenter. ff. Mandati. Schneidevv. l.3. Inſtit. tt. 27 §. Is qui exequitur.* Et generaliter quæcunque contra mandatum fiunt, irrita ſunt. *Silv V. Mandatum ci fin.*

III. *Procurator ad negotia* dicitur, qui inſtrumentum accipit à mandante (eſt enim ipſe quoque mandatarius) ad aliquid agendum loco, & nomine ipſius, in, vel

extra.

Digitized by Google

extra iudicium. Vnde actiones directè, & principaliter non ſibi, ſed mandanti acquirit: rationem officii ſui reddere tenetur, omniaque iura acquiſita domino tradere. *l. qui proprio. §. procurator. ff. de procurat.* In procuratore ad negotia ætas 17. annorum, in procuratore iudiciali 25. requiritur. *c. qui generaliter. § ult. de procur. in 6. l. minor ff. eod.* Nec deputare ſuo loco alium poteſt procurator iudicialis, quod tamen illi ad negotia conſtituto permiſſum. Mandatarius regulariter nō tenetur, niſi de dolo, & culpâ latâ, quia ordinariè mandatum fit in gratiam ſolius mandantis. At quando fuerit in utriuſque commodum, etiam de levi tenebitur. Mandans viciſſim mandatario tenetur de caſu fortuito, quem prævidere potuit. *l. Neſennius ff. de nego. geſt.* & *ſi quid* damni paſſus mādatarius, compenſabit. *l. heredem 14. l. ſi mandaſſem 15. ff. Mandatur. Laym. l. 3. tr. 4. c. 26. n. 3.*

IV. *Mandatum* procuratori ad lites datum, poſt litem cœptam, vel iudicium non licet revocare mandanti, *l. ſi procuratorem ff. Mandati.* Ante inceptam litem verò liberum eſt, mutare, & revocare, quiſquis de non revocando iuraſſet. Valida enim, licet vitioſa actio erit. Quin etiam poſt mandantis mortem durare poteſt mandatum. 1. ſi in gratiam mandatarii factum ſit. 2. ſi eiuſmodi ſit, ut poſt illius mortem compleri debeat. 3. gratia, & favore dotis. 4. gratia libertatis. 5. cauſa liberandi debitorem. 6. gratia religionis, & fidei. 7. ſi à Papa alicui delegata poteſtas ſit. 8. legati à latere poteſtas durat, etiam mortuo Pōtifice 9. ſi ſub nomine dignitatis alicui poteſtas delegata eſt. 10. ſi princeps dicat, ſe mandare iuriſdictionem donec revocaverit. 11. in gratiam cauſæ piæ. 12. quando mandatum datum eſt, donec filius in furore perſtiterit, ſi decedat in eo, non finitur ipſius morte mandatum. *l. Ambiguitatem. C. de Vſufru.*

V. Porrò mandatum expirat 1. per revocationem mandantis re integra, id eſt, nondum inchoato negotio. §. *Rectè Inſtit. de mand.* Etiam cum detrimento non maximo mandatarii. *Gutieres l. 3. q. 11. n. 24.* 2. ſi mandatarius, dum res integra eſt, tempeſtivè renunciet, ut res per alium expediri queat. *Inſtit. eod.* & *l. ſi mandavero ff. eod.* 3. Morte mandantis, exceptis caſibus num. præced. enarratis. Si autem mandatarius ignorata mandantis morte rem executus fuerit, ſuccurritur ei ex æquitate, ut actionem mandati habeat, ne damnum ſentiat in iuſta, & probabili ignorantia *l. Inter cauſas. ff. mandati.* 4. denique ipſius mandatarii morte, præſertim ſi res integra ſit. *Soacius in l. 3. Inſtit. tit. de mandato. §. Rectè quoque. Laym. l. 3. tr. 4. c. 27. num. 6. Oſtermannus §. 10. tt 27. l. 3. Inſtit.*

VI. Actio mandati duplex eſt. Directa & contraria. Directum habet mandans contra mandatarium, qui mandatum recepit, & non complevit, vel cum dolo culpâ, aut damno mandantis executus eſt: vel denique mandati fines egreſſus eſt. *l. Si procuratorem. §. Mandati actio. ff. Mandati.* Contraria convenit mandatario eiuſque hæredibus contra mandantem: quia peractis, ut oportebat, negotiis ius habet petendi impenſas, quas neceſſariò vel utiliter fecit propter mandantem, *l. diligenter l. idemq; ff. mādati.* Eadē actio

 datur

Digitized by Google

datur etiam procuratoribus & fideiuſſoribus. *§. ſi quid autem ff. de fideiuſſ.* Item illi, qui pro alio promittit animo novandi. *Onnate Diſp.* 44. *Sect.* 3. *Kling. l.* 3. *Inſt tt. de mandato. Mynſing. in §. Igitur. Inſt. de obl. quæ ex quaſi contr.*

VII. Intereſt reip. & ſingulorum, ut abſentium res & bona conſerventur, ideoque lege ſtatutum eſt, ut qui id feciſſet, domino teneretur, & hic viciſſim illi. Hinc *negotiorum geſtorum Quaſi Contractus*, ad quem nullo mandato opus, ne cum præcedente coincidat, ſed utiliter negotia geſſiſſe ſufficit. Quatuor modi ſunt. 1. cura, & officio, ut in tutore, curatore, procuratore, & ſimilibus accidit. 2. reipſa, cum in utilitatem alterius aliquid impenditur, quamvis illius intuitu non ſit factum. 3. ratihabitione, cùm, quod unus nomine alterius geſſit, hic ratum habet, & niſi ratum haberet, nihil ad eum pertingeret. 4. ipſa actione negotii geſti, ut ſi quis creditori alterius ſoluat, eo abſente, vel ignorante. Quamobrem obligatio conſurgit, in gerente quidem ad reddendam rationem eorum, quæ geſſit, & ſoluendum, ſi quid ad ſe derivatum eſt: in eo autem, cuius gratia actum eſt, actio directa ad exigenda ea omnia, quæ ſui cauſa præſtita ſunt, ut in ſimili de Mandante dixi n. *præc. V. Onnate Diſputat.* 47. *Sectio.* 1. *& ſeqq.*

VIII. *Negotiorum geſtor.* quando ſolius abſentis intendit bonum, non niſi de dolo, & lata culpa tenetur. *l. Si negotium. ff. de negot. geſtis.* At de levi quoque ſi utriuſque utilitas intendatur. Ita fieri ſolet in procuratoribus, adminiſtratoribus, & aliis, qui res aliorum ſtipendio conducti adminiſtrant. De fortuito caſu regulariter non tenetur *l. cit. ſi negotium.* niſi dominus monuiſſet, ne ageret negotium, niſi cum obligatione ad caſum fortuitum. Adde, inſuper obligatum iri. 1. ex morâ culpabili ratione cujus res æquo diutius apud geſtorem manſit, & propterea periit. 2. Si cauſam dedit, puta incendio, ut periret. 3. Si inſolenti modo aggreſſus eſt negotium, indeque damnum factum eſt. Sic enim de fortuitis quoque tenеretur. 4. Si inchoaverit, & non perfecerit. Econtra is, cuius negotia aguntur, de expenſis tenetur, niſi præceſſerit monitio, de abſtinendo, & niſi maiores factæ ſint, quàm rei geſtæ ſit utilitas. Denique ut in Mandato ex negotiis geſtis duplex actio naſcitur. Directa competit domino adverſus geſtorem ad exigendam rationem omnium quæ geſſit. Contraria geſtori competit, ut exigat, quod merentur expenſæ, induſtria, & operæ collatæ. Vtramque perſonalem eſſe liquet ex. *l. pæn. C. de negot. geſtor.* & tranſire in hæredes utrimque ex. *l.* 3. *§. hac autem ff. eod. Mol. Diſp.* 554. *Azor* 3. *l.* 9. *c.* 8 *Oſtermann. §.* 1. *tt.* 28. *L.* 3. *Inſtit. Oldendorp. Claſſe.* 4. *Actione* 24. *Schneidevv. §. de act. neg. geſt. Inſt. de action.*

IX. *Tutorem* vocamus, qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel emancipatione ſui iuris factum. vel factam tuetur. Tutelam ius, ſeu poteſtatem in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem ſponte ſe tueri nequit, à jure civili datam, aut permiſſam. *§. Eſt autem Inſt. de tutela.* & Interpretationem ibid. Qui verò curam alicuius minoris gerit, à prætore datus *Curator* appellatur.

Et quia

Digitized by Google

Et quia tutela pubertate adepta in maribus anno 14. feminis 12. completo finitur, exinde Curatori ſubduntur uſque ad annum viceſimum quintum. Tutorem nominat vel teſtator, vel Prætor, vel ipſum jus; quam ob rem tutela alia eſt teſtamentaria, alia legitima, alia dativa. *Inſtit. quib. mod. tutela finiatur. Azor. l. 5. Sum. tt. 52. Silv. V. tutor q. 1.* Clerici quamvis ab inteſtato ſuccedant, ad tutelam non coguntur: legitimam verò, & dativam admittere poſſunt. *c. fin. Diſt. 76. c. Cyprianus 21. q. 2.* Monachi quoque cum Superiorum licentia. *c. Monachi 2. 16. q. 1.* Miſerabilium perſonarum tutelam omnes ſuſcipere tenentur. *c. 1. Diſt. 88. & ad id* per Judicem Eccleſiaſticum compelli poſſunt. *Barb. in c. Cyprianus. 21. q. 2.* Epiſcopus per Archipresbyterum, vel Archidiaconum adminiſtrare debet. *Silv. V. tutela q. 3. Tuſchus Concluſ.* 418. & 419.

X. Officium, & obligatio tutoris eſt 1. ut pupillos à criminibus. 2. ut res illorum ab injuria conſervet. *c. 1. 12. q. 1. 3.* ut pecuniam, aliaque mobilia quæ conſervata fructum non ferunt, convertat in prædia, ex quibus emolumentum habeant. Aliàs pupillo tenetur præſtare damnum, quod ex carenſia fructuum emergit, niſi impotentia, vel difficultas excuſet. Præterea Inventarium conficere tenetur de rebus pupilli. *l. tutor, qui reportorium ff. de admiſſ tut.* Eadem Curatoris obligatio eſt; à qua tamen liberari poteſt à Judice, vel conſuetudine. *Silv. num.* 4. *Armilla n.* 3. De modo conficiendi *V. Mynſinger. Centur. 6. obſerv.* 39.

XI. Mulieres etiam *iure Cod. & Auth.* ad tutelam admittuntur ita, ut mater, & avia ſi velit (non enim cogitur) ſuſcipere poſſint tutelam filiorum, & nepotum, ſed renunciare debent primò quidem ſecundis nuptiis, deinde beneficio Velleiani, quo cavetur, ne jus adverſum mulieres dicatur, quæ fidejuſſionibus & mutuationibus pro aliis intercesserunt. Quòd ſi mater ad ſecundas nuptias tranſierit, vel incontinenter vixerit, tutelam continuò amittet. *l. fin. C. quando mulier officio tutelæ fungatur. Molina Diſp.* 220. *Onnatus Diſp. 36. Sect. 6. Silv. V. tutela ci. fin.* De actione, quæ pupillo & hæredibus illius adverſus tutorem, & quaſi tutorem competit. *V. Oldendorp. Claſſe 4. actione 31. & 32.*

XII. *Acceptilatio* propriè loquendo, non eſt quaſi contractus, ſed annumeratur propter imperfectionẽ ſuã, quia tollit potius, quàm inducit obligationem, ut meritò diſtractus appellari queat. Interrogante debitore creditorem ſuum acceptumne, ſeu ſolutum habeat debitum, aut remittere velit? ſi creditor reſpondeat, ſe acceptum habere, ſeu remittere, extinguitur debitum, & ceſſat obligatio illius. Unde liquet, utrimque conſenſum intervenire, ratione cujus in numero Contractuum reponitur: ſed quia præcedens obligatio deſtruitur, nomine diſtractus à quibuſdam intitulatur. Deinde verbis perfici poteſt per ſtipulationem, quæ Jure Civili introducta eſt pariens obligationem, cui diſſolvendæ eodem jure Acceptilatio ſeu imaginaria ſolutio inventa eſt. *§. Item per acceptilationem Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Porrò acceptilatio duobus modis fieri poteſt. Per ſimplicem formam ſtipulationis, & per Aquilianam, cujus auctor eſt *Gallus Aquilius. Mynſing. V. à Gallo inſtit. l. cit.* Hæc locum habet in

aliis obligationibus quæ ex contractibus Jurisgentium originem trahunt, & tolli nudis verbis non poſſunt, quando re, aut conſenſu perfecti ſunt. Igitur transferendæ ſunt per ſtipulationem Aquilianam, ut inde fiat acceptilatio. *Titius* ex. gr. mihi debet 100. aureos ex mutuo, & tantundem, aut amplius ex emptione. *Dico illi.* Titi, promittiſne mihi ex cauſa ſtipulationis omne illud, ad quod mihi ex quacunque alia cauſa obligatus es? ſi promittat, omnes prædictæ obligationes transfuſæ ſunt in ſtipulationem, adeò, ut jam non cenſeantur re, aut conſenſu contractæ, ſed verbis tantùm. Poſt hæc *Titius* debitor interrogat creditorem. Habeſne acceptum, quod hodie per æquilianam ſtipulationem tibi promiſi? ſi reſpondeat creditor, acceptum habeo, ſublata eſt obligatio, & *Titius* omni debitò liberatus.

XIII. Unde patet, inter effectus illius meritò numerari 1. ſolutionem, cui æquivalet *Bart. in l. ſi marito ff. ſolu. matr.* 2. vim pacti de non petendo *l. cùm emptor. ff. de reſcind. vend.* & ſapere donationem: niſi fiat à procuratore, qui non habet ſpeciale mandatum: *Bart. in l. an inutilis ff. de acceptilat.* 3. tollere actionem realem, perſonalem, & mixtam. *l. ut reſponſum C. de tranſact. & Bart. ibi.* 4. ſtatim perfectam eſſe, & trahere ſecum executionem. *Bart. in l. Metum ff. quod metus cauſâ.* Notandum verò, ſi acceptilatio fiat mulieri, quæ fidejuſſit pro debitore, non liberabit debitorem *Bald. in l. Senatus C. ad Velleianum. Romanus Conſil. 46. verb. aut enim Tuſchus Concluſ. 73. n. 13. 14.*

XIV. Quaſi Contractibus annumeratur *Communio rerum*, & quaſi Societas, *§. Item ſi inter Inſtit. de obligat. quæ quaſi ex contra naſc.* Exempl. gr. Petrus, & Paulus rem aliquam communem habent, puta, hæreditatem teſtamento relictam, vel rē ex legato, aut donatione acceptam, tunc ſi alter fructus colligat, alteri dimidiam partem dare tenetur, non quidem ex contractu, cùm nullus præceſſerit, ſed ex quaſi contractu, nimirum communione bonorum. Pari modo ſi unus illorum neceſſarias, vel utiles impenſas fecerit, ad dimidiam partem conſors obligatus eſt. *VVeſenbec. l. 3. Cod. tit. 38. Laym. l. 3. tract. 4. c. 28.*

XV. Hæres quoque, ut in *cod. tit.* dicitur, legatorum nomine, non propriè ex contractu obligatus eſt, (neque enim cum hærede, neque cum defuncto ullum negotium legatarius geſſiſſe propriè dici poteſt) & tamen quia ex maleficio non eſt obligatus, quaſi ex contractu, debere intelligitur. Sed unde, *inquis*, naſcitur hic quaſi Contractus? Reſp. adeundo hæreditatem hæres quaſi contrahere videtur *l. apud Iulianum. §. fin. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.* Similiter *petitio hæreditatis* eſt ex quaſi contractu, cùm is non contraxerit, qui poſſidet pro hærede, vel pro poſſeſſore; nec etiam deliquit: unde ſequitur, ex quaſi contractu eſſe. *Azor III. l. 11. de contract. dubiis c. 25.*

XVI. Denique ille, cui quis per errorem non debitum ſolvit, quaſi ex contractu debere videtur. Adeò enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus eſſe, ut ſi certiorem rationem ſequamur, magis ex diſtractu, quam contractu poſſit dici obligatus eſſe. Nam eo ipſo, quòd ſolvit, aliquid negotii contrahere videtur. *ff. de condict. l. ſi in areâ.* Obligatur autem qui indebitum accepit,

benig-

benignitate inſpectâ, quæ prævalere debet, quia æquum non eſt, quenquam locupletari cum alterius damno & jactura *l nam hoc natura ff. de condict. indeb.* Igitur qui ſic læſus eſt, *condictione indebiti* repetere poteſt, quod ignoranter expendit, *Mol. D. 567. Accurſius. Soac. Schneid. Kling. & al. in cita. tt. de obl. Az. III. l. xi. c. 25. Oſterman. §. 6 tt. 28. l. 3 Inſtit. Fill. tract. 39. c. 10 cir. fin.*

§§ IV.

De adimpletione, & abolitione Contractuum.

I. EXtat in *l. Decretal. tt. 23 de ſolution: & l. 3. Inſt. tut. tt. 30. quib. modu tollitur obligatio*, ubi promiſſionum, & contractuum fines explicantur, quibus ut, quæ deſiderantur, addamus, noſſe cum primis oportet, tribus potiſſimùm modis ſatisfieri creditoribus adimpleri contractum, & deſinere obligationem. 1. per remiſſionem, ſeu condonationem creditoris *l. prout quiſque ff. de ſolut.* 2. per exhibitionem, ſeu præſtationem ejus, quod debetur. *§. 1. Inſt quib. mod. toll obl.* 3. aliunde per fortunam, aut caſum, quo debitorum voluntas & potentia retardatur *l. ſi ex legati ff. de verb. oblig.* Deinde ſolutionem ſumi poſſe generaliter pro omni liberatione quocunque modo fiat. *l. ſolutionis verbum ff. h. t.* ſpecialiter verò pro naturali præſtatione ejus, quod debetur. *l. 49. & l pœn ff eod.* Debitor autem hic vocatur, non tantùm principalis, ſed etjam fidejuſſor, & hæres, ille, quia ſponde ſuſcepit obligationem, hic quia ſuccedit in locum defuncti *l. fin. § ſin verò ff de jure de liber.* Pari modo ſucceſſor in Eccleſiâ quiſquis non ſit hæres propter ſucceſſionem debitis relictis ſatisfacere debet, modò pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ contracta ſint. *c. 1. de ſolution Barb. & Valenſ. ibid. Filliut. tract. 39. c. 10. n. 172.*

II. Omnem obligationem tollit ſolutio, ſive per principalem debitorem, ſive per fidejuſſorem, aut hæredem fiat, imò quemcunque etiam inſcio vel invito debitore. Nam Jus civile vinculum tunc ſolvit: & beneficium invito conferri poteſt, non obſtante *Reg. Jur. ff. l. Invito beneficium non datur.* Illa enim Decio interprete, locum habet, quando agitur de ſolo intereſſe illius, cui beneficium confertur, non verò cùm agitur de intereſſe alterius privato, aut publico. Poteſt enim quis ſolvere pro alio invito, eumque liberare obligatione, quia agitur etiam de intereſſe creditoris. *Caſtrenſis in l ſolvendo ff. de nego. geſtis.* Similiter pro condemnato ad amputationem manus, vel pedis, niſi infra menſem 100. flor. ſolverit, ſolvere quis poteſt, & repetere, quantumcunque reclamet damnatus, ſi que juret redditurum non eſſe. *Bart. in l. Stichus de peculio ligato.* Intereſt enim Reip. cives conſervari incolumes. *l. cùm ratio §. penult. ff de bon. damnator.* Creditori tamen invito non eſt aliud pro alio obtrudendum, cùm rationes illi deeſſe non poſſint quare non niſi ſpecificam accipere ſolutionem velit. *Accurſ. in §. Toll. Inſt quib. mod. toll. obl V. Schn. § in bonæ Inſt. de compenſat Gail. 2. ob. 73. n. 8.*

III. Solutio alteri facta, quia creditori, tollit obligationem debitoris in his caſibus. 1. ſi creditor mandaverit debitori, ut alteri alicui tradat, & deinde mandatum revocet, tunc ſi ante notitiam revocationis res tradita fuerit, liberat ab obligatione debitorem, quamvis aliquo

caſu perierit. *l. ſi verò procuratori ff. eod. Schneidevvin. l. 3. inſtit. tit. 30. VVeſenbec. l. 46. ff. tt. 3.* 2. Cùm res in individuo determinata debetur, v.g. hæc veſtis holoſerica, & tradita nuncio ad deportandum creditori, ſive is à creditore deſignatus ſit, ſive non, modò in ea tradenda non intervenerit culpa tradentis, creditori perit, & debitor obligatione ſolvitur, niſi fortè de culpa levi, & caſu fortuito promiſiſſet. 3. Similiter creditori perit res, quæ in determinata illi, quem ipſe deſignavit tradita, antequam deferretur, periit. Cenſetur enim ipſi creditori commiſſa, & tradita *l. ſolutam ff. de ſolut.* Idem dicendum, ſi procuratori creditoris ad id mandatum habenti traderetur. Contrarium accidit, cùm non ſpecies rei, ſed quantitas debetur. *c. un. de Commodato. Abb. Oſtienſ. Silv. V. ſolutio q 5. Azor. 111. l. 4. c. 33 ci. fin. Leſſ. c. 16. Dub. 6.*

IV. Quando facienda ſolutio ſit, terminus præfixus docebit, abſque alia monitione *l. magnam C. de contrah. & commit. ſtipul.* Illo tranſacto & neglecto debito ad compenſanda damna tenetur, & pœnam, ſi quæ appoſita fuit. Excipe, niſi in Jure concedatur purgatio moræ, ut in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſi penſio non ſolvatur intra biennium, cùm aliàs ſingulis annis certo tempore præſtanda eſſet: quod quia ſpeciale eſt, non debet applicari temporalibus, ut *Silv. notat. V. Emphyteuſis num. 9.* Eccleſia enim mitiùs agit, & minus in pœnas prona eſt, quàm Magiſtratus ſæcularis. Quanquam nihil abſurdi video, ſi ex benignitate Juris, & æquitate quadam Canonica in omnibus moræ purgatio admitteretur. *V. Mol. D. 564.* Ubi ſolutioni certum tempus conſtitutum non eſt, exigendum erit à creditore debitum, ut in mora conſtituatur. *l. magnam citatâ.* Cùm verò non exigit, nulla quod conſtet, cauſa impeditus, ſecurum videtur reddere debitorem, ut ſaltem graviter non peccet, cunctando. Nam ſi ſciens volens indebitum ſolvendo cenſetur donare illud: *l. indebitum C. de condict. indeb.* etiam qui memor debitorum ea non exigit, negligere, & remittere cenſeri poteſt. *c. fin. de locato. Bald. l. 2. Conſilio 20. Bald. Angel. Abb. quos ſequitur Silv. V. Mora q. 1. Angelus eod. num. 1. Onnatius de contractib. Diſp. 9. Tuſchus concluſ. 352. & 353. Azor l. cit. c. 34. q. 2 Leſſius c. 15. Dub. 8. Caſtrenſ. Conſ. 178.* De ordine reddendi, aut ſolvendi debita *V. Navarr. c. 17. n. 47. & ſeq. Reginald. l. 15. c. 17.*

V. Ad ſolutionem refertur Acceptilatio, quemadmodum ad corpus umbra, de qua dixi *§. præc num. 12.* Huic proxima & affinis eſt *Novatio*, per quam obligatione priori extincta nova conſtituitur. *l. 1. §. Novatio ff. eod.* ut ſi quod debes ex contractu emptionis mutetur in ſtipulationem. Nec intereſt, qualis obligatio præceſſerit naturalis, an civilis conſenſu, re, verbis, aut literis contracta. Omnis enim obligatio verbis novari poteſt, etjam ea, quæ jure gentium introducta eſt: in quo differt ab acceptilatione, quæ civiles tantùm tollit. Ad hoc autem ut *Novatio* effectum ſuum conſequatur, neceſſe eſt, 1. ut ſequens obligatio teneat, aut civiliter aut naturaliter tantùm. Unde cum infante aut ſervo ſi fiat, irrita eſt. 2. ut novatio fiat per ſtipulationem. Nam ſi alio modo per pactum ſcilicet prius debitum, deduceretur in conſtitutum. 3. ut hoc expreſsè agatur ut novetur obliga-

Digitized by Google

obligatio: aliàs duæ erunt obligationes, & ex utraq; dabitur actio creditori. *Bart. & DD. in l. 2. ff. de novat.* Notandum præterea, quòd Novatio duplex eſt. Voluntaria nimirum & neceſſaria. De voluntaria jam dixi. Neceſſaria fit in judicio per litis conteſtationem. Et dicitur hæc impropriè novatio, utpote non prioris obligationis mutatio, ſed novæ qualitatis adjectio: ſicut illa quoque impropriè Novatio eſt, quæ fit per ſententiam, & dicitur novæ actionis cumulatio. Cæterùm effectus Novationis eſt prioris obligationis ceſſatio cùm hoc expreſsè agitur, ut fiat novatio: aut ſaltem ope exceptionis, quādo tacitè hoc agitur, *Gl. in cit. l. 2. de novat. Soac. l. 3. Inſt. §. præte. tt. 30. Lay l. 3. tr. 4. c. 32.*

VI. Sequitur *Compenſatio*, quæ debiti, & crediti inter ſe contributio eſt. *l. 1. ff. de compenſ.* eo fine inventa, quæ intereſt noſtra potius non ſolvere, quam ſolutum repetere *l 3. ff. eod.* Admittitur, quando utrimq; debetur quantitas, ut una poſſit vice alterius fungi propter omnimodam ſimilitudinem. Unde ſpeciei ad ſpeciem regulariter non eſt compenſatio, nec ſpeciei ad quantitatem: præterea requiritur, ut debitum ſit conpēſandum liquidum, aut ſaltem proximè liquidandum. Iniquū eſt enim ab altera parte, quæ jam penè convicta eſt, apponi certo, & indubitato debito compenſationem, & hiſce ambagibus ſpem propinquæ condemnationis excludi. *Mol. D. 560 Onn de contr. Diſp.* 8. Affinis cōpenſationi eſt *Reconventio*, cùm ex duobus ſibi invicem debitoribus alter alterum in judicio cōvenit de ſolutione: & hic intentata ſimili actione, quod ſibi debetur, exigit. Quod in compenſatione non fit, quādo id, quod actor debet reo, non eſt civile ſed naturale debitum. In hoc enim non actio, ſed expreſſio permittitur. *l. Etiam ff de compenſat. V. Filliut. tract. 39. c. 10. num. 168.*

VII. Præter hos modos Contractum adimplendi, & extinguendi numerantur alii ſeptem, quorum 1. eſt confuſio, ut ſi debitor fiat hæres creditoris, vel è contra. Tunc enim bona confunduntur, & idem homo creditor & debitor efficitur quod quia leges non permittunt, deſinit obligatio. *l. debitori C de pact. & l ſi debit cred. ff. de fideiuſſ.* 2. eſt oblatio, conſignatio, & depoſitio, de quib. *V. Schneidevvi 3. Inſt. tt. 30. Nav c. 17. n. 44.* 3. Chirographi redditio. Creditor enim illud reſtituendo debitori, videtur pactum facere de non petendo *l. 2. ff. de pact.* In redditione pignoris non præſumitur: cùm aliis de cauſis fieri poſſit redditio *l. 3 ff. eod.* Quod ſi debitor inſtrumentum habeat penes ſe cancellatum, & alleget ſe liberatum à creditore pacto de non petendo, probare debet inſtrumentum ſibi à creditore redditū eſſe ſi verò alleget, ſe liberatū ſolutione, præſumitur liberatus, niſi ſit perſona domeſtica, quæ facilè ſurripere inſtrumentum poſſet. *l. ſi Chirogr ff de prob. Bart. & DD. in di. l. 2. de pact Schneid. l. cit. n. 19* 4. eſt juramentum. Si creditore debitum exigente non tamen ſufficienter probante debitū eſſe, in judicio conventus neget juramēto ſe non debere. Liberabitur enim ab obligatione, niſi fraudulenter agat, ſciens contrarium. Tunc enim coram DEO manet obligatus. *Bart. in l. qui iuraſſe. ff. eo.* 5. eſt ſententia Judicis, quæ in re dubia valere poteſt ad tollendam in conſcientia debiti obligationem. 6. interitus rei ſine culpa debitoris *l. ſi ex legali ff. de verb. oblig.*

Digitized by Google

7. denique præſcriptio, quæ ſi perfecta, & completa fuerit maxima & minima debita tollit, privando creditores poteſtate ſua exigendi, quâ tot annorum ſpatio uti neglexerunt. *c. ad aures. de præſcriptionib. c. Vigilant. eod. l. ſicut in rem 3. C. de præſcrip. 30. & 40. ann.* ubi nec actiones reales, nec perſonales ultra 30. annorum ſpatium protendendas eſſe definitur. *Cov. in Reg. poſſeſſ. par. 3* §. 2. *Tiraq. de præſcr.* §. 1. *Glo. 2. n. 13. Gutier. l. 2. q. 1. n. 24. Mol. Diſp* 560. *Leſſ. c. 6. Dub. xi. n. 36. Socin. Reg. 1. Debitor ſpeciei Onnatus contr. Diſp. 21. Tuſch. in V debitor. Concl. 55. & 56. Hartm. l. 2. tt. 7.* addens, ſicut debitor compellere poteſt creditorē, aut reſtituat ſibi inſtrumentum debiti ſoluti per condictionem ſine causâ. *l. diſſoluta C. de condict. ex l.* vel ſi non extat, novum conficiat de completâ ſolutione; ita quandoq; compelli debitorem poſſe ad faciendum inſtrumentum, quo fateatur illud, quod ſolvit, debitum fuiſſe ex tali cauſa, ne poſtea dicat indebitum à ſe ſolutum eſſe. *l. plures C. de fid. inſtrum.*

TITULUS VIII.

De Contractibus gratuitis, & Lucrativis.

AD particularia deſcendentes ipſo agnatæ ſpei & cupiditatis impulſu in lucrativas Conventiones incidimus, quaſi jam reperta fortuna. Hos quinario numero plerique DD. comprehendunt, & enumerant hoc ordine. *Depoſitum, Donatio. Commodatum, Precarium: & Mutuum.* Vel enim res gratuitò datur in utilitatem, dantis tantùm, & eſt depoſitum, vel in gratiam accipientis, & tum vel traditur liberè quoad ſubſtantiam eſtq; donatio vel quoad uſum duntaxat, & eſt Commodatum, aut precarium. Si autem detur quoad ſubſtantiam & uſum ſimul cum obligatione reddendi in eadem ſpecie, erit Mutuum. Ad donationem quæ pertinent, ſupra per occaſionem *Tit. 1.* §. 3. expedivimus. Reliqua ordine declarabimus.

§. I.

De Depoſito.

I. DEpoſitum aliud eſt propriè, aliud impropriè dictum: hoc admixtū habet alium contractū, puta locati conducti, ſi pretium detur, aut mutui. Si non reddendum ſit idem numero; illud definitur *Contractus, quo res aliqua alteri cuſtodienda traditur, ut reſtituat integram. l. 1. ff. depoſiti.* Dicitur 1. *Contractus*, quod illi genus. 2. *res aliqua traditur* & ut plurimum mobilis. Loco differentię ſunt. Ideò enim deponitur, ut ſervetur, nec dominio illius nec uſufructu translato. Diſtinguitur itaque à Mutuo, ubi dominiū transfertur: à Commodato, in quo conceditur uſus: Pignore, quod datur in cautionem. Precario, in quo etiam uſus conceditur, ſed ad placitum. A Contractibus o-neroſis

Digitized by Google

nerofis emptione, locatione, & ſimilibus evidentur diſtinguitur, 3. additur *ad cuſtodiendum*, ut ſeparetur ab aliis, in quibus alius finis intenditur Cùm enim in utilitatem ſolius deponentis conſtituatur, non alia quàm conſervandi cauſa interveniat, neceſſe eſt. Intellige, *regulariter*. Aliàs nihil vetat, aliquando deponi aliquid etiam in gratiam accipientis, ut nimirum utatur pecunia, modo ejuſdem quantitatis, & numeri monetam ſuo tempore reddat deponenti. *Melon. tt. 19. n. 1.*

II. Depoſiti quaſi ſpecies quædam eſt ſequeſtrum, quod voluntarium, & involuntarium ex modo conſtituendi. Nam duobus modis perficitur. 1. utriuſq; partis conſenſu, cùm res litigioſa apud alium deponitur uſque ad deciſionem cauſæ: nec intereſt in judicio vel ante illud fiat. *l. in princip. ff. depoſiti l. ſi ſolutus ff. de ſolut. Melon. l. cit. n. 7.* Si cuſtodiæ cauſa tantùm, dominium, & poſſeſſio civilis immota manet: ſi verò, ut interea temporis poſſideat ſequeſter, poſſeſſio civilis & naturalis in illum tranſit *l. licet ff. depoſiti.* ut majori cum fide, & diligentia ſervetur. 2. fit per ſententiam Judicis cognita cauſa etiam invitis litigatoribus, quam ob cauſam aliqui contentioſam; alii neceſſariam vocant. Et quamvis inde graventur partes, remedium cenſetur tutiſſimum in re dubia, modò ſobriè, & prudenter à Judice conſtituatur *l. æquiſſimum ff. de uſufru. Gl. in c. ad hoc de ſequeſt. Fel. in c. nihil prodeſt de præſcr. Men. Reme. 1. recup. poſſ. n. 319. Gail, l. de Arreſtu. obſ. 12.* Is apud quem deponitur res ſequeſtrata, vulgò ſequeſter appellatur, eò quòd ejus fidem utraq; pars ſequatur *l. ſequeſt. ff. de verb. ſig. & ibi Alciat.*

III. Apud homines ſanæ mentis, & confirmatæ ætatis deponi res poſſe, extra controverſiam eſt. Si verò apud pupillū depoſita fuerit, abſque tutoris conſenſu, iſque pubertati proximus ſit, de dolo, & culpa lata tenebitur. *l. ſocius ff. pro ſocio Cagnol. in l. Contract. ff. de Reg. Iur. n. 8.* niſi materia ſubjecta aliud ſuadeat. Contra illum, qui infantiæ proximus eſt, actio datur, ut rem depoſitam reddat, vel ea perdita, id, in quo factus locupletior eſt. *l. 2. & 3. ff. Commodati Schneid. l. 3. Inſt. tt. 15. §. Præterea.* Ubi benè monet, depoſitum fieri debere per verbum *depono*, vel *commendo, ut ſerves, vel cuſtodias hanc rem.* Ex quo ſequitur 1o. ſi ſcholaris deponat librum in camera conſodalis ſui ipſo ſciente, & patiente non eſſe depoſitum, nec teneri ad cuſtodiendum. 2. neque bidellum teneri de libris in ſchola relictis, niſi ſpecificè ipſi traditi ſint, vel officium ipſius id exigat, aut ſtatutum. *Silv. n. 8.* 3. Idem dicendum de tabernario, & nauta, ſi inſciis illis quicquam in taberna, vel navi relictum ſit. Non tenentur enim, ſi res conſignata non fuerit: & ſi conſignentur in ſacco, vel burſa non credetur deponenti, ſi dicat aliqua periiſſe, ſed probare debet. *Specul. in Clem. non in ag. o. de ſta. Monach Farinac. par. 2. Fragm. l C. n. 25.* Imò nec juramentum admittetur, quia niſi ſemiplena probatione præmiſſa admitti non ſolet. *c. fin. quod metus cauſâ Silv. l cit. quem ſequitur Armilla n. 9. & Tabiena n. 6. Schnei. § Præterea Inſt. de depoſ.* de ciſta clauſa, ſigillata & diſſigillata *V. Men. de arbitr. Caſu 208. Tuſch. V. Depoſit. Concl. 214.*

IV. Pecunia data alicui in cuſtodiam cum facultate utendi illa, non propterea cenſetur mutuò data, proque illius uſu aliquid exigi poteſt, contra quam *Navar.*

Digitized by Google

7. denique præſcriptio, quæ ſi perfecta, & completa fuerit maxima & minima debita tollit, privando creditores poteſtate ſua exigendi, quâ tot annorum ſpatio uti neglexerunt. *c. ad aures. de præſcriptionib. c. Vigilant. eod. l. ſicut in rem 3. C. de præſcrip. 30. & 40. ann.* ubi nec actiones reales, nec perſonales ultra 30. annorum ſpatium protendendas eſſe definitur. *Cov. in Reg. poſſeſſ. par. 3* §. 2. *Tiraq. de præſcr.* §. 1. *Glo. 2. n. 13. Gutier. l. 2. q. 1. n. 24. Mol. Diſp 560. Leſſ. c. 6. Dub. xi. n. 36. Socin. Reg. 1. Debitor ſpeciei Onnatus contr. Diſp. 21. Tuſch. in V debitor. Concl. 55. & 56. Hartm. l. 2. tt. 7.* addens, ſicut debitor compellere poteſt creditorē, aut reſtituat ſibi inſtrumentum debiti ſoluti per condictionem ſine causâ. *l. diſſoluta C. de condict. ex l.* vel ſi non extat, novum conficiat de completâ ſolutione; ita quandoq; compelli debitorem poſſe ad faciendum inſtrumentum, quo fateatur illud, quod ſolvit, debitum fuiſſe ex tali causa, ne poſtea dicat indebitum à ſe ſolutum eſſe. *l. plures C. de fid. inſtrum.*

TITULUS VIII.

De Contractibus gratuitis, & Lucrativis.

AD particularia deſcendentes ipſo agnatæ ſpei & cupiditatis impulſu in lucrativas Conventiones incidimus, quaſi jam reperta fortuna. Hos quinario numero plerique DD. comprehendunt, & enumerant hoc ordine. *Depoſitum, Donatio, Commodatum, Precarium: & Mutuum.* Vel enim res gratuitò datur in utilitatem, dantis tantùm, & eſt depoſitum, vel in gratiam accipientis, & tum vel traditur liberè quoad ſubſtantiam eſtq; donatio vel quoad uſum duntaxat, & eſt Commodatum, aut precarium. Si autem detur quoad ſubſtantiam & uſum ſimul cum obligatione reddendi in eadem ſpecie, erit Mutuum. Ad donationem quæ pertinent, ſupra per occaſionem *Tit. 1.* §. 3. expedivimus. Reliqua ordine declarabimus.

§. I.

De Depoſito.

1. DEpoſitum aliud eſt propriè, aliud impropriè dictum: hoc admixtū habet alium contractū, puta locati conducti, ſi pretium detur, aut mutui. Si non reddendum ſit idem numero; illud definitur *Contractus, quo res aliqua alteri cuſtodienda traditur, ut reſtituat integram. l. 1. ff. depoſiti.* Dicitur 1. *Contractus*, quod illi genus. 2. *res aliqua traditur* & ut plurimum mobilis. Loco differentię ſunt, Ideò enim deponitur, ut ſervetur, nec dominio illius nec uſufructu translato. Diſtinguitur itaque à Mutuo, ubi dominiū transfertur: à Commodato, in quo conceditur uſus: Pignore, quod datur in cautionem. Precario, in quo etiam uſus conceditur, ſed ad placitum. A Contractibus oneroſis

Digitized by Google

nerosis emptione, locatione, & ſimilibus evidentur diſtinguitur, 3. additur *ad cuſtodiendum*, ut ſeparetur ab aliis, in quibus alius finis intenditur. Cùm enim in utilitatem solius deponentis conſtituatur, non alia quàm conſervandi cauſa interveniat, neceſſe eſt. Intellige, *regulariter*. Aliàs nihil vetat, aliquando deponi aliquid etiam in gratiam accipientis, ut nimirum utatur pecunia, modo ejuſdem quantitatis, & numeri monetam ſuo tempore reddat deponenti. *Melon. tt. 19. n. 1.*

II. Depoſiti quaſi ſpecies quædam eſt ſequeſtrum, quod voluntarium, & involuntarium ex modo conſtituendi. Nam duobus modis perficitur. 1. utriuſq; partis conſenſu, cùm res litigioſa apud alium deponitur uſque ad deciſionem cauſæ: nec intereſt in judicio vel ante illud fiat. *in princip. ff. depoſiti l. ſi ſolutus ff. de ſolut. Melon. l. cit. n. 7.* Si cuſtodiæ cauſa tantùm, dominium, & poſſeſſio civilis immota manet: ſi verò, ut interea temporis poſſideat ſequeſter, poſſeſſio civilis & naturalis in illum tranſit *l. licet ff. depoſiti.* ut majori cum fide, & diligentia ſervetur. *2.* fit per ſententiam Judicis cognita cauſa etiam invitis litigatoribus, quam ob cauſam aliqui contentioſam; alii neceſſariam vocant. Et quamvis inde graventur partes, remedium cenſetur tutiſſimum in re dubia, modò ſobriè, & prudenter à Judice conſtituatur *l. æquiſſimum ff. de uſufru. Gl. in c. ad hoc de ſequeſt. Fel. in c. nihil prodeſt de preſcr. Men. Reme. 1. recup poſſ. n. 319. Gail, l. de Arreſtu. obſ. 12.* Is apud quem deponitur res ſequeſtrata, vulgò ſequeſter appellatur, eò quòd ejus fidem utraq; pars ſequatur *l. ſequeſt. ff. de verb. ſig. & ibi Alciat.*

III. Apud homines ſanæ mentis, & confirmatæ ætatis deponi res poſſe, extra controverſiam eſt. Si verò apud pupillū depoſita fuerit, abſque tutoris conſenſu, iſque pubertati proximus ſit, de dolo, & culpa lata tenebitur. *l. ſocius ff pro ſocio Cagnol. in l. Contract ff. de Reg. iur. n. 8.* niſi materia ſubjecta aliud ſuadeat. Contra illum, qui infantiæ proximus eſt, actio datur, ut rem depoſitam reddat, vel ea perdita, id, in quo factus locupletior eſt. *l. 2. & 3. ff. Commodati Schneid. l. 3. Inſt. tt. 15. §. Præterea.* Ubi benè monet, depoſitum fieri debere per verbum *depono*, vel *commendo, ut ſerves, vel cuſtodias hanc rem.* Ex quo ſequitur 1o. ſi ſcholaris deponat librum in camera conſodalis ſui ipſo ſciente, & patiente non eſſe depoſitum, nec teneri ad cuſtodiendum. *2.* neque bidellum teneri de libris in ſchola relictis, niſi ſpecificè ipſi traditi ſint, vel officium ipſius id exigat, aut ſtatutum. *Silv. n. 8.* 3. Idem dicendum de tabernario, & nauta, ſi inſciis illis quicquam in taberna, vel navi relictum ſit. Non tenentur enim, ſi res conſignata non fuerit: & ſi conſignentur in ſacco, vel burſa non credetur deponenti, ſi dicat aliqua periiſſe, ſed probare debet. *Specul. in Clem. non in agro. de ſta. Monach Farinac. par. 2. Fragm. l C. n. 25.* Imò nec juramentum admittetur, quia niſi ſemiplena probatione præmiſſa admitti non ſolet. *c. fin. quod metus causâ Silv. l cit. quem ſequitur Armilla n. 9. & Tabiena n. 6. Schnei. § Præterea Inſt. de depoſ.* de ciſta clauſa, ſigillata & diſſigillata *V. Men. de arbitr. Caſu 208 Tuſch. V. Depoſit. Concl. 214.*

IV. Pecunia data alicui in cuſtodiam cum facultate utendi illa, non propterea cenſetur mutuò data, proque illius uſu aliquid exigi poteſt, contra quam *Navar.*

Digitized by Google

contendit in Sum.c.17.n.181.& l.3. Conſil.1. 2.3.& 4. Neq; enim pecunia ſemper pretii rationem habet, ſed ut *S.Tho.docet 22. q.78.artic.1.ad 6.* poteſt eſſe aliquis uſus pecuniæ ſecundarius, ut puta ſi quis concedat pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem uſum pecuniæ licitè poteſt homo vendere. *Ita S Tho.* unde ſequitur etiam locare poſſe, & aliquid propterea exigere: atque ita non ſemper in contractum mutui migrat depoſitum cum ea conditione datum, quamvis minus purum, & ſimplex ſit. Quod verò leges attinet à *Nav. citat. ex ff. de reb. creditis* explicari & intelligi debent de uſu pecuniam conſumente, ac perdente, & quando ea, tanquam pretio utimur. *Bart. in c. Bona fides de depoſ. Soto l.6.q.9.ar.un. Comit. l.3.q. 37. l. Lucius & l. Publica § 1. cir. fin. ff. depoſiti.*

V. In duobus caſibus licet depoſitario rebus apud ſe depoſitis uti. 1. cùm uſu cõſumptibiles ſunt, ut pecunia, frumentũ. vinum, & ſimilia neq; dubitat eo tempore, quo reddendæ ſunt, tantundem ejuſdem menſuræ, & bonitatis ſeſe habiturũ, quo ſatisfiat deponenti. Tunc uti, imò alienare poteſt abſq; peccato ſaltem gravi: imò, ſi quid ſua induſtria lucratus fuerit, non reſtituere. Nihil enim damni per hoc infertur domino, qui rem ſuam uti dederat, quoad ſubſtantiam & valorem recipit. *l. ſi ſacculum ff depoſiti l. in Nave ff. Locati Mol. D.524 Azor. III. l. 7. c 7. Silv. n. 10. Coton. in Sum Dian. V. depoſitum n.3.2.* ſi adſit conſenſus explicitus vel implicitus ſeu interpretativus deponentis ut ſi bona fide exiſtimet illi nõ diſpliciturum, quod præſumere licet ex ingenio, & moribus domini. Quocirca *to Faber. l.1. C. de pigno. act.* cenſet locum non habere hic pœnas in jure conſtitutas commodatario & depoſitario propter uſum rei commodatæ, & depoſitæ, cui ſubſcribit *Cov. l.3. Var. c. 15. cir fin. Az. III. l.7.c.7.q.8. Leſſ. c. 27. n. 6. & 7. Laym. l.3. tr.4.c 25. Lugo D.33.S.1.* Extra hos caſus ſi uſus fuerit vel alienarit, furti reus habetur. *l.3. C eod. Inſt. de oblig. quæ ex del. naſc. § furt. V. Barb cum DD. alleg. in c.1. de depoſ. Mel. l. ci n 2. Ful. Pac. conſ* 150.

VI. Non quia res deponitur omnia quæ conſequuntur aut comitantur, depoſita cenſentur: ut ſi ſervum apud me deponas, aut armatum equum, veſtes, & ornamenta non ſunt depoſita. *l. 1. §. quæ depoſitis ff. depoſiti.* Quæ depoſitis rebus accedunt, non ſunt depoſita, utpote, ſi homo veſtibus deponatur: Veſtis enim non eſt depoſita: nec ſi equus cum capiſtro Nam ſolus equus depoſitus eſt. *Conan l.7.c.4.n.14.* Pro iis tamen, quæ ita accedunt, competet actio, non depoſiti quidem, ſed rei vendicationis. Contrariũ *Accurſius* tenet, deceptus *l ſi ut certò ff. Commodati.* Ubi dicitur. Si tibi commodari equam, quam pullus comitatur, etiã pullus intelligitur commodatus. Nam diverſa ratio eſt depoſiti, & commodati. In hoc utilitas accipientis, in illo dantis attenditur. Unde conveniens eſt verba deponentis, videl ad rem ipſam Ut nõ gravetur depoſitarius ultra, quã ſe extẽdunt.

VII. Depoſitarius ordinaria lege non tenetur niſi de dolo. *§. præte. Inſt. quib. mo. re contrahitur oblig l. ſi quis ſerv 9. ff. eod. ubi Gl. & DD.* ſubaudiunt latam culpam, quã Nerva dolum vocat, puta, præſumptione quadam. *l. quod Nerva 32. ff. eod. ſi ergò depoſitar. in re* depoſita non adhibeat eam diligentiã, quã adhibet in rebus ſuis, dolosè agere

agere cenſetur. Qui modus præſumendi in contractibus,& quaſi contractibus admittitur: in delictis verò minimè. Nam qui dolo occidit hominem pœna corporali plectitur. *l.3.C.de epiſc aud.* ſed quando homicidium committit latâ culpâ, nō corporaliter,ſed extraordinariè puniatur. *l.in Actionib. ff.de in litem iuram. ubi Glo. Tholos l.23.c.3 n.17.* Ex levi culpa tenetur. 1.quando de eâ conventum eſt. *c Bo.fides. hoc tt. & l.1.§ ſæpè ff.h. t.* Nam contractus ex conventione legem accipiunt. *c. Contractus.de Reg Iur in 6. & l.1. §. ſi conveniat b.t.* 2.quando ſeipſum obtulit pro depoſito ſuſcipiendo *c Bo.fi.citato.* Nam ſe ipſum qui offert, maiorem affectum, & ſollicitudinem profitetur non contentus vulgari. *Onnatus Diſp. 55. Sect.3 num 34.* 3. quando pro cuſtodia mercedem accipit. Tunc enim in utriuſque utilitatem cedit Contractus. *l 1.§. Veſtimenta. § ſi quis ſervum ff.h t.* Ex leviſſima culpa totidem caſibus obligatur. 1. Si culpam in reſtituēdo mora præceſſit. *Glo in l.1 ff h t.* 2. cùm dolum in cuſtodiendo commiſit, & deinde ſecuta eſt culpa leviſſima. 3. cùm ita conventum eſt *Glo in c Bona fides & l.1. ff h t. Mynſing in §. Sedis.Inſt de oblig.quæ ex del.* Denique ſi non reſtituendo tempeſtivè in morâ culpabili fuerit, & res pereat aliàs non peritura, ſi tempori reſtituta fuiſſet,iudicium feret iuxta *c.2.de depoſito.ubi Barb. & DD. allegati.*

VIII. Apud clericum rectè deponi *c.1. de depoſito* indicat. Apud Regulares parùm regulariter,ſi Prælati conſenſus abeſt. *Sanch.l.6.Mor.c.14 n 28.* Vnde conſequitur,ut neque Eccleſia, neque cœnobium, ſi quid alienatum fuerit,vel perierit, reſtituere teneatur. Quia delictum perſonæ non debet redundare in detrimentum Eccleſiæ. *Reg.76.Iu. in 6.* & qui alium depoſitarium non quæſivit, ſibi imputet. At ſi Eccleſia aut Monaſterium ſuſceperit depoſitum aliquod,puta,cum Capituli conſenſu, Prælatus obligabitur, ſicut alii depoſitarii, niſi quòd reſtitutionem in integrum exigere licet, non quidem ſi rem fraude, aut dolo perdidit, ſed ſi per culpā latam, quando hæc Iuris præſumptione dolo æquiparata, & ſecundùm eam ſententia lata, vel executio facta fuerit. *c.1.de depoſito. Innoc.Panorm.ap.Silv. nu.3. Mol. Diſp.525 Leſſ c.27.D.3.Sanch.l.cit. Laym. l.3.tr.4.c.25.*

IX. Repetenti, quod depoſuit, etiam furi, & prædoni illicò reſtituendum eſt. *l. 1.§.ſi prædo ff.h.t.* niſi cùm dominus ſimul rem ſuam exigit. *Glo. in c. 2. de depoſ.* vel abſque domini detrimento reddi non poteſt iniuſto poſſeſſori. *l.Bona fides ff.depoſiti.* Retineri verò, aut ſaltem differri poteſt depoſitum. 1.ſi compertum fuerit, rem depoſitā ipſius depoſitarii eſſe. Quis enim tunc rapiet de manu ipſius? 2 Si eius bona, qui depoſuit, confiſcata ſint. *l cit. Bo.fides.* Per confiſcationem namque amittitur dominium, & transfertur in Fiſcum. Hic enim regius ſaccus eſt, in quem damnatorum bona reconduntur. *Glo.in l.fin ff ad le.Iuliam maieſtat. Lugo D.32.S. 1 n.7.* 3. quando timetur damnū aliquod Spirituale,aut corporale. Furioſo gladium machinanti proximò malum nemo prudens inſtrumenta reddit. Dubitatur autē, an ſufficiat timor mali, non quod proximo,ſed ſibi ipſi meditatur repetens, u. g. ut in luxum,vel luxuriam impendat pecuniam abſque ullius iniuria? Cenſeo in tali caſu depoſitarium obſequentem volun

Digitized by Google

tari repetentis depoſitum non peccare contra iuſtitiam, ac proinde ad reſtituenda damna ex prodigalitate cauſanda minimè obligatum iri, ex charitate tamen, ſi abſque ſuo damno poſſit, conſulendum, eſſe homini malè diſpoſito, ac retinendum, quod petitur in meliorem occaſionem. *S.Tho.22.p 62 a 5 ad 1. Soto. l.4 Q.7. ar.1. ad 1. Az 3 l.7.c.8 Q.4. Silv.V. Depoſitum n.11. Onnatus* Diſp 55. *Sect.5. Gomez To.2.c.7.*

X. Compenſationem proprii debiti retentione depoſiti faciẽdam leges negant. *l Si quis vel pecunias* C *depoſiti l ult. C. de compenſationib § In bo fides Inſtit de actionib. c. Bona fides. de depoſito.* quibus locis indicatur pro compenſatione reſervare depoſitum nõ licere, vel deductionem facere, hoc eſt, partem illius aliquam decerpere. Cõvenit enim cum ptimis fidem ſervari in iis, quæ inter ſe amici fiducia ſinceritatis paciſcuntur. Vnde qui depoſitum recipit, eo ipſo obligat ſe ad reddendum quandocunque repetierit dominus. Non enim aliter, quàm ſecundùm leges agere intendit. Leges autem prohibent propter debita retinere depoſitum. *Azor 3. l.7. c.8. Q.3.* Nihilominus tamen contra conſcientiam & Iuris naturalis æquitatem non videtur peccaturus, qui ſublata ſpe, quod ſuum eſt, recuperandi, tamdiu depoſitum (vel commodatum) negat, donec ipſi ſatisfactum fuerit. Ita enim quilibet affectus præſumitur, ut contractum inire velit ſecundùm leges præſcriptas, il læſo tamen iure ſuo, quod Natura omniũ parens cuilibet trib it. *Glo in l. ſi quis V. Exceptem ff h t Barb in Pratermiſſ. h.t. Nav c.17 n 115 Silv V. Compenſatio n.3 Bonac Tom.2. pag.367 n.5. Coton in Sum. Dian V. depoſitum n.4. Leſſ c.27. Dub.4. c. fin Fill. tr.34. c.1. nu.18, Emma. Sa. & multi recentiores.*

XI. Imminente periculo, ut mea, vel deponentis peritura res ſit, quid faciam? Tuam ſervabis, ſi pretioſior eſt, ſin minus, alterius, qui damnum tibi compenſet, cum minimè conveniat, te damnum alterius cauſa pati *l Iure ff. de iure dotium.* Si verò contingat, non minoris, ſed æqualis precij tuam rem eſſe, tuam præ aliena cõſervare potes, ut in pari diſcrimine vitæ magis propriæ, quàm alterius conſuleres, iuxta ordinem charitatis, in quo perſonarum prima vocatur EGO. *Abb. hic. Maſcard de probat concl 509* Cardin. *Mantic. de tacit & ambig tt.9. Cardos V. Commodatum nu 18. Carot. de depoſito Pa.2.* Q.2. *Leſſ c.27 D 6 Barboſa in Pratermiſſ. l.2 tt. 16. c Bona fides. Angel. V Commodatum. n 10. Silv. V. depoſitum n.5 Armilla n.11. Emm. Sa nu. 2. Layman l 3 Tr 3. par.1. c.1. & Tract 4 c.7 Garzia c.5 num.24. Eſcobar. Tract.3. Exam.2 c 7.*

XII. Ex depoſito duæ actiones ſunt, utraque perſonalis, Directa, & Contraria. Directa deponenti convenit, eiuſque hæredibus, adverſus depoſitarium, & illius hæredes, ad reſtituendam integrè rem depoſitam, aut ſi periit, valorem ipſius. *l.1.§. Qui depoſiti ff h.t. Oldendorp. Claſſe 4. Act 2* Quod ſi cauſa incendii, naufragii, tumultus, aut ſimilis periculi rem depoſitam accepiſti quidem, ſed poſtmodùm negas, in duplum contra te actio permittitur. *l Quod tumultus ff eod.* Ratio huius pœnæ eſt, quia eiuſmodi depoſitum ex neceſſitate quadam committitur, ſervandum, nec ita liberè, ut extra periculum cuſtos eligi poteſt. Maior itaque fides exigitur,

Digitized by Google

gitur, & quia maior culpa eſt, pœna geminatur. Actio depoſiti contraria depoſitario datur, & illius hæredibus adverſus deponentem, & hæredes de recuperandis expenſis in re depoſita factis. Interdum quoque ad intereſſe, ut ſi ſervum furem ſciens quis deponat, isque damnum inferat depoſitario, de quo *V. Azo in Sum. Melon. n.25. Tholos l.24. c.4 ſub init* Menoch *de arbitr. Caſu* 208. *num.* 28. *Schneidevv l.4. Inſt. tit.6. h.t.* Denique ſciendum, quòd actio depoſiti directa infamat condemnatum. *l.1 ff. de his, qui notantur infam. & l Qui depoſitum* 10 *C. eod.* Agitur enim de fide rupta. Condemnatus autem actione contraria depoſiti non efficitur infamis, quia non condemnatur de fide rupta *di. le. depoſitum. & ibi* DD.

§. II.

De Commodato.

I. Commodatum, quaſi commodo gratis datum eſt: *Contractus, quo res aliqua gratuitò datur alteri ad certum uſũ* vel *greſsio gratuita alicui rei quoad ſolum uſum eumque certum, & determinatum. Glo. in c.1. de Commodato. Hoſtiens. Angel. Silv. Armilla.* Dicitur 1. *Gratuita greſsio* ut diſtinguatur à locatione, in qua merces requiritur. 2. *Alic. rei* puta, mobilis, vel immobilis, maximè non conſumptibilis uſu. Conſumptibilia verò vix commodantur, niſi forté ad oſtentationem, uſum videlicet quemcunque qui nõ ſit conſumptio *l 3. § ul. & l ſeq ff Commo ti* 3 *Ad ſolùm uſum.* ut differat à donatione, & mutuo, in quibus traditur etiam dominium rei, depoſito item & pignore, in quibus nec dominium, nec uſus transfertur. 4. *eumque certum.* ad differentiam precarii, ubi uſus incertus & indeterminatus, eſt, *Silv. V. Commodatum num.* 1. *Mol diſp.* 294. Igitur ad ſubſtantiam cõmodati hæc pertinent 1. ut qui commodat rem alteri, etiam tradat. *l. obligamur. ff. de act. & oblig.* 2. ut ſit conſenſus contrahentium. *l.1. § adeò ff. de pactis.* 3. ut dominium rei commodatæ non transferatur in accipientem. *l rei commodatæ. ff. h. t.* 4. Vt eadem ſpecie res domino ſuo reddatur, vel ut Philoſophi loquuntur, eadem numero res 5. ut commodetur ſine pretio & mercede. Ibid. *V. Commodata.* 6. ut detur ad uſum aliquem ſpecialem & ad determinatum tempus expreſſe vel tacitè. *Glo. in c.1. & l. In commodato ff. hoc. t. Laym. l.3. Tr.4 c.14. Romanus Conſil.* 500. *Tuſchus Concl* 480. *Fillius. Tract.* 34. *c.8 num.* 176.

II. Dividitur Commodatum 1. ex parte rei, ſeu materiæ. Vel enim mobilis eſt, ab alio, ut inſtrumenta, & ſuppellectilia, vel movens ſeipſam, ut ſervus aut pecus, vel immobilis, ut campus, fundus: incorporales quoque, ut iura, & ſervitutes, ius utendi, uſusfructus, ius habitandi in domo, villa, caſtro, & ſim. Nec ſacras excludo, dummodo ad uſum ſacrum dentur. Aliena non licet commodare. 2. ex parte finis ſeu Vſus ad quem res commodatur. Alius enim eſt uſusfructus qui locum habet in rebus frugiferis: alius uſus, qui in rebus utilibus non frugiferis, ut equo, veſte, & ſimilis conſiſtit. Hic verò aut certus & determinatus eſt, ut ſi equum commodes pro itinere Romam uſque: vel incertus, ut ſi relinquas voluntati, ac beneplacito Commodatarii. *Az.* 3. *l.7. c.4.* 3. dividitur ra-

ratione temporis. Datur enim vel ad certum tempus expreſſum puta, menſem, aut annum: vel indeterminatè, donec expediatur negotium, ut ſi librum commodes ad deſcribendum. 4. ratione perſonæ, Vel enim fit gratia accipientis tantùm, ut communiter accidit, vel gratia dantis, ut ſi ſponſæ commodetur aliquid pro ornatu, ut ad ſe maiore cum pompâ deducatur: vel denique utriuſque gratia, ut ſi quis det vaſa aurea & argentea Titio volenti communem amicum convivio excipere. *l. In reb. §. hac ita. l. ſi ut certo. §. Interdum. ff h. t. Garc. c. 5. n. 3. & ſeq. Azor lo. cit. Filliut. Tract. 34. c. 8. num. 179. Silv. num. 2. Emm. Sa num. 4. Eſcobar Tract. 3. Exam. 2. c. 4.*

III. Commodantis officium eſt. *Primò*, monere eum, cui commodat de vitio, aut defectu rei commodatæ, ut ſi equus calcitrans, aut bos cornupeta eſt. Cum enim beneficium præſtare ſe profiteatur, conveniens eſt, de damno contingente, quoad fieri poteſt ſecurum reddere. *Connanus l. 7. c. 3. n. 6.* *Secundò* ſoluere expenſas extraordinarias, quias in reparationem rei commodatæ commodatarius fecit, ut ſi pars ædificii collapſa fuerit, vel ager alluvione divulſus. Sed damnum ſua culpâ enatum, ut minores expenſas quoque commodatarius præſtabit. Alendus enim equus eſt, & mundanda domus &c. *Tertiò* non licet commodatum ante tempus cōſtitutum repetere: alias in damnum, & intereſſe damnabitur. Quamvis contractus ſit gratuitus, obligat tamen ex iuſtitia ad ſervandam promiſſionem quemadmodū in ſimili de donatione diximus. *tt. 1. §. 5. l. In commodato. §. ſicut ff. b. t. & c. un. eod. Gaoz. c. 5. nu. 7. Armilla V. Commodatum nu. 5.* Contingere nihilominus caſus poteſt, in quo Commodans licitè revocet, quod commodavit, puta, ſi grave damnum immineret. Præſumitur enim eiuſmodi caſus excepiſſe, quibus præviſis nihil commodaſſet, cùm in locationibus idem concedere oportet. *Angel. n. 4. Silv. eod. Mol. diſp. 294. Emm. Sa. V. Commodatum Filliut l. cit. n. 180. contra Navarr. c. 17. n. 182. Layman l. 3. Tr. 4. c. 14. n. 2.*

IV. Ad ea, quæ Commodatarius præſtare tenetur, pertinet. 1. non excedere uſum, & tempus præſcriptum. 2. ut poſt præſcripti temporis lapſum reſtituat, eandem, ut acceperat ſpecie, ſeu numero. 3. non deteriorem fraude aliqua, vel dolo factâ, quod fiet, ſi non minore cura quàm res proprias conſervarit. 4. damna compenſabit, ſi quæ per culpam aut dolum illata ſunt. *l. In reb. 18. ff. Commodati.* An verò retinere liceat rem ſibi commodatam loco debiti, ambiguum eſt. Iure Codicis vetitum eſſe *legis ultima de Commodato* textus indicat. *Prætextu debiti reſtitutio commodati non probabiliter recuſatur.* Et communiter ita ſentire DD. aſſerit *Petrus de Onnate diſp. 43. de Contractibus Sect. 6. num. 105. Molina Diſp. 297. Leſſ. c. 27. Dub. 3. Reginald l. 23. Tr. 6. num. 471. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 14. n. 2. Az. 3. l. 7. c. 7. p. 7.* vbi Armillam erroris arguit, & compenſationem debiti in Commodato locum habere docet, quod ſecundum Ius naturale verum credo.

V. Quando in ſolius commodatarii, ut communiter amat fieri, res commodato data eſt, & patitur læſionem aliquam, commodatarius de culpâ latâ, levi & leviſſima tenetur, quia eandem illi quā reb. propriis curam, & cuſtodiam debet. *l. cit. In reb.*

in reb. ff b. t. VVeſenbec l 13. ff tt. 6. num. 8. De lata & levi, ſi tenebitur, in utruſque utilitatem fuerit conſtitutum. Caſus fortuitos non præſtabit, niſi vel ad uſum non conceſſum adhibuit, vel in culpabili mora fuit. Qui ſint caſus fortuiti. *Barb. in tt. de Commod. c. an. n.* 7. Si alicui *ait Caius in l. cit.* argẽtum commodavero, quod is amicos ad cænam invitaturum ſe diceret, & id peregrè ſecum portaverit, ſine ulla dubitatione, etiam piratarum & latronum, & naufragii caſum conſtare debet. Quid autem faciendum ſit, cùm & tua & commodatoris res in pari diſcrimine verſatur, nec ſimul utraque ſervari poteſt, ex §. *præc. nu.* 11 liquet. *Vallenſis l. 3. tt. 15 n. 3. Barb. in Prætermiſſis h. t. & in c. 3. de Precario.*

VI. Quod in *Reg. Iuris 25. de R. I. in 6* dicitur mora ſua cuilibet eſt nociva, commodatarium inprimis ſtringit. Nam ſi ultra tempus conceſſum, vel extra uſum determinatum, non reſtituit, quamvis leviſſima culpa fuerit, ad omnia damna inde ſecuta tenetur, etiam lucri ceſſantis, ſupponendo rem acceptam eſſe in ſolius accipientis commodum. Quod ſi pertinaciter uſque ad ſententiam condemnatoriam retinere auſit, non ſolùm ad reſtitutionem rei, ſed etiam valorem ipſius obligatus eſt. Mora non culpabilis à compenſatione lucri ceſſantis, & damni emergentis excuſat. Nam quicunque res ſuas petenti commodatò tradit, eo ipſo cenſetur exponere ſe periculo caſuum non præviſorum, adeoque nemini innoxio imputare poteſt. *Decius in Reg. Vnicuique ff de Reg. Iur. Azor.* III. *l. 7. de Commod. c. 9.*

VII. Ex commodato duæ actiones oriuntur, Directa & Contraria. Directam habet Commodator adverſus commodatarium, & hæredes ipſius. *1. ad reſtitutionem rei commodatæ* finito ipſius uſu. 2. ad æſtimationem rei, cùm res periit, commodatarii dolo, aut culpa, 3. ad intereſſe propter deteriorationem. *l ſed mihi. 3. § ſi reddita ff. h t.* ubi *Paulus Caſtrens.* id verum eſſe tradit, quando deteriorem rem eſſe factam Commodator ignoravit aliàs videtur remiſiſſe. *l. Qui ſibi §. 1 ff. de ſolution.* Contraria actio competit Commodatario ad repetendum magnas impenſas in re commodata factas: Item ſi ſciens Commodator vaſa vitioſa commodavit, quo factũ, ut infuſa corrumperentur. *di. l. In reb. § poſſunt ff h t. Azo in ſumma l. 4. tt. 25. Onnatus Diſp. 43. S. 3. Az.* III. *l. de Commodato 7. c. ult. Schneidevvin. l. 3. Inſtit. tt 15. §. Item is cui. VVeſenbec. & Vallens. ibid. Reginald l. 25 Tr. 6. c. 35. nu. 472. Laym l 3. Tr. 4 n. 14. n 3. Oldendorp. claſſe quarta, Actione 15. VVeſenbec. l. 13. ff. tt. 6.*

§. III.

De Precario.

I. Precarium eſt *Contractus, quo res aliqua petenti ad uſum conceditur, tamdiu, quamdiu non revocaverit is, qui conceſſit. l. 1. ff. de Precario. & c. ultimo eod. Cuiacius in l. 4. §. ul de uſuc.* Vnde ſtatim apparet liberalitatis quandam ſpeciem eſſe iure gentium receptam. A commodato differt, quòd hoc ad certũ uſum & certum tempus expreſſum, vel tacitum conceditur: precarium verò non ita, ſed pro libitu dantis revocatur. Quòd ſi con-

tingat interdum nominari certum tempus, tamen intra illud, qui dedit, revocare poteſt. *Bart in l. In commodato ff.* Commodati. *Gomez To.* 11. *c* 7. addens aliam differentiã, quòd in Cõmodato nulla poſſeſsio tranſeat in recipientem *l. Res commodata. ff. de Commod.* in precario autem tranſeat poſſeſſio naturalis, & apud dantẽ maneat civilis, niſi aliter pactũ ſit. *l. Et habet. § fin. de precario & ibi DD. cum Glo ordinaria.* Ob quã cauſam precariè utentibus datur interdictum poſſeſſorium. *l. Qui precariò ff de precar* quod non ſimpliciter rem detinentibus, ſed poſſidentibus datur. *l. 3. §. Creditores. ff. Uti poſsidetis.* Cur autem in Commodato idem nõ fiat, difficile eſt arbitrari. Fortè legislatori placuit, propter difficultatem recipiendi Precarium, hoc ei privilegium dare, quandoquidem uſus illius non perinde, ut in Commodato certus, ac definitus eſt. Vel, ut *Tholoſanus indicat l. 13. c. 2.* hoc ipſo quia petit rem ſibi dari poſſidendam, poſſeſſionem accipit. Habere, *ait*, poſſeſſionem videtur ex hac ſolummodò cauſa, quia preces adhibuit, & impetravit, ut ſibi poſsidere, vel uti liceat *l. 2. § fin ff. de* Precario. *Tiraqu de conſtituto. par. 1. n. 4. Seb. Navi. in l. Et habet ff. hoc tit.* Menoch. *de arbitr. Caſu* 24. *Barb in c. 3. de Precariis.*

II. Quamvis, ut diximus arbitrio dantis relictum ſit, quocunque voluerit tempore, quod dedit, repetere, non faciet tamen illicò ante omnem uſum, & commoditatem perceptam accipientis, ne fraudulentæ machinationis ſuſpicionem incurrat, quaſi ideò dederit, ut mox refu mendo ſpe ſua, & commodo defraudatũ illudat. Alia etiam ſubinde, & melior cauſa ſubeſſe poteſt, ſed nos in uitium credula turba ſumus. Conſultum idcircò eſt, ut ſi quando neceſſitas id ſuadeat, cauſa indicata repetatur Precarium ab eo, cui liberaliter conceſſum eſt. *Menoch. de arbitrar. Caſu* 23. *num.* 2. *Azo in Sum. l.* 8. §. 9. *Abb. c. ult. n.* 13. *Leſſ. c.* 27. *nu.* 4. *Molina Diſp.* 298. *Reginald l.* 25. *c.* 37. *num.* 480. *Azor. III. l.* 7. *hoc tit. c.* 2. *Layman. l.* 3. *tract.* 4. *c.* 14. *num.* 4. *Cuiacius l.* 5. *Obſervat. c.* 20. *VVeſenbec. l.* 43. *ff. tt.* 26.

III. Apud Oſtienſem in Summa, & *Glo. c. fin. de* Precario. extant hi VV.

> *Ria, Ria, Rium, tria ſunt, quibus eſt caput unum.*
> *Ria ſunt ſolita per ſingula luſtra renaſci.*
> *Ria ſit ad mortem, nec citra vult revocari.*
> *Rium finitur, quando auctor vult revocari.*

Unde tres ſpecies Precarii à quibuſdam conſtitutæ ſunt: cùm revera à veri Precarii natura deficiant; inter ſe verò accidentaliter tantùm differant. Precaria enim eſt conceſſio uſque, vel uſusfructus ea lege facta, ut is qui rogavit, tamdiu utatur fruaturve, quamdiu vixerit, qui conceſſit: quæ in perſonis Eccleſiaſticis non admittit ſucceſſionem, ſive in beneficio, ſive in aliis rebus Eccleſiaſticis. *c. fin de Precario & c. 2. 10. q. 1. Turſcbus Concl.* 453. Precariæ ſunt veluti plures conceſſiones ſimul junctæ, Tholoſani judicio. *lib. 23. c.* 2. *num.* 4. Alii communiter eas intelligunt, quæ poſt quinque annos renovantur, non tam juris diſpoſitione, quàm conſuetudine: idque propter periculum oblivionis, & præſcriptionis, ne poſteri inter hæreditariam poſſeſſionem numerare videant. Revocatio fieri poteſt expreſsè, vel tacitè, ut ſi videns

conti-

continuari poſſeſſionem Dominus diſſimulet. *Gloſſ. in c. Precaria 10. quæſt. 2. & alii DD. apud Barboſ. in c. 1. de Precariis Vallenſis tt. de Precario.*

IV. Poſſitne eſſe precarium rei ſuæ, ut ſi rem tuam pignori datam à Creditore petas ad uſum, ipſius arbitrio revocabilem, non immeritò dubitatur? *Vlpianus in l. certè interim ff. hoc tit.* ita reſpondet. Mihi videtur verius precarium conſiſtere in pignore, cùm poſſeſſionis rogetur, non proprietatis, & eſt hæc ſententia etjam utiliſſima: quotidie enim precariò rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt. *Ita Vlp.* Unde ſequitur ſcholarem, qui pro debitis oppignoraverit libros ſuos, petere ab hoſpite ſuo in precarium poſſe, iiſque uti non jam ut ſuis, ſed precario acceptis, & ſi abuſus fuerit, obligatum iri non ſecus, ac ſi alieni eſſent, de dolo, & culpa lata: juxta communem omnibus legem in Reg. Jur. 23. Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum, & culpam. Dolum tantùm *Depoſitum, & Precarium.* Idem habes in *l. quæſitum eſt §. Eum quoque ff. hoc tit. Silv. Precarium. num. 2. Reginald. l. 25. c. 36. num. 478. Tuſchus Concluſ. 474. Oldrad. Conſil. 135. V. Circa quod attendendum.*

V. Quatuor modis finiri Precarium poteſt. *Primò* voluntate ejus, qui conceſſit. Is namque ut *num. 1. dixi*, liberam repetendi voluntatem ita habet, ut nullo pacto ſopiri poſſit. *Gomez l. 2. c. 6. Secundò* lapſu temporis, pro quo datum erat *l. cùm precariò ff. hoc tit. Tertiò* alienatione, ut ſi is, qui dederat, venditione, vel alio contractu, modove rem alienavit. Tunc enim niſi in precarium novus Dominus conceſſerit, Precarium deſinere neceſſe eſt. *Quartò* denique finitur morte ejus, cui fuerat conceſſum, quia privilegium perſonale eſt, quod Succeſſorem non admittit, vel hæredem. *c. ult. de precario Bart in Auth de non alienando num. 4. Tiraquel. de conſtituto part. 1 num. 65. Ang. Silv. & alii Summiſtæ Azor. III. l. 7. de precario c. 3. Reginald l. 25. c. 37. num. 481.* At morte concedentis non extinguitur, ſed perſeverat in hæredes transfuſo jure, & arbitrio revocandi *l. cùm precariò ff hoc tit. Covarr. l. 3. Variar c. 15. num. 3. Aloyſ. Ricc. in praxi rer. fori Eccleſ. Deciſ. 75. Tholoſ. l. 28. Syntagm. c. 2. ci. fin. Cardoſ. in praxi Iudicum V. Commodatum num. 6. Barb. in c. ult. de precario q. 1.* Neque obſtat *l. 4. ff. Locati*, ubi videtur contrarium dici: quia loquitur de Precario ad beneplacitum concedentis facto: non verò, quod conceditur, quouſque revoca. fuerit. *Covar. l. 3. Var. Leit. Card. Tuſch. pract Concl. lit. P. Concl. 472.*

VI. Ex Precario nulla jure civili, ut in Commodato directa vel contraria actio oritur, ſed propter æquitatem naturalẽ competit interdictum de Precario *l. interdict. 13 ff. de precar l. eum qui §. is qui precar. ff. de furto*, ſi nihil cautum eſt de reſtitutione. Si autem dando Precarium cautum fuerit de reſtitutione per ſtipulationem, ex ea agitur, ſi alio modo, ceſſat interdictum *l. & habet 15. §. cùm quis ff. h. t.* & datur condictio præſcriptis verbis, quæ ex bona fide oritur. Igitur per interdictum reſtitutorium precarii dominus repetit ab eo, qui poſſidet, vel dolo poſſidere deſiit. *l. ſicut C. de act. l. in traditionibus.*

Digitized by Google

ff. de pactis. Item quanti ſua intereſt, non reſtitutum eſſe cum re precariò data, ab eo tempore, quo petivit fructus conſequitur, quodque ex re natum erit. *l. cita. Interdictum l. habet ff. de precar.* Nam qualis data fuit, reſtituenda res eſt cum iuribus ſuis. *l. Quaſitum §. Ex hoc ff. h. t.* Experitur etiam poſt annum, & qui dedit precarium, & hæres illius. *§. Ex hoc interdicto & §. ſeq. de Precar.* idque tum contra accipientem, tum illius hæredes, ſive habere dolo deſierit. Neque hæredi licet uſu capere, ut paulò ante indicavi. *Mol. & Az. lo. cit. Tholos. l. 23. c. 2. nu. 13. Iaſon in tit. de action. § ſequens num. 20 & ſeq. Oldendorp. Claſſe 4. Act. 16. Cuiacius l. 5. obſervat cap. 20. VVeſenbèc l. 43 ff tit. 26. & C. tit. 8 & 9. Cepola Tract. de ſervit Vrb. c 79. num 9 & ſequ. Azo in ſum l. 8. §. 9. Fillint. Tract. 34. c. 9. num. 204. Eſcobar. Tract. 3. Exam. 2. c. 5.*

§. IV.

De Mutuo.

I. MVtuum eſt, *Contractus, quo quis alteri tradit rem ſuam ad uſum, ut ſtatim fiat accipientis, & reſtituat poſtea tantum eiuſdem rationis, & qualitatis. l. 2. ff. Si certum petatur. l. 1. §. Mutui autem ff. de act. & obligationib.* Dicitur Primò *Contractus.* Neque enim de mutuo materialiter ſeu objectivè ſumpto agimus. *2. quo quis tradit rem ſuam.* quia reipſa perficitur, non ſecus, ac Depoſitum, Commodatum, & Precarium. Res autem pondere, numero, vel menſura conſtare debet. Numerum intellige in rebus quæ functionem recipiunt. Menſuram, quæ res liquidas vel aridas capit, non qua rerum magnitudines & locorum intervalla metimur. *Az. 3. l. 7. t. 4. Fachineus l. 2. c. 491. 3. ad uſum*, in quo cum Commodato, & Precario convenit. *4. ut ſtatim fiat accipientis*, quia, quod in prædictis non fit, rei dominium in accipientem transfertur. *5. & reſtituat poſtea tantum eiuſdem rationis & qualitatis.* Nam ſi ſtatim reſtituas, permutatio erit. Eiuſdem rationis ſeu ſpeciei, & valoris ſeu pretii reddendum, intellige, per ſe, & regulariter. Nam per accidens evenire poteſt, ut eadem numero res reſtituatur, ſi fortè propter temporis defectum eam qui accepit, abſumere non potuit. *l. 3. ff. Si certum petatur. Bart. & DD in l. 2. ff. Si certum petatur. Tholos. l. 12. c. 2. Schneidevvin. l. 3. Inſtitut. tit. 15. Gomez Tom. 2. c. 6. VVeſenbèc. l. 12. tit. 1. num. 9. Tanner. D. 4. Q. 7. Dub. 3. Alciat. l. 2. Paradox. c. 2.*

II. Quinque modis dividitur 1. In naturale, & Civile. Naturale, cùm reipſa tibi pecuniam meam, aut ſimile quid numero. Civile vel eſt ſimpliciter tale, vel eſt civile, cui ipſa natura ſuffragatur. Simpliciter civile Sola Iuris civilis poteſtate vim habet, ut ſi filiusfam. ex peculio profectitio dederit mutuò pecuniam, fictione iuris Pater dediſſe cenſetur, cui ideò reddere debes, non filio. Item, ſi depoſui apud te 100. aureos, cum permiſſione uſus, Iuris fictione cenſeor numeraſſe & dediſſe 100. mutuò. Mutuum civile, cui natura ſuffragatur, eſt, quando quis promiſit alteri per ſtipulationem dare mutuò pecuniam, & ſtipulationem ipſam ſtatim conſequitur numeratio, vel proximè præceſſit. *l. Si ita ſtipulatus fuero ff de verb. oblig. Stipulationem* enim Ius civile introduxit: at natura ipſam numerationem. 2. ratione materiæ aliud mutuum conſiſtit in nu-

in numero, uti pecunia, vel in pondere, cuiuſmodi eſt maſſa auri, vel in menſurâ, quale quid eſt Vinum, oleum, & ſimilia. 3. Ratione temporis aliud datur ad certum tempus; aliud ad incertum licet non perpetuum; ut ſi dem mutuò pecuniam, quâ poſſis Muſicam, vel arithmeticam perdiſcere. Mutuo ad certum tempus pactum addi poteſt non ſoluenti, & de lucro ceſſante caveri. *Soto l. 6. q. 1. art. 2. Gaill. l. 2. obſ. 5. n. 14.* 4. Ratione perſonæ aut datur ſolùm ad utilitatem, & commodum eius, qui accipit, aut illius, qui dat, aut utriuſque cauſſa 5. Ratione modi, aliud eſt mutuum expreſſum, aliud tacitum. Expreſſum erit, ſi ex gr. tibi dem 3. urnas vini. Tacitum in aliis Contractibus virtute continetur, puta, in emptione, & venditione. Vendis Caio merces creduò, perinde eſt, ac ſi illarum pretium mutuò dediſſes. *Denique ſecundum Navarr. c. 17. n. 106.* aliud eſt verum, aliud velatum, aut palliatum. *Caiet. de Vſura c. 3. Az. 3. l. 7. de Mutuo c. 2. Navar. in c. 1. 14. nu. 4. Tuſchus Concl. 441. Silv. V. Mutuum. Leſſ. c. 20 D. 1. & 2. Eſcobar Tr. 3. Ex. 2. c. 6. Fill Tr. 34 c 10.*

III. Mutuari poſſe, qui bonorum ſuorum liberam adminiſtrationem habent, vel legibus non prohibentur; extra controverſiam eſt. De ſervis, Procuratoribus, & filiofam. ambigitur. Ac primò quidem ſervum, cui dominus adminiſtrationem peculii ſui commiſit, dare & accipere mutuum poſſe, patet ex *l. ſi rogaſti. §. ſi fugitivus ff. de reb. cred.* ita ut totum ius domino acquiratur. *l. nec ſervus. ff. de peculio.* Econtra Procurator Generalis mutuum dare abſque ſpeciali mandato non poteſt. *l. Procurator 63. ff. de procuratorib.* Filiusfam. ſi abſque conſenſu Patris accepit mutuum, idque conſumpſit ita, ut inde ditior non evaſerit neutro in foro ad reſtitutionem tenetur, ſed opponere poteſt *S. C. Macedonianum*, quo fœneratores privantur omni iure ad repetendam pecuniam mutuò datam, & Dominiũ transcribitur illis, qui acceperunt. *V. VVeſenbec. l. 14 Digeſt. tt. 6. Mol Diſp. 301. Gomez. l. 2. c. 6 n. 2. Leſſ. c. 20. D. 2 Sanch l. 7 Mor. c 31. n. 22. Laym. l. 3. Tr. 4 c. 15 n. 5.* ubi requirit in mutuante culpam aliquam, ut prædictæ pœnæ locus ſit, quemadmodum. *Abb. quoque in c. Quia plerique de immun. eccl. n. 26.* notavit. *Fachineus l. 2. c. 62. Trentler. Diſp. 20. n. 7.*

Dixi. Si conſumpſit, nec ditior inde evaſit. Nam ſi vel ipſe, vel ipſius pater rebus ſuis incrementum inde fecerunt ad reſtitutionem iure naturali tenentur: quicquid in contrarium leges civiles conſtituant. *l. Sed ſi ff de S. C Maced.* Præterea in ſequentibus caſibus citatum S. C. non habet locum.

1. Si filiusfam. quo tempore mutuò pecuniam ſumit, miles eſt. *l. ult. C. eod.* Tunc enim præſumitur in uſus neceſſarios petere, & impendere.

2. Si peculium caſtrenſe habeat, vel peculii adventitii adminiſtrationem, & uſumfructum cum patris ſui conſenſu.

3. Si accipiat iuſſu patris, aut conſenſu expreſſo vel tacito, quia nimirum cùm ſciret, non contradixit: aut ſi poſtea contractum approbarit, verbo, aut facto, quia V. g. partem debiti ſoluit. *l. tamen ſi ff eod. & l. ult. C. eod.*

4. Si Publicè ſui iuris eſſe videatur; vel patremfam. ſe eſſe dicat, eique iuſtam cauſam credendi mutuator habeat *l. 3. & pan. ff. eod.*

ff. de pactis. Item quanti ſua intereſt, non reſtitutum eſſe cum re precariò data, ab eo tempore, quo petivit fructus conſequitur, quodque ex re natum erit. *l. cita. Interdictum l. habet ff. de precar.* Nam qualis data fuit, reſtituenda res eſt cum juribus ſuis. *l. Quaſitum §. Ex hoc ff. h. t.* Experitur etiam poſt annum, & qui dedit precarium, & hæres illius. *§. Ex hoc interdicto & §. ſeq. de Precar.* idque tum contra accipientem, tum illius hæredes, ſive habere dolo deſiecit. Neque hæredi licet uſu capere, ut paulò ante indicavi. *Mol. & Az. lo. cit. Tholos. l. 23. c. 2. nu. 13. Iaſon in tt de action. § ſequens num 20 & ſeq. Oldendorp. Claſſe 4. Act. 16. Cuiacius l. 5. obſervat cap. 20. VVeſenbec l. 43 ff tt. 26. & C. tt. 8 & 9. Cepola Tract de ſervit Vrb. c 79. num 9 & ſequ. Azo in ſum l. 8. §. 9. Filliut. Tract. 34. c. 9. num. 204. Eſcobar. Tract. 3. Exam. 2. c. 5.*

§. IV.

De Mutuo.

I. MVtuum eſt *Contractus, quo quis alteri tradit rem ſuam ad uſum, ut ſtatim fiat accipientis, & reſtituat poſtea tantum ejuſdem rationis & qualitatis. l. 2. ff. Si certum petatur. l. 1. §. Mutui autem ff. de act. & obligationib.* Dicitur Primò *Contractus.* Neque enim de mutuo materialiter ſeu objectivè ſumpto agimus. 2. *quo quis tradit rem ſuam.* quia reipſa perficitur, non ſecus, ac Depoſitum, Commodatum, & Precarium. Res autem pondere, numero, vel menſura conſtare debet. Numerum intellige in rebus quæ functionem recipiunt. Menſuram, quæ res liquidas vel aridas capit, non qua rerum magnitudines & locorum intervalla metimur. *Az. 3. l. 7. t. 4. Fachineus l. 2. c. 491. 3. ad Juſum*, in quo cum Commodato, & Precario convenit. 4. *ut ſtatim fiat* accipientis, quia, quod in prædictis non fit, rei dominium in accipientem transfertur. 5. *& reſtituat poſtea tantum ejuſdem rationis & qualitatis.* Nam ſi ſtatim reſtituas, permutatio erit. Ejuſdem rationis ſeu ſpeciei, & valoris ſeu pretii reddendum, intellige, per ſe, & regulariter. Nam per accidens evenire poteſt, ut eadem numero res reſtituatur, ſi fortè propter temporis defectum eam qui accepit, abſumere non potuit. *l. 3. ff. Si certum petatur. Bart. & DD in l 2 ff. Si certum petatur. Tholos. l 22. c. 2. Schneidevvin. l. 3. Inſtitut. tt 15. Gomez Tom. 2. c. 6. VVeſenbec. l. 12. tt. 1. num. 9. Tanner. D. 4. Q. 7. Dub. 3. Alciat. l. 2. Paradox. c. 2.*

II. Quinque modis dividitur 1. In naturale, & Civile. Naturale, cum reipſa tibi pecuniam meam, aut ſimile quid numero. Civile vel eſt ſimpliciter tale, vel eſt civile, cui ipſa natura ſuffragatur. Simpliciter civile Sola Iuris civilis poteſtate vim habet, ut ſi filiusfam. ex peculio profectitio dederit mutuò pecuniam, fictione juris Pater dediſſe cenſetur, cui ideò reddere debes, non filio. Item, ſi depoſui apud te 100. aureos, cum permiſſione uſus, Iuris fictione cenſeor numeraſſe & dediſſe 100. mutuò. Mutuum civile, cui natura ſuffragatur, eſt, quando quis promiſit alteri per ſtipulationem dare mutuò pecuniam, & ſtipulationem ipſam ſtatim conſequitur numeratio, vel proximè præceſſit. *l. Si ita ſtipulatus fuero ff de verb. oblig. Stipulationem* enim Ius civile introduxit: at natura ipſam numerationem. 2. ratione materiæ aliud mutuum conſiſtit in nu-

in numero, uti pecunia, vel in pondere, cuiuſmodi eſt maſſa auri, vel in menſurâ, quale quid eſt Vinum, oleum, & ſimilia. 3. Ratione temporis aliud datur ad certum tempus; aliud ad incertum licet non perpetuum, ut ſi dem mutuò pecuniam, quâ poſſis Muſicam, vel arithmeticam perdiſcere. Mutuo ad certum tempus pactum addi poteſt non ſoluenti, & de lucro ceſſante caveri. *Soto l.6. q.1. art.2. Gaill. l.2. obſ. 5. n.14.* 4. Ratione perſonæ aut datur ſolùm ad utilitatem, & commodum eius, qui accipit, aut illius, qui dát, aut utriuſque cauſſa 5. Ratione modi, aliud eſt mutuum expreſſum, aliud tacitum. Expreſſum erit, ſi ex gr. tibi dem 3. urnas vini. Tacitum in aliis Contractibus virtute continetur, puta, in emptione, & venditione. Vendis Caio merces creditò, perinde eſt, ac ſi illarum pretium mutuò dediſſes. *Denique ſecundum Navarr c.17. n.106.* aliud eſt verum, aliud velatum, aut palliatum. *Caiet. de Vſura c.3. Az.3 l.7. de Mutuo c.2. Navar. in c.1.14 nu 4. Tuſchus Concl.441. Silv. V. Mutuum. Leſſ c 20 D.1. & 2 Eſcobar Tr.3. Ex.2. c.6. Fill Tr.34 c 10.*

III. Mutuari poſſe, qui bonorum ſuorum liberam adminiſtrationem habent, vel legibus non prohibentur, extra controverſiam eſt. De ſervis, Procuratoribus, & filiofam. ambigitur. Ac primò quidem ſervum, cui dominus adminiſtrationem peculii ſui commiſit, dare & accipere mutuum poſſe, patet ex *l. ſi rogaſti § ſi fugitivus ff. de reb. cred.* ita ut totum ius domino acquiratur. *l. nec ſervus. ff. de peculio.* Econtra Procurator Generalis mutuum dare abſque ſpeciali mandato non poteſt. *l. Procurator 63. ff. de procuratorib.* Filiusfam. ſi abſque conſenſu Patris accepit mutuum, idque conſumpſit ita, ut inde ditior non evaſerit neutro in foro ad reſtitutionem tenetur, ſed opponere poteſt *S. C. Macedonianum*, quo fœneratores privantur omni iure ad repetendam pecuniam mutuò datam, & Dominiũ tranſcribitur illis, qui acceperunt. *V. VVeſenbec. l.14 Digeſt. tt.6. Mol Diſp.301. Gomez. l 2. c.6 n.2. Leſſ. c.20. D.2 Sanch l.7 Mor. c 31. n.22. Laym. l.3. Tr.4 c 15 n.5.* ubi requirit in mutuante culpam aliquam, ut prædictæ pœnæ locus ſit, quemadmodum. *Abb. quoque in c. Quia plerique de immun. eccl. n.26.* notavit. *Fachinaus l. 2. c. 62 Treutler. Diſp.20. n.7.*

Dixi. Si conſumpſit, nec ditior indè evaſit. Nam ſi vel ipſe, vel ipſius pater rebus ſuis incrementum inde fecerunt ad reſtitutionem iure naturali tenentur: quicquid in contrarium leges civiles conſtituant. *l. Sed ſi ff de S.C Maced.* Præterea in ſequentibus caſibus citatum S. C. non habet locum.

1. Si filiusfam. quo tempore mutuò pecuniam ſumit, miles eſt. *l. ult. C. eod.* Tunc enim præſumitur in uſus neceſſarios petere, & impendere.

2. Si peculium caſtrenſe habeat, vel peculii adventitii adminiſtrationem, & uſumfructum cum patris ſui conſenſu.

3. Si accipiat iuſſu patris, aut conſenſu expreſſo vel tacito, quia nimirum cùm ſciret, non contradixit: aut ſi poſtea contractum approbarit, verbo, aut facto, quia V.g. partem debiti ſoluit. *l tamen ſi ff eod. & l. ult. C. eod.*

4. Si Publicè ſui iuris eſſe videatur, vel patremfam. ſe eſſe dicat, eique iuſtam cauſam credendi mutuator habeat *l.3. §. pen. ff. eod.*

5. Si pro alio, qui ſui iuris eſt, & mutuum capit, fideiuſſerit, niſi in fraudem S. C. Macedoniani factum fuerit.

6. Si pecunia mutuò accepta in rem patris verſa ſit. *l. Item ſi.* §. *proinde ff. eod.* de quo ſufficienter conſtare debet.

7. Si Pater, aut alius filium negotiationi ſuæ præpoſuit. Cenſetur enim tunc facultatem dediſſe mutuandi, niſi de contraria voluntate ex aliis indiciis conſtet. *l. cit. Item ſi.*

8. Denique ſi filiofam. legationis, vel ſtudiorum cauſa abſenti ad neceſſarios ſumptus pecunia credita fuerit: modò præſcriptos limites non exceſſerit. *l. Macedoniani.* C. *eod.* Quod etiam de regularibus dicendum, qui in Academiis, & gymnaſiis ſtudent. His enim cùm neceſſaria pecunia ſit, nihil intereſt, à Prælato ſuo, an alio ipſius loco interim accipiant, dummodò fraus, & colluſio abſit. *Gomez l.2.c.6.num.2. Azor.3.l.7.c.3.hoc tt. Mol. Diſp.301. VVeſenbec.l.14. ff. Tit.6.* Leſſ.*c.20. Dub.2.num* 10. *Laym.l.3.Tr* 4.*c.15.n* 4. *Card* Lugo Diſp.25 *Sect* 1. *num* 3 *Treutl. Diſp.20.n.8.*

IV. Hiſce dictis non obſtat, quod *Covar in c Quamvis pactum p.2.§.3 num.6. & Rebell. Par.2.l.8. p.1. Sect.2 movet.* Per *S. C. Macedon.* non niſi actionem in foro externo negari fœneratoribus: obligationẽ verò naturalem manere, adeoq́ue in conſcientia obligatos eſſe ad reſtituendum, quod mutuò acceperunt. Non obſtat, dico. Tametſi enim eiuſmodi contractus, ut minorum quoque, non omninò invalidi ſint, & obligationem naturalem patiant; claudicant tamẽ propter contrariã Iuris diſpoſitionem, ſecundum quâ repellere actorẽ à petitione ſua poſſunt, & negare ſolutionem etiam in conſcientiã eò quòd Magiſtratus odio fraudis, & aliorum malorum fœneratores dominio pecuniæ in mutuum datæ privarit. Si tamen filiusfam. quiſquam iuri ſuo renunciarit, & iuramento promiſerit ſolutionem, ſervare tenetur ſecundùm Reg. alibi traditã. Quia abſque diſpendio ſalutis animæ ſoæ ſervare poteſt. *Azor lo.cit. Schneidevv.l.3. Inſt.tt.11. de acquis. per arrogat. Imola in c. cùm contingit de iur. VVeſenbec.l.12. ff. tt.* 1. *Corn. in Auth. Sacramenta puber.*

V. Quando pro eccleſia, aut loco quicunq́ue pio datum eſt mutuum, non Prælato & Capitulo ſimul, ſed alteri perſonæ, deq́ue uſu illius, & neceſſitate dubiũ oritur, mutuanti incumbit probare, pecuniã autem ſe mutuo traditam in eccleſiæ, alteriuſve Pii loci utilitatem converſam eſſe. *l. Civitas ff. ſi certum petatur. Auth.* Hoc *ius porrectum.* C. *de ſacros. eccleſ. l.1.* C. *de ſolut.* Covarr. *l 2. Var. c. 17. Az l.cit. Q.6. Maſcard. de probat Concl* 1165.*n.3.* Barb. *in Pratermiſſ. ad c. Quod quibuſd. de fideiuſſ. & Palao Tr.32. Diſp 4 pun.5.* Nihilominus actio datur mutuatori adverſus eum, qui nomine eccleſiæ mutuum, petivit, & accepit, qui etiam cogi poteſt, ad præſtandũ intereſſe, & damna, quæ ex tali mutuo exorta ſunt. *V. Oldendorp Claſſe 4. Actione* 17. ubi Actionis præfatæ naturam, & conditionem exactè declarat.

VI. Mutuum dans duas obligationes contrahit. *Prima eſt*, rei quam dedit, vitioſæ damna compenſare tenetur, niſi per ignorantiam excuſetur, quia bono, & æquo non convenit (*ut Pomponius ait l. Iure ff. de iure dot.*) aut lucrari aliquem cũ damno alterius, aut damnum ſentire per alte-

Digitized by Google

rius lucrum: quod fieret, ſi pro vitioſa non vitioſam rem mutuans reciperet Quod ſi mutuatarius ſciens nummos eſſe falſos, ſine contradictione accepit, veros reddere tenetur, quia tunc veros accepiſſe præſumitur. *l. Damnum ff. de contrab. empt. Secunda obligatio eſt*, non repetendi mutuum ante uſum illius completum, vel ante tempus conſtitutum, niſi pari neceſsitate prematur, aut æquale damnum metuat. Aliàs mutui quis uſus, quæve utilitas. In dubio Iudex arbitrabitur, & decidet, quando reddi debeat. *Bart. & Bald. in l. ſi parum de verb. oblig. Panorm in c. Precarium num. 2. de precariis. Menocb. de arbitrar. l. 2.* Caſu 22. *Tiraquel. in l ſi unquam. C. de revoc. donat. Mol* Diſp. 259. *Reginald l. 25. Tr. 2. nu. 174.* Card. *Lugo Diſp. 25. Sect.* 1. *num. 1.* Eidem competit actio, quæ vocatur condictio certi ſpecialis, qua repetitur, quod mutuò dedimus. *V.* Kling *l. 3. Inſt. ti. 15. Oldenderp. l. cit.*

VII. Mutuatarius tenetur 1, rem mutuo acceptam conſtituto tempore reddere, aliàs damna compenſabit, ut ſupra dixi *nu.* 3. 2. tenetur reddere in eadem ſpecie: pecuniam pro pecunia, frumentum pro frumento, vinum pro vino & ſic in aliis omnibus. 3. in eadem quantitate: quantitas autem frumenti, vini, & ſimilium menſura eſt. Mutato pondere, aut menſura, reddet in ea, qua accepit. 4. in eadem qualitate, ſeu bonitate. Accepiſti vinum integrum non acetoſum, non marcidum, redde, iiſdem notis commendatum. Si verò acetoſum mutuator dedit, & incorruptum exigit, uſurarius eſt. Denique in omni eventu, etiam quando caſu periiſſet, reſtituendum mutuum eſt, quia dominium illius apud mutuatarium eſt. *l. Incendium.* C. *ſi certum petatur.* §. *Item cui res Inſtit. Quib. mo re contrab. obligatio. Fachinans l. 2 c. 51. Reginald. l. cita. Fill. Tr. 34. c. 10. n. 228.*

VIII. Tametſi mutuum acceptum etiā publica Scriptura confeſſus fueris, exceptionem non numeratæ pecuniæ obtendere potes. §. *unico. Inſt de literar. oblig. l. ſi ex cautione. l. aſſeveratio. l. in* Contractib. C. *de non numer pec.* Datur autem biennium à die talis confeſsionis numerandum, quo liceat opponere. Et elapſo & neglecto, incumbit mutuatario probare pecuniam exhibitam non fuiſſe. *Mol Diſp* 301. *Cynus in l. in contractib.* C. *de non num. pec. & alii ap. Gomez* To. 11. c. 6 *Card. Lugo l. cit. n.* 5. Similis exceptio intra 30. dies competit creditoribus in quocunque debito, ſi opponant ſpe illius recuperādi maturius tradidiſſe apottiam. *l. in Contractib. C. de non num. pecun. Laym. l* 3. *Tr.* 4. *c.* 15. *ci fin.* De certi condictione ex Mutuo, quæ rei perſecutoria eſt, ut damnatus ſoluat tantundem, id eſt, rem eiuſdem generis, & qualitatis. *V. Oldendorp.* C*laſſe* 4. *Act.* 17.

§. V.

De Vſura.

I. VSura Mutui corruptela, ſeu Vitium materialiter ſumpta *eſt res, quæ ultra ſortem petitur, & accipitur*, vel ſi mavis, *lucrum ex Mutuo principaliter intentum.* Formaliter *Voluntas capiendi tale lucrum, aut Contractus uſuraria voluntate initus. Anton Par.* 2 *c.* 7 *§.* 1 Iure naturali profano, & ſacro prohiberi, notius eſt, quàm ut declaremus. *12. q 3. & 4. Decretal. b. t. & in* 6. *& Clement.*

l Impro-

Improbum. C *Ex quib. cau. in fa.* Iuris divini & naturalis vim in eo conſiſtere cõmuniter DD. tradunt, quòd ratio & iuſtitia non patitur plus exigere in gratuito cõtractu, quàm dederis. *Leſſ. c.* 20. D. 4. Centum petenti mihi mutuo dediſti. Cur centum & decem reddi poſtulas? Quia, *inquis*, toto anno pecunia mea carui, meque ne repetere poſſem, obligavi. Obligatio hæc pretio æſtimabilis eſt. Si pluſculum peto, aliquid ſaltem propter hoc onus ſorti adijciatur, puta 2. aut 3. aurei. Hæc, *fateor*, Petra Scandali eſt, & quis tollet? Fovet, & favet pro argumento 1. fide iubere pro alio ad certum temporis ſpatium, cùm ſumma notabilis eſt, pretio æſtimari poteſt, quamvis nullum in debitore periculum ſit. ergò & iam mutuum dare cum obligatione intra annum, vel biennium non repetendi. 2. Pro obligatione mutuandi mille ſuſcepta per unum, licet exigere aliquid ergò etiam pro obligatione non repetendi mutuatam pecuniam tanto tempore. 3. aliis rebus, & oneribus pretium imponitur, quid ni etiam oneri carendi pecunia ſuâ, cùm hæc ſit inſtrumentum negotiandi, quo privare ſe, pretio æſtimari poteſt. 4. Quod boni communis intuitu & bona fide à rep. conſtituitur, cùm de intrinſeca malitia non conſtat, pro æquo, & licito haberi, & obſervari poteſt. Sic autem Mercatorum communitas alicubi facit, nominatim Antverpiæ, conſtituendo nimirum quid, quantumve pro ratione periculi ſortis, vel difficultatis in ea recuperanda, exigi ultra ſortem poſſit, licetque de 100 exigere uſque ad 12. flor. *Ita Leſſ c.* 20. *Dub.* 14. *n.* 126. per id excuſari poſſe conſuetudinem mercatorum Antverpienſium iudicans. Eandem opinionem probant Præter Sectarios, *Io. Medina C. de reſt. Q.* 32. *§. Inde infertur & alii* quos tacito nomine *refert Molina diſp.* 308. *§. Non defuerunt.* Idem docet *Petrus Ledeſma par.* 2. *Summæ Tr.* 8. *c.* 35. *concl.* 4. dicens, ita ſentire diſcipulos. S. Thom. *Item Cæleſtinus in Compen. Theol. mor. Tr* 11. *c.* 5. *Q.* 2. *Diana verò Tract. de Contractib. Reſol.* 48. & *To.* 4. *Tr.* 13. *Miſcell. Reſol.* 50. *relatis ſententiis, & auctoribus nihil deſinit. Card. Lugo. Diſp.* 25. *S.* 3. quem lubens ſequor, noviſſimè ſcribens rationes à *Leſſio* allatas diluere conatur: dubito tamen, an contentioſæ menti omnem ſcrupulum eximat. Nam ſi, ut communiter DD. cenſent, ea habetur opinio probabilis, quæ à viris doctis cum ratione defenditur *Soto l.* 6. *q.* 1. *ar.* 6. *ci. fin.* quomodo iſtam damnare poſſumus, quæ multis & à multis recipitur, & approbatur? Cupio audire, an confitentem ex burſa mercatorum Antverpienſium aliquem, qui ſecundùm prædictam opinionem, & conſuetudinem mutuavit, ut auctarium reciperet, ad reſtitutionem velis adigere? Non ideò tamen illi viæ, ſed communiori inſiſtendum cenſeo. *V. Confortiam Pallavicinum. l.* 4. *de iuſt. c.* 15. *Coton. in Sum. Dian. V. Mutuum.*

II. A Iure civili veteri uſuras infra certum modum admitti. *Si Alciato credimus in c.* 1. *de off. Ordin. n.* 78. *Doctorum unanimis conſenſus eſt. l. Eos C. de Vſuris. l. Placuit ff. eod. et Tholos. l.* 22. *c.* 3 *num.* 6. & 20. *Maranta Par.* 6. *diſt.* 19 *n.* 108. Contrarium qui aſſerunt, non legem, ſed coniecturam proferunt, in *Authenticis* implicitè vetari à *Iuſtiniano Imperatore*, quia profitendo Catholicam fidem quatuor Concilia univerſalia quibus uſura damnatur, approbarit.

barit, quæ conie&#1;ctura vel nimium, vel nihil probat. *S. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 3. Caietan. ibid. Sotus l. 6. q. 1. art. 1. Gabr in 4. d. 15. q. 11. Covarr l. 3. Var. c. 1. n. 4. Az. 111. l. 5. de Vſura. c. 2.* Tholos. l. 22. c. 3. *Vallenſis l. 5. Paratitl. tt. 19. Barb. in c. 2. de Vſuris.* Novo iure à Germanis Imperatoribus prohiberi ſeverè, uſus ipſe per Germaniam, & Comitiorum imperialium leges docent, latæ *Anno Chr.* 1500. *Auguſta.* 1530. 1532. 1548. 1576. 1577. *V. ad Contz. l. 8 vol c. 17.* Dixi infra certum modum à Iuſtiniano uſuras permitti in veteri Iure *l. Eos &c. ſup. cita.* Modus in his VV. continetur.

Diſcant illuſtres ſtipulari poſſe trientes:
Et mercatores ſolùm ſibi quærere beſſes:
Quærere ſemiſſas poſſunt communiter omnes:
In traiectitiis vires centeſima ſumit.

Centeſima uſura de centum annuè facit 12. Beſſis centeſimæ 8. Triens 4. ſemiſſis 6. Centeſima ſing. menſib. de 100. unum parit. Vnde 8. annis & 4. menſib. par ſorti uſura redditur. *V. Canis. de Vſuris c. 1 num. 29. Binsfeld. eod. c. 3. Q. 4. Iul. Clar. l. 5. §. eod. Barb. in c. ſi quis oblit.* 14. q. 4. An ſimul ut licitas Vſuras permiſerit Iuſtinianus inter DD. agitatur; quibuſcum trahere contentioſum funem non lubet. Si factum, leges à Iure Canonico improbatæ, abrogatæ, & correctæ ſunt: uti obſervat. *Covar. l. 3. Variar. c. 1. Card. Tuſchus Concl. 338. Laym. l. 3. Tract. 4. c. 16. Conrad. de Contract. Q. 21. Concl. 7. Vallens in Paratitl. l. 5 tt. 19. nn. 6.* qui etiamnum ſequ. monet, non omnino, & indiſtinctè fœnus nauticum à Iure Canonico improbari, ſed permitti, cùm debitor ſponte convenit cum creditore, ut hic in ſe periculũ ſuſcipiat, conſtitutâ certâ mercede periculo proportionata. Id enim licitum eſſe docet *Covar. l. 3 Variar. c. 2 n. 5. Adrian. in 4. de reſt. §. Occurrunt. Eſcobar. Tract. 3. Exam. 5 c. 1. Laym. l cit. num 13. Binsfeld. in c. Naviganti Q. 1. Concl. 4. Palao Tract 32. Diſp. 4 Puncto 18. Melonius Tit 15. nn. 27.*

III. Vſura formaliter accepta, dividitur. *Primò* in mentalem ſeu internam, & externam, eo modo & ſenſu, quo alia peccata dividi ſolent.

Secundò, Externa fit interdum cum pacto, interdum ſine illo. Illam aliqui realem vocant, hanc verò mentalem, eò, quòd ſola intentione perficitur.

Tertiò, Quæ pacto conſtat, alia eſt formalis, & explicita, ſeu nuda, altera Virtualis, & palliata. Pallium uerò texitur 4. modis. 1. per ſolam venditionem, cùm quis merces ſuas maiore pretio vẽdit, eò quod ſolutio in longum tempus differenda ſit. 2. per ſolam emptionem, cùm quis emit viliore precio, quia anticipatò ſoluit. 3. per ſolutionem, cùm quis in fine anni deberet ſoluere 100. aureos, non niſi 80 pendit, quia 3. vel 4. mẽſibus ante terminum ſoluit. 4 emptione, & venditione ſimul, ut ſi cogaris emere aliquid 33. aureis, & ſtatim revendere 20. aut 25. tantùm: intellige, ſi eâ conditione emptor accipiat, ut ſtatim revendat minore pretio. *Palao. Tr. 32. Diſp. 4. pun.* 8. Poteſt etiam dividi in mentalem, pactionalem & exactionalem, in quibus omnibus Vſuræ peccatum committitur. *V. Comitol l. 3. c. 34. n. 5. Navarr. Comm. de Vſur. init. Az. 111. l. 5. c. 3.* Veteres I. Conſulti aliter dividebant in Lucratoriam, Punitoriam, & Reſtauratoriam ſeu Compenſatoriam. Lucratoria propter ſolum lucrum ex mutuo fit Punitoria pactum continet de aliqua pœna ſoluenda. Re-

dâ. Reſtauratoria habet pactum de aliquâ re ex mutuo danda ratione damni emergentis vel lucri ceſſantis, propter periculum, laborem, expenſas, & ſimilia. *Bald. Salic. Paulus. l. Vſura* C. *de Vſuris l. cum quidam §. ſi pupillo ff. h. t. VVeſenbec. l. 22. ff. tt. 1. Caballinus Q. 1. de Vſuris n. 5. Salas Dub. 2. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 16. num. 5. Palao Tract. 22. Diſp. 4. Pun. 8. n. 3.*

IV. Vt compendio agamus, & infinitatem quæſtionum, quas Summiſtæ invenerunt, evitemus ad hanc velut cynoſuram in materia dubia convertendi oculi ſunt, videndumque, quænam ſit intentio contrahentium. Si exigendi auctarium alia cauſa non eſt, quàm mutui conceſſio, Vſuræ crimen committitur: ſecus, ſi ſincera mente propter lucrum ceſſans, damnū emergens periculum, laborem, aut his ſimile onus ultra ſortem aliquid tali periculo vel labori proportionatum petatur, & promittatur. Hoc ipſum verò quia periculo non vacat, cupiditatis æſtu ut plurimùm obnubilante iudicium, ſuæ quiſque conſcientiæ teſtimonio remittendus, Iudici verò à præcipiti ſententia ac damnatione abſtinendum erit. *Eſcobar Tr. 3. Exam. 5 c. 1. Antonin* Par. *2. tt. 1. c. 6. §. 1. Coton. in ſum.* Dian. *V. Mutuum.* Sumitur hæc Regula ex bona intelligentia definitionis Vſuræ ſuperius allatæ. Et niſi ita reſtringatur modus, & ratio exigendi auctarium ex mutuo, pactorum iura diſtingui minimè poterunt, nec Montes pietatis defendi ab ipſa pietate, ut mox videbimus.

V. Pœnæ Vſurariis infligendæ duplices ſunt, Spirituales, & temporales. Quod ſpirituales attinet, communione altaris, perceptione Sacræ Euchariſtiæ, oblatione facienda, & eccleſiaſtica Sepultura privantur. *c. Quia in omnibus. de Vſuris. ubi ci. ſi. legimus.* Qui acceperit (ab Vſurario oblationes) vel Chriſtianæ tradiderit Sepulturæ, reddere compellatur, & donec ad arbitrium epiſcopi ſatisfaciat, ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus. Idem ſumitur ex. *Conc. Later ſub Alexan. 3. c. 25. & refertur ab Antonio Ang Collect. 1. Decretal. l. 5. tt 15. c 2. Barb in c. cit* Nec prodest in extremis pœnitentia n ſi reſtituerit inique parta, vel certè de futura ſatisfactione ſufficienter caverit *Glo. communiter recepta in* Clement. *I. V. Manifeſtus Vſurarios. Anton. Par. 2. tt. 1 c. 10. Angel. V. Vſura 5. 2. num. 4. & ſeq Silv §. 9. nu. 4. Armilla n. 53.* Ad eam cautionem requiri pignora, aut fideiuſſores. *in c. Quanq. de Vſur. V. Idoneâ* DD. *monent.* His deficientibus iurabit Vſurarius, ſe nec pignora, nec fideiuſſores habere, cui iuramento fides tribuetur. *Leſſ c. 20.* D. *22. n. 188.* annotans ſimul poſt. *Extravag. Ad evitanda. h. tt.* Vſurarium quamvis publicum vitandum non eſſe, etiam in Sacris antequàm denunciatus ſit.

VI. Temporalis pœna duplex eſt 1. infamia ipſo Iure decreta. *l. Improbum fœnus.* C. *Ex quib. cau. irrog. infamia.* Clericus ad eccleſiaſtica beneficia & officia inhabilis redditur. *c. Infames. 3 p. 7. e. ſi quis oblitus 14. p. 4. c 1. c. Præterea de Vſuris.* Epiſcopus tamen poſt condignam ſatisfactionem & pœnitentiam diſpenſare poteſt, non tantum, ut beneficium obtentum retineat, ſed etiam ut novum illi conferatur *iuxta Glo. communiter receptam in c. Præterea de Vſuris. V. Suſpendas.* Palao *Tr. 32. Diſp. 4. Pun. 30. num. 4.* 2. Teſtamentum, codicillus, & alia quævis ultima

volun

Digitized by Google

voluntas Vſurarii manifeſti ipſo iure irrita eſt, niſi ante mortem iniuſtè comparata reſtituat, vel idoneam cautionem modo prædicto præſtet. *c Quanquam. de Vſuris in 6. Felinus in c. Translato. de Conſtitut. Covarr. 3. Var. c 3. Iul. clarus. §. Teſtam. Q. 26. Navarr. c. 17. num. 279. Binsfeld. de Vſur. c. cum in diœceſi Q. 2. Silv. & Sum. miſta eod. Mol. D. 334.*

Nota Præter pœnas in Iure Vſurariis conſtitutas à Iudice eccleſiaſtico ulterius pœnâ pecuniariâ prout æquitas dictaverit, mulctari poſſe, *Maranta* tradit, & probat. *Par. 6. Iudicior. §. Sexta & ultima nu.* 100 & ſequētibus Addit *Iul. Clarus in §. Vſura & Menoch l. 2. de arbitr. Caſu.* 398. qualibet arbitraria etiam corporali pœna affici poſſe. Id enimverò, & criminis malitia, & frequentia inter Chriſtianos maior, quàm infideles, exigere videtur. *Laym. l. 3. Tr. 4 c. 16. n. 21. Salas de Contract. Dub. 47. de Vſur. Barbos. Tuſchus. Concl. 342. & 354.*

§. VI.

De monte Pietatis.

I. Contra montem hunc latrant Miniſtelli quidam è Lutheri Schola, inprimis *Balth. Meiſnerus* VVittebergenſis Profeſſor, qui in *Par. 3. Philoſophia. Sobria Sect. 1. cap. 6. Q. 5. §. Coronis.* de Pontificior. inconſtantia fultus præſidio *Dominici Soto* doctrinam Theologorum noſtrorum, qui Montem pietatis tuentur, & approbant, inconſtantiæ, ſimulationis, falſitatis, & Vſurariæ pactionis arguit. Verbis impugnare, reipſa approbare Vſuras, ſpecioſo nomine uti, ut blandiantur meretrici Babylonicæ, cuius eſt ſuper mōtes ſedere. Huius rabulæ os blaſphemias eructans ut obturemus, Montium pietatis inſtitutum hoc loco nobis accuratè exponendum erit. Primam originem ſimplici oculo intuentes, aliam præ Pietate non reperient, ut inde meritò nomen ipſum traxerit. Nam viri miſericordiæ quidam anguſtiam pauperum ex una parte, ex alia divitum avaritiam conſiderantes, qui ſubvenire indigentibus niſi cum lucro ſuo nollent, eum modum excogitarunt, quem hodie cernimus, ut nimirum in Acervum quendam certa pecuniæ ſumma pia, & gratuita donatione congeratur (nec intereſt, quo modo, ſive ultima voluntate, ſive donatione inter vivos &c.) quæ ſemper adiuvet, & nunquam minuatur. Quem in finem neceſſarium erat, de fomento, & ſuppletione induſtriam adhibere. Placuit ergò haſce leges figere 1. ut Cuſtodes, ſeu perfecti teneantur pauperibus mutuum petētibus dare certam ſummam, V. g. 10. aureos reddendos intra annum. 2. ut accipiens mutuum pignus conſignet in manus miniſtrorum ſuo periculo, vendendum, ſi præfixo tempore non ſoluerit, ut inde ſumma conceſſa ad Montem redeat, ſuperfluum verò mutuatario reddatur. 3. Vt mutuatarius ultra ſortem, modicum quid ſingulis menſibus pendere teneatur pro expenſis, quæ fiunt in conſervationem mōtis, & ſtipendia miniſtrorum, qui pecuniæ curam habent, pignora cuſtodiunt, & illæſa ſervant, reddunt que ſuo tempore, recipiunt mutui ſolutionē, conducunt domū, arcam emunt, & libros rationū; denique omnia neceſſaria procurant. In hoc mutuandi genere an lateat Vſuræ vitium controverſia eſt.

II. Pro affirmativâ parte ratio occurrit

Digitized by Google

dâ. Reſtauratoria habet pactum de aliquâ re ex mutuo danda ratione damni emergentis vel lucri ceſſantis, propter periculum, laborem, expenſas, & ſimilia. *Bald. Salic. Paulus. l. Vſura* C. *de Vſuris l. cum quidam §. ſi pupillo ff. h. t. VVeſenbec. l. 22. ff. tt. 1. Caballinus Q. 1. de Vſuris n. 5. Salas Dub. 2. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 16. num. 5. Palao Tract. 22. Diſp 4. Pun. 8. n. 3.*

IV. Vt compendio agamus, & infinitatem quæſtionum, quas Summiſtæ invenerunt, evitemus ad hanc velut cynoſuram in materia dubia convertendi oculi ſunt, videndumque, quænam ſit intentio contrahentium. Si exigendi auctarium alia cauſa non eſt, quàm mutui conceſſio. Vſuræ crimen committitur: ſecus, ſi ſincera mente propter lucrum ceſſans, damnū emergens periculum, laborem, aut his ſimile onus ultra ſortem aliquid tali periculo vel laborí proportionatum petatur, & promittatur. Hoc ipſum verò quia periculo non vacat, cupiditatis æſtu ut plurimùm obnubilante iudicium, ſuæ quiſque conſcientiæ teſtimonio remittendus, Iudici verò à præcipiti ſententia ac damnatione abſtinendum erit. *Eſcobar* Tr. 3. *Exam 5 c 1. Antonin* Par. 2 *tt. 1. c. 6. §. 1. Coton. in ſum.* Dian. *V. Mutuum.* Sumitur hæc Regula ex bona intelligentia definitionis Vſuræ Superius allatæ. Et niſi ita reſtringatur modus, & ratio exigendi auctarium ex mutuo, pactorum iura diſtingui minimè poterunt, nec Montes pietatis defendi ab ipſa pietate, ut mox videbimus.

V. Pœnæ Vſurariis infligendæ duplices ſunt, Spirituales, & temporales. Quod ſpirituales attinet, communione altaris, perceptione Sacræ Euchariſtiæ, oblatione facienda, & eccleſiaſtica Sepultura privantur. *c. Quia in omnibus. de Vſuris. ubi ci. ſi legimus.* Qui acceperit (ab Vſurario oblationes) vel Chriſtianæ tradiderit Sepulturæ, reddere compellatur, & donec ad arbitrium epiſcopi ſatisfaciat, ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus. Idem ſumitur ex. *Conc. Later ſub Alexan. 3. c. 25. & refertur ab Antonio Aug Collect. 1. Decretal. l. 5. tt 15 c 2. Barb in c. cit* Nec prodetit in extremis pœnitentia n ſi reſtituerit inique parta, vel certè de futura ſatisfactione ſufficienter caverit *Glo. communiter recepta in Clement. l. V. Manifeſtes Vſurarios. Anton. Par. 2. tt. 1 c. 10. Angel. V. Vſura 5. 2. num. 4. & ſeq Silv §. 9. nu. 4. Armilla n. 53.* Ad eam cautionem requiri pignora, aut fideiuſſores. *in c. Quanq. de Vſur. V Idoneà* DD. *monent.* His deficientibus iurabit Vſurarius, ſe nec pignora, nec fideiuſſores habere, cui iuramento fides tribuetur. *Leſſ c. 20.* D. 22. *n.* 188. annotans ſimul poſt. *Extravag. Ad evitanda. h. tt.* Vſurarium quamvis publicum vitandum non eſſe, etiam in Sacris antequam denunciatus ſit.

VI. Temporalis pœna duplex eſt 1. infamia ipſo iure decreta. *l. Improbum fœnus.* C. *Ex quib. cau. irrog. infamia.* Clericus ad eccleſiaſtica beneficia & officia inhabilis redditur. *c. Infames. 3 p. 7. c. ſi quis oblitus 14. p. 4. c 1. c. Præterea de Vſuris.* Epiſcopus tamen poſt condignam ſatisfactionem & pænitentiam diſpenſare poteſt, non tantum, ut beneficium obtentum retineat, ſed etiam ut novum illi conferatur *iuxta Glo. communiter receptam in c. Præterea de Vſuris. V. Suſpendas.* Palao *Tr. 32. Diſp. 4.* Pun. 30. *num. 4.* 2. Teſtamentum, codicillus, & alia quævis ultima volun

Digitized by Google

voluntas Vſurarii manifeſti ipſo iure irrita eſt, niſi ante mortem iniuſtè comparata reſtituat, vel idoneam cautionem modo prædicto præſtet. c *Quanquam de Vſuris in 6 Felinus in c. Tranſlato. de Conſtitut.* Covarr. 3. *Var. c* 3. *Iul. clarus.* § *Teſtam.* Q. 26 *Navarr. c.* 17. *num.* 279. *Binsfeld. de Vſur. c. cum in diœceſi Q.* 2. *Silv. & Sum. miſta eod. Mol. D.* 334.

Nota Præter pœnas in Iure Vſurariis conſtitutas à Iudice eccleſiaſtico ulterius pœnâ pecuniariâ prout æquitas dictaverit, mulctari poſſe. *Maranta* tradit, & probat. *Par.* 6. *Iudicior.* §. *Sexta & ultima nu.* 100 & ſequētibus Addit *Iul. Clarus in* §. *Vſura & Menoch l.* 2. *de arbitr. Caſu.* 398. qualibet arbitraria etiam corporali pœna affici poſſe. Id enimverò, & criminis malitia, & frequentia inter Chriſtianos maior, quàm infideles, exigere videtur. *Laym. l.* 3. *Tr.* 4 *c.* 16. *n.* 21. *Salas de Contract. Dub.* 47. *de Vſur. Barbos. Tuſchus. Concl.* 342. & 354.

§. VI.

De monte Pietatis.

I. Contra montem hunc latrant Miniſtelli quidam è Lutheri Schola, inprimis *Balth. Meiſnerus* VVittebergenſis Profeſſor, qui in *Par.* 3. *Philoſophia. Sobria Sect.* 1. *cap.* 6. *Q.* 1. §. *Coronis.* de Pontificior. inconſtantia fultus præſidio *Dominici Soto* doctrinam Theologorum noſtrorum, qui Montem pietatis tuentur, & approbant, inconſtantiæ, ſimulationis, falſitatis, & Vſurariæ pactionis arguit. Verbis impugnare, reipſa approbare Vſuras, ſpecioſo nomine uti, ut blandiantur meretrici Babylonicæ, cuius eſt ſuper mōtes ſedere. Huius rabulæ os blaſphemias eructans ut obturemus, Montium pietatis inſtitutum hoc loco nobis accuratè exponendum erit. Primam originem ſimplici oculo intuentes, aliam præ Pietate non reperient, ut inde meritò nomen ipſum traxerit. Nam viri miſericordiæ quidam anguſtiam pauperum ex una parte, ex alia divitum avaritiam conſiderantes, qui ſubvenire indigentibus niſi cum lucro ſuo nollent, eum modum excogitarunt, quem hodie cernimus, ut nimirum in Acervum quendam certa pecuniæ ſumma pia, & gratuita donatione congeratur (nec intereſt, quo modo, ſive ultima voluntate, ſive donatione inter vivos &c.) quæ ſemper adiuvet, & nunquam minuatur. Quem in finem neceſſarium erat, de fomento, & ſuppletione induſtriam adhibere. Placuit ergò haſce leges figere 1. ut Cuſtodes, ſeu perfecti teneantur pauperibus mutuum petētibus dare certam ſummam, V. g. 10. aureos reddendos intra annum. 2. ut accipiens mutuum pignus conſignet in manus miniſtrorum ſuo periculo, vendendum, ſi præfixo tempore non ſoluerit, ut inde ſumma conceſſa ad Montem redeat, ſuperfluum verò mutuatario reddatur. 3. Vt mutuatarius ultra ſortem, modicum quid ſingulis menſibus pendere teneatur pro expenſis, quæ fiunt in conſervationem mōtis, & ſtipendia miniſtrorum, qui pecuniæ curam habent, pignora cuſtodiunt, & illæſa ſervant, redduntque ſuo tempore, recipiunt mutui ſolutionē, conducunt domū, arcam emunt, & libros rationū; denique omnia neceſſaria procurant. In hoc mutuandi genere an lateat Vſuræ vitium controverſia eſt.

II. Pro affirmativâ parte ratio occurrit

1. Iniuſtum eſt vi mutui cogere aliquem illis ſtipendium ſoluere, qui abſque ullo pacto præcedente in gratiam ipſius laborarunt, quemadmodum hic cõtingit iuxta legem tertiam. 2. Miniſtri montis promiſcuè exigunt mercedem, pro cuſtodia, ſiue onerosa ſit, ſiue non, cùm æquitas ſuadeat, non niſi pro onerosa aliquid exigere. 3. Qui maiori tempore mutuo datum retinet, plus cogitur ſoluere, ergò ratione temporis aliquid exigitur, quod Vſurariũ eſt. 4. Sumptum facere pro pecuniæ conſeruatione, pignore, cuſtode, libris rationũ, & ſimilibus manifeſtam uſuram indicat. Quid enim aliud Iudæi faciunt, quos uſuræ vitio inquinatos eſſe nemo ignorat. Nec refert, dominium abdicari ab iis, qui montem conſtituunt. Hoc enim ad pauperes degravãdos nihil, ſervit, ſed reip. ſeu communitatis officium eſt, ſummã depoſitam conſervare, & ſumptus facere, vel ex ipſa maſſa quiſquis cũ tempore peritura, vel aliunde, & ſic gratis dare mutuum petentibus nihil inde ſperantes, iuxta Chriſti præceptum. Ita ferè præter Sectarios *Caietanus Tom.11. Opuſc.6. Silv. V. Vſura 5. q. 4. Soto l. 6 Q.1. art. 6 V. Lugo diſp. 25. Sect.* 10. *n.* 188. Pro defenſione Montis plures laborant tũ propter ſummorũ Pontificũ definitionẽ, tũ propter rationes. I. fundatur in Regula præc. § poſita. Hic nihil ratione mutui exigitur, ſed pro expenſis duntaxat, quod non adverſatur iuſtitiæ. Nã qui ſentit commodũ, onus quoq; ſentire debet. *iux. Reg* 55. *Iuris in* 6. 2. Nemo tenetur mutuum dare cum damno ſuo. Tantum ergò poſtulare licet, quantum damno ſuo avertendo neceſſarium eſt. Cumque hoc privato cuilibet liceat, quid cauſæ eſt, ut negemus illis, quibus Montium pietatis cura commiſſa eſt? 3. Quod defenſionem ſeu declarationem ſummorum Pontificũ attinet, ea notior, & manifeſtior eſt, quàm ut eludi verbis poſſit. Approbavit *Paulus* 2. *Sixtus* 4. *Innoc* 8. *Alex.* 4. *Iul* 2. & potiſſimè *Leo x.* qui in *Con. Lateran. Seſſ.* 10. re maturè deliberata definiit, rem eſſe licitã & piam, contrarium docentes excommunicavit, porrigẽtibus manus adiutrices ad tã piũ opus conceſſit Indulgentias. Denique in *Con. Tr. S.* 22. *c.* 8. inter alia opera pia numerantur montes pietatis. Quare *Leſſ. c.* 20. *D.* 23. *& Pallavicinus l.* 4. *de inſt. c.* 15. hoc tempore certam eſſe ſententiam pronũciat *Fill. verò Tr.* 34. *par.* 2. *c.* 9 *n.* 168 cõtrariam opinionẽ minimè tutã exiſtimat.

III. Quod verò *Sotus* cum quibuſdam ingerit acta Conc. Lateran. non omnia uſu recepta eſſe, nihil ad rem facit, cùm non ſit lex, ſed declaratio doctrinalis pertinens ad mores totius Eccleſiæ quæ quoad certitudinem ſuam ab acceptatione non pendet, ſed omnes fideles obligat, etiam ipſos Pontifices. Deinde erroneum eſt Soti iudicium in eo, quòd Caietani auctoritate ſcribit, Montem pietatis non eſſe approbatum à Concilio niſi quoad illa capita, quibus non pugnat cum Iure naturali, & Canonico, quale non eſt, aliquid ultra ſortem exigere. Hoc enim iuri naturali repugnat. *Caietanus* autem non utitur exceptione illa contra Concilium Lateranenſe ſed aliam Bullam antiquiorem, quã ipſe viderat, & in qua dicit, ſe legiſſe illa verba. Scripſerat enim Opuſculum illud anno 1498. antequam Co. *Latera.* inchoatum eſſet. Quocirca vel poſtea retractavit ſententiam ſuam, vel non interfuit ſeſſioni illi decimæ, in qua excepto *Hieremia Epiſcopo Tranenſi*, omnes approbarunt

inſtitu-

Digitized by Google

inſtitutum Montis pii. Denique minus cautè dicit *Soto*, rem hanc non potuiſſe à Pontifice aut Concilio definiri, cùm pendeat ſolùm ex Philoſophiâ morali. Non enim dubitant Theologi, quin poſſit & debeat Summus Pontifex ea determinare, quæ ad conſcientiam & mores totius Eccleſiæ pertinent, cujuſmodi ſunt omnes controverſiæ & capita, de quibus ambigitur, juſta, an injuſta, Dei legibus convenientia & licita, an verò adverſa, & illicita ſint. Minus igitur tuta hodie, ſed periculoſa vel etiam temeraria *Soti* opinio cenſenda eſt. *Barb. in Summ. Deciſ. Coll.* 517.

IV. Nec difficile eſt rationes in contrarium allatas diluere Nam 1. nemo cogitur vi mutui ſtipendium ſolvere illi, cum quo nihil pactus eſt, quia nihil exigitur ratione mutui, ſed expenſæ, & laboris. Nec pactum deeſt. Hoc ipſo enim quod quis ex monte mutuum petit, in leges ipſius conſentit. 2. Quòd Miniſtri indifferenter exigunt æqualem mercedem pro cuſtodiâ onerosâ, & non onerosâ, non tam voluntate, quàm neceſſitate accidit, quia moraliter impoſſibile eſt, quemadmodum in aſſignatione tributi, ita ſuam ſingulis quotam decidere, ut in indiviſibili medium attingatur. Item montis conſervatio in utilitatem omnium indigentium tanti momenti eſt, ut unius, vel alterius leve damnum meritò propter illam negligatur. 3. Quòd ratione longioris temporis plus ſolvi dicitur, ita accipiendum eſt, quòd non præcisè propter moram illam fiat, ſed propter intereſſe, ſeu damnum ipſius montis, quia eo tempore alendi ſunt Miniſtri, aliis petentibus non poteſt dari, quod ab alio poſſidetur, & ſimilia incommoda ex morâ non ſolventium proveniunt. 4. denique quamvis uſura ſit, pro conſueto & neceſſario labore, qui eſt in numeranda pecunia, & annotando nomen accipientis, ſine quibus non fit Contractus mutui, exigere aliquid tamen pro onere conſervandi totum montem, & pignora, aliasq; curas, modo non excedatur terminus, nihil injuſtum continet. Igitur ad hæc. & ſimilia excuſanda non aliâ opus eſt conſideratione, quàm quæ in *Reg ſup.* §. *poſitâ* continetur, *ratione mutui ut ſic, nullum auctarium poſtulari. Medina. Navar. Salonius, Bannez, Valentia. Tol Lopez, alii, quos citat. Mol. D.* 315. *Salas Dub.* 33. *Leſſ. D.* 23. *Az. III. l.* 5. *c.* 8. *Fill l. cit. Card. Lugo Diſp.* 25. *Seſſ.* 10. *Eſcobar. tract.* 3. *Exam.* 5. *c.* 3.

V. Ad normam prædictorum Montium, qui à pietate nomen habent, alii etjam nonnihil diverſi conſtituti ſunt. Ac primò quidem hoc modo. Cùm pecunia à fundatoribus aſſignata ad mutuandum non ſufficit, alii de ſuo pecuniam adjiciunt eâ lege, ut annuè de centum 4. aut 5. florenos percipiant, à miniſtris, liceatq; repetere ſortem pro arbitratu. Miniſtri igitur à mutuantibus tantùm exigunt, quantum in expenſas, & ſatisfaciendum illis, qui pecuniam addiderunt, requiritur. Plus hic periculi latere, quàm in priori modo, videtur. Sic enim Judæi fœnerantur. Attendendum igitur, quo titulo deponentes pecuniam prædictum auctarium accipiant: ſi titulo depoſiti, vel mutui, non carent uſuræ morſu; ſi verò propter lucrum ceſſans, aut damnum emergens, excuſari poſſunt, nec ſub alia forma modum illum *Julius III.* approbavit, referente Navarro *Conſil.* 2. *de uſuris.*

Digitized by Google

Excuſari etiam poſſe Filliutius cenſet ab obligatione reſtituendi lucrum ſine illis conditionibus acceptum, ſi qui Monti præſunt, requiſiti expreſsè declarent, ſe condonare fructus à quolibet ſine titulo perceptos: quod *Card. Lugo* meritò improbat. Damnum namque non Mons, ſed mutuatarius patitur, qui quam diu non remittit, obligatus manet damni illius auctor. Secundò inventi ſunt alii montes ab Italis potiſſimùm, de quibus agit *Tol.l.5.c.* 39. qui non niſi nomine tenus à cenſibus differunt. Ex. gr. Princeps quiſpiam aut Reſp. magna pecuniæ ſumma indiget, quam niſi à diverſis conſequi non poteſt. Igitur montem erigit, cui aſſignat pro fundo reditus in vectigalibus vel aliis immobilibus fructiferis, & vendit mille loca v.g. in illo monte, quorum ſingula emuntur 100. florenis redduntque emptori annuatim 4. aut 5. ea lege, ut liberum ſit Auctori montis ea loca redimere, quemadmodum in cenſibus fieri ſolet. Verùm aliter, atque aliter eadem montis inſtitutio fieri poſſet, in quo immorari ſuperfluum judico, jam ſæpius indicatam regulam repetendo. Æquitatem & iniquitatem ex titulo, & cauſa auctarii dependere, quemadmodum omnes DD. agnoſcunt. *Sota l 6.q.1.art.6. Filliut. tract.* 34.*c.*9. *Card Lugo Diſp.*25.*Sect.*10. *Tanner. Diſp.*4.*queſt.*7. *num.*84. *Ioan. VViggers tr.* 5. *de controv.c.*7.*D.*3. *ad ContZen l.*8. *Politic. c.*18. *Valentia III. Diſp.*5.*q* 23.*pun.*4. *Bonac. de uſura q.*3.*pu.*3. *Buſenbaum l.*3.*tract.*5.*D.*6. *p.*303. *Henriq. de ſi.hom.c.*10.*num.* 11. *Eſcobar. tract.*3. *Exam.* 5. *c.*3. *Ioan. Medina q.*10. *de uſur. Mol. Diſp.*325. *Salon. q.*78. *art.* 2. *controv.*27. *Rebell. l.*8 *q.*13. *Salas Dub.*33. *Palao tract.*32. *Diſp.*4. *puncto* 24. *Tolet. l.* 5. *c.* 38. *Zerola part.* 2. *V. Mons piet.*

TITULUS IX.

De Contractibus oneroſis, in quibus dominium transfertur.

EX Contractibus, in quibus dominium transfertur, duo ſunt nominati, emptio, & venditio, qui per modum unius computantur; & Cenſus, qui venditionis præ ſe ſpeciem fert: tertius innominatus eſt, & *Cambium* appellatur.

* *

§. I.

De emptione.

I. EMptio eſt Contractus, qui conſenſu perficitur, pretii pro merce. Venditio è contra mercis pro pretio. Dicitur 1. *Contractus, qui conſenſu perficitur*, ad excludendum eos, qui requirunt traditionem,

ditionem, cujuſmodi eſt depoſitum, & alii quidam. 2 *pretii pro merce*, ad excludendam conductionem, & locationem, in quibus nulla merx eſt: qua voce intelligimus rem quamlibet vendibilem, mobilem, vel immobilem: Item actiones, & jura, quæ pecunia æſtimari ſolent: præſentia quoque & futura, ſimul ſumpta. Hæc enim ſimul vendi, licet donari non poſſint. Similiter merx eſſe poteſt hæreditas jam delata. *Precium* eſt nummus, vel pecunia, eo nimirum fine reperta, & recepta, aut rerum vendibilium menſura eſſet. Eadem tamen (per accidens) merx eſſe poterit, ſi propter antiquitatem, ſignaturam, vel aliam ob cauſam æſtimetur. Tria igitur ad ſubſtantiam hujus contractus requiruntur, *res*, pretium, & conſenſus. Dominium, niſi facta traditione non transfertur, quamvis ſine illa Contractus perfici, & compleri cenſeatur. *Schneidevv. l. 3. Inſt. tt. 24. Fellerius in praxi Cenſuali pag 577.* Excipe 1. Eccleſiam, & civitatem, cui vendita res, quamvis alteri tradita, adjudicabitur. *l ul. C. de Sacroſ. Eccl.* Idem de donatione, & venditione à Principe facta nonnulli dicunt, quod tamen in communi jure non invenitur. 2. Primus emptor poſteriori præfertur, quando illi res in ſecuritatem contractus nomine hypothecæ ſubjecta, indeque jus in re fuit acquiſitum. *l. ſi creditor. ∫. ul. ff de diſtract. pign.* 3. Si ſecundus emptor, cui tradita res eſt, de priori venditione notitiam habuit, primus emptor intra annum à die ſcientiæ numerandum, revocare, & evincere rem, ſibi injuſtè præreptam poteſt. 4. Quando per clauſulam conſtituti venditor profeſſus eſt ſe nomine emptoris rem poſſidere, emptori manebit. *Phil. Dec. in Reg. Iur. 23. Contract. Duen. in Reg. 155. Az. 111. l. 8. c. 17. Covar. l. 2. Var. c. 19. Molina Diſp. 369. Leſſius c. 3. D. 3. num. 16. & c. 21. D. 20. Salas de empt. & vendit. Dub. 46. num. 4.*

II. Cùm non unius generis quælibet emptio ſit, dividitur 1. ratione materiæ, quæ vel eſt ſacra, vel profana. 2. ratione finis, qui varius pro hominum neceſſitate, & voluptate. Comparamus enim & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, & ſuperflua: aliqui pro Rep. alii officio ſuo convenienter, idque ex aliis, & aliis motivis. 3. dividitur ex modo. Aliquæ res venduntur abſolutè, aliæ conditionatè, addito ex. gr. *pacto, de retrovendendo*: aliæ ſub haſta, aliæ modo communi. 4. ex forma ſolutionis. Vel enim res emitur dilata ad tempus pretii ſolutione, vel pretio ſtatim ſoluto. Vel è contra emitur res futura anticipato pretio; item re ſtatim tradita emptori, & ſoluto pretio venditori. *Reginald. l. 25. tract. 3. num. 250. Armilla V. Emptio Tholoſanus* inſuper *l. 23. c. 2.* in veram imaginariam, & litis æſtimationem dividit. Vera dicitur, cùm res & pretium accedit: imaginaria fit pretio non accedente, quæ quia pro non facta eſt, non alienat rem. *l. nuda de contr. empt. l con. tractu ff de act.* Litis æſtimatio inter ſpecies venditionis numeratur quidē. *l. pro empt. l. pleru mq. ff de jur. dot.* Verè tamē ſimplex venditio non eſt, ſed emptioni ſimilis in aliquibus *l pro empt. ff de rei ven. l. quoties de ſolu. matr. eod Car. Tuſch. Con. l. 47. Az. 111. l. 8. c. 2. Eſc tr. 3. Exa. 6 c. 1. Fill tr. 35. c 1. n. 13.*

III. Vendi non poſſ. 1. Sacramenta in quibus divina, & ſupernaturalis gratia continetur *c. gratia cum ſequ. 1 q. 1. Silv. in V. Simonia n. 3.* 2. res ſacræ & religioſæ, templa,

templa, altaria, vaſa, ... inſtrumenta, ornamenta, & ſimilia, niſi aut formam amiſerint, aut neceſſitas urgeat. *c. aurum. c. ſacrorum.* 12. *q.* 2. *l. ſacra loca §. fin. ff. de rer. diviſ. l. inter ſtipulantem §. ſacram rem. de verb. obl.* 3. res publicæ, forum, via, & ſim. *l. ſed Celſus. ff. de contrah. empt.* 4. Venena, & quæ humanæ vitæ obeſſe poſſunt. *l. quod ſæpè ibid. Fagund. l.* 5. *c.* 23. 5. res litigioſa. *l. cit. Mynſing. Cent.* 1. *obſ.* 55. *Bonac. Tom. II. p.* 497. 6. homo liber. *l. cit. ſed Celſus. ff. de contrah. empt.* Excipe caſum extremæ neceſſitatis, in quo permittitur patri filium, & filiam vendere. *l. ſi quis C. de patr. qui fil. ſuos diſtrax. Thol. l.* 25. *c.* 7. *n.* 2. 7. quæcunq; vel jure gentiũ, vel municipali, & privato prohibentur, ut res dotalis, pupilli, minoris, ſervus conſtitutus in fuga. *Thol. l. cit. Conan. l.* 7. *c.* 6. *n.* 12. Denique rem alienam ſcienter poſſidens, vendere non poteſt, niſi gratum fore domino rationabiliter præſumat. Ignorantia faciet tamen, ut emptio valeat *l. ſi in emptione ff. de contrah. empt.* Valeat, *inquam*, non ut dominus rei amittat jus revocandi, & vendicandi rem ſuam, ſed ad hoc, ut emptor poſſit uſucapere: item, ut poſſit precium repetere, & quicquid ſua intereſt. *AZ. III. l.* 8. *c.* 5. *Reginald. l.* 25. *c.* 14. *n.* 252. *Tabien. n.* 7. *V. §. ſeq. D.* 1.

IV. Inter eos quibus alienatio rei per venditionẽ prohibetur 1. principes ſunt. Urbes enim, caſtella, & ſimilia abſq; conſenſu ſtatuum vendere, aut donare non poſſunt. *Abb Felin alii in c. intellecto. de jurejur. Oſterm. l.* 3. *Inſt. tt.* 24. 2. Maritus qui rem dotalem non æſtimatam pretio accepit, ſine conſenſu uxoris non vendit. *l. Julian. ff de fundo dot. Inſt. quib. alien. licet Franc. Marc. Dec.* 327. nec pro hypotheca obligare. *l.* 1. *§. Et cùm lex. C, de rei uxo. act. Silv. V. Dos. n.* 12. 3. Fidejuſſor debitoris rem loco pignoris obligatam creditori non poteſt emere. *l. ſi mandato Titii ff. mandati. Tuſch. Concl.* 60. 4. Uſufructuarius, feudatarius, emphyteuta, & ſimiles, qui dominium abſolutum non habent, abſq; conſenſu directi domini, non poſſunt vendere rem, in qua uſumfructum, feudum, &c. habent. Convenit enim agnoſcere ſuperiorem poteſtatem, à qua depẽdent. Uſumfructum tamen nihil obſtat, quo minùs vendere queant, cùm illius domini ſint. Leges, quæ prohibere videntur, *l. arbor. ff. de uſufr. Inſt. de uſu, & habitat.* non de uſufructu, ſed jure loquuntur, quod vendi nõ poſſe fatemur. *Tuſch. l. cit.* Denique pater & filius non emancipatus tutores & minores nec emunt, nec vendunt ſibi invicem. *V. Mol. D.* 340. & 343. *Reginald. l.* 25. *c.* 15. & *al. infra n. x.*

V. Officia publica an vendere fas ſit, ambigitur: cumq; de ſolis profanis, & jure naturali DD. laborent, non repugnare Juri naturali, ſi idoneis perſonis vendantur, dicendum eſt. Nam præter communem praxin etiam in Romana, & pontificia curia receptam non apparet cuinam virtuti adverſetur, ut inductio probat. Præterea quemadmodum fertiles agri fructum colonis, ſic officia prædicta dominis ſuis adferunt, quod pretio æſtimari, & vendi poteſt. Neque Princeps ullo jure obligatus eſt ad dandum gratis. Video quidem periculo non vacare, multis occaſionem ſuggeri ad impetrandum & abutẽdum, ut facilius ſit excuſare, quàm commendare, nihilominus in ipſo venditionis actu per ſe conſiderato nulla malitia, vel injuria eſt, ut *S. Thom. ep. ad*

Duciſſam

Digitized by Google

Deciſum Brabantiæ teſtatur, eumque ſequuntur alii apud *Sanch. l.2. Conſ. c.1. D 37. Reginald. l.25. c.14.* quibus adde *Bonaci. Tom. II. pag. 497. n. 10. Layman. l. 4. tract. 10. c. ult. §. 6. n. 63. Fagund. l. 5. de Contract. c.23 Regin. l.25. c.14.* Cæterum, ut publicorum officiorum venditio omni vitio careat, ſervandæ Principibus tres iſtæ conditiones ſunt. *Prima*, ut non exponãtur venalia cuicunque idoneo, & non idoneo, qui majus pretium offert, ſed illis tantùm, qui communi bonorum judicio digni æſtimantur. *Secunda*, ut pretium non ſit exceſſivum, ſed moderatum, ne emens exhauſto patrimonio ſuo domi egeat, cogaturq; parum honeſtis mediis, quæ familiæ deſunt, conquirere. *Tertia*, ut non qualibet ex cauſa vel etiam mera cupiditate, ſed tunc primùm vendantur, quando gravis Reip. neceſſitas, cui alio modo ſubveniri non poſſit, vendenda eſſe ſuadet. Ubi in conſilium adhibere convenit, qui à potentibus nõ expectant munera, & pecuniam ſuam dare non ſolent ad uſuram. His neglectis innumera damna tum Reip. tum civibus, & ſubditis expectanda ſunt: quæ plurimi DD. quia moraliter, & regulariter loquendo difficillimè evitari conſpiciunt, omnem officiorum venditionem damnant. Nec omnino ſecuri ſunt, qui approbant, ſed prudentiam, moderationem, & ſinceram intentionem Principibus ad vendendum pronis inculcant: vellentque non vendi officia adminiſtrationem juſtitiæ annexã habentia ad ſcandalum, & penè neceſſaria mala præcavenda. *V. Sanchez lo. cit & Tholoſ l.25. c.11. n.7. Lugo Diſp. 34. Sect. 3.*

VI. Pretium duplex eſt, naturale, ſeu vulgare, & legitimum. Hoc voluntate Magiſtratuum, & legibus conſtituitur; illud à naturali prudentia, ſeu communi æſtimatione virorum ſapientũ, determinatur rei naturali, & adjunctis probè cognitis. Unde latitudinem admittit, & triplicem gradum habet, infimi ſcil. modii, & rigoroſi. Equus ex. g. æſtimatur 100. fl. ſi hoc medium pretium eſt, ſummum vel rigoroſum erit 105. infimum vero 95. In re minori minor latitudo erit. Si medium pretium fuerit 10, ſummum erit 11. infimum vero 9 *Leſſ. c.21. Dub 2. n.10. Fill tr. 33. c.3 Palao D.5 pun.2* Ea latitudo pendet tum ex cujuſq; regionis recepta æſtimatione ac judicio, tum ex circumſtantiis, & potiſſimùm ex modo vendendi. Minoris enim ſub haſta, & proxenetis in diſceſſu, & neceſſitate; majoris in domo, & officina propria, quando minor copia, & major rerum vendibiliũ neceſſitas eſt. Tempus quoque, emptorum numerus, fertilitas anni, & ſterilitas judicium, ac pretiũ variant. *Fill. l. cit. n.58. Salas de empt. D 25. Medin C. de reſt q 36. Nav. c.23. n.88. Mol. D. 353. & 364. Leſſ c.21. Dub.2 Pe. Nav. l.3. c 2. Conr. q.56 de Contract. Soto l 6. q 2 art.3.*

VII. Econtra pretium à Magiſtratu legitimè conſtitutum variare pro libitu, & augere nequaquam licet. Neq; enim privati, ſed publici juris eſt *l. pretia ff ad l. Fal.* Quod ſi vendens ultra dimidium in venditione læſus eſt, pro reſciſſione contractus, vel compenſatione adverſus emptorem actio datur. puta, ſi pro flor 10. accepit 4. tantum. *l.2. C de reſcind. vend. c. cùm dilecti. & c. cùm cauſa. de empt & vend Deci. conſ. 293. Corn. conſ. 27. l 4. Zer. P.1. V. empt.* Pari jure, ſi emptor cùm juſtum pretium eſſet 10. plus dedit, quàm 15. pro compenſatione, aut reſciſſione contractus agere

 poteſt.

poteſt. *Barb. in c. Cum dilecti de empt.* Hæc ferè communis opinio eſt. Paucis diſſentientibus, *Pinello, Mynſing. & Fachinæo apud Laymannum*, qui cenſent emptorem reſtituendum non eſſe, niſi duplo plus ſolverit, quàm oportuit. *Laym. nihilominus l. 3 tract. 4. c. 17 § 1 n. 7.* utramque ſententiam admitti, & ſecundùm illam in foro externo judicari poſſe contēdit, eò quòd nimiùm multiplicādæ ſint lites, ſi etiā emptori ultra dimidium læſo ad reſcindendum contractum actio permittatur. Quę cauſa impulerit etiam Cameræ Spirenſis Senatum, ut eodem proceſſu utantur nō dando videlicet emptori actionem læſionis ultra dimidium, uti teſtatur *Mynſing. Centu. 4. obſ. 74. Fach l. 2. Controv. c. 16*

NOTA I. Idem ſervandum in aliis contractibus, puta locatione, emphyteuſi, & ſimil. ut niſi ultra dimidium læſis non detur actio. *Gloſſ & DD in l majorib. C. communia utriuſq; juris. Abb in c. Cùm cauſa. de empt. Fachin. l. 2. c. 22. Arius Pinellus l. 2. part. 1. c. 3. & 4.* Exceptâ tranſactione litium finiendarum causâ. *Mynſing. cent. 6. obſ. 91.*

NOTA 2. Quamvis etiam Jure Canonico nulli præterquam ultra dimidium læſo actio concedatur, concedi tamen denunciationem evangelicam, vel judicialem, quia deceptores moniti de ſatisfaciendo, ſi nolint, Eccleſiaſtico Judici denuncientur, qui eos ad reſtitutionem compellat. *c. novit. de judic. Maranta part. 6. § de denuntiat pag. 158. Laym l. cit. n. 8. Az. 111. l. 12. c. 2. Dub. 4. Barb. in c cùm dilect h. t.*

NOTA 3. Spem recipiendi in quo læſus eſt, non habet is, qui ſciens pretii exceſſum, vel defectum nihilominus emit, aut vendidit. In tali eventu enim præſumitur jure ſuo cedere, & remittere ultrò, quòd ſibi aliàs debetur. *l. quæritur. § ſi venditor ff. de ædil. edicto Gaill l. 2. obſerv. 29. n. 11.*

NOTA 4. Quod vulgò dicitur licere contrahentibus ſe invicem circumvenire *l. in cauſa cognitione 2. & ibi DD ff de minor.* non eò tendit, ut dolum, & fraudem approbet, ſed potius pro nullo, & irrito contractu habeat, cui dolus cauſam dedit. *l. ex empto § is qui, ff de act. emp. & l. eleganter. ff. de donat.* Illas igitur deceptiones diſſimulant leges, quæ reipſa, vel qualicunque ſolertiâ contrahentium eveniūt, dum quilibet lucro ſuo intentus eſt. *l. ſi voluntate C de contrah. empt. Mynſing centur. 6. obſ. 38 Petr. Duen. in Reg. 148. VVeſenbec. l. 18 ff tt. 1. n. 15. Franc. Marcus par. 1. Deciſ. aur. q. 540. n 37. & ſeq.*

VIII. Licitum eſſe aliquando pluris vendere rem, quàm per ſe valeat, etiam *S. Thom. Aquinas agnoſcit 22. q. 72. art. 1.* Fieri enim poteſt ex certis occaſionibus, & particularibus circumſtantiis, ut accedat rei aliquid, quod pretio æſtimabile ſit. Unde 5. modos alii excogitarunt, quibus id juſtè fiat. 1. eſt, ſi venditio cum liberalitate miſceatur, & emptor exceſſum pretii ſponte offerat, quod vendenti manifeſtandum erit. 2. Si in gratiam emptoris tantùm hæc, vel illa res vendatur, quod ſimiliter ipſi indicare vendens tenetur. 3. Si quod lucrum ceſſans, aut damnum emergens ex tali venditione revera, & rationabiliter metuatur. Ubi incorruptum judicium exigitur. 4. ipſum officium, & profeſſio vendendi, cui ſe conſtanter addixit mercator, ut moderatum aliquid adjiciat communi pretio, permittere videtur. Inde enim ad omnes manat, hæc utilitas, quòd certi ſunt, ſe res neceſſarias apud illum inventuros, ut

non

Digitized by Google

non ſit opus inquirere, & adire ignotos fortè, & minùs de fide exploratos. *Molin. Diſp.* 348. Poſtremò creſcere pretium poteſt ex affectu, & oblectatione, quâ ſe alienando privat venditor. Id namque pretio æſtimabile cenſetur. *Laym l. 3. tract. 4. c. 17. §. 1. n. 10. Petr. Navar. l. 3 c. 2 nu. 23. Tanner. Diſp. 4. q. 7 Dub. 1. n. 30. Leſſius c. 21. Dub. 4. Palao tract. 32. Diſp. 5 punct. 10.*

IX Quod attinet res pretioſas, quibus nec vulgare, nec legale conſtitutum pretium eſt, tanti vendere licet, quantum pro illis emptor dare paratus eſt. Nam ſi rex aliquis gemmam, falconem, avem Indicam, aut ſimile quid rarum, & charum pro ſuo affectu exiſtimet 100. aureos valere, eoſque exhibeat poſcenti, non apparet, contra quam juſtitiæ partem peccetur. Venditor indicat pretium à ſe conſtitutum habita ratione perſonæ: rex acceptat, res ipſa multùm ſervire poteſt, nec obſtat, ut ſupponimus, lex aliqua. Sibi igitur imputabit emptor, ſi æquo majus pretium perſolvit. *Eſcobar. tract. 3. Exam. 6. c. 5. n. 90.* Illud tamen attendet Venditor, ne in conſcientia judicet pretium injuſtum eſſe, & rem aliquo defectu occulto laborare, qui æſtimationem ipſius ſi notus eſſet, multum minueret. Sic locum habere poteſt illud vulgò jactatum. Rem tanti valere, quanti vendi poteſt. *l. 2. §. ſi hæres ff. ad Trebell.* Et quod rei ſuæ quiſque arbiter ſit *l. in re mandatâ C. Mandati Soto l. 6 q. 2. art. 3. Petr. Navar. l. 3 c. 2. num. 21 Bann. 22. q. 77. art. 1 Valentia Diſp. 5. quæſt 20. pun. 2. §. 3. Roſella Em Sa. in V. Venditio Azor. 111. l. 8. c. 7. Tol l. 8 c. 48. Reginald. Sect. 4 num. 289. Diana part. 1. tract. 8. Reſol. 56. Ledeſma part. 2. Summ. tract. 8. c 32. Ioan. Medina de reſtit. quæſt. 32. Barth. Med Canus Penna Fagund. l. 5. de Contract. c. 28. Eſcobar. tract. 3. Exam. 6. c. 2. num. 11.*

X. Emptio & venditio nulla eſt 1. quando contrahentes in materia errant, aquam pro vino, pro equo aſinum, pro re profanâ ſacram vendendo, & emendo. 2. quando non conveniunt de pretio. *l. in Venditionibus ff de contrahend. empt.* 3. quando erratur in qualitate rei, ut ſi pro ſervo venditus, mulier eſt, quamvis id venditor ignorarit. *l alioqui ff. de contrah. empt.* 4. Si res eo tempore, quo vendebatur deſtructa erat *l. domum. l. arboribus. ff eod.* 5. Imaginaria quoque venditio pro nullâ habetur. *l. Nuda 55. de empt. Cujac in l ult. ff. de donat.* Denique perſonarum inhabilitas contractum irritat, de quo *Molina D. 340. & 343.* Ejuſmodi ſunt pater, & filius non emancipatus, maritus & uxor, tutores, & minores. *Ioan. Salas de Venditione Dub 55. Rebell. part. 2 l. 9. quæſt. 19. Sect. 3. Azor. 111. l. 8. c. 3. VVeſenbec. Digeſt l 18 tt. 1. num. 15. Schneidevv. l. 3. Inſtit. tt. 24. §. fin. Caſtrenſ. in l 2. C. de reſcind. vend. Tanner. Diſp. 4 quæſt. 7. Dub. 1. num. 11. & ſeq.*

XI. Venditoris eſt, mercis ſuæ naturam, qualitates, obligationem, onera, & vitia, prout novit, & intereſt, emptori indicare: aliàs dolo egiſſe cenſetur. *l. 1. C. de ædil. act. Unde S. Ambr. l. 1. de off.* In contractibus vitia eorum quæ veneunt, prodi jubentur: ac niſi intimaverit venditor, quiſquis in jus emptoris tranſierint, doli actione evincuntur. Intellige, ſi cauſam contractui dolus dedit, non empturo, qui noſſet vitium. Tunc

Digitized by Google

enim vel ad reſcindendum contractum, vel pretium redhibendum agitur. *l. Iulianus. ff de act. empti. l. ſi vina. 2. ff. de periculo. & commodo rei vendita. Leſſ c. 21. D. 11.* Quæ verò per ſe patent, alia revelatione non indigent. *l. Ea quæ ff. de contrah. empt l. 1. § ſi intelligatur ff. de adil. edicto* Quod æquè in foro conſcientiæ obtinet, quando iuſtum pretiũ petitur. *Salas Dub. 34. Nav. c. 23. n. 89. Silv. Q. 19 Armilla, Roſella. & alis Summiſte cum S. Thom.* Mol. *Diſp.* 353. *concl. 7. Soto l. 7 de iuſtit. Q. 3. ar. 2.* Conr. de Contr. p. 54 *Fagundez l 5. de Contract. c 38. Bonacina Tom. 1. pag 508.* Si vitium quamvis manifeſtum non agnoſci ab emptore videas, quaſi occultum omnibus foret, emptori detegendum eſt: ne ignorantia illius, & ſimplicitas immerenti damnoſa ſit. Maior *in 4. diſt. 45. q. 40.* Pe. *Nav l. 3. de reſtit. c. 2. n. 54. Abb. in c. Iniuſtum n ul. de rer permut.* Laym. *l. 3.* Tr. 4. *c. 17 §. 2. nu. 14.* Card. *Lugo* Diſp. 26. *Sect 8. Lopez l. de* Contr. *c. 45.* Tanner. *Diſp* 4. *Q. 7. Dub. 2. nu. 61 & ſeq.* Palao Tr. 32. D. 5. *pun.* 22.

XII. Peracta venditione, ſi aliud inter partes conſtitutum non eſt, fructus omnes pendentes tam maturi, quã immaturi ad emptorem ſpectant. *l Iulianus. § ſi fructibus & § ſi quid ſervo. ff. de actionib. empti.* Covar *l. 1. Variar. c. 15. n 2.* Gomez *l. 2 n. 2. n. 11.* Mol. D. 368. *concl ult.* Card *Lugo Diſp. 26. S. 13. & 14.* Weſenbec. *l. 18 ff tit. 1. n 8* Palao *lo. cit. Puncto 25. nu. 2.* Et meritò, quia fructus pendentes cenſentur eſſe pars fundi. *l fructus ff. de rei vendit.* Empto igitur fundo ſimul emuntur fructus in eo pendentes. Pari modo cùm equus venditur, ſimul vendita cenſentur conſueta illius ornamenta, ephippium, & frenũ. *l. Ædiles 2 §. Vendendi. ff. de adilitio edicto.* Vendita domo etiam ſeræ, & clavi, & ſimilia emptori cedunt. de quibus *l. fundi ff de actionib empti.* V. *Az* 111. *l 8 c. 19. Fagundez l. 5. de* Contr. *c. 5.* De fructibus poſt traditionem rei emptæ natis, nondũ exhibito pretio difficultas eſt. Leges enim venditori tribuunt, eò quòd ſicut pretii dominus eſt, ita eorũ quæ illius vice ſunt, habere dominium commoditatem & utilitatem debeat. *Ita Iurec. in l. Iulianus. §. Ex vendito ff de act. empti. l ult ff. de peric. & commodo rei, vendita. & l. curabit.* C. *de action empti.* Verùm eas leges iniquas, & Vſurarias eſſe communior Theologorum opinio cenſet, apud *Leſſ c. 21. D. 13. & Laym. l. 3. tr 4. c. 17. §. 2. n. 8.* Cùm enim rei emptæ periculum ad emptorem ſpectet, æquum eſt, fructus quoque pertinere. *V. Az. 3 l 8. c. 15 Fagund. l. 5. c. 8.*

XIII. Pactum legis commiſſoriæ à cõtrahentibus iuſtè apponi poteſt, conſtituendo, ſive directis, ſive obliquis verbis, ut ſi pretium elapſo termino non exhibuerit emptor, contractus expiret, & dominium rei ſtatim ad Venditorem redeat. *l. ult. ff de lege commiſſ & l. Commiſſoria* C. *de pactis.* Quamobrem ubi directis verbis actum eſt hoc modo. *Niſi pretium poſt 3. menſes ſolueris pro non empta habeatur.* Venditor ius habet vendicandi ſibi rem, quam vendiderat ll. citatis. Si autem obliquis verbis actum, ita: *Si non ſolueris, res redeat aut reſtituatur mihi*, non vendicatione rei, ſed actione ex vendito agere poteſt, quia verbis legis commiſſariæ uſus non eſt. *Glo. & DD. in l traditionib. C. de pactis.* Fructus igitur, & quicquid commodi emptor interea temporis rebus ſuis adiecit, reddere vẽditori tenetur exceptis fructi-

fructibus,quos conſumpſit. *l fundo. ff. de lege commiſſo & Glo.ibid Leſſ.c. 20. D. 15. Fill. Tr. 35. c. 7. n. 165.*

No. Licet venditor ex pacto legis commiſſoriæ revocare ad ſe poſſit rem emptori traditam, non tamen ad id cogitur, ſed indulgere maius ſpatium pro ſolutione permittitur: niſi fortè partem pretii iam tum acceperit. Tunc enim renunciaſſe iuri ſuo cenſetur. *l. Cum venditor. l Nã legem. ff. de le. commiſſoria. Fagundez l. 5. de Contract. c. 45. Tuſchus V. Pactum. Concl. 16.*

XIV. Actionem ex empto vocamus, quæ ſoluto pretio emptori convenit adverſus venditorem, ut tradat rem venditã cum ſuis fructibus poſt moram, & aliis ad rem pertinentibus. *l. Iulianus. §. Afferri ff de act. empti, & venditi.* In hac actione tres aliæ continentur, 1. vocatur *evictio*. Nam ſi vẽdita res aliena fuerit, ad omnia damna inde nata emptori tenetur. *Duenas in Reg 244. 2. redhibitoria*, quâ intra 6. menſes agit contra venditorem, ut reſcindat contractum, eò quòd vendiderit rem aliquo vitio affectam. *ff de ædilitio edicto*: 3 vocatur *præſcriptis verbis*, qua agit contra Venditorem, quia non ſtetit pactis in venditione appoſitis. *Oldendorp. Claſſe 4 Act.* 1. Venditori è contra adverſus emptorem competit Actio, ut præſtet, quæ ipſi iure præſtanda ſunt, videlicet pretium rei venditæ, & uſuras, ſeu intereſſe propter moram. *l. curabit. C. de actionibus empti.*

Nota. Venditorem bonæ fidei non teneri de evictione 1. quando emptor nõ denunciat illi moram litem eſſe ſuper re vendita. 2. quando pactum eſt, ut evictionis nulla ratio habeatur. 3. quando accuſante venditore emptor non appellavit à ſententia. 4. quando ſententia apertè iniuſta fuit. 5 quando per arbitrum definitur lis. 6. quando emptor tempore contractus ſciebat rem alienam eſſe. 7. quando rem præſcribere potuit emptor, & culpa ſua non fecit. 8 quando emptor ſua culpa amiſit rei poſſeſſionem. *V. Duenas in Reg 242. Card. Lugo Diſp. 26. S. 10. ci. fin. Palao Tr. 32. Diſp. 5. Pun. 28. §. 4. Vigelium in Methodo Civili l. 18. Par. 5. c. 6. Franciſc. Marcus Deciſ. 582. & ſequ. Barthol. Socinus in Reg. 532.*

§. II.

Sati fit Dubiis de emptione, & venditione.

DVB. 1. An vendere liceat rem alienam?

R. 1 ſecũdùm ea, quæ § *præc. n. 3.* diximus, nõ licere inſcio invito rationabiliter domino, cũ ipſius præiudicio: validã tamen vẽditionẽ fore, ſi emptori ignoranti fiat, in præiudiciũ venditoris, qui actione ex empto, ad compenſationem omnium damnorum tenetur. *l. rem alienam. ff. de contrah empt. l. Nemo. C. de reb alienis non alienand.* De evictione item, ſi furtivam eſſe comprobatum fuerit. *l. 1. l. Venditor & to tt ff. de evict. l. Non dubitatur. & to. tt. C. eod.* Pretium nihilominus venditori acquiritur, quamvis rei venditæ dominiũ non transferatur in emptorem. *l. traditio. ff de acquir rer. dom l ex empto ff. de act. empti*: etiam quando malæ fidei, vel fur eſt, qui vendit. *l. qui vas. §. ult. ff. de furtis.* Nummus qui redactus eſt ex re furtiva, non eſt furtivus. Vnde ſequitur, ſi quid

Digitized by Google

emerit rei furtivæ pretio dominium rei comparatæ ipſi, pretii verò vendenti advenire. Neque hic metuenda inæqualitas eſt. Quamvis enim dominium pretii venditor acquirat, emptor verò rei emptæ non acquirat, venditor tamen obligatus manet emptori de evictione, ut ſupra diximus, & conſtat ex *l. Ex empto. Card. Tuſchus Concl.*53. *Canon.l.*7.*c* 6.*n.*11.

R. 2. Quando emptor rem alienam eſſe novit, actionem adverſus venditorem non habet, neque is de evictione obligatur, niſi contrarium expreſsè deductum fuerit in pactum *l. ſi fundum.* C. *de evict.* Quod ſi res empta mobilis eſt, emens quaſi fur punietur. C*onr de Contr p* 70. Mozius *Tr. de empt. tt. de reb. quæ emi & vendi poſſunt Tuſchus l. cit. num.* 7. Mol. D*iſp.* 327. & 380. *Rebell par* 2. *l.*9. *Q.* 18. *Sect.* 1. *Fagund. l.* 5. *c.* 16. *Salas de empt. & vend.* Dub.48 Laym *l.* 3 *Tract.*4. *c.*17 §.3. *Tholos l.*25.*c.*10.

R. 3. Cùm res aliena reſtitutioni obnoxia eſt, ſi poſt diligentem inquiſitionem dominus non compareat, non ſibi, ſed pauperibus utendam fruendam eſſe pleríque volunt, ducti eâ ratione quòd ea videatur domini voluntas eſſe. DD. apud *Salas l.cit.* & Leſſ c.14. *Dub.*7. Non apparet tamen contra quam virtutem peccet, ſibi retinens ea bona, quorum dominus ignoratur. Perinde enim, atque adeſpota ſe habent, primo occupanti debita. Et quid facies, ſi dominus illorum infidelis, vel ita immiſericors ſit, ut nullo modo cupiat eleemoſynam facere? Nō igitur damnanda penitus videtur *Soti opinio l.* 5. *p.* 3. *ar.* 3. ſibi uſurpare poſſe bona, quorum dominus poſt ſufficientem inquiſitionem ignoratur, cùm plures illam ſequantur, & tandem Laym. quoque valdè probabilem vocet *l.*3. *Tr* 1. *c.*5 *num.* 24. Eſt autem viri prudentis iudicio definiendum, quanto tempore expectanda ſit veri domini revelatio. *V. Pallavicinum l.* 4. *de Iuſtit. c.* 2. *n.*21.

D. 2. An quis ad vendendum res ſuas cogi poſſit?

R. 1. Regulariter, & extra caſum magnæ neceſſitatis neque ad emendum rem alienam, nec ad vendendum ſuam cogi quenquam poſſe. *l. Invitum C. de contrah. vendit. l. nec emere C de iur. delib. & al iurib. quæ citant Panorm in c.* 1. *de empt & vend.* Covar. *l.*3. *Var. c.*14. *Alu. Velaſq. Conſul.*22. *n.*1. & *Ant. Gom. l* 2. *c.*2. *n.*51. Vnuſquiſq; enim rei ſuæ dominus, moderator, & gubernator eſt, cum poteſtate agendi pro ſua voluntate. *l Nemo.* C. *de Iudæ. & cælicolis c.*2. *iun. Glo.*1. *de iureiur. & c. pan. de Sepult. Boerius Decis* 322. Quamobrem graviter à Deo reprehenſus, & punitus eſt Achab. *l.* 3 *Reg c.*21. quod vineam Naboth nolenti vendere eripuiſſet. *Silv. n.*6. *Bonac. tom.* 2. *p.* 498. *Franciſcus Marcus Par.* 1 *Deciſion aurearum Deciſione* 535. *Lugo Diſp.* 26 *Sect.* 2.

R. 2. Quia poteſtas publica minorem, & privatam poteſtatem ſubiectam habet, ad vendendum cogere poteſt ſubditos in his 7. caſibus. 1. Cùm id pia cauſa, ſeu religio poſtulat, ut ſi extruenda eccleſia, monaſterium, aut Xenodochium ſit. Colligitur ex *l* 2. §. *Locum. & l ſi quis ſepultrum ff. de Religioſis, & ſumptib. funerum. Bart. Felinus Angelus Silv. V. Emptio. q.*5. *Zerola Pa.* 1. *n.*3. 2. Cùm in reip. & boni communis augmentum cedit. Si amipliandum pomœrium, muri, pontes, fontes reparandi, ædificanda curia, vel gymnaſia,

Digitized by Google

neſia, in eum finem cogi cives poſſunt domos quæ obſtant, vendere. *Vaſquius l.1.c.5.Tholos l 25.c.10 Angel. Aretin. Conſil.371.Mynſing Cent.5 obſ.97. Card. Tuſchus Conclus 59 num 9. 3.* Qui rem ad victum neceſſariam vænum expoſuit, eandem vendere cogitur etiam taxato pretio. *Panor. Bart. Baldus, Dynus, Iaſon apud* Covarr. *l cit.* Item tempore magnæ car. ſtiæ, ad vendendum, qui annonam habent, cogi poſſunt. Pari iure Advocatus, Medicus, cauponarius, & quicunque officium publicum ſuſcepere, vel conducti ſunt, ad id præſtandum coguntur. De meretrice negat Zerola *l. cit* 4. Domum ruinoſam habens ſi reficere nequeat, cogitur alteri vendere, qui id faciat. & damno vicinorum conſulat. *l. Cornelia* §. 1. *ff. ad S. C. Syllanianum* 5. Qui ſervum communem habet, invitis ſociis manumittere poteſt, dando illis partem pretii debitam. *l. debitam C de commu. ſervo manumiſſo.* 6. Qui habet rem communem cum alio, ſi voluerit vendere, vendere tenetur illi, cum quo communem habet. *l. Ad offícium. C communi dividundo.* 7. Qui per ſæviriam abutitur iuriſdictione ſua in ſubditos, ea invitus privari poteſt, ſaltem ad tempus Covarr. *l cit. Az. 3 l. 8. c 27. Mol. D. 341.* Salas *Dub 53. Schneidevv. l 3. Inſt. n. 14.* Card. Lugo *D 26. Sect. 2. Zerola* Par. *1. V. Emptio. Socinus Reg. 435. Brenchorſt Centur 2. aſſert 63.*

DVB. 3. An opera Virtutum licitè vendantur, & emantur?

R. 1. Non licet vendere opera, ad quæ tenemur ex iuſtitia, vel obligatione officij noſtri. Iudex V.g. pro ſententia, teſtis pro teſtimonio ferendo nihil paciſci, & accipare poteſt, quia ad id ex iuſtitia, & officio ſuo obligantur Nec obſtat, quòd pro alio teſtificari actus charitatis ſit, eo ipſo enim, quod ad teſtificandum quis accedit, veritatẽ dicere tenetur ex iuſtitia: quemadmodum mercator exponens rem vendibilem iuſtum pretium exigere debet. Nec ab onere reſtituendi liber eſt, qui in prædictis pretium admittunt. At cui reſtituet, *inquis*, iniuſtè accepta? Communior ſententia pauperibus addicit. Vtile conſilium, & quo utens Sacerdos confitentem obligare queat. *Covar. & Soto* potius reſtituendum eſſe illi, qui dedit, exiſtimant. Cùm enim propter pacti nullitatem dominium non tranſtulerit, ſed retinuerit, apud ipſum manſit, & recipere debet, quod abſque effectu dederat.

NOTA. Intelligenda hæc de ipſo actu iudicandi vel teſtificandi præcisè. Nam ſi pro labore diligẽtia, periculo, & ſimilib. pretiũ datũ ſit, quamvis cum peccato acceptum, & applicatum fuerit, opere perfecto, retineri poteſt, quemadmodum in aliis materiis homicidii, luxuriæ &c dici ſolet. *Silv. V. Simonia n. 9. Sayrus l. 10. c. 3. Dub. 8. Fann. 470. ar. 4. Covarr ad Reg. Peccatum parte 2 § 3. Soto l 4. q. 7 ar. 2. Medina q. 26. Leſſ 14. D 8. & 9. Nav. c. 17. n. 34. Mol D. 89. Arrago. 22 q. 75 ar. 4 Fagund l 5. c. 18 cum al. ibſe citatis. Armilla V. Emptio. Decianus l 8. c. 35 n. 15 Franc. Marcus Deciſ. 686. 1-8 & 488. Comit. l. 3. q. 6.*

R. 2. Idẽ de operibus ex charitate præſtandis dicendum eſt, vendi ſcilicet non poſſe, niſi fortè admixtus ſit labor magnus, aut ſumptus. Nam eiuſmodi opera communi hominum iudicio non æſtimãtur pretio. Deinde, cùm maximè interſit proximi, ea opera fieri, videbitur coactè datum, & non gratis, quod acceperis.

Quocirca

Quocirca nihil accipere potes pro eo, ut deponas odium contra me conceptum, vel indices furem, qui mea bona ſurripuit, modò ſine labore & ſumptu quies facere. Quod ſi pro actu, vel omiſſione actus faciendi in tuum ſolius commodum, aut in honorem Dei aliquid datum fuerit, retineri poterit, quia cenſetur liberaliter datum ex cauſa & ſub conditione tantùm, abſque alia obligatione. Pari iure ſi detur ad inclinãdam voluntatem eius, qui aliàs ex iuſtitia vel charitate tenetur: excepto, ſi Ius obſiſtat, reſtitutionem imperet, vel inhabilem reddat ad dominium rei acceptæ capeſſendum. Iudicibus certè ea crux videtur eſſe poſita. *l plebiſcito* 18. *ff. de off præſid l ſolent.* §. *fin. de off proconſul. eod Plura V. apud Leſſ & Fagund. l. cit.* qui ſuperius generatim dicta, etiam in actibus ex voto, & obedientia debitis locum habere oſtendit. *num* 19. *&* 20.

D. 4. An minoris emere liceat propter anticipatam ſolutionem?

No. Pro Generali regula in tot dubiis quæſtionibus titulus & cauſa aucti, vel minuti pretii attendi debet: non negligendo conſuetudinem loci à viris bonæ conſcientiæ uſurpatum. Hoc poſito.

R. Propter anticipatam ſolutionem minui poteſt pretium etiam infra minimum aliàs conſtitutum, quando anticipatio venditori multum utilis, emptori verò qualicunque modo moleſta, & gravis eſt quod variis modis contingere poteſt.

1. Propter periculum non accipiendi merces, V. g. lanam, quæ ferè ſic emi ſolet vel minus ſinceras, vel propter lites inde naſci ſolitas.

2. Propter lucrum ceſſans, aut damnum emergens ex anticipata ſolutione. Nam induſtrij mercatores per cãmbia & alios modos lucrari poſſent ſi eam pecuniam in manu haberent.

3. Quia ſic emendo, & ſoluendo creſcit numerus vendentium, ex quo communiter pretium minui ſolet

4. Quod ſimiliter decreſcit ex inopia, & neceſſitate venditoris, qui ultrò offerre, & rogare ſolent emptores.

5. Si lanæ omnes, ex. gr. numerata pecunia emerentur eo tempore, quo oves tondentur propter copiam & multitudinem viliore pretio emerentur: & rogarentur emptores ab iis, qui præſenti pecunia indigent pro mercede paſtoribus danda, & ſumptus ad conſervandum neceſſarios fugiunt. Hinc colligitur generatim loquendo cauſam minuti pretii ex aliquo onere vel malo, quod iuſtè timetur ab emptoribus pendere. Ad hoc ergò, qui conſultum ſuæ conſcientiæ vult, attendere debet iuxta Reg. initio datam. *Corduba q.* 85 *Soto l.* 6. *q.* 4. *art.* 1. *Mol. D.* 360. *Turrian. D.* 61. *dub.* 10. *Leſſ. c.* 24. *Dub.* 7. *Valent.* D. 5. *p.* 20. *Angles, Toletus. Em. Sa, Salonius. Fillintius Tr.* 35. *c.* 5. *Card. Lugo D.* 26. *Sect* 7. §. 3 *Salas. Fagund. l.* 5. *c.* 32. *&* 33. *Mag. Mantius. Penna. Victoria. Eſcobar Tr* 3. *Exam* 6 *c.* 3 *n.* 25. Eadem quæſtio viciſſim movetur, de venditione, in qua ſolutio differtur, an liceat tunc maiori pretio vendere, de quo *Card. Lugo l. ci.* §. 2. certum videri, ait, ſecluſo omni alio titulo non licere augere ultra pretium rigoroſum: hoc enim eſſet lucrum captare ex mutuo implicito. Licebit ergò quando titulus, & probabilis cauſa adeſt, quemadmodum paulo ante de ſolutione anticipata diximus. Communiter enim, ut cum Leſſ. Card. citatus notat, ex dilata ſolutione mer-

Digitized by Google

ne mercatores damnum patiuntur ex defectu pecuniæ, quam in lucrum expendere non poſſunt. *V. Palao Tract. 32. D 5 Puncto 12. nu. 7. & Barb. in c. Conſuluit. de Vſuris. Filliuc. l. cit. num. 97. Dian. Par. 1. Reſ. 20.*

D. 5. Ad quem pertineant pericula rei venditæ?

Ad Venditorem nondum re tradita pertinere videntur ex *l. Pignus C. de pignoratitia act.* ubi indicatur caſum, & periculum rei ſpectare ad eum, qui eſt dominus. Cùm ergò ante factam traditionem Venditor maneat dominus, ſi quid mali acciderit rei venditæ, ipſi imputabitur. Nihilominùs.

R. Quando res determinata vendita eſt licet nondum tradita ſit, illicet periculum ad emptorem pertinere. *§. Cùm autem Inſt. de empt. & vend. l. id quod ff de peric. & comm. rei vend. & l. 1. C. eod. tt.* Ratio eſt, quia ad eundem commoda rei pertinent, ut in citatis legibus dicitur. Neque obſtat *l. cit. pignus.* Ibi enim aliud non aſſeritur, quàm pignus manere in dominio debitoris, quia ex illo nullum creditori commodum accedit. Secus eſt in venditione, ut modò diximus *V. Comitol l. 3. Q. 18. n. 9. Brenchorſt Centur. 2. Aſſert. 55.* Cæterùm Regula aſſignata in multis fallit. 1. quando res non in ſpecie, ſeu individuo venditur, V. g. equus, aut bos, ante traditionem venditoris periculum eſt. *Glo. in l. quod ſi neque 14. ff de peric. & comm. rei vend.* Ratio, quia genus perire non poteſt. *l. Incendium C ſi certum petatur* 2. fallit in emptione celebrata in ſcriptis: ubi ante ſcripturam confirmatam periculum rei ſpectat ad venditorem. *l. Cùm inter C. eod. ad hoc enim* ut ad emptorem pertineat periculum rei, requiritur emptionem eſſe perfectam. Sed ante Scripturam hic non eſt perfecta venditio 3. fallit in venditione conditionali: quia pendente conditione, ſi tota res pereat, venditori perit: deterioratio autem ad emptorem. *l. neceſſario ff. eod.* 4. in venditione alternativa V. g. Vendo tibi mulum, vel equum: quia cenſetur venditio ſpeciei incertæ propter naturam alternativæ, quæ rem incertam efficit. *l. Vbi §. quæ illud, aut illud ff de verb. obl.* 5. quando venditor in ſe periculum caſus ſuſcepit. *V Sanè. Inſt de empt.* Nam ex natura huius contractus quamvis non ſuſceperit rei cuſtodiam venditor, nihilominus tenetur emptori de cuſtodiâ lata ſcilicet levi culpâ *l cuſtod ff de per & com. rei vend. & l. quod ſæpè. § ſi res ff. de contrah. empt.* 6. Si culpa etiam levi venditoris res pereat, ipſi perit, emptor indemnis manet. *Silv. V. Emptio. num.* 4. *Leſſ. c. 21. Dub* 12. 7. denique, quando venditor fuit in mora tradendi, ita ut per eum ſteterit, quo minus traditio fieret. Nec attinet, ſi res eodē modo apud emptorem peritura fuerit, quia odio moroſi venditoris ita cōſtitutum eſt. *Bart & DD. in l Quod te ff ſi certum petatur. Silv nu. 3. Mol. Diſp. 366. Salas Dub. 50. Graff par. 1. l 2. c. 116. Az. 3. l. 8. c. 26. Lopez de Contr. l. 1. c. 7. Em. Sa V. Venditio. n. 26. & 27. Leſſ. c. 2. d 12 Schneidevv l 3 Inſt. tt. 24. Fagundez l. 5. c. 47. Card. Lugo Diſp. 26. ci fin.*

D. 6. An & quomodo licita ſit emptio, & venditio cum pacto retrovendendi, aut redimendi?

Pactum hoc adiici poteſt 1. in favorem venditoris, & hic modus frequentior eſt. 2. in gratiam emptoris, ut ſcilicet recepto pretio teneatur rem emptam reſtituere

Digitized by Google

venditori. 3. in favorem utriuſque, ita ut alteruter, prius voluerit, poſſit recuperare id, quod dedit, reſtituto eo, quod accepit. 4 ex parte tẽporis, vel ſtatuto certo tẽpore ut nõ poſſit in qualibet illius parte redimi, ſed in mẽſe determinato vel die, vel ut nõ poſſit redimi ante certũ tempus elapſum, V. g. poſt 3. menſes finitos. His poſitis.

R. Eiuſmodi pactum de retrovendendo per ſe nullam iniuſtitiam cõtinet, modo ſerventur duæ conditiones. 1. eſt, ut is, in cuius gratiam fit talis contractus, de conſueto pretio aliquid remittat in compenſationem oneris, quod altera pars ſubit cedendi rem comparatam. 2. ut ſi quid damni allatum ſit, pro eo ſatisfiat. De quantitate, & modo viderit electus utriuſque conſenſu arbiter. Atque in hoc ſenſu & moderatione intelligi debet *Maxima*, quam DD. hic ad probationem adhibẽt. Vnuſquiſque arbiter rei ſuæ eſt, & imponere poteſt modum quem vult. Ita enim ſuæ rei quiſque dominus eſſe cenſetur, ut diſponat de illa pro libitu quidem, ſed abſque damno, & præiudicio tertii. *Bonacina To.* 11. *p.* 498. *Covar. l.* 3. *Var. c.* 9. *n.* 3. *Medina q. ul. de Vſu Gabr. in* 4. *Diſt.* 15. *q.* 12 *art.* 3. *Maior. Q.* 43. *Mol. D.* 375 *Tholos. l.* 25. *c.* 20. *Eſcobar* Tract. 3. *Exam.* 6. *c.* 3. *Leſſ. c* 21. D. 14. *Filliut.* Tr. 35. *c.* 7. *Fagund. Conr. de Contr. Q.* 33. De fructibus interea perceptis difficultas eſt, ut ſi vineam emiſſes reddendam poſt biennium venditori. Diſtingue, ſi vinea redimatur eodem pretio, quo vendita eſt, medii fructus omnes ad emptorem ſpectant, ſecundum valorem, quem tunc habent. At ſecundum valorem, quem acquirunt poſt tempus retrovenditionis, aut poſtquam emptor fuit in mora reddendi, pertinent ad priorem venditorem. Si autem redimatur diverſo pretio, fructus pendentes ad primum venditorem pertinebunt: quia fit novus contractus, & revendenti licet augere pretium ratione fructuum pendentium. In priore caſu aliter fit, quia abſque novo contractu is qui ante initus fuerat, diſſoluitur. *Mol. Diſp.* 377. *Navar. Silv. Caiet. & Conrad. ab eo citati. Thol. lo. cit Card Lugo Diſp.* 26. *S.* 13. §. 1. *Bonac. Tom* 2. *p.* 498. *Fa bin. l.* 2. *c.* 14. *Eſcobar. Tract.* 3. *Exam.* 6. *c.* 3. *n.* 34. *Gomez l.* 2. *Var c.* 2. *num.* 24. *Covar. l.* 1. *Variar. c.* 15. *nu* 6. *&* 7. *Leſſ lo. cit. Dub.* 15. *n.* 123. *Palao Tr.* 32. *Diſp.* 5. *Pun.* 31. §. 9.

D. 7. Quid iuris ſit in Retractu.

Retractus duplex eſt, Legitimus, ſeu gentilitius, & Conventionalis. Hic in retrovenditione exercetur: ille propinquis conceditur, ut quod aliis venditum eſt, redimere, & retrahere poſſit eodem pretio dato. Quatenus in noſtris hiſce provinciis obtinet, nihil aliud eſt, quam ius alicuius gentis, aut civitatis, ſtatuto, vel conſuetudine conceſſum proximo venditoris cõſanguineo intra certum tempus reſcindendi, & ad ſe revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore conſanguineo empta fuerat. *l. Dudum C. de contrh empt. & c. Conſtitutus de reſt. in integrum* Extat quoque veſtigium aliquod *in c.* 25 *Levit. &* 32. *Ieremiæ.* Vtile inventum eſſe propter conſervationem iurium in eadem gente, aut familia *Gaill probat. l.* 2. *Obſ.* 19. *Mynſing verò in Cent.* 3. *Obſ.* 51. aſſerit in multis Germaniæ provinciis obſervari, nec coniunctus, vel vicinus alienare poſſit, niſi prius interpellet coniunctum, aut vicinũ, quod vocant ius protomiſeos, ſive ius

congrui,

congrui, de quo ſequentia obſerventur.

1. Retractum in ſola venditione locum habere, nec extendi ad permutationem, locationem, emphyteuſin, aliumve contractum, quo utile tantùm dominiũ transfertur, directo penes alterum permanente, quemadmodum benè advertit. *Covar. l.3. Var.c.11.n.3. & 4. Tiraq l.1.de retractu §.33. Tholos.l.26 c.12. Laym.l.3.Tr. 4.c. 17. §.6. Ranchbar Par.1.Q 43.n.24.*

2. Si poſt legitimam denunciationem proximi conſanguinei iuſto pretio emere nolint, poſt duorum menſium ſpacium alteri vendi poteſt. Si autem non requiſito proximo conſanguineo alteri res vendita ſit, ius habet proximus retrahẽdi intra annum, & diẽ communi iure, ut ex *l.2. Feud. DD.* colligunt. Cæterùm prædictus annus currit poſt venditionem perfectam etiam contra ignorantem, quamvis iuſta & probabilis ignorantia iuſtam cauſam reſtituendi in integrum præbere poſſit. *Matth. de afflict. in Tr. de iure protomiſeos.*

3. Quando proximus conſanguineus ius congrui habens morte naturali vel civili defungitur, V.g. profeſſione religioſa, ius retrahendi non tranſit ad eius hæredẽ, aut monaſterium, quia privilegium perſonale eſt, unà periturum, ut *Mol. notat Diſp.* 730.

4. Requiritur ut ſumptus, & expenſas tempore contractus factas integrè refundat. *l Infra utile. §. fin ff de minor.* ne quidẽ vini ea quantitate dempta, quæ inſumitur pro approbatione contractus, Vulgò Weinkauff ſumptus tamen nõ neceſſarios excipio, uti fraudem quoque, qua quis ſimulando retractũ pro ſe fieri in gratiam alterius faceret, qui prædiũ ſibi optat. Vnde plerumque iuramentũ à retrahentibus exigitur, quòd bona fide beneficio retractus uti velint, quemadmodum fuſius declaratur *à Tiraqu. Glo.1. nu.1.* retrahendo ſibi tantùm, quia Ius retractus extraneo venditur. Ex dictis colligitur, in retractu videri actionem quaſi realem contineri, poteſtate relicta proximo conſanguineo ad ſe revocandi rem, apud & quemcunq; extiterit. *Tholos. tamen l.26.c.* 20. vocat perſonalem in rem ſcriptam. *V. Gaill. l 2. Obs.16 Palao Tr.32.D.5.pun.29.*

D.8. An, & quomodo Monopolia licita, & iuſta ſint? Monopoliũ dicitur, quãdo unus, vel plures, pauci tamẽ procurant, ut ipſi ſoli aliquod mercium genus vendãt eo pretio, quod ipſi determinant. Generaliter autẽ ſumitur pro qualibet induſtria mercatorũ, qua prædictũ finẽ intendunt, & conſequuntur. Sunt verò 4 principales modi. 1. conveniendo inter ſe de pretio, ut nemo minoris vendat 2. ut ſoli certum genus mercium conceſſione Principis vẽdant. *Az.3 l.8.c.28.* 3. coemendo induſtriè omnes merces, eaſque occulendo, donec pro ſua expectatione precium creverit. 4. impediendo, ne aliunde per alios invehantur. *Leſſ c.21.D. 21.*

R.1. Monopalia Iure civili prohibita sũt. *l. un. C. de monopol. & in Comitiis imperialib. Colonia an.1512. Norimberga an.1524. Spira an.1529. & 26. Auguſta 1530. Ratisb 1532. Auguſta an.1548. & Francofurti 1577.* addita pœna publicationis bonorũ, & exilii. Nec vana hæc prohibitio eſt. Memini enim ante annos non multos Epiſcopũ quendã, & Imperii Principem ad cauſã de inſtituto monopolio, dicendam ab Imperatore Ratisbonam citatum eſſe. *V. Ordinat. Imperii.* ſimiliter à *Franc. I. Gall.* Rege prohibita eſſe artificum monopolia *Tholoſanus* auctor eſt *l.25. c.14.*

Digitized by Google

Plurima enim damna communitati & ſubditis inde creantur, ſubtrahendo merces, occulendo, augendo precium, avertendo aliis lucra, & commoda ſua. Monopolæ enim, ut *Dambond.* obſervat in *Praxi crimin.c.132.* Secretam intelligentiam inter ſe habent, reſque ſuas ita inſtituunt, ut ad ſingularem venditionem omnia contrahant, hoc eſt, triticum, carnem, piſces, butyrum, caſeum, ova, ſaccarum, Syrupum, aromata, cuncta denique vendibilia, ab agricolis coemunt, ut poſtea ab ipſis cives, ac ſubditi emere debeant: adeoque ut annonæ flagellatores, & reip. perturbatores ac fraudatores multa graviſſima, privatione bonorum, exilio, aliiſque pœnis digni ſunt. *Franc. Lucanus in Tract. de caſib. bonor. publicandor par 2. n. 5 & 6 Ioa Berberius in Directo Iuris. Rubr. de colleg. illic* Thol *l cit Laym. l 3. Tract. 4. c. 17* §. 7. *n.* 41. *Zerola* Par. 1. *V.* Monopolia, *in Vrbe à* Pio 3 *prohibita eſſe teſtatur.* Verùm ex hiſce nondum ſequitur contra iuſtitiam peccare Monopolas, neque modum negotiandi talem natura ſua malum ac prohibitum eſſe: etſi contra charitatem aliaſve à Iuſtitia virtutes delinquant. Igitur

R. 2. Monopolia, in quibus non exceditur iuſtum pretium, & ſinceræ merces ſunt, abſolutè mala, & iniuſta non ſunt: adeoque à Magiſtratu certis ex cauſis permitti, aut conſtitui poſſunt. Poſteriùs hoc difficultate caret. Quis enim Regi aut principi, cum regno aut provinciæ ſuæ talem modum negotiandi utilem viderit, prohibeat, ne admittat vel lege aliqua conſtituat? *Silv.* V. *Emptio q. 18. Sa. V. Venditio. n. 5.* Non peccare autem contra iuſtitiam Monopolas, dummodo iuſtũ pretiũ licet ſummum exigant, patebit diſcurrendo per omnes modos ſupra poſitos. Nam quod primum modum attinet, quod plures inter ſe conveniant de tanto, & non minore pretio, aliàs iuſto, ab ementibus petendo, ſepoſita prohibitione extrinſeca nulli iuſtitiæ præcepto opponitur. Vtuntur negotiantes iure poſcendo maius pretium: Vtantur viciſſim ſuo emptores, & minus offerant, vel etiam omittant emptionem. Rarò enim tanta emendi neceſſitas eſt, ut carere non poſſis, ſed ad curioſa, & ſuperflua noſtra nos cupiditas impellit. Multò minus in ſecundo modo iniuſtitia latet. Principi enim ut diximus licet tale privilegium uni, duobus, tribus, vel pluribus concedere, addito etiam certo vectigali in ſuum commodum: & ſecundum eiuſmodi favorem agere Monopolæ poſſunt alii verò abſtinere tenẽtur. *Azor 3. L 8. c. 28. Silv. V. Emptio p 18.* Circa tertium modum, quando induſtriè vel etiam vafrè coemuntur merces, abſconduntur, & reſervantur in tempus opportunum augendo pretio, non una omnium ſententia eſt. Contra iuſtitiam peccare cenſent. *Gabr. d. 15. q. 10. ar. 3. Ioan. Med. C. de reſtit. q. 36. §. pœn. Silv. V. Emptio. Q. 10. Ang V. Negotiatio. n. 3 Sotus l 6. q. 2. ar. 2. Maior in 4. d. 15 q. 4. Navar. c. 23. num. 91. & 92.* Piam, & probabilem opinionem eſſe lubens agnoſco, contrariam nihilominus tenent ex recentioribus doctrina & fama notiſſimi. *DD. Molin. Diſp 345. Leſſ. c. 21. D. 21. n. 151. Fagund. l. 5. de Contract c. 35. Fill.* Tr. *35. c. 8.* & alii quidam. qui addunt, quamvis contra iuſtitiam particularem nõ delinquãt, delinquere tamen contra charitatẽ proximi, & iuſtitiam legalẽ ſeu publicã utilitatẽ. Nã ſi

modum

modum emendi illorum ſpectes, juſto pretio licet minore emunt: ſi detentionem & occultationem, ad oppoſitum nulla juſtitiæ lege tenentur: quod verò inde augeatur annona, communitati & civibus damnoſa (quod eſt prioris ſententiæ fundamentum) in ipſos ut cauſam derivari non debet: quia non tenebantur citius vendere: imò poterant aliò tranſvehere, vel etiam corrumpere & vaſtare. Adde, quod emptorum copia precium auget, & cariſtiam inducit, nec tamen idcirco contra juſtitiam peccare cenſentur, at Magiſtratus, *inquit*, eos punire poteſt, & mercibus privare. Sit ita, nondum loquitur contra juſtitiam, ſed contra charitatem benevolentiam, & cōpaſſionem cōtribulibus debitā peccatum eſſe. Quartus modus diſtinctione indiget. Si quis invectionem mercium ab aliis inſtitutam, fraude, vi, & injuria impedit, contra juſtitiam graviter peccat, & communitati & mercatoribus ad reſtitutionem obligatus eſt. Communitati, quia aucti pretii injuſtè cauſam dedit: mercatoribus verò, quia illos injuſtè probabili ſuo lucro privavit. *Silv. V. emptio q.13.* Si verò abſque vi, fraude & injuria, ſed per induſtriam prævenit alios, effecitque labore & ſtudio ſuo, ut merces ſuas primò diſtraheret indeque alii damnum ſentiant, nullius culpæ reus eſt, ſed ſibi imputent, qui eandem induſtriam & laborem non adhibuerunt. *Rebellus part. 2.l.9 q 7.num.5. Soto l. 6. q. 2. §. atque per hanc Salas de Contr. D.83. Eſcobar. tract.6. Exam.6 c.5 num.76. Dian. part.1. Reſoll.27. Card. Lugo D.26. Sect. 12. Armilla V. Monopolium Palao Diſp 5. pun. 34. Sfortia Palavicinus l.4 de juſt.c.9. num. 86.*

Dub. 9. De negotiatione licita, & illicita. Duæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt, ait *Sapiens Eccleſ. c. 26. V.27.* Difficile exuitur negotians à negligentia ſive à deceptione, & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum. Proderit ergò monuiſſe de ruina, & iniquitate, quæ multiplex eſt. *Antonin. part. 2. tt. 1. c. 17* *Primo* vitiatur à fine, malo ſeu intentione. Nam quæ negotiatio nihil aliud quam lucrum ſectatur, turpis eſt. Lucrum enim niſi in bonum finem ordinetur, ex ſe bonum non eſt, teſte *S. Thom. 22. q 37 art.4.* 2. ratione perſonæ. Nam prohibita eſt Clericis, quemadmodum in *1 part. Summæ Tit.1. §.2.* oſtendimus ex *Diſt.88. c. fin. de vi. & hon. Cleric. &c. Secundum inſtituta Ne Cler. vel Mon.* Jure Civili autem (ſi tamen ea lex conſcientiam ligat) nobilibus. *l. 3. nobiliores C. de commerc. & mercat.* Nobiliores natalibus & honoribus conſpicuos, & patrimonio ditiores pernitioſum urbibus mercimonium exercere prohibemus. *V. Tiraquel. de nobilitate c.33.* 3. Non eſt cum quibuſlibet exercenda. Turcis & fidei Chriſtianæ hoſtibus vendere arma, ferrum, pulverem tormentarium, ligna, & ſimilia ſub pœna excommunicationis in *Bul. C. D.* prohibetur. *V. Navar. c. 27. num. 63.* 4. Nec quolibet tempore. In Dominicis, & feſtis abſtinento. *c. Omnes. de Feriis.* Mercatum (in diebus Dominicis) minimè fiat, neque placitum. Placiti nomine intelligitur quælibet lis, jurgium, & cauſa forenſis, quæ in judicio agitur. *V. Barb. l. cit. Sanch. l.5. Conſil. c.2. Dub.25.* 5. Nec omnibus in locis. Ex templo vendentes, & ementes Chriſtus expulit. *Matth. c. 21. c. Decet de immun. Eccleſ. in 6.* Ceſſent in Eccleſiis, &

earum cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuſcunque tumultus. 6. Damnatur negotiatio quæ fit cum fraude, dolo, violentiâ, aut quolibet damno civium, vel Reip. ſecundum ea, quæ dixi Dub. præced. 7. Illicita, & injuſta fieri poteſt ratione pretii. Quamvis mercatoribus plus liceat exigere pro mercibus quàm ipſi dederint, propter laborem, & expenſas itinerum, non licet tamen immoderatum pretium exigere. Faciunt etiam nonnulli inutiles, & minus neceſſarias expenſas, quarum non eſt habenda ratio. Hic cynoſurâ Juſtitiæ opus, ad quam nos virtutis amor, & Dei timor remittit. De negotiationis utilitate, neceſſitate, uſu, & abuſu plura eleganter tradunt. *Petr. Tholoſ. l. 4. de Rep. c. 7. Adamus Contzen l. Polit. c. 10. Tanner. D. 4. q. 7. Dub. 2. De vitiis mercatorum Alv. Pelaus l. 2. art. 42. Toletus l. 8. c. 47. & ſeq. Antonin par. 2. tt. 1. c. 17. & 18. Silveſt. V. negotium. negotiatio. Armilla eod. num. 1.*

§. III.

De Simonia.

I. NOmen à Simone Mago eſt, qui *Actor. cap.* 8. gratiam & dona ſupernaturalia Dei pecunia emere niſus eſt. *c. qui ſtudet 1. quæſt. 1. & c. Salvator. 1. q. 3.* Definitionem Gloſſæ communiter recipiunt DD. *Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi temporali pretio aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum.* Dicitur 1. *Studioſa voluntas,* id eſt, deliberata, ad excludendum motus animi indeliberatos. Per voluntatem intellige actionem, ne potentia vel habitus exiſtimetur definita. 2. *Emendi, & vendendi* quibus verbis comprehenditur omnis contractus oneroſus, ſive ſit emptio, ſive permutatio, ſive locatio, omniſque pactio tacita, vel expreſſa. *c. in ordinando de Simon.* 3. *pretio temporali.* In hoc enim conſiſtit propriè Simonia, quòd res ſpiritualis, vel ſpirituali annexa pretio temporali æſtimetur. Nam ſi res ſpiritualis pro ſpirituali, aut etiam temporalis non uti pretium, ſed in eleemoſynam detur, non erit Simonia: imò ejuſmodi oblationes commendantur in *c. ad Apoſtolicam hoc tt. V. Suarez Tom. I. de Relig. l. 4. c. 1. Pallavicinus l. 4. de juſt. c.* 8. Porrò, quid ſpirituale hic vocetur, non facile eſt definire, ut *Navar. fatetur c. 23. num.* 99. *deinde ex Panorm. & S Thom. in 4. D. 25.* definit eſſe donum ſupernaturale à Deo datum ad animarum ſalutem; vel aliquid aliud inſtitutum ſupernaturaliter ab eodem ad eam efficiendam: vel ab Eccleſiaſtica poteſtate ſupernaturali, & gratis ſibi data ad conficiendum illud, & gratis dandum. Hæc definitio videtur ſumpta ex *c. Gratia. c. qui ſtudet c. quam pio 1. q. 1. & à Navar.* fuſius declaratur *loco cit.* Unde colligitur, non unius generis res ſpirituales eſſe. Aliquæ enim ſecundum ſuam eſſentiam tales ſunt, ut gratia gratum faciens, virtutes infuſæ, dona Spiritus Sancti, gratiæ gratis datæ. *1. Cor. 12. ad Epheſ.* 4. Adde characterem, poteſtatem ordinis, ac juriſdictionem. Aliæ ſunt ſpirituales ſecundùm cauſam, ut Sacramenta ſacrificium, & Sacramentalia, oleum ſacrum, chriſma, aqua benedicta, agni Dei, & ſimil. Deniq; aliæ ſecundùm effectum, ut operationes, & exercitia, quæ alicui ſpirituali, aut ſupernaturali dono conveniunt, ut prophetiſſare, adminiſtrare Sacramenta, miracula patrare, diſpenſare, & commutare vota, & ſimil. Quæ annexa ſunt ſpiritualibus, habent ſe ad illa, vel antecedenter,

vel concomitanter, vel cõſequenter. Antecedenter, ut prævia & præſuppoſita ad per ſe ordinata ac ſpiritualia à Chriſto inſtituta, ut vaſa ſacra, veſtes ſacræ, calices, campanæ, benedictio templi, cõſecratio, id genus alia, quæ ad ſacrificiũ Miſſæ referuntur. Simile eſt jus patronatus, quia præſupponitur præſentationi ad beneficia: & Jus ſepulturæ, quia per illud ſepultus acquirit multa bona ſpiritualia à Chriſto inſtituta. *c. cum in Eccleſiæ hoc tit.* Concomitanter, ut omnis labor, & actio, quæ in functionibus ſpiritualibus, ſive adminiſtratione Sacramentorum conſiſtit. Ubi diſtinguere oportet laborem extrinſecum adminiſtrationi, & intrinſecũ, qui eſt ipſa confectio Sacramentorum. Pro illo nihil peccatur aliquid accipiendo; ſecus in altero eſt, cujus dignitas nullo temporali pretio æſtimari poteſt, & ſi ex pacto aliquid detur, Simonia eſt. *S. Th. in 4. D. 26. q. 3. art. 2 Dur. q. 3 n. 10. Caiet. V. Simonia Silv. & Armill. eod Vall. l. 5 tt. 3 §. 2. Silv. q 9. Sotus l. 9. q. 6. art. 1. Leſſ. c. 35. D. 1. Laym. l. 4. tract. 10. c. ult. §. 4. Sanch. l. 2. Conſ. l. 2. c. 3. Dub. 1.*

II. Simonia duplex eſt. Juris divini una, altera humani, ſeu Eccleſiaſtici. *Glo. in c. cum pridem de pactis.* Nam ſacrilegium quoque ita dividitur, & Eccleſia ſtatuere poteſt ut res, quæ ex natura ſua vendibilis eſt, non ſit vendibilis propter connexionem, & relationem, quam habet cum ſpirituali, licet nõ addat novam aliquam conſecrationem, aut ſanctitatem. *c. quæſitum c. cùm olim de rer permut.* Hujus generis eſt illa quæ committitur in venditione beneficiorum, quoad partem temporalem, ſeu fructus, quam partem Eccleſia conſtituit non eſſe vendibilem ratione divini officii, à quo ex inſtituto Eccleſiæ dependet. Idem fit in quibuſdam officiis minùs ſpiritualibus, puta, officio Sacriſtæ, Oeconomi Eccleſiæ, Advocati & ſim. quæ ſolo jure Eccleſiaſtico ſpiritualibus annexa ſunt. *c. Salvator. 1. q. 3.* Similiter in permutatione beneficiorum Eccleſiaſticorum ſine auctoritate ſuperiorum facta. *c. eſt. quæſitum.* Eccleſia enim potuit impermutabilia efficere propter ſanctitatẽ miniſterii: quamvis ejuſmodi permutatio, cùm nihil intercedit temporale non niſi generaliori quadam ratione Simoniaca cenſeatur. Huic diviſioni conſonat illa, ſecundùm quam dicuntur quædam prohibita, quia Simoniaca ſunt, & quædã Simoniaca, quia prohibita. *Glo. in c. ex par. de off. iud deleg. c. cùm pridem de pact. Suar. l. 4. c. 2. & 7. Guterr. l. 2. Cano. q. c. 23. Palud. in 4. diſt. 25. q. 4. Duran diſt. eod. q. 5. Henr. Gandau quodl. 6 q. 26. Leſſ. c. 35. D. 4.* Iterum dividitur Simonia in Mentalem Conventionalem, & realem. Mentalis conſiſtit in propoſito mentis ſeu intentione, qua cõferens alicui ex. g. beneficium Eccleſiaſticum intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale: vel è contra ſine ullo pacto; ut ſi des Epiſcopo pecuniam, vel eidem ſervias eo tantũ animo, ut pro illa pecunia aut obſequio in mercedem tibi det beneficium, idque Epiſcopus reipſa contulerit nullo tamen explicitè vel implicitè pacto interveniente. Conventionalis habet pactum quomodocunque conceptum, ſine executione tamen ſaltẽ utrimq; facta. Quod duobus modis accidit 1. ſi tantummodo initum ſit pactum abſque ulteriori progreſſu ad traditionẽ rei ex alterutra parte: & hæc vocatur *purè cõventionalis.* 2. ſi una pars dederit pecuniã,

Digitized by Google

& altera nondum tradiderit rem ſpiritualem vel è contra; & hæc vocatur *Conventionalis mixta* quia conſtat partim reali, partim conventionali. Huc pertinet ea, quam appellant Confidentiæ, qua quis pactum init cum eo, cui dat, vel procurat beneficium eligendo, præſentando, poſtulando, reſignando in favorem, inſtituendo, confirmando commendando vel alia ratione, ut is qui beneficium accepturus eſt, illud ipſum ſibi procuranti, vel alteri, puta, nepoti ſuo cum fructibus, vel eorum portione aliqua cedat. Et contra hanc lata eſt *Conſtitutio Pii IV. Anno 1564. & duplex Pii V. prior An.1568.* altera ſequenti edita, de quibus *Flaminius Pariſius* inſignem commentarium vulgavit. Quatuor modos Simoniæ confidentiæ. *V.ap.Leſſ.l.cit. D.17.* Denique realis illa appellatur, in qua utrimque, quod pacto promiſſum eſt opere ipſo completur, ſi non omnimodè, ſaltem inchoativè, puta, beneficii collatione facta, & parte pretii exhibita. *Cajetan. Leſſ. l. cita. Dub. 6. Valent. Diſp.6.q.16. Navar.c. 23.nu. 103. Azor III.l.12.c.2. Tolet.l. 5.c. 86. Sanchez l. 2. Conſil. cap. 3. Dub. 106, Eſcobar. tract. 6. Exam.2.c.2.*

III. Dividitur etiam ratione pretii. Aliud enim eſt munus à manu, aliud à lingua, aliud ab obſequio. Munus à manu pecunia eſt: munus à lingua favor: munus ab obſequio ſubjectio indebitè impenſa. Quocirca vocabulum. Munus non ſignificat hic gratuitum donum, ſed potius gravamen, aut debitum juſtitiæ commutativæ. In quo ſenſu non rarò accipitur etiam in Jure Civili, ut conſtat *ex ff tt. de munerib. & honorib. Angel. V. Simonia. §. 5. num. 1.*

DIXI, munus à manu pecuniam eſſe intellige, largiore modo, quicquid æſtimari pretio poteſt, ſive res mobilis, ſive immobilis ſit: item remiſſio debiti, dilatio ſolutionis, & mutui datio *c.1. de teſtib. Nav. c.23. num. 101.* Munus à lingua extendit ſe ad encomia, laudes, adulationes, preces, quæ adhibentur ex pacto tacito, vel expreſſo. *Abb. in c. ſuam. num. 3. de æta. & qual ordin. Cajet. V. Simonia ci fin. Victor relect. de Simonia.* Munus ab obſequio comprehendit quæcunque opera, & ſervitia alicui præſtita, vel præſtanda, cum obligatione conferendi beneficium Eccleſiaſticum, vel aliquam aliam rem ſpiritualem, aut ſpirituali connexam, ut ſi famuli partes ſuſcipias, & miniſtres Epiſcopo alicui eo fine, ut præbendam aliquam conſequaris. *c. cùm eſſent. de Simonia Abb. ibi num. 5 Adrianus quodl. 9. art. 2.* Hinc ſequitur non eſſe Simoniacum, qui alicui Prælato gratis ſervit, cum ſpe illius favore conſequendi aliquando officium aliquod, vel beneficium: ut neque Epiſcopum, qui propter ejuſmodi gratuita ſervitia gratitudinis cauſa promovet illum, commendat, vel proponit ad dignitatem vel præbendam conſequendam, modò abſit pactum implicitum. *Gloſſ. in c. cùm eſſent. V. promiſerat Angel §. 5. num. 1. Silv. num. 16. Armilla num. 4. Reginald. l. 23 c. 11. num. 139. & ſeq. Leſſ c. 35. Dub. 20 Arragonius in 22. q. 100 art. 5 Concl. 6. Tolet. l. 5 c. 29. Laym. l. 4 tract. 10. c. ult. §. 3. Tann. D. 5. q. 8. D. 3. num. 64.* Aliqui etiam dividunt in veram & præſumptam; quod locum habet tam in ea, quæ contra Jus divinum, & quæ contra Jus Eccleſiaſticum eſt. *Tanner. III. D. 5. q. 8. 31.*

IV. Ad vitandam prolixitatem, & innumeras

numeras quæſtiones ſerviunt ſequentes regulæ. 1. Res purè ſpiritualis nullo modo emi, aut vendi poteſt. Patet ex *Matth.* 10, v. 8. Gratis accepiſtis, gratis date, &c. *Gratia 1. quæſt. 1.* 2. Mixta ex ſpirituali, & corporali res, qua ſpiritualis eſt, quamvis modicè, non niſi Simoniacè venditur. Si autem vendatur, quatenus corporalis eſt, propter conſecrationem augeri pretium non debet. *Navarr. c. 23. num.* 99. 3. Nulla res ex ſpirituali & corporali mixta emi aut vendi poteſt abſolutè, ſi ſpirituale in ea ſit principale, & corporale ſit acceſſorium: prout labor corporalis acceſſorius eſt celebrationi Miſſæ, prædicationi, & collationi ordinum. *Cajetan. in Summ. hoc tit. Leſſius c. 35. Dub.* 8. 4. Si è contra corporale ſit primarium, & ſpirituale acceſſorium, ut in ſacris vaſis contingit, vendi abſolutè poteſt, niſi jure poſitivo prohibeatur. Utriuſque regulæ vis innititur *Reg. Iuris 42. in 6. Acceſſorium naturam ſequi convenit principalis*, de qua *V. Dynum, Virianum, & Barboſ.* 5. Eorum, qui ſpiritualia adminiſtrant, ſtipendium. Simonia vacat. Dignus enim eſt operarius cibo ſuo. *Matth* 10. *verſ.* 10. *1. ad Timoth* 5. *verſ.* 8. & gregis paſtor de lacte illius manducat. *1. Corinth 9. verſ.* 7. Unde *S. Auguſt.* Accipiant *inquit* ſuſtentationem neceſſitatis à populo, & mercedem diſpenſationis à domino. *V. Cajet. in Summ. & Tann. D 5 q. 8. Dub. 3. num. 68.* Neque excludendi ſunt aliunde locupletes, quamvis enim periculum ſit, ne nimia cupiditate peccent, digni ſunt velut operarii mercede ſua. *con. Sotum l. 9. quæſt. 6 art. 1. Arragonus 22. quæſt. 100. art. 2.* 6. Quamvis pro miniſterio, vel actione ſpirituali, cujuſmodi eſt adminiſtratio Sacramentorum divini verbi prædicatio, & ſimil. locare per ſe operam ſuam non liceat, licet tamen per accidens propter conjunctam moleſtiam, & laborem. *Palavicinus l. 4. de Iuſtit. c. 8. n. 78.* Nam relinquere propterea aliam occupationem ſibi commodam, iter facere, legere, ſcribere, & ſimilia pretio æſtimabilia ſunt: quod etiam Eccleſiæ conſuetudo probat legentibus Miſſam, & concionantibus certum ſolarium exhibens. Quamobrem hoc loco valet diſtinctio laboris intrinſeci *n. 1.* indicata. 7. In illis, quæ principaliter corporalia ſunt, ut officium Sacriſtæ, Judicis, advocati Eccleſiaſtici Doctoris Theologi, & ſimilibus nullum Simoniæ Juris divini periculum eſt. Quamvis enim qualemcumque relationem ad ſpiritualia habeant, longo intervallo id, quod non ſpirituale eſt, præponderat. *Victor. Rel. de Simo. Cajet. in Summa. Angel. n. 6. Fab. n. 16. Armilla n. 2. Arragonus in 22. q. 100. art. 2. Reginald. l. 23. c. 11. num. 157. & 136. Gabr. in Cano. Lect. 28. Emm. Sa. num. 2. Leſſ l. citato. Tanner III. Diſp. 5. q. 8. Dub. 2. num 49. & ſequ. Toletus l. 5. c. 87. n. 4. & 5. Barb. in c. ſicut Epiſcopum 1. q. 2. & c. ſi quis objecerit quæſt. 3.*

V. Quod Simoniacorum pœnas attinet, 1. illud conſtat, mentali Simoniæ nullam conſtitutam eſſe. *c. ult de Simonia ubi Barb* ad illa verba. *Et ad ſignificationes* Hic textus probat Simoniacum mentalem non teneri ad reſignationem, aut reſtitutionem, ut *S Thom. docet 22 q. 100. art 6. Cajet. Silv. Leſſ l. cit. Dub 23. & alii in V. Simonia. 2.* nec purè conventionali, & non completæ, ſed confidentiali tantum. Canones enim ubi de cenſuris loquuntur, dationem, acceptionem, ordinationem,

aliamve realem executionem exprimũt. *Extrav.1.& 2.de Simo & alibi.* 3. Communis DD.ſententia eſt,Simoniam, quæ rei corporalis,& ſpiritualis traditione completa eſt,pœnam mereri ; dubitant verò de ea,quæ completa eſt traditione rei ſpiritualis nondum ſoluto pretio. *V.Comit. l.4.q.6.* Cenſeo aliam hujus rationem eſſe,& pœnam non mereri, tum quia pœnas non extendere,ſed aſtringere convenit,præſertim tam graves,tum quia multi,& magni Juris interpretes ita ſentiunt. *Covar.in Reg peccatum par.2.§. 8. Binſf. in Rubr.de Simo notab 15 obſ.3.Vgolinus tab.* 3. *c* 5. *Arm.V.Simo n.4.Leſſ c.35.Dub.* 27. *Pet. Nav.l.2.de reſtit.c.2.n.428* 4.Solam Simoniam,quę committur in ingreſſu religionis,ordine,& beneficio juris pœnas ipſo facto incurrere,uti tradunt *Silv.q.19. Cajet.c.72. Nav.c.23.n.111.v 6. Binſf. in Rub. de Simo notab.15 obſ.5 Suar.c.55.n.5. Leſſ. Dub.23.init.Laym.l.4.tr.10.c ult.§.7.n.69. Tann.D.5.q.8.d.14.n.83 & n.100. Sanch.l. 2.conſ.c.3 D.106.*De his ergò ſolis loquẽdo *primò*, pro Simoniaco Religionis ingreſſu ab *Vrbano IV.* pœna excommunicationis decreta eſt tam dantibus, quàm accipientibus. *Extrav.1.de Simo.*Item Conventui,ſeu Capitulo pœna ſuſpenſionis: quarum utraq; Sedi Apoſtolicæ reſervatur. *Roder.III q 63.art 2.& 3.*Si tamen ea Conſtitutio recepta non eſt,ut *Leſſ. videtur n.131.* nulla excommunicatio, niſi pro Simonia commiſſa in ordine,& beneficio ſupereſt. Et quamvis recepta eſſet, hoc tempore propter paupertatem monaſteriorũ facilè excuſari poſſent,qui aliquid pro ingreſſu religionis dant,& accipiunt. Item poſito, commiſſam in ingreſſu Simoniã eſſe,niſi ſequatur profeſſio nondum eſt pœnæ locus , propter imperfectionem actus. *Secundò*, quod attinet Simoniam realem,& completam in ordine illi poſita eſt excommunicatio Papæ reſervata tam reſpectu ordinantis , quàm ordinati.*Extrav.de Simo.*.Quod extendũt aliqui ad primam tonſuram, quia cõmuniter loquẽdo,per eam ordinari dicimur, & in ordine Clericorum conſtitui. Imò *Nav.l.5.conſ.59.de Simo. & Avila par.* 3. *de Cenſuris Diſp.5.Ign. Lop. in pract.c.95.Dub.* 9. Simoniam commiſſam in reverendis, ſeu dimiſſorialibus literis eodem referũt, quia videlicet inſtrumenta,& præviæ diſpoſitiones ad collationem ordinũ ſunt. Præterea ordinans incurrit ſuſpenſionẽ Juris à collatione omnium ordinum per triennium ſpectato jure antiquo. *1 pœn. de Simo.* Ulterius per Bullam *Sixti V.* editam contra malè promovẽtes & promotos ſuſpenſus eſt à collatione quorumcunq; ordinum,atq;adeò ipſius tonſuræ, & ab executione omnium munerum Põtificalium. Denique interdicitur illis ingreſſus Eccleſiæ, & reſervantur hæ cenſuræ Sedi Apoſtolicæ quamvis Simonia occulta foret.Ordinatus verò Simoniacè incurrit ſuſpenſionem ab ordinibus non tantùm,quos malè ſuſcepit, ſed etiam omnibus ſimpliciter. *c. 2. de Simo. Abb.Silv. Avila Suar.V.D.31.Sect.4.n.33. Leſſ.D.23.n.* 135.*Tertiò*,qui Simoniam realem completam dato & accepto pretio in beneficiis commiſit,eligendo, præſentando, cõfirmando, aut inſtituendo, excommunicationem Sedi Apoſt. reſervatam incurrit, juxta tenorẽ *Extrav.2.de Simo.*Sed nomen beneficii ſtrictè accipiendum eſt, ut non comprehẽdat penſiones, & vicarias temporales. *Az.111.l.12.c.21.Ign.Lop. in pract. c.95.* Præterea omnis Simoniacè facta electio,

lectio, præſentatio, confirmatio, collatio, & quævis alia diſpoſitio ad dignitatẽ, perſonatum, officium Eccleſiaſticum, aut aliud quodvis beneficiũ irrita eſt, nullumque jus per eam acquiritur; neq; proviſus fructus ſuos facit, ſed ad eorum omnium reſtitutionẽ ſub animæ ſuæ periculo obligatus eſt. *Extrav. 2 c. Matth. de Simo. Fran. Leo pa. 2. c 17.* Prædicta omnia etiam de regularibus officiis & beneficiis intelligenda ſunt, putà Generalatus, Prioratus, & ſim. exceptis temporalib. Cuſtodis, Syndici, & ſimil *Suar. l. 4. de Simo c. 57. n. 21 & 47. Bonac. to. 1. p. 715. & al.* Nec prodeſt ignorantia ejus, qui Simoniacè eligitur vel inſtituitur, quò minus irrita ſint acta. *ab. c. pen. de el. AZ. III l. 12. c. 21 q. 7.* Excipe 1. niſi aliquis in fraudem eligendi vel inſtituendi ignorante ipſo pecuniã largiatur, ut illũ inhabilẽ reddat. Non enim convenit, ut hæc hominis malitioſi fraus innocenti obſit. *c. nobis fuit de Simo.* Excipe 2. ſi electus aut inſtitutus expreſsè contradixit, & prohibuit, ne Simoniaca largitio, vel acceptio interveniret, quæ nihilomin. contra voluntatẽ & ſcientiã ipſius facta eſt. Quid verò ſi factã poſteà ratã habeat? non infirmari propterea collationẽ ante Judicis ſententiã, quæ ſemel abſolutè & validè peracta fuit, probabile eſt. Neq; ſi Simonia commiſſa eſt in confirmatione, propterea electio benè facta irritatur. *Nav. Conſ. 10. de Simo. n 4. Adr. quodl. 9 art. 3 Zer. par 2. V. Simo n 8. Piaſec par. 2. c. 4 de Simo. Sua. c. 58. n 7. Leſſ. c 35. Dub. 25. n 144. Val. D. 6 q. 16. pun. 6. Laym l. 4. tr. 10. c. ult. §. 7 n 73. Regi. l. 23. c. 12. Tol. l. 5 c. 93.* Quartò qui beneficiũ Simoniacè obtinet, per Judicem cauſa cognita privandus eſt. *c. preſb. 1. q. 1.* Et probabile eſt non ideò ad alia beneficia obtinenda inhabilem eſſe. *Navar. conſ. 91. & 92 Suar. c. 58. ci. fin. niſi Bulla Pii V cum primùm recepta ſit.*

§. IV.

Satisfit Dubiis de Simonia.

DUB. 1. An Simonia jure naturali divino prohibita ſit.

R. Eſſe. Primò enim res ſpiritualis ſupernaturalis non eſt materia idonea emptioni & venditioni, cùm nullũ illi æquale pretium reperiatur. Unde Salomon de ſapientia *Prov. 3. v. 15.* dicit, pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. 2. bonorum ſpiritualiũ homo nec dominus eſt, nec eſſe poteſt. Ac proinde vendere non poteſt. Ipſi certè Prælati Eccleſiarum ab Apoſtolo diſpenſatores (nõ domini) appellantur *1. ad Cor. 4. v. 1.* Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores myſteriorum Dei. 3. Venditio repugnat rerũ ſpiritualiũ origini, quæ ex gratuita Dei voluntate proveniunt. Unde Dominus *Matth. 10. v. 9. Gratis accepiſtis, gratis date.* Has S. Tho 22 q 100. a. 1. rationes poſtquã oppugnavit *Suar. l. 4. de Sim. c. 2. n. 7.* Optimas vocat, & quibus cuncti DD. utantur. Supponũt autẽ ordinẽ rerũ ſupernaturaliũ fide cognitũ, quo admiſſo cõnaturale illi Jus eſt dona ſpiritualia nec emere, nec vendere. Hinc ſequitur etiam in lege naturæ Simoniæ locum fuiſſe. Habuerunt enim tunc ſacrificia, & oblationes quarũ aliquid, qui merciũ loco venale propoſuiſſet eodem cũ Simone Mago crimine ſe inquinaſſet exiſtimans donum Dei pecunia poſſidere poſſe *Actor. 8. v. 20.* De lege Moſaica minus dubii eſt, in qua prophetiæ donum, & tot ſacrificiorum genera, ac cæremoniæ fuerunt. Et conſtat *Giezi l 4. Reg. c. 5. & Ieroboam 3.*

*Reg.*13.eo vitio notatos eſſe.*c.qui ſtudet* 1. *qu* 1.Quod paganos & infideles attinet, *Victoria rele. de Simo.* non caruiſſe hoc vitio exiſtimat, quia habuere ipſi quoque ſacrorum Miniſtros,authoritate publica creatos, quam poteſtatem, non licuit emere, aut vendere. Verùm hæc ratio nihil probat aliud,quàm paganos falſa perſuaſione deluſos credidiſſe,ſe veros Deos, & verum ipſorum cultum habere: adeóque Simoniacos eſſe potuiſſe ſecundum conſcientiam erroneam. Revera autem ut nullum propriè dictum ſacrificium, ita nihil ſpirituale apud illos nec materia Simoniacæ labis fuit. *Card. Tuſchus Concl.* 249. *Arrogon.ad q* 100.*S.Thom art.*1. *Soto l.*9.*q* 5.*art.*1.*&* 2.*Victor. in relect. de Simo. n.*11.*Duran.in* 4 *D* 25.*q.*5. *Palud. ibid q* 4. *ar.*1.*Rich. ar.*3. *Adrian.quodl.*9.*ad* 3.*Armach. l.*10.*c* 9 *Leſſ c.*35. *D.*1.*Suar.c.*2.*n.*6.*Tann. to.* 4.*tr.*10.*c.*8 §.1.*Azor.III.l.*12 *c.*1.*Gloſſ. item & Canoniſtæ omnes ſupponunt.*

Dub. 2. Cui virtuti opponatur Simoniæ vitium?

R. Ex definitione ipſius liquet,contra Religionem eſſe quæ virtus præcipit ſincerum Dei cultum: reverenter,& ſanctè tractare ea,quæ ad honorem divinū pertinent. Quicunque igitur res ſpirituales aliarum civilium more venales exponit, contra virtutem Religionis graviter peccat. Neque de hoc quiſquam Doctorum ambigit. Sed an non ſimul injuſtitiam cōtineat,dubium eſt. Continere *S.Tho l cit. ad* 2.indicat, eumq; ſecutus *Arrogan.* Directè,*ait*,Simonia eſt irreligio quia ex natura ſua,& principaliter eſt injuria Deo, & rebus ſpiritualibus illata, conſequenter tamen,& minus principaliter & injuſtitia inquantum rem alienam,cujus nullus in terra,ne quidem Pōtifex dominus eſt,vendere tentat. Verùm ſi hominis ad Deum alia nō datur injuſtitia,quam quæ contra religionem eſt, de quo nō attinet hic litigare. Non niſi impropriè ſeu latiore modo Simoniæ injuria ineſt. Nam neque alienatur per illam ulla res à dominio Dei,neq; damnum infertur. Solùm ergò quoad pravum affectum Simoniaci injuſtitia committitur, quia paratus eſt vendere rem ſacram, etiamſi inde damnum Deus pateretur. *V.S.Tho.*1.*par.q.* 21. Non ſemper tamen immunē eſſe ab injuſtitia patet in certis materiis. Nam ſi quis calicem conſecratum pluris vēdat,quàm aurum valeat, & artificium ratione conſecrationis, venditio quoad exceſſum illū injuſta eſt,Item ſi quis aquam benedictā magno pretio æſtimet, quia benedicta eſt,& ſic aliis vendat,Simoniacus & injuſtus erit:& ſic in aliis. Unde regula generalis cōſtitui poteſt. Quotieſcunq; ratione ſolius ſpiritualitatis rei aliquod temporale pretium accipitur,injuſtitia committitur.*c.Ordinat.*1.*q.*1.*uti Gl.in V.Fures. Suar.c.*4.*n.*7.*& c.*59.*n.*21. *Az.III.l.*12 *c.*1. *q.*3.*Soto l.*9.*q* 5.*ar.*1.*Val.q.*16.*pun.*4. *Deci.l.* 5.*c.*85.*Laym l.*4 *tr.*10.*c.ul.*§.1 *n.*5.*Tann. D.* 5.*q.*8 *Dub.*2.*n.*25.*Eſcob.tract.*6.*Exam.*2 *c.*2.

Dub.3. Utrum in Simonia ſit comprehenſa hæreſis? Rationem dubitandi Juris appellatio ſuggerit. Nā hæreſis Simoniaca legitur in *c.fertur c presb.*1 *q* 1.*c.altare ib.q.*4 *c. quic. ſacros ib.c.non eſt ib.q.*1.*& c. quoties de Sim. ul. Bar.* citatis pluribus hæreſin appellari Simoniam largo quodam modo aſſerit. Simoniacus enim eo ipſo, quòd rem ſacrā vendit, malè ſentire præſumitur de ſanctitate Eccleſiæ,quaſi eam credat velle ſpiritualia licitari, vel rem ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritualem non eſſe impretiabilem.

R. Simonia cum hæreſi, & ſine hæreſi eſſe poteſt. Cum hæreſi eſt in omnibus illis, qui per errorem intellectus dona ſpiritualia pretio æſtimari poſſe cum Simone Mago credunt. *Barb. in c. Quiſquis* 1. *Q.* 1. Sine hæreſi in eo, qui tantùm perverſo animi affectu propter immoderatam auri cupiditatem ſpirituale aliquid vænale proponit. Hunc affectum ſæpè reperiri abſque ullo Intellectus errore in illis potiſſimum apparet, qui beneficia eccleſiaſtica mercantur. *S. Tho. p.* 100 *a.* 1 *ad* 1. & *communiter Theologi, præter alios Caraſa de Simo n.* 41. *Menoch. l.* 5 *Præſumpt.* 6 *n.* 30. *Maſcard concl.* 1305. *Campan in diverſo. Iur. Rubr.* 11. *Flaminius de confiden. Q.* 8 *n.* 22. *Marta de iuriſd par* 2. *c* 37 *num.* 15. *Eman. de Valle de incant.* S. 3. *c.* 22. *Silv. V. Simonia n.* 5. *Suarez To.* 1. *de* Relig. *Tract.* 3 *l.* 4. *de Simo c.* 1. *nu.* 6. *Lorin. in c.* 6 *Actor Verſ.* 18. *Alph. à Caſtro l.* 13 *V. Simonia.*

DVB. 4. An levis materia & Veniale peccatum in Simonia reperiatur?

R. Per ignorantiam, & inadvertentiam fieri poſſe, ut in materia Simoniaca leviter pecces, facilè damus: alium modum non admittunt graviſſimi DD. quia nec ex parte rei ſpiritualis, nec ex parte pretii videtur ita decreſcere poſſe, ut non ſit lethalis culpa. Non ex parte rei, quia nullum donum gratiæ tam exiguum eſt, ut ſine gravi irreverentia vilipendi, & cum re vendibili æquiparari queat. Nam eo ipſo, quòd venditur, pro non gratuita Dei donatione habetur. *Sanch. l.* 2 *Conſ. c.* 3. D. 110. Vnde exiſtimo, *ait Fran. Suar. c.* 3. *n* 5. eſſe peccatum mortale vendere vel minimum cereum agni Dei, vel pro vero pretio unam ſalutem angelicam. Neque ex parte precii. Hoc enim vel eſt magnum, vel parvum. Si magnum, hoc ipſo augetur illius cupiditas, & gravis deformitas apparet. Si verò parvum, magnum rei ſacræ contemptum indicat, quæ per ſe nulli pretio æquiparari poteſt. Igitur qualecunque premium ſit, quod pro dono ſpirituali petitur, & exhibetur magnam, & mortalem culpam efficit. Præterea cùm eiuſmodi nundinatio per contractum peragatur, etiam inadvertentia tollitur, ratione cuius alioqui excuſari poſſet. Sola igitur reſtat ignorantia tum facti, tum Iuris. Fieri enim utrumque poteſt; ut emens aut vendens non advertat rem hanc in præſenti Sacrã eſſe, vel tam graviter prohibitam. Probabilis ſanè, & valdè pia hæc opinio eſt.

Nihilominus oppoſitam non damnavero, quam *Diana Molina & Bonac.* tribuit, (iure, an iniuria, dubites) quemadmodum in furto, ita in Simoniâ levem materiam & peccatum Veniale reperiri. Nam ſi in materia Sacramentorum, Voti, & ſimilibus contra Virtutem Religionis fieri poteſt, uti patet, quid cauſæ erit, ut in Simonia non contingat? Blaſphemiæ ſimilis eſt, dices, in qua nihil leve. Imo diſſimilis, quia materia ipſius longè alia, utpote capax humani contractus, & ſæpè non niſi per denominationem extrinſecam ſacra. Et cui rogo, perſuadeas, Vnciam aquæ benedictæ, ſi propter benedictionem uno obolo charius vendiderit, peccati mortalis reum eſſe? *Glo. in c. Fur autem.* 14 *q.* 6. *in V. Quod furto. Val. Regin. l.* 23 *nu.* 166. *Barb. in c cit. & in c. Etſi quæſtiones de Simo. Zerola* P. 2. *v. Simonia. Aloyſ.* Ricc. *in deciſ. Neapol. deciſ.* 208. *Fill. to.* 3 *tr.* 45. *c.* 1. *Decian l.* 5. *c.* 81. *n* 12.

DVB. 5. Vtrum omnibus Sacramentis

tis Simonia committi poſſit?

De Solo Matrimonio controvertitur, quod vendi poſſe abſque Simonia docuere Veteres aliqui cum *Glo in c. Cùm in eccleſ. de Simo.* ubi admittit Matrimonium eſſe Sacramentum, & nihilominus affirmat, vendi poſſe. Quia, in eo, *inquit*, gratia, non confertur, iuxta. *c. Connubia. 32. p. 2. & c. Nuptiar. 27. Q. 1. Item c. quicquid. 1. q. 1. & c. Vendentes. 1. p. 3.* allegatur etiam *c. Honorantur. 32. p. 2.* in quo *Ambr. dicit.* Honorantur Rebeccæ parentes muneribus. Vnde volunt ſequi, pro Matrimonio contrahendo exigi poſſe pecuniam. Non abhorret. *Durandus in 4 ſent. diſt. 26. q 3. referens pro eadē opinione Oſtienſem tt. de Sacr. non iterandis. Eandem tenet Alens. 2. par. q. 169. n. 4. ar. 1. dub. 1.* Nihilominus

R. Etiam in Matrimonio Simoniam committi poſſe. Hæc pro poſitio hodie eſt de fide. Nam *Concil. Trident. Seſſ. 7 generatim, & Seſſ. 24. can. 1. definit ſi quis dixerit.* Matrimonium non eſſe verò, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, neque gratiam conferre, anathema ſit. Vnde neceſſario ſequitur, non magis vendi poſſe, quàm alia omnia. Nec aliter nunc quiſquam Theologus, aut Canoniſta loquitur. Quod verò *Gloſſ.* decepit, illius temporis quorundam error fuit, Matrimonium non niſi impropriè & lato quodam modo Sacramentum dici, quemadmodum in ſtatu innocentiæ fuit, teſte *Paulo ad Ephes. 5.* Vnde nec ad rem ſunt, quæ ex Canonibus allegat. Nam in *c. Quicquid* generalis regula ponitur de omnibus Sacramentis, ſub quibus matrimonium comprehenditur quamvis non nominetur, quia neceſſarium non erat. In *c. Nuptiarum* nihil extat ad præſentē cauſam pertinens. *c. Connubia* non loquitur de Sacramento aut vinculo matrimonii, ſed illius uſu. *c. Honorantur.* nihil ad rem confert, tū quia agit de connubio Rebeccæ, quod conſtat non fuiſſe Sacramentum propriè dictum, tum quia non pro matrimonio, ut ſic, ſed in ſignum benevolentiæ data ſunt munera parentibus & cognatis Rebeccæ propter conſenſū in nuptias. In *c. Vēdētes* nihil aliud legimus quā vēdētes & emētes dona Dei, pariter dānari, quod ultrò fatemur. *c. Eccleſia h. t. Antonin. Par. 2 tt. 1. c. 5.* S. *Tho. 22. q. 100. ar. 2. ad 6. Decianus l. 5 l. 79 n. 10. Az. 3. l. 12. c. 4. Redoan. Tr. de Simon. par. 1. c. 11. & 12. Roſella V. Simonia §. 1. n. 17. Armilla eod nu. 31. Suarez l. 4 De Simonia c. 10. n. 8.*

DVB. 6. An ſit Simonia, largiri aliquid ſpirituale pro ſpirituali? Simoniam eſſe, ſi ex pacto fiat, *Richardus cenſuit in 4. D. 25. ar. 3. q. 1.* duabus rationibus perſuaſus. 1. eſt, quia emitur res à non domino, quod abſque Simonia non contingit. 2. Contra rationem gratiæ eſt, ut vendatur pro quocunque precio, etiam ſpirituali. Eo ipſo enim definit eſſe gratia. Sed parum roboris in utraque ſumptione eſt, ut mirum non ſit neminem inveniſſe, qui conſentiret.

R. igitur. Rem purè ſpiritualē pro aliâ ſimiliter ſpirituali dare vel cōmutare nulla Simonia eſt ſaltē iure divino. Patet ex definitione Simoniæ *præc. § allata.* Ea enim pro Simonia eſſentialiter requirit pretium corporale, id eſt pecuniā, vel quod pecunia æſtimari poteſt. Vnde nulla irreverentia aut iniuria infertur rei ſpirituali, quādo cū alia ſimili commutatur: nec quiſquam eſt, etiam religioſiſſimus, qui Simoniā metuat, dicendo ſuis notis. Tu pro me hodie cōfeſſiones excipias, Euchariſtiā præbeas,

cou-

Digitized by Google

cionẽ in mea parochia habeas: aliò tempore eadẽ pro te faciã. *Eſcobar Tr.6. Exa. 2.c.2.n.24.* Dixi non eſſe Simoniã iure divino: quia in beneficiis eccleſiaſticis ex prohibitione Eccleſiæ Simonia committi poteſt ut infra patebit. Ad rationes *Richardi* uno verbo dicitur, hic neque pactũ venditionis, neq, ullũ pretiũ eſſe, ſed purã, & ſimplicẽ commutationem. At nemo rei ſpiritualis dominus eſt. Fateor. Igitur vendere aut commutare non poteſt. Non video ſequelam. An non, qui alienas res adminiſtrant, ut tutores, & mandatarii, validè cõtrahunt. Deinde licet ipſius gratiæ, & donorũ ſupernaturalium nemo dominus ſit, quilibet tamen actionũ ſuarum quibus munia Sacra perficit dominus eſt, & libertatem habet in aliorũ commodũ offerre & impẽdere. *Ita, communiter DD. ex c. ſuper eo de tranſact ap. Suar. c 30. Soto l.9. Q 5. ci. fin. Regmald. l 23 p.3. n 122. Az. l.12 c.3 q.5. Leſſ c.35. D 12 Laym. l.4. tr.10. c. ult. §.2 Bonac. de Simo p.4. §.7. nu.2. & ſeq. Sanchez l.2. Conſil. c 3. D 44. Toletus l.5. c 88. nu 2. Barb in c. dilectus 2. de ſimonia. Decianus l.5. c 84. nu 23.*

DVB. 7 In quibus actionibus, & operibus Simonia committatur?

R. 1. Committi Simoniã, quandocunq; pecunia vel quod pecunia æſtimabile eſt, datur pro actibus Virtutũ ſupernaturaliũ, V.g pro oratione, ieiunio & ſimilibus. Secus, ſi gratuitò detur, etiã ſub conditione, aut modo, ut opus bonum præſtetur. Sumitur ex *c. Sicut Epiſcopũ 1. q.2. c. Etſi quæſtiones §. Dilectus 2. et ſi. c. Tua de Simonia.* Et ſic licite munera dantur animo alliciẽdi ad Baptiſmum, ad Religionẽ, vel Sacros ordines ſuſcipiendos. Item pecunia offertur pro removendis impedimentis, quæ prędictorũ operũ executionẽ impediunt. Nam in hoc modo agendi nullum pretiũ intervenit, ſed gratis, & liberaliter omnia fiunt, quod honeſtum, & laude dignũ eſt. Imò DEUS ipſe ſervantibus mandata ſua bonorum temporalium abundantiã promittit: etiam pacto addito, ut SS. lit. paſſim docent, & ſpeciatim. *Gen. 17. V. 2.* Ambula coram me, ponamque fœdus meum inter me & te. & multiplicabo te vehemẽter. Præterea licitè donamus vitã reis in fidelibus ea conditione, ut Baptiſmum recipiant, quem morem hodie receptũ apud Hiſpanos eſſe *Medina* teſtatur. 3. ſimiliter domini libertatem ſervis promittunt, ſi Baptiſmum admittere velint. Pii homines impudicis mulieribus dotem, ſi relicta impuritate nubant: Itẽ parentes filiis ſuis pollicentur veſtes, pecuniã, aliave munuſcula, ſi in frequentandis templis, cõfeſſione, & communione diligentes fuerint, quos nemo dixerit uſum Sacramentorũ vendere. *Hugo in c. quàm Pio 1. q. 2. Archid. V. In ea. Gloſſa Oſtiens in c. dilectus 2. h t. Anchar. Abb. Felinus Ang. nu.26. Silv. q.8. Armilla n.50 Leſſ l.c. D.12. Sanchez l.1. de Matrim. D.39. Tolet. l.5. c.88.*

R. 2. Simonia nõ eſt, ſpectando naturam rei, ſi propter eleemoſynã, aliudve commodũ temporale officiũ, aut rem ſpiritualẽ alteri præſtes, modo pactũ, & convẽtio pretii abſit. Patet ex definitione Simoniæ explicata. Secundùm hanc enim nulla Simonia, ſeponẽdo prohibitionẽ humanã, in donationibus & operibus gratuitis invenitur. Et qui Auctores aliter locuti ſunt, dicendo. V.g. Clericũ Simoniacũ eſſe, qui propter diſtributiones ut finẽ principalẽ in eccleſiã venit, intelligi debent, ſi diſtributiones cupiat obtinere tanquã pretium

laboris

laboris ſui. Neque turpis quæſtus appellari debet, cùm Sacræ reliquiæ exponuntur eo fine, ut populus accurrat, & largas eleemoſynas offerat. Nam quamdiu pactum, tamdiu Simonia abeſt. *Nav.c.Inter verba 11.q 3.Concl.5. n.25. Decianus l 5.c. 79.Laym.l cit.*§.2 *n 12.Suarez c. 26 n. 11. & ſeq.* Vallens. *l.5.tt.3 §.2.*

R. 3 Simoniacus eſt, quicunque pretium accipit pro aliquo actu ordinis, vel iuriſdictionis epiſcopalis. *c Gratia. c Placuit. c. ſi quis & aliis 1.q.1.* Eiuſmodi actus ſunt conſecrare Sacerdotes, Diaconos, &c. conficere chriſma, diſpenſare in Voto, iuramento, abſoluere à cenſuris largiri indulgentias & ſimilia. *V. Lud. Beia in Caſu 37.* Nam omnes prædictæ actiones maximè ſpirituales ſunt, pro quibus optare vel exigere temporale aliquid nihil aliud eſt, quam cum Simone mago donum Dei pecunia æſtimare. *Antonin.2. par tt.1.c. 5. c.26 n.2. & 14. Leſſ.c.35.* D. 9 *Inſuper* Co. Tr.S.21.*c. 1.* præcipit Epiſcopis, ut nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonſuræ: nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo aliave cauſa etiam ſponte oblatum quovis prætextu accipiant. Nec excuſantur Epiſcopi titulares. & ſuffraganei, qui in aliorum diœceſibus ordines conferunt cum conſenſu epiſcoporum & Archiepiſcoporum. Nihil enim eam ob cauſam accipere muneris aut doni poſſunt, ſed à ſuis diœceſanis, vel à quibus conſtituti ſunt, ſuſtentationem petant. Addit *Tolet. l. 5. c 88.* periculum eſſe etiam in accipiendo candelas. Damnatur etiam à *Congr. Cardin (declara. nu.1.)* conſuetudo percipiendi ab ordinatis ad primam tonſuram forcipes, pectines, & mappulas, præter faculas; pariterque à presbyteris. Quod epiſcopis grave videri non debet, cùm aliunde neceſſitati ipſorum ſatis proviſum ſit.

NOTA Quòd diſpenſationem attinet, Romanæ Curiæ praxis eſt, aliquid exigere à petentibus 1. pro ſuſtentatione ſummi Pontificis. 2. pro labore officialium 3. pro commutatione unius operis in aliud 4. in pœnam delicti. *Bonac. To.1.pag.696. Tol. l.5.c.89. nu.* 2. Idem in epiſcopis excuſare poteſt conſuetudo. *Leſſ l.cit n.58.*

R. 4. Simonia eſt, pro iure ſepulcri, ut quis in hoc vel illo eccleſiæ loco ſepeliri poſſit, pretium accipere. *c Audimus. & c. abolendæ. de Sepultur. ubi gl. Abb. & alii.* Si quis autem certum locum pro ſe, & ſuis ſibi vendicare velit, ut proprium, licitum videtur exigere aliquid: quia onus eccleſiæ miniſtris impoſitum pretio æſtimabile eſt. *V. quæ diximus tt 5. §. 2. de iure ſepulcri.*

DVB 8. An pro omiſſione actus accipi pretium queat ſine Simonia?

R. Non poſſe, quando pactum fit de omiſſione actus iuriſdictionis ſeu poteſtatis eccleſiaſticæ, quæ inſtar actus parit effectum moralē, cuiuſmodi eſt detentio peccati aliàs abſoluendi, vel cenſuræ, quæ propter omiſsionem talem continuatur. Tunc enim bonum illud Spirituale ab eo, qui pecuniam dat, iniquè emitur ex odio, vel invidia, & ab habente poteſtatem abſoluendi traditur ex avaritia accepto pretio. *c Nemo presbyteror. de Simon.* ubi utrumque Simoniacum dicitur, & munus accipere, ut pœnitentem reconcilies, & ut à reconciliatione removeas. Idem fiet, ſi in foro externo Iudex ſpondeat accepto pretio ſe non liberaturum ab excommunica-

Digitized by Google

municatione Petrum, vel non approbaturum ad ſuſcipiendos ordines Paulum, quamvis dignum. Vbi etiam Iniuſtitiæ, & aliorum peccatorum malitia admiſceri poteſt. In aliis actibus, & omiſſione illorum licet aliàs ſub obligatione ſint, non committitur neceſſariò Simonia. Vt ſi pecuniam tibi dedero, ne legas Miſſam, ne frequentes chorum, ut abſtineas à legendi horis, & ſimilibus, quia talis omiſſio cùm nullum effectum pariat, non cenſetur bonum ſpirituale, ſed potiùs negatio illius. Nihilominus ſi abſque iuſta cauſa de tali omiſſione pactum fiat oblato pretio malitiam valdè affinem Simoniæ habebit. Nam tacitè inſinuatur, imò præſupponitur, & omiſſionem actus, & actum ipſum pretio æſtimabilem eſſe: quæ non levis irreverentia omnibus bonis Spiritualibus contraria. Vnde ſi accederet præceptum Eccleſiæ prohibens eiuſmodi licitationē, contra facientes facilè Simoniam committerent. Adde, quod omiſſio debiti officii in perſonis eccleſiaſticis ſubinde poteſt eſſe diſpoſitio, & cauſa alicuius boni, vel Iuris ſpecialis, vel reſpectu illius, qui pretium dat, vel reſpectu aliorum, ut ſi propterea ſpes eſſet conſequendi beneficium eius, qui negligens & deſidioſus eſt: & tunc haud dubiè poterit Simonia committi ſaltem ab eo, qui illum finem intendit. *Paludan in 4. Diſt 25. Q. 5. Valent. D. 6. Q. 16. pun. 2 Leſſ. c. 35. D. 11. Decianus l. 5. c. 85. Laym. l cit. §. 4 n 43. Tanner. Diſp. 5. Q. 8. Dub. 2. n. 43. Tolet. l. 5 c 90. in Addit. Sanch. l. 2. Conſil. c. 3. D. 22. & l 1. de Matrim. Diſp. 39.*

DVB. 9. Quomodo committatur Simonia in beneficiis eccleſiaſticis?

Non minor hic quæſitorum, quàm beneficiorum numerus eſt, ſublata ferè omni ſpe in arctum cogendi, niſi illa, quæ generatim de requiſitis ad veram Simoniam in Superioribus dubiis indicavimus mente revoluas. Sine pretio & pacto de pretio pro re ſpirituali meminerimus non eſſe Simoniam, eoque poſito certa videntur, quæ ſubiungo.

1. Non tantum ipſa beneficia eccleſiaſtica, ſed etiam ius acquiſitum ad aliquod eorum vendere, aut emere, Simonia eſt. Item ſi orta inter duos de beneficio lite, unus illorum pro pecunia cedat iure ſuo. *Azor 3. l. 12 c. 7. Q. 1. Vgolinus Tab. 1. de Simo. c. 29. Laym. l. 4. Tr. 10. c. ul. §. 5. n 55.*

2. Simonia eſt, vendere aut emere actiones, quibus impetratur, & obtinetur beneficium eccleſiaſticum cuiuſmodi eſt reſignatio, electio, præſentatio, collatio, inſtitutio, confirmatio, & ſimiles. *Az. l cit. Conc. Tr. S 24 c. 14. Navar. c. 23. nu. 100. Roſella V. Simonia §. 2. Tuſchus Concluſ. 252.*

3. Idem de iure patronatus dicendum, vendi ſcilicet abſque Simonia non poſſe, quia ſpirituale eſt: niſi fortè annexum ſit caſtro alicui aut Vniverſitati bonorum, ubi concomitanter contractui iungeretur, modò illius cauſa non augeatur pretium. *c. Præterea de tranſact. c. Quia clerici. c. de iure verò eodem. S. Th. p. 100. ar. 4. Abb. in c. Quanto de iudic. Curtius de iure patron V. Ius. n. 2. Selva par 1. de beneſi. p. ult. Binsf. Notab. 7. Sanch. l 2. Conſ. c. 3. D. 48.*

4. Penſiones ad munus aliquod ſpirituale ordinatæ, puta, Concionatoris, Coadiutoris epiſcopi, abſque Simonia non emuntur, & venduntur. Nam quicunque emit, titulum ſpiritualem ſimul

emere cenſetur. Fructus tamen vendere aliis, aut locare licet. *Nav. c. 23. Man. n. 111. & l. 3. Conſil. 11. de reb. eccl. non alien. Leſſ.* D 22 *n. 122. Bonacina* To. 1. *pag. 689. Tolet. l 5. c. 90. Catanens in* V. *Simonia* Tanner. D. 5. *p.* 8. D*ub.* 2. *n.* 5. 6. *& ſeq. Salzedo in c.* 92. Pr*actica. Bern.* Diaz.

5. Penſiones mixtæ clericorum, quæ propter finem non ſacrum, aut ſæculare officium dantur, puta, Senium, inopiam, litis compoſitionem, quamvis emi, & vendi non poſſint. poſſunt redimi tamen, ſaltem ubi P*ii V. conſtitutio* eiuſmodi penſionibus obligationem officii B. Virg. imponens recepta non eſt. *Binſf. de Simo. c. 9. Q. 2. concl 3. Leſſ. l. c. num 125. Soto l. 9 p.* 7. T*olet. l. 5 c. 92.* Primæ parti contraria eſt Curiæ Romanæ praxis, quæ eiuſmodi penſiones ut Simoniacas damnat quia quandam cum beneficiis clericalibus ſimilitudinem habent. *Navar l. cit. & conſil 63. de Simo.* Poſterior ex dd. ſupra liquet. Redimere enim penſionem averſam nihil aliud eſt, quàm onus impoſitum annuè ſoluendi certam quotam tollere. *Lud. Beia caſu* 37. *Bonac.* T*om.* 1. *pag.* 674. *Laym l.* 4. *Tr. 9 c. ult.* §. 5. *n.* 48. *Sanch. l* 2. C*onſ. c.* 3. *D.* 46.

6. Simoniaca eſt beneficiorum eccleſiaſticorum permutatio privata auctoritate facta. *c. Quæſitum c. cùm univerſor. de rer. permut* Garcias *de benef pa* 11 *c* 4. *Bonac. de Simo q* 4. §. 12. T*ol. l.* 5 *c* 91. *Laym. l.* 4. T*r 9 c. ult* §. 5. *q* 4. At cauſa neceſſitatis & utilitatis fieri cum licentia epiſcopi ritè poteſt. Vbi non eccleſiæ ſolius, ſed perſonarum quoque ratio habenda. *Flaminius de reſig. benef. l. 11. c. 5. Vgolinus Fab.* 1. *de Simo c. 27.* §. 1. *Zerola* P*ar. 1 V. Renunciatio, ſeu permutatio, Boer. Deciſ.* 205. *n.* 5. *Sanch. l. 2. Conſil. c. 3. D. 38.* Quam auctoritatem epiſcopus, eandem in permutandis beneficiis præſtare poſſunt Prælati, qui habent vim cõferendi, inſtituendi, & à benefico clericos removendi. *Corras de benef par.* 1. *c.* 9. *Card* T*uſchus lit.* P. *Concl.* 304. *Garc. c.* 4. *n.* 60. *Barb in c. Quæſitum. de rer. perm.*

7. Idem iuris eſt de commutationibus, quæ fierent circa ſpiritualia, quibus annexum eſt temporale aliquid conſequenter, licet propriè eccleſiaſtica beneficia non ſint. *Nav c. 23. n. 100. Fran. Suarez. c.* 3 *n.* 14. *conformiter ad c. cita. Quæſitum de rer. permut.* Vnde ſequitur damnari permutationem quæ fieret beneficii cum Vicaria, cooperatura, aut Capellania non collativa. Nam quando ſpirituale aliquid permutatur cum alio ſpirituali, cui aliquid corporale admixtum eſt, facilè præſumitur intuitu commodi temporalis fieri, atque ita ſpirituale pretio æquiparari: quod periculum ſufficit, ut ſaltem in fore externo pro illicitis, & Simoniacis conventionibus habeantur. *c. cum pridem. & c. Ex parte de off. delegati.* L*aym. l. c. n.* 51.

8. Cùm duo beneficia, quoad fructus inæqualia ſunt, defectum pecunia compenſari poſſe, ſi authoritas epiſcopi accedat, ſine ulla Simonia tradit. C*aiet.* 22. *q.* 100. *art.* 4. *Anton. par.* 2. *tt.* 1. *c.* 5. *Angel. V.* Permutatio. *num* 6. *Silv. eod. V.* 2. *p* L*eſſ.* D. 17 *num.* 101. *allegantes c. ad quæſtiones. de rer. permut. ubi* Clem. III. reſpondet eccleſias parochiales auctoritate epiſcopis permutari poſſe, ita ut poſſeſſiones tenuiores unius pecunia compenſentur. Sed B*arb. in c. cit.* opinionem hanc falſam, periculoſam, & plenam dolis, ac fraudibus appellat, eò quòd negari non poſſit, in eiuſmodi permutatione pecuniam

cuniam dari pro ipſo beneficio, quod eſt ius adminiſtrandi ſpiritualia & percipiendi temporalia propter illud: nec alterum ab altero ſeparatur. Qui enim pro fructibus aut bonis temporalibus beneficij, quæ abſque titulo comparari non poſſunt, pecuniam dat, utrumque neceſſariò comparare intendit, eo pretio, ac per cõſequens Simoniam committit. Antecedens enim quicunque vult, etiam conſequens velle arguitur. *l. ad rem mobilem ff. de procuratorib.* Idem docet Abb. Covar. *Navar. & alii citati ap Laym. l. cit. n.* 54.

9. Vendere, aut locare ad certum tempus beneficiorum fructus, & proventus, nullum vitium eſt. *Extrav. Ambitioſæ. de reb. eccl. non alien.* ubi triennium definitur, ultra quod non liceat locare fructus, & bona eccleſiæ, ſed in multis locis ea Conſtitutio ignoratur, vel negligitur, de qua re amplius in Tit. ult. dicemus.

10 Supereſt tranſactio, ſeu pactio oneroſa, in qua propter dubiam litem aliquid remittitur, aut viciſſim petitur. *l. 1. ff. de tranſactionib.* Equidem ſi ita fiat, ut ex una parte beneficium eccleſiaſticum ex altera parte res temporalis detur, Simoniã committi, patet ex *c. cùm pridem. de pactis. c. ſuper eo. c. Conſtitutus. de tranſact. c. 2. de arbitris* Ex quibus locis colligitur. 1. ſi litigantium unus, alteri pecuniam det, ut à lite deſiſtat, Simoniacum eſſe. 2. ſi eandem ob cauſam beneficium ipſi tradat, vel 3. ſi pecuniarium debitum remittat. *Angel. V. Tranſactio num. 4.* Idem iuris eſt in aliis controverſiis, ubi materia ſpiritualis, puta. ius patronatus, collationis, inſtitutionis, aut ſimile quid in iudicium deducatur & mediante corporali aliquo pretio componitur, remittendo propter pretium aliquid de dubio iure. *Abb in c. Conſtitutus. & c. ſuper eo de tranſact.* Laym. l. cit. n. 56. *Angel. in V. Ius patronatus nu. 12. Cucchus l. 4. Inſt. tt. 2. Decianus l. 5. c. 28. n. 9.* ubi limitat, tolerari, ſi accedat Superioris licentia, modò ex utraque parte ſpirituale interveniat, & non temporale *c. Statuimus & c. de cætero. de Simo. & c. Ex multiplici c. ſuggeſtum de decimis & c. ad quæſtiones de rer permut. Barb. vero in c. Quàm pio. 1. q 2. n. 7.* Si pro bono pacis inter litigantes temporale aliquid detur non fore Simoniam aſſerit.

Idem dicendum de vexa: ut loquuntur redimenda, ſive in materia beneficiorum ſive in aliis. Quid enim ea aliud, quam lapis in via. obex, & iniuſta remora, quam removere nihil aliud ſit, quam iuri viam aperire? *Caiet. 22. Q. 100 ar. 2. Sotò l. 9 Q. 6. ar. 3.* Laym. l. 1. §. 2 *num. 22. Reginald. Q. 2. num. 113. & 168. Barb. in c.* Baptizandis *1. q. 1.*

Denique nihil intereſſe memineris, pro ſe, an pro alio quis mercatum Simoniacum exerceat, procurando ſcilicet beneficium eccleſiaſticum etiam ignoranti *c. Nobis. c. Matthæus de Simonia.* vel receptionem in Monaſterium. *c. de regularibus eod.* Eadem enim pœna mediatores manet. *Sanch. l. 2. Conſ c. 3. D. 104. Valent.* D. *Q. 16. pun. 6.* Quæ doctrina parentibus præcipuè neceſſaria eſt, quibus amor, & inordinata cupiditas nihil relinquere inauſum ſuadet, donec in eccleſias, vel monaſteria filios ſuos intruſerint. Non eſt tamen illicitum pro alimonia offerre, & recipere portionem aliquam etiã in monaſteriis alioqui opulentis: cùm

Digitized by Google

neque hunc, neque illum gratis ſuſcipere & alere teneantur, modò non omnes pauperes excludant. *Suar. c.17. num.6 Navar. Conſil 86. de Simonia.* Excipiendæ etiam ſunt Moniales, quibus Summi Pontifices indulſerunt, ut in receptione de alimoniâ in futurum paciſci queant, eo modo eum illis cautelis, quas in *Par.* 1. *Tit.* 17. §. 1. expoſuimus. *V. Bonac. To.3 pag* 238. *Az.* 3. *L.*12. *c.*19. *Q.* 5. §. *Quid ſi Decian l.* 5 *c* 84. *n.* 15. *Bald. in l. ſi quemquam.* C. *de ep. & cler. cum aliis apud Guidon. Papam Qu.*80.

DVB. 10. An facta Simoniacè irrita, & invalida ſint?

Suppoſito, Simoniæ crimen ex ſe non habere maiorem vim irritandi actus aliàs validos, quàm alia, eò reducimus quæſtionem ut de ſolo iure eccleſiaſtico intelligenda ſit.

1. Igitur ſecundum Iuris Canonici diſpoſitionem omnis acquiſitio rei ſpiritualis mediante pecunia, & pretio corporali irrita cenſetur. *c. Ea quæ de Simonia* quia omnis eiuſmodi conſecutio de radice Avaritiæ procedit, & in ſpeciem Simoniacæ pravitatis erumpit. DD. *in* 4. *diſt.* 15. *&* 25. *Suarez c.*57. *n.*10. *Laym. l.* 4. *Tract.* 10 *c. ult.* §.7.

2. Qui beneficium Simoniace obtinuit jure Canonico non poteſt retinere, neque illius proventibus uti, ac frui & ſi quid perceperit, reddendum eſt, quia nullum ius habet: niſi ſciens ſui cauſa Simoniam exerceri contradixerit, ſeque illi nō conſentire declaraverit. *V. quæ dix.* §.3 *n. V. c. Matthæus & c. ult. de Simonia* Qui autem bona fide obtinuit inſcius Simoniæ ab aliis commiſſæ favore triennalis poſſeſſionis uti poteſt ita, ut ante triennii terminum elapſum in poſſeſſione ſua non turbetur. de quo *V. Az.* 11. *l.* 7. *c.* 35. *Rebuff in Tract de pacif. poſſ. Tholos. l.*17. *c.*16. *cit. fin. Leſſ. c.*35. D.25 *nu.*140. Quamvis enim in Regula Cancellariæ Romanæ de triennali poſſeſſore beneficii excludantur Simoniaci, non poteſt illi obeſſe, quem inculpabilis ignorantia tuetur; & tam à culpa, quàm pœna ipſi conſtituta abſoluit. Ante triennii lapſum ſi error pateſiat, reſignandum beneficium, vel aliter conferendum eſt.

3. Actus poſterior Simoniæ labe infectus adeoque irritus non tollit, vel invalidat priorem legitimè factum. Electio in Prælatum ex. gr. legitima eſt, confirmatio per Simoniam obtenta unde ſibi tantùm, non verò ſimul electioni nocet. *Navar. Conſil.* 10. *de Simo. nu.*4. *Adrian. & alii citati* § *præc. n. V.*

4 Pari iure non redditur ipſo facto inhabilis ad alia beneficia, qui unum Simoniace poſſidet. *Nav. Conſ* 91. nec amittit continuò primum beneficium, qui per Simoniam extorſit ſecundum. *Vallens. l* 5. *tt.*3. § 4. *n.*10. *Suarez l.* 4. *c.*57. *Laym. l. cit.* §.7. *n.*74.

Excipe 1. Simoniam commiſſam ab examinatoribus beneficiorum in Synodo electis, qui ipſo facto privantur beneficiis antea ritè obtentis, tenenturque illa dimittere. *Conc. Trid Seſſ* 24. *c.*26 2. Simoniam commiſſam in electione Papæ, ut habetur in *Concil. Later. ſub Iulio* 2. *Seſſ.* 5. 3. Simoniam confidentiæ *Extra. Cùm deteſtabile* 2. *h. tt. Guterr. l.* 1. *Cano. QQ. c.* 9. *Vallens. l.* 5. *tt.* 3 §. 4. In his nihilominus prærequiri ex conſuetudine ſententiam declaratoriam, monet. *Leſſ. l. cit. n.* 148.

5. Actus iuriſdictionis eccleſiaſticæ, ordinis Sacerdotalis, & epiſcopalis, puta, abſolutio,

ſolutio, conſecratio, diſpenſatio, & ſimiles per ſe loquendo, quamvis Simonia inquinentur, validi ſunt; quemadmodum eſſent, ſi ab homine aliis flagitiis onerato, & corrupto fierent. Nec obſtat, quia in Jure paſſim irriti vocantur, non enim de ſubſtantia, ſed effectu, & uſu illorum id intelligitur. Nam qui Simoniacè ordinatus eſt, non poteſt ordini ſuſcepti munere fungi, quemadmodum fuſius declaravi §. 3. *num.* 5. *V. Suar. Tomo V. Diſp.* 31. *Sect.* 4. *Iul. Clarum* §. *Simonia nu.* 9.

6. Similiter valida eſt profeſſio religioſa per Simoniam facta. Quamvis enim propter delicti gravitatem irritari ab Eccleſia poſſit, hactenus tamen factum non eſt, nec abſque magno incommodo irritari poteſt. Vetuit tamen Eccleſia ejuſmodi profeſſum in Monaſterio remanere & habere ab eo ſuſtentationem ſeu præbendam *c. de regularib. hoc tit. & DD. Innoc. Abb. Sanch. l.* 5. *Moral. c.* 4. *num.* 36. & *l.* 2. *Conſ. c.* 3. *num.* 104. *Suarez l. cit. num.* 7. *Nav. in c. ſtatuimus* 14 *q.* 4. *Reginald. Sect.* 2. *num* 181.

Dub. II. A quibus & quomodo facienda reſtitutio ſit acceptorum Simoniacè? Pro faciliori reſolutione duo attendenda ſunt. Primum eſt, an, quod per Simoniam venditum eſt, natura ſua æſtimetur pretio. Alterum, an modus dandi, & recipiendi includat peccatum contra juſtitiam commutativam, quæ ſola obligationem reſtituendi cauſare ſolet, ut communis DD. doctrina habet. His poſitis

Reſp. *1.* Quicunque pro re ſpirituali, ex qua nullum temporale commodum ſperare poteſt, pretium accepit, jure divino naturali reſtituere tenetur ei, qui dedit, niſi aliqua prohibitio obſtet. Ratio, quia id faciendo contra juſtitiam commutativam peccat: tum quia res ſpiritualis non eſt pretio æſtimabilis, tum quia Eccleſiæ Miniſtri ejuſmodi rerum non ſunt domini, nec ullam à Chriſto facultatem habent de donis ſpiritualibus aliter diſponendi, quam per gratuitam communicationem juxta illud *Matth.* 10. *Gratis accepiſtis, gratis date. Adrian. quodl.* 9. *art.* 3. *Henr. quodl* 6. *Medina l.* 2. *Inſtruct c.* 14. *Sotus l.* 9. *q.* 8. *art.* 1. *Bann.* 22. *q.* 32. *art.* 7. *Concl.* 14. *Suar c.* 59. *num.* 11. *Leſſ. c.* 35. *Dub.* 28. *Valent D.* 6. *q.* 16. *pun.* 6. *Laym. l. cit.* §. 9. *n.* 79. *Tolet. l.* 5. *c.* 93. *n.* 4. Neque obſtat, 1. quod à Cajetano, & aliis quibuſdam adfertur, non danti, ſed Eccleſiæ pretium reſtituendum eſſe. Quia non Eccleſia, ſed qui dedit, immediatè læſus eſt. Unde ex natura rei, & independenter ab alia lege ipſi ſatisfaciendum eſt. Neque 2. illud ex *l.* 2. *C. de condi. ob turp cauſ.* deſumpt. cùm par cauſa eſt dantis, & accipientis, turpiter datum non repetitur: cui etjam conſonat *l.* 3. *l* 4 §. 3 & *l* 8 *ff. eod.* Fateor equidem ita per Judicem definiri poſſe, ut pretium amittat, qui pro turpi cauſa dedit. Id enim Canones etiam approbant, *c. audivimus hoc tit.* Sed nondum inventa eſt Eccleſiæ talis diſpoſitio, ut qui pro re ſpirituali pretium dedit, non poſſit recipere, ſed in uſus pauperum, vel ipſius Eccleſiæ neceſſariò convertere debeat. Breviter, & nervosè dixit *Eman. Sa num.* 10. Ante ſententiam ei, à quo accepta eſt Simoniacè pecunia, reddenda eſt, poſt ſententiam pauperibus, vel Eccleſiæ, objiciunt præterea *c. de hoc autem h tit.* idque ſolum probare ſufficienter exiſtimat *Suarez c.* 60. *num.* 5. Verùm aliud ex eo non

Digitized by Google

non colligitur, quàm Principes illos, ea quæ abſtulerunt, in conſcientiâ retinere non poſſe. Verba ſunt. Regem,& Principes ejus debes inducere,ut ſi qua receperunt à præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præberent aſſenſum,Eccleſiæ Oxonienſi ſine diminutione reſtituant,cùm ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere nō poſſint. Ex quibus tum veteres Gloſſæ, tum noviſſimè *Barboſa* colligit quidem, ejuſmodi pecuniam Simoniacè acceptam reſtituendam eſſe Eccleſiæ: an verò poſt ſententiam Judicis, vel potiùs abſque illâ non addunt. Non eſt ergò tam certū, & evidens,ut DD. quidam videri volunt. Quòd ſi pecunia Regi data ex ærario Eccleſiæ deſumpta fuit,ut aliqui conjiciunt, caſus particularis eſt,& multò minùs ſervit opinioni illorum ad probandum, quod intendunt. *Soto l.9 q.8.art.1. Bann. 22.q 32.art.7. Layman l.cit.num.* 84. *Tanner.Diſp.5.q.8 dub. 4.n. 89.*

Reſp. 2. Qui rem ſpiritualem ratione temporalis admixtæ, & ſibi commodæ juſto pretio vendidit, ſecundum Jus naturale ſolum;& abſtrahendo ab Eccleſiaſtico, pretium retinere poteſt donec per Judicem reddere compellatur *c fin. de Simo.Leſſ.l.1 c.D.28.n.160 Ratio* Licet ejuſmodi venditio Simoniaca ſit,non repugnat tamen juſtitiæ commutativæ cùm ſupponamus pro ſolo temporali pretiū, idque commenſuratum accipere. Hinc ſequitur ante ſententiam Judicis non teneri ad reſtitutionem pretii accepti 1.beneficiatum, qui beneficium ſuum reſpectu commodi temporalis ſervati pretii moderatione vendidit. Dico *ſuum beneficium cujus nimirum,vel Dominus eſt,vel quaſecunq; babet ſaltem ratione proventuum*, ut intelligat idem de Prælatis, qui beneficia venderent,dici non poſſe. *Suar.c.59.n.37.* 2.eos,qui officia Eccleſiæ ſæcularia, Advocati,Procuratoris,Syndici, Ædilis, Sacriſtæ,& ſim. venderent. *Reg. Seſſ.2.n.182.* 3. eos, qui agnos Dei, cruces, medalia, grana,roſaria benedicta,& his ſim.diſtrahunt.Imò ejuſmodi res abſq; peccato vēdi poſſunt.*Sanch.l.2.c.43.29.Dian. par.3. tr.6.reſ.12.*4.Epiſcopū,qui Vicarii officiū pretio,quod moderatū, & cōmenſuratū putaretur,alicui relinqueret. *Dian.par.4. tr.4.reſ.155.167* 5. Idem de jure patronatus dicendum eſt;imò quacunq; re ſpirituali, cui temporale cōmodum adhæret. *Suar.l.c.Regin.Sect.2.n.181.Laym.l.ci.n.83. Tann.q.8 D.4.n.89.*6.Prælatos ne peccare quidē qui à Novitiis admiſſis pecuniam accipiunt:nimirū pro alimoniâ,dummodo recedentibus, quod ſupereſt, reddant. *Glo.in c. Veniens h. t. & c. de hoc eod. Roderic.Tom.III.qu 63.artic.2.*

R. 3. In beneficiis Eccleſiaſticis peculiare eſt,quod qui emit, nullū jus acquirat,ac proinde in conſcientiâ reddere tenetur,non expectatâ judicis ſententia condemnatoria, aut declaratoria. *Extrav. deteſtabilis 2.de Simo.S.Thom.22.q.100.ar.6. ad 3 Cov Reg.peccatum par.2.§.8 n.7. Corduba in Sum q.18 Nav.c.23 n.111 Innoc.c.cū univerſorum de rer.permut Hoſt.& Anch ib. Felin.in c.Inſinuatum h.tt.n.6 Manue.To.2. Sum.c.56.n 6.Metina l.1.Sum c.14.§.21.Sotus l.9.q.8.ar.11 Ant par 2 tt.1.c.5.§ 21.Angel §.7.n.3 Silv.q.13.dicto 8.& alii plures apud Sanch.l.2.Conſ.c.3.D.115.* Unde conſequitur,ejuſmodi beneficium revera vacare,& abſq; alia declaratione peti,impetrarive poſſe,modò Simonia publica ſit. Occulta enim tribuit habenti titulū coloratum:

loratum: qui facit, ut tale beneficium nõ poſſit impetrari, nulla mentione de titulo colorato facta. *c. cùm in noſtris de conceſſ. præb.* nec renunciare liceat abſque licentia ſuperioris. *c. cùm in dubiis de renunc Menoch. l. 2. de arbitr. caſu* 201. *n.* 139. Fructus quoque ex beneficio percepti actu, & quos diligens poſſeſſor acquiſiviſſet, reſtituendi ſunt. Cùm enim nullum titulum aliquando habuerit, ſed mala fide tenuerit beneficium, nequaquam licet illius fructibus potiri. Neque intereſt, ſi inſcio illo commiſſa Simonia eſt, cùm alius pro ipſo pecuniam expenderet. *c. ex inſinuatione de Simon. V. Sanch. l. cit. D.* 116.

Reſp. 4. In rebus Simoniacè acceptis, quæ mixtæ, & permanentes ſunt (de aliis ex prædictis conſtat) conſiderãdum eſt, utrum prævaleat ſpirituale, an corporale. Si corporale, ut in vaſis, & veſtimentis ſacris, exceſſus pretii reſtituendus eſt: contractus tamen validus manet. Si verò ſpiritualia potius ſit, quemadmodum in reliquiis contingit, reſtituto pretio etiam ipſæ reliquiæ reſtituendæ videntur, tanquam ſub cauſa, & conditione acquirendi pretii venditæ. *Laym. l. c. in fin.* Nullo modo vendi poſſe reliquias, vel exponi ad videndum quæſtus cauſa Summiſtæ paſſim, docent ex *c. qui ſtudet* 1. *q.* 1. & *c. cùm ex eo. de Reliq. & vend. Sanct. Ubi Barboſa* annotat, vænales exponi non debere, quia illarum venditio apertiſſima eſſet Simonia. Quòd verò ad tabernaculum, & capſas attinet, quæ ut plurimùm ex auro, & argento, confectæ ſunt, etiam *Suarez l.* 4. *c.* 14. *num.* 24. concedit æſtimari vendique poſſe, adhibita cautione, ne propter habitudinem ad ſacras reliquias pretium augeatur. Ut neque Roſaria propter attactum variarum reliquiarum charius vendimus. Adde, quod *Leſſius c.* 35. *dub.* 28. *num.* 158. docet, pro ipſo commodo, quo quis ſe privat reliquias alteri dando, & incommodo, quod patitur ab auferentibus, compenſationem licitè exigi: quia carere ejuſmodi bonis pretio æſtimabile eſt: non ideò tamen ipſas reliquias vendere cuiquã licet.

Dub. 12. An iiſdem pœnis, & reſtitutioni ſubjaceant, qui cum ipſo Papa Simoniam committunt? Suppono, Pontificem, more aliorum Prælatorum commercando de rebus ſeu bonis Eccleſiæ Simoniæ vitium admittere poſſe, illius ſaltem, quæ juri naturali adverſatur. Illã enim, quæ juris poſitivi eſt, tollere illi permiſſum: & conſequenter Simoniacus cenſeri non poteſt, quamvis pro pecunia alicui præbendam, vel dignitatem concederet. *Anan in c.* 1. *de Simo. n.* 7. *Felinus eod. Tuſch Concl.* 251. *Iul. Clarus l.* 5. §. *Simo. n.* 5. *Laym. l.* 4 *tr.* 10 *c. ult.* §. 6. *n* 64. *Angel.* §. 5. *n.* 6. *Armilla n.* 60. Qui idem dicunt de Curia Pontificia, non committi unquam ab illa Simoniam, eò quòd in oculis ſummi Pontificis verſentur, pulvillos conſuunt nihil profuturos. Quamdiu igitur Papæ cõſenſum certis induciis mõſtrare non poſſunt ut cæteri hominum, peccatores erunt, & Simoniaci. *Silv. V. ſumm. n.* 19. *Laym. l. c.* §. 6. *n* 65. Illud ſupereſt, an hoc ipſo, quod Pontifex contractum aliàs Simoniacum cum aliquo facit, dum legibus ſolvat?

R. 1. In tali facto ſufficienter contineri illius diſpenſationem, quemadmodum in ſimili dicimus, ſi irregulari alicui ſcienter beneficium conferret re ipſa tollere irregularitatem. Et quis ambigat, ſi

Princeps,

Princeps, qui venationem in nemore ſuo prohibuit, ad venandum invitet alios quin eos nolit alicujus culpæ, & pœnæ reos fieri? *Nav c.23. num.* 108. *Silv. V. Diſpenſatio num.* 21. & alii Canoniſtæ communiter exceptis paucis, quorum Princeps eſt *Panormitan. in c.* 1. *de Simon. n* 8. *&* 9. in nullo caſu tutum fore in conſcientia aſſerens, qui pro quocunque beneficio pecuniam dedit Papæ. Unde apparet, ab eo conſenſum, vel diſpenſationem explicitam requiri: ſed non probat interpretativum non ſufficere. *Soto l.9 q.5. art.2. Silv. q.4. Covarr. ad Reg Peccatum pa.* 2. §.8 *Navar. Conſil* 4 *de Simon. Azor. III. l.* 12 *c. ult. Suarez l.*4. *de Simo. c. ult. num.* 14. *Leſſius c.* 35. *D.* 5.

Reſp 2. Simonia non eſt, quando Papa in gratiam reſignantis beneficium, penſionem imponit, non illi, quod reſignatur, quia tenue eſt, ſed alteri quod reſignans prius habuit. Pontifex enim ut ſupremus Oeconomus Chriſti liberam beneficiorum adminiſtrationem habet: imò à quibuſdam (licet minus propriè) omnium bonorum Eccleſiaſticorum Dominus appellatur. Sicut ergò cùm poſterius beneficium datur, penſione onerare poteſt, ita etiam illud, quod ante collatum erat. Idem de aliis omnibus, ſive penſionibus, ſive reſervationibus, aliisque mutationibus intelligitur ex communi illo principio. Liberam beneficiorum diſpoſitionem in manu Summi Pontificis eſſe. *Sanch. l.*2. *Conſil c.*3. *D.*45. *Franc. Leo in theſ. fo. Eccl. part.*2. *c.*22. *n.* 24. *& ſeq. Reginald. l.*23 *q.* 5 *num.*280. *qui q.*4. *num.*271. Annatas quoque ab omni injuſtitia, & Simonia purgat: quia Pontifex in ſuſtentatione Cardinalium & aliorum ſeparare poteſt dimidiam partem redituum unius anni: quemadmodum in pias cauſas eandem petere, & exigere poſſet. *V. quæ dixim. in par. l. Tit.* 2. §. 9.

Dub. 13. Quis in Simonia diſpenſet. Suppono 1. de Simonia juris humani tantùm dubitari. 2. eáque vel commiſſa in ordine, vel beneficio vel ingreſſu religionis. Aliis enim in jure nulla pœna ipſo facto incurrenda conſtituta eſt. 3. De diſpenſatione pœnarum potiſſimè loquimur. Licet enim quoad culpam quoque fieri à Pontifice diſpenſatio queat, ea tamen rariſſimè fit, quia nec multum utilis, nec neceſſaria eſt, cùm aliis mediis ſubveniri queat indigentibus. Igitur.

Reſp. 1. Quod excommunicationem attinet latam contra Simoniacos in ſuſceptione ordinum, ingreſſu religionis, & beneficio Eccleſiaſtico: illa item, quæ contra Simoniam conventionalem, & commiſſam in Curia Papali datis, vel promiſſis pro gratia, aut juſtitia, (de qua latè *Nav. in Commentario* de hac re ad bullam *Greg. XIII ab ipſo*) abſolutio Summo Pontifici reſervata eſt, nec diſpenſatio in illis locum habet. Idem de ſuſpenſione dicendum. *V. Suar. c.*61. Nec alia ratio eſt interdicti, quod in duobus tantum caſibus invenitur poſitum 1. contra ordinantes Simoniacè, qui ingreſſu Eccleſiæ prohibentur. 2. contra Cardinales, Epiſcopos, ac ſimiles Prælatos, recipientes beneficia quæcunque, vel penſiones in confidentiam. Reſervantur enim cuncta hæc Summo Pontifici: in generali tamen conceſſione Jubilæorum incluſa cenſentur.

Reſ. 2. Inter pœnas duplex inhabilitas nume-

numeratur. Una ad retinendum idem beneficium quod Simoniacè obtentum erat. In hac ſolus quoque Papa diſpenſat, quando Simonia non ignoravit beneficiatus & ad illam cooperatus eſt. Quod ſi ignarus fuit Simoniacæ impetrationis, & beneficium ſimplex fuerit, poſt liberã reſignationem poterit Epiſcopus diſpenſare. In majori beneficio pro ea vice non poterit. Altera inhabilitas eſt ad alia beneficia, de qua *in c. de Simo h. t.* Poſſe in ea diſpenſare Epiſcopum quando voluntariè reſignavit beneficiatus, cenſent *Abb.* & *Felinus*, ſupponẽtes ante latam ſententiam Judicis ejuſmodi inhabilitatem cõtrahi, quod alii negant, & melius, qui conſequenter dicent, cum declaratis à Judice inhabili. ad beneficia nullã Epiſcopũ diſpenſare. Supereſt de pretio inquirendum, an alicui ſacræ poteſtati ſubjaceat? ſi reſtitutio illius jure naturali debetur, non admittet ullius diſpẽſaturi manum: niſi fortè illo propter culpam Pontificis privare vellet recipientem. In illa autem, quæ jure Eccleſiaſtico tantùm debetur, facilis erit vel diſpenſatio, vel etiam compoſitio auctoritate Pontificia ineunda. *Extrav. Deteſtabile de Simo. c. de Simoniacè ordinatis eod. Nav. c. 23 Not. 4. & c. 25. n. 6. Suarez l. 4 c. 61. n. 11. Tolet. l. 5. c. 93. Zerola 2 par. V. Simonia ci. fin Eſcobar. tr. 6. Exam. 2. c. 5 Piaſec. par. 1. c. 1. n. 58.* ubi notat, ſingulare quiddam, videlicet cùm Simoniacè in ordine ſcienter, etiam occulto diſpenſare Epiſcopum non poſſe, ſtante prohibitione Sixt. V. quam licet Clem. VIII. ad terminos juris communis reduxerit illam tamen quoad hunc caſum reſervavit, ut patet ex ipsâ Bullâ, quam ibidem *Piaſecius* recitat.

§. V.

De Cenſibus.

I. Cenſus pro Contractu, eſt *Ius conſtitutum contractu aliquo percipiendi annuam penſionem ex re, vel perſonâ alterius.* Dicitur 1. *Ius percipiendi.* Non enim hoc loco penſionem ipſam, ſeu reditum annuum, multò minus alterius generis cenſum deſcribimus. Ius emit Cenſualiſta, cui in Cenſuario reſpondet obligatio ſolvendi. 2. *Ex re alterius*, qui pecuniam velu i pretium accipit pro conſtituendo cenſu, ſeu dando jus percipiendi annuam quotam. In re namque ſua nemo cenſum conſtituit. 3. *Vel perſona.* Datur enim æquè perſonalis, ac realis cenſus, ut ex dicendis patebit. *l. ætatem ff. de Cenſib. c. Conſtitutus de Relig domib. Molin. Diſp. 381. Covar. l. 3 Variar. c. 7 num. 1. Valent. III Diſp 5 quæſt. 22. Pun. 1. Palao tract. 32. Diſp. 6. Pun. 1.*

II. Dividitur Cenſus 1. ratione modi conſtitutivi in *Reſervativum*, & *Conſignativum. Reſervativus* eſt, qualem in Ægypto Ioſeph conſtituit in bonis omnium præterquam Sacerdotum reddendo illa ſubditis cum onere certam penſionem annuè perſolvendi Regi. Quandocunque igitur rem ſuam quis in alium transfert donando, vendendo, permutando, aut ſimili modo ſervato ſibi in ea jure annuæ penſionis, Cenſus reſervativus vocatur. *l. ult. C. de rer. permut. Conſignativus* eſt, cum quis retinendo ſibi directum, & utile dominium in re aliqua frugifera, vel etiam perſona ſua jus penſionis annuæ tribuit. Et de hoc potiſſimæ difficultates

Nnn

cultates ſunt. 2. Conſignativus ratione materiæ dividitur in *Realem, Perſonalem,* & *Mixtum*. *Realis* in re, quæ non ſit perſona: *Perſonalis* in perſona immediatè ad ſolvendum penſionem obligata: *Mixtus* in re, & perſona conjunctim reperitur, ita ut re extincta obligatio in perſona maneat, contra quam in Reali accidit, ubi re pereunte etiam Cenſus perit, ut infra dicitur. 3. Dividitur ratione penſionis in Fructuarium, ex quo fructus, puta frumentum, aut vinum debetur; & pecuniarium ex quo pecunia ſolvitur. 4. in certum, & incertum. Certus eſt, in quo determinata eſt quota. Incertus, quando indeterminata verbi gratia tertia, aut quinta pars fructuum conſtituitur ſolvenda, qui modus non eſt niſi in reſervativo licitus. 5. denique ratione temporis futuri in *perpetuum*, & *temporalem*. *Perpetuus* dividitur in redimibilem & irredimibilem. *Temporalis* in eum, qui extenditur in tempus certum, puta, 10. vel 12. annos: & in eum, qui extenditur in tempus incertum, ut ad vitam unius, aut duorum hominum, quem appellant *Vitalitium. Valent. loco cit. pun.* 3. *Maior in* 4. *Diſt.* 15 *quæſt.* 34. *Conr. de Contr. quæſt* 72. *Azor* III. *l.* 10. *c.* 2. & 3. *Reginald l.* 25 *c* 32. *num.* 425. *Leſſius c.* 22. *Dub.* 2. *Layman l.* 3. *tract.* 4. *c.* 17 *Tolet. l.* 5 *c.* 43. *Palao l c.* 8. *pun.* 7. & 31.

III. Cenſum, ut à nobis definitus eſt, inter bona incorporea cum Juris Cæſarei Doctoribus numerare convenit. Corporea enim illi vocant, quæ corporibus prædita, cerni, manibusque contingi poſſunt: incorporea verò, quæ ſolo juris intellectu conſtant, & tangi nequeunt. *l.* 1. *§. quædam ff. de rer. diviſ. Inſtitut. tt. de rebus corporalibus & incorporalibus*. Mobilibus an immobilibus magis acceſſeas, non putem intereſſe In ſe quidem, hoc eſt, ſpecie & forma ſua ſi ſpectetur, cùm motui, & mutationi nonniſi ratione ſubjecti, vel objecti obnoxius ſit, immobilem quis rectè dixerit, *cum Clem. exivi §. cumque omni de verb. ſignif.* quia tamen ab objecto communiter accidentia denominationem capiunt: mobile dicemus, quando in re mobili; immobilem, quando ſuper immobili conſtitutus eſt. *V. Paulum Buſium Lt. de annuis redditibus c.* 3. Alii tamen multò aliter *ap. Card Lugo Diſp* 27 *Sect.* 1. *num.* 8 *Filliuc. tract* 35. *num.* 249. *Taſcbum Concluſ.* 194. *Palao loco cit. Pun* 14.

IV. Haud parùm aberrant, qui Cenſualem contractum cum Mutuo uſurario confundunt, & idcircò damnant. Non enim id agitur in Cenſu, ut plus detur à Cenſuario, quàm acceperit, ſed ut annuam penſionem, quæ pretio oblato prudenter, & juſtè commenſurata putetur, exoluat Do centum ea lege, ut tua pecunia ſit, mihi verò annuè quinque perſolvas, quod æquum ac juſtum eſſe jam pridem mundus agnovit. *l. eos C. de Vſur. Melonius Tit.* 15. *num.* 20. Neque ſtringit objectio. Penſio cum tempore Summam acceptam æquatur, imò ſuperat: in quo igitur ſuperat, auctarium uſuræ agnoſcitur. Non ſtringit, *inquam*, tum quia in aliis emptionibus, quas nemo damnare auſit, idem contingit: Emiſti verbi gratia hortum 1000. flor. Fructus cum tempore majores erunt. Ultra mille collegiſti: ſi pergas 2000. habebis. An ulla hic injuria? Non cenſeo: tum, quòd potiſſimè hic conſideran-

derandum, in Cenſu non emitur penſio ipſa, ſeu fructus rei, ſed jus ad penſionem, quod communi hominum judicio minoris æſtimatur, quàm ſi in præſenti tota penſionum collectio præſtaretur. Interea temporis fieri poteſt, ut res, in quâ fundatur cenſus, pereat, vel minuatur, vel aliis modis ipſa ſolutio retardetur. *Ita communiter DD.* Sed *Cardin. Lugo loco cit. num. 20.* facilius, & clarius ab uſurâ excuſari putat, dicendo Cenſualiſtam neque fructus neque penſiones vel jus ad penſiones emere, ſed partem uſusfructus talis prædii, ſuper quo cenſus conſtituitur, ita, ut dominium totum directum prædii maneat apud venditiorem; dominium tamen utile, ſeu jus uſusfructus ex parte vendatur, quod jus partiale ſeu dominium utile partiale non valet, quantum valeret totum prædium, ſed multò minus, ut conſtat, & ideò ſi totum prædium poſſet 1000. aureis emi, poterit dominium utile partiale, ſeu jus uſusfructus partialis juſtè 500. emi, quo pretio acquirit emptor partem dominii utilis: poſtea verò alio contractu, qui implicitè continetur in ipſa conſtitutione cenſus realis, convenit inter contrahentes, ut pro ſpe fructuum, quos emptor ſperare poſſet ex illo dominio utili, obliget ſe venditor ad ſolvendum talem penſionem pecuniariam, qui contractus etiam licitus eſt, cum ſpes illa fructuum attento periculo, & ſpe poſſit prudenter tanti æſtimari, & hoc modo reducitur prior contractus ad obligationem ſolvendi tantam penſionem annuam, quâ venditor redimit uſumfructum partialem prædii, quam vendiderat, manente tamen prædio ipſo realiter obligato per modum hypothecæ ad ſolutionem penſionum promiſſarum eò, quòd emptor non ſit contentus obligatione perſonali debitoris, ſed velit præter obligationem etiam hypothecam realem ad ſecuritatem majorem ſui debiti. *Ita Lugo*, minus probabiliter aſtruens partem dominii utilis à Cenſuario vendi. Hoc enim paſſim alii fugiunt, ne cum emphyteuſi Cenſus miſceatur.

V. Realis cenſus hodie à nemine, quod ſciam, reverâ impugnatur, ſed de perſonali litigant: quem injuriâ vacare cenſeo, ſi conſtituatur immediatè ſuper perſonâ utili & frugiferâ, per induſtriam ſuam: quæque in re, vel ſpe bona habeat, unde annua penſio ſumatur: obligatione in poſteros tranſitura, ita tamen, ut ultra vires non urgeantur, nec ſervitute multentur. *Ratio* à cenſu reali, quæ ſufficiat, applicari poteſt. Sed urget ſcrupulus de exceſſu penſionis, ſi cenſus perpetuus ſit. Mille dediſti, duo millia poſt aliquot annos cumulus erit. Non obſtare hoc ex num. præced. conſtat. Idem namque in cenſu reali evenire poteſt. Videt emptor, & ſperat futurum, ut poſt annos vigeſimos ſummam totam recipiat: & aliquando fortem quoque, ſi redimere velit Cenſuarius. Nihilominus contra conſcientiam, & juſtitiam nemo ſe peccare putat, quia communi omnium judicio aliud eſt habere præſentem pecuniam, aliud cum formidine expectare illam. Adde, ſicut temporis lapſus Cenſualiſtæ lucrum auget, ita Cenſuario

Digitized by Google

quoque, cùm pecuniam acceptam interea ſic impendere vel applicare queat, ut fructus illius penſionem ſoluendam non tantum æquet, ſed etiam ſuperet. *Conr. de Contr. Q.75 & 79. Panor in c. In civitate de Vſur.* Covar. *l. 3. Var. c. 7.* Medina *in ſum. c. 14. Bann. dub. 3. Valent. D. 5 p. 22. pun. 2. Felicianus l. de cenſib c. 7. nu. 18. de Graffiis Par. 1. l. 2 c. 118. n. 20. Leſſ c. 22. D. 4 Gaill l 2. obſ 7. Fill. Tr. 35. par. 2 n. 258. & ſeq. Eſcobar Tract. 3. Exam. 7. c. 2. nu. 4. &* 10 P*alao lo. cit. Puncto 11.*

VI. Etiam cenſus perpetui irredimibilis emptio licita eſt, quamvis pretium minus ſit, quã penſiones ſperatæ. *Ratio.* Iuſtum pretium cenſetur, quo fundum, aut prædium emis, quanti hic, & nunc iudicatur valere, nõ habita ratione fructuũ temporis futuri, quos tamẽ nemo dubitat aliquando pretiũ ſuperaturos. Quid ni ſimiliter iuſta erit emptio cenſus perpetui, & irredimibilis? Cur autem prædicta fundi emptio iuſta cenſeatur, licet minus ſit pretium, quã fructus ſperati, non alia cauſa eſt, quàm ſuperius indicata, quia communi hominum ſenſu alia eſt æſtimatio, ſeu pondus rei, alia verò ſpei. Illud præſens, & certum, hoc futurum & incertum eſt. Adde, quòd periculum emptori incumbit, ne pereunte fundo abſque Cenſuarii culpa pereat omnis expectatio reddendæ penſionis. Addatur, *inquis*. hypotheca. Addere licet non tamen eodem modo, quo in aliis contractibus. Nullus enim illius uſus erit, re perdita, aut deſtructa, ſed manente illa ſalva, ſi cenſuarius cunctetur, & ſoluere penſiones nolit, vendere licebit hypothecam, & ex pretio penſionem decerpere. Idem de Cenſu perſonali dicendum eſt: cùm nihil obſtare videatur, quò minus ſibi, & poſteris ſuis tale onus ex rationabili cauſa quiſquã imponere queat? Convenit tamen, ut pretium augeatur, quæ in hoc cenſu maius, quam in reali onus Cenſuario ſuſtinendum, ſiquidem re pereunte, & omnibus bonis remanet obligatio ipſi perſonæ annexa. *Medina. Conr. Salonius Covarr Barnez Valent Leſſ c. 22. Dub. 5. Salas dub 3. nu. 2.* Car. *Lugo D 27. Sect. 1. Buſius in Tr de annuis redit. l. 1. c. 4. Palao l cit. Pun. 18. n. 23.*

VII. Cenſuario iure communi & Pontificum. *Martini V. Calixti III. & Pii V.* Decretis permittitur redimere, & extinguere cenſum, quandocunque voluerit, pretio emptori reddito: idem an pro ſe paciſci Cenſualiſta poſſit, non minima eſt dubitandi ratio. Nam Vſuræ tam ſimilis apparet eiuſmodi Contractus, quàm ovũ ovo. Das ex. g. *100.* aureos mihi, reddidi penſionem annis quatuor: ſumma penſionum eſt *20.* His perceptis ratione contractus initi de redimendo repetis à me ſummam. Habebis igitur ſortem, id eſt 100. aureos, & inſuper 20. Quid aliud hodiè Iudæi uſurarii faciunt? Certè D*om. Soto l. 6. p. 5. ar. 3 Con. 1.* manifeſtam hic uſuram agnoſcit. Nam ubicunque traditur pecunia, vel res quælibet uſu cõſumptibilis cum pacto eandem rurſus, vel eius valorem recipiendi, & aliquid ultra ſortem illic uſura patet, vel latet. Cùm ergò *1000.* ducatis cenſum emis, qui tibi quotannis *50.* reddit, venditorem cogens, ut iterum ex te redimat, totum reddis capitale tuũ; quod idcirco revera mutuas, & ultra ſortem recipis rei fructus. Hæc ergò eſt radix uſuræ in his contractibus. Hanc rationem L*eſsius c. 22. D. 10.* non refellit, ſed ſubdit contrariam ſententiam eſſe probabilem, & ſpecu-

& ſpeculativè veriorem Hoc quamvis admitteremus, quid ad tollendam uſuram ſerviret, quæ committitur non ſpeculativis, ſed practicis actionibus? Eſto, ſpeculativè, hoc eſt, abſtrahendo ab adiunctis & circumſtantiis particularibus probabile ſit, cenſum eum pacto retrotrahendi ſeu redimendi ex parte emptoris, quando ad particularia veniendo in hoc illove contractu, nullum reperio titulum, vi cuius liceat capitale repetere perceptis iam ex eo penſionibus, quis me ab Vſura eximet? Illud enim omnes fateantur, neceſſe eſt, ultra ſortem nihil recipi poſſe, niſi interveniat cauſa, qualis eſſe poteſt lucrum ceſſans, damnum emergens, aut ſimile quid. Erat, credo, *P. Leſſius* Mercatoribus Belgis, undique cinctus, & tantum non oppreſſus, qui contractus ſuos, quocunque modo optarent honeſtari, & defendi. Vnde tot dubiæ, & anxiæ reſolutiones, quibus neutra pars omninò poſſit acquieſcere Verùm eſto, aliis quibuſcunque motivis inſiſtere: vix invenio Auctorem, qui intrepidè aſſentiatur. *Valentia D. 6 Q. 16 pun 6. & Malderus. 22. Tr 5. c 5 dub.* 10. *&* 11. ſub conditione admittunt, ſi utrimque compēſes, quod ad æqualitatē deeſt. Manifeſtè autem damnant plurimi. *Mol. D.* 377. *Azor 3. l 10. c. 17. Covar. l 3. Var. c. 9 n. 4. Lud. Lopez l 5 Inſtructor. c. 57. Bar Medina in ſumma c 14 § 26. Rebel de oblig. iuſt par. 2. l. 10. q 7. Arragon. in 2. 2. p. 78 ar. 4. Vega in ſum & Epit. V. Cenſus Gaſp. Roderic 1. de reditib. Q. 4. & 18. Salon de Cenſib. ar 3 controv 18 & latè controv 16. Molinæus de Vſur. p. 51. n 355. Binſf in c. In civitate de Vſur. p. 12. Concl 10. Bapt Lupus Comment de Vſuris. §. 2. n 6). And Gaill l. 2. Obſ 7. n. 8. & 14. allegans Conſtitut. Imperiales Anno 1548 Salas de Cenſibus dub 25. Navar. Comm. de Vſura num. 78.* Favet quidem nonnihil. *Laymannus l. 3. Tr. 4. c. 18 nu. 8. & 9. & Tann. D. 4 q. 7. 128.* Sed periculo uſurariæ intentionis non carere fatetur. *Eman. Sa. nu. 9.* non audet concedere. *Diana Par. 3 tr. 5 Reſol 75.* ab emptore vult compenſari gravamen venditori: & propter Vſuræ periculum eiuſmodi pacta non eſſe ſuadenda. Denique *VP Wading. D. 6. d. 8. §. 3. Petrus à S. Ioſepho l. 4. de iuſt c. 10. Reſol. 7. & Serm. Buſenbaum in Medulla Theolo Mor. l 3 tr. 5. dub. 8. nu. 7.* rem periculoſam vocant, nec debere ſuaderi, eò quòd in *Conſtit. Mart. V. & Calixti 3. uti & Caroli V. Imper.* uſurarius cōtractus iudicetur *V. Petr. Follerium in Praxi Cenſuali Palao Pun. 24. § 4 pag. 394. Eſcobar Tract. 3. Exam. 7. c. 2 n. 7 & ſequ. Item c. 3. n. 12.*

VIII. Conditiones, ſine quibus Contractus cenſualis irritus, & fœneratitius habeatur, *Pius V.* præſcripſit Anno 1569. edita Conſtitutione quam. *Navar explicat in Comment de Vſuris num. 84. & Fill de Cenſib. c. 2.* Sunt autem numero quatuordecim.

1. Vt cenſus conſtituatur ſuper re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, natura ſua frugifera, & certis finibus deſignata: nec ullo modo aliter.

2. Vt non fiat, niſi numerato, & accepto iuſto pretio, idque tempore contractus coram Notario, & teſtibus.

3. Vt non fiat, nec in pactum deducatur anticipata ſolutio, id eſt, ut venditor non cogatur ſoluere penſionem, niſi pro rata temporis elapſi.

4. Vt conventiones directè vel indirectè obligantes ad caſus fortuitos, ad

quos ex natura contractus non tenetur, non valeant.

5. Vt non fiat pactum reſtringens libertatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, neque venditor cogatur emptori cenſus ſoluere laudemium id eſt, quinquageſimã, vel triceſimã partẽ illius rei alienatæ.

6. Vt dominus rei cenſuariæ ſi illam vendere velit, indicet domino cenſus pretium, & conditiones quibus vendenda res eſt, & per menſem expectet, num ipſe velit emere, eumq; præferat aliis: nempe iis, qui antea non habebant ius prælationis.

7. Vt non fiat pactum, quo venditor cenſus incidat in ullam pœnam ob moram ſolutionis penſionum, aut in pœnam commiſſi, ſeu amiſſionis rei cenſuariæ, aut intereſſe lucri ceſſantis, aut aliquarum expenſarum.

8. Vt ex penſionibus ceſſis non augeatur cenſus iam conſtitutus: quod intellige: antequam illæ re ipſa ſolutæ fuerint: ſecus, cùm fuerint ſolutæ. Nam ex pecuniæ numeratæ additione augeri poteſt quemadmodum ab initio conſtitutus eſt.

9. Vt non fiant pacta, quibus cogatur onera aliqua ſoluere is, qui ex naturâ contractus ad ea non tenebatur. Vt ſi conſuetudo ſit, ut emptor aliquid ſoluat fiſco, non poteſt obligari venditor, nec contra.

10. Vt re in totum vel in partem perempta, aut effecta infructuoſa pro rata pereat cenſus.

11. Vt ſemper eodem pretio, quo emptus eſt cenſus, redimi poſſit, nec fiant ulla pacta, quibus directè, vel indirectè talis facultas adimatur.

12. Vt venditor volens redimere cenſum, moneat emptorem ante bimeſtre, & poſt denunciationem poterit cogi intrà annum, ut redimat: elapſo anno non poterit cogi.

13. Vt emptor non poſſit ab invito venditore pretium repetere. Vnde ſequitur cenſus omnes ex parte emptoris irredimibiles eſſe.

14. Et ultima, ut pretiũ cẽſus ſemel cõſtitutum augeri non poſſit, vel minui ob temporis, vel contrahentium qualitatem, aliudve accidens. Hæ ſunt conditiones à Pio V. piè, ac ſapienter ad evitandam Vſuram in Cenſibus præſcriptæ, quæ quantum obligent, practicæ, & difficilis curæ eſt. Non eſſe receptas nec obligare in Belgio oculatus teſtis *Leon ſeſſ. affirmat. D.13. nu.29.* De Gallia, & Germania idem credit, & experientia ipſa confirmat. *Gaill. L. 2. obſ.7. n.11.* Obſervandam verò Bullam, ubi recepta eſt, etiam in foro conſcientiæ: Vbi verò non receptam eſſe conſtat, ſervandæ ſunt leges, & conſuetudines uſitatæ. Deniq; ubi certa conſuetudo nulla eſt, Iuris naturalis ſervanda regula eſt, quæ tãtummodo requirit æqualitatem inter cenſum, & pretium. *Azor* III *l. 10. c.19 & ſeq.* *Bonacina* *Tom.2. p 536. n 4.* *Zerola* *Par.1. V Cenſus n* 1 *Em. Sa nu.*10 *Filliut.* Tr.35. *par.2. c.1. n* 265. *Eſcobar* *Tract* 3. *Exam.7. c.2. n.7.* *Tolet. l.5. c.46.* *Buſenbaum Theol. Mor l.3. Tr.5. c.3. D.8.*

IX. Iuſti pretii æſtimatio nec facilis, nec expedita eſt, quia non ex uno, ſed multis, & diverſis adiunctis pendet. Regni aut provinciæ opes, commercia crebra, aut rara, pecuniæ copia, vel inopia, aliæque circumſtantiæ locorum, & temporum iudicium, & cenſum variant. In Hiſpania precium cenſus irredimibilis. *Navar. teſte, eſt* 28, 29. vel 30. aureorũ in ſingulos

gulos. Cum enim certa lege non ſit taxatum precium, ut aliarum rerum quæ pretio vulgari venduntur, varium eſt, nunc infimo, nunc ſummo, aut medio etiam admiſſo. At cenſus redimibilis precium lege taxatum eſt, videlicet 14 in ſingula. In Sicilia, autem huius precium eſt 10. in ſingula, ſecundum quod ex 100. florenis annui penſio eſt 10. flor quod à *Nicolao V.* & *Greg.* XIII. pro Sicilia, *Calixto* III. & *Mart. V.* pro Polonia, & Germania approbatum conſtat in cenſibus realibus. Aliquando eſt 11. vel 13. Vnde *Leſſ infert D. 14 num.* 94. non debere iniquam videri emptionem cenſuum perſonalium cum hypotheca pretio 16. aureor. in ſingulos. Nam hi cenſus, ut experientia docet, non ſunt ordinariè ſecuriores, quam cenſus reales, qui tamen multò minoris emi poſſunt. Deinde eo pretio fere emi poteſt prædium, quod tantundem reddat. Cenſus irredimibiles in Belgio nō habent pretium legitimum, nec poſſunt de novo conſtitui iuxta conſtitutionem Caroli V. Anno 1528. Bruxellis factam: reſervati vi tamen vendi poſſunt pretio 25 in ſingula, vel et. minoris *Az* III *l. 10. c. 8. q.* 4. *Card. Lugo Diſp* 27. *Sect.* 3 *Folleriùs p* 452. et ne domeſtica negligamus, in Imperio Germanico magna adhibita moderatione cōſtitutum eſt, ut ultra quincunces hoc eſt, ultra 5 florenos ex 100 accipiantur; quod quæ ſupra illam ſummam accipitur, Vſurarium eſt, nec pro eo actio datur, ſed fit reductio ad legitimam ſummam, ut Cameræ Imperialis ſtylus teſtatur: nec unquā adiudicantur emptori niſi pro 100. florenis quinque annui: atque ita 20. annorum ſpatio ſors æquatur: quæ penſio etiam iure communi iuſta putatur & Romæ uſitatam eſſe *Fill. teſtatur Tr.* 35 *par.* 2. *n.* 266. *Auth. de non alien. aut permutan. reb. eccl.* § *quia verò Leonis Verſ ſi verò alicuius. Glo. ibid in V. Computari Glo. in Auth perpetua. in V. Iuſta. C. de ſacros eccl c. cùm cauſa in V. Ad alium Ext. de teſtibus. Covar. l.* 3 *Var. c.* 9. *n.* 4 *Conſtitut. Car V. ſub tt. de Contract. lib. Vſurariis.* §. *pen. Iaſon in l. ſi fundum n* 2 *ff de lega.* 1. *Pariſius Conſ.* 60. *Melon Tit.* 15. *n* 20 *Caſtr. ibid* ubi præclarè docent, quomodo rei immobilis iuſtum pretium probetur. *Andr. Gaill l.* 2. *Obſer* 5. *n.* 10. & *ſeq Obſ* 7 *n.* 14. *Guido Papa Conſ* 180. *Petr. Follerius in Praxi Cenſuali p.* 465. *Fachinaeus l* 2. *c.* 43. Vbi additur quamvis ſecundum Conſtitutiones Imperii ex centum, quinque floreni annuè permittantur, ex re ſuppoſita tamen iuſtè ſeptem, vel octo ſumi poſſe, idque rationi conſentaneum à *Greg* XIII. iudicatū eſſe.

X. Sed nondum liquet, quod erat quæſitum, quonam modo iuſtum Cenſus pretium definiri poſſit. Ex proportione pretii rerum frugiferarum deſumi poſſe ſapientes credunt. Nam quo pretio emi poteſt res frugifera quæ deductis expenſis reddat 100 aureos, eodē atque etiam minoris emi poteſt Cenſus irredimibilis, qui penſionem 100 aureor. reddat, quia plus eſt habere pretium dominium rei, quam iuſ ſolum percipiendi tantundem fructuum ex illa *Ita Leſſ* Quod nō videtur univerſè verū Nam licet pretio 100 emi poſſet domus v g quæ locaretur pro 100 florenis vel amplius, cenſus tamē eandē penſionē reddens, conſtitutus non ſolùm ſuper illa domo, ſed ſuper aliis poſſeſſionibus vel fūdis ſecurior videbitur, & minoribus periculis expoſitus, cū domus facilius dirui poſſit, vel aliūde inutilis reddi. Cēſus autē perma-

Digitized by Google

permanebit, ſaltem quamdiu omnes hypothecæ ſpeciales, in quibus eſt conſtitutus, non defecerint. Quamobrem hæc quoq; maior ſecuritas conſideranda erit, & computanda ad iuſtitiam pretii. Meliòr tamen huc uſque ratio cenſum moderandi nondum inventa eſt. *Molina Diſp. 385. Navar. Comm de uſuris nu 85. Lugo l cit. Sect. 3. n. 44. Em. Sa. V.* Cambium *n 3. Comitol. l. 3.* Q. *28. nu. 5. Palao Diſp. 6. Puncto 22. Menoch.* Conſil. 445. *Fachinaus l. 2. Controv c. 43.*

XI. Hactenus dicta non ſunt ad certum hominum genus reſtringenda ſed ad omnes pertinent ſive reges, ſive inopes fuerint Coloni. Iuſtitia enim perſonarum differentes vultus non agnoſcit. Error cōtrarius eſt *Balth. Meiſneri.* Profeſſoris Wittenbergenſis, cætera maledicentiſſimi Prædicantis, qui *3. par. Philoſophia Sobria Sect. 1. QQ. ethicar. pag. 328.* Cenſum annuū tradit, ubi 5. vel 6. floreni pro 100. mutuatis ſumitur annuè ab opulentis, qui noſtra pecunia non ad ſui ſuſtentationem, ſed ad maius lucrum faciendum utuntur, non eſſe Vſuram in Scripturis prohibitā, ſed iuſtum, licitumque contractum tradit: intellige non fore iuſtum & licitum, ſi cum pauperibus ineatur. Quæ verò Scriptura eum damnet, non videò à *Meiſnero* probari. Nam quod de Mutuo Chriſtus præcipit, *Luca 6. V. 35.* Mutuum date nihil inde ſperantes ad omnes pertinet. ut nihili ultra ſortem vi Mutui exigant. De Cenſuali contractu non extat unum Iota Et pauperes quidem à cenſuali Contractu abſtinebunt quidem, quia res illis deeſt, ſuper qua fundetur, non autem quia quiſquam fore iniuſtum metuit. Da pauperem, cui caſa ſit, vel agellus, exiguum quid ex illo in penſionem annuam aſſignare nihil vetat. Pauper erat vidua, quæ *Luca 21.* æra minuta duo in gazophylacium immiſit: tantundem pro annuo reditu dare nō poterat? pauper Horatianus ille *Tigellius,* cui menſa tripes, & concha ſalis puri, & toga, quæ defendere frigus quamvis craſſa queat. cenſus qualiſcunque vel in perſona ipſius conſtitui poterat. Sed *Meiſneri* Theologia arctioribus terminis clauditur, nec inter cenſum, & mutuum ſinit accuratius diſtinguere.

§. VI.

De Cambio.

I. CAmbiū aliud nihil eſt, quā permutatio pecuniæ pro pecunia. *Conr. Tr. 7. q. 99.* Multùm à mutuo differt. Hoc enim unica pecuniæ traditione perficitur, quæ reddenda eſt poſt temporis intervallum, vel eadem vel alia eiuſdem generis, ac bonitatis: Cambium verò cùm ſit permutationis quædam ſpecies, *Do. ut des,* non niſi utrimque facta pecuniæ traditione perfectum cenſetur. Adde, quod in Cambio ſemper eſt aliqua pecuniæ diverſitas, undecunque tandem proveniat. *Navar. c 17. nu. 286. Silv V. Vſura §. 4. nu. 1. Tolet l. 5. c. 50. Laym l 3 tr 4. c. 19.*

II. Dividitur Primò in Reale, ſeu verum, & ſiccum, ſive fictum. Illud ſubdividitur in *Minutum* ſeu *Manuale,* & *Locale, ſeu per literas. Minutum* dicitur, quia in eo, ut plurimùm pecunia maior cum minore permutatur. *Manuale,* quia de manu ad manum in eodem loco, & tempore perfici ſolet. *Locale* eſt, in quo pecunia præſens commutatur cum pecunia in alio loco

Digitized by Google

loco exiſtente. Et quia plerumque literæ dantur, quibus mandatur factori in alio loco, ut pecuniam numeret, Cambium per literas nuncupant. Equidem in tali modo negotiandi, quemadmodum utilitas, ita iniquitas reperiri poteſt, quia cambiens aliud nihil impenſius, quàm lucrum ſectatur, minus dando, quam accipiendo, ac proinde conſiderandum accuratè erit, quibus titulis auctarium in cambio exigatur, ut iuſtum ſit. *Leſſ.c.23.* D.1.*nu.5. Silv. V. Vſura* §. 4 *num.6.Tolet. l. ci. Tannerus in* 2.2.*D.*4.*q.*7.D 5 *Fillnit.Tract.*35.*c.* 4. *Garzia c.30.*

III. Primus titulus eſſe poteſt opera, & obſequium impenſum. Campſor enim ſollicitus eſt, quomodo omnis generis monetam conquirat, & cuilibet pro indigentia ſua, & poſtulatione communicet. Alendus ſcriba, & famuli ſunt, tempus ab aliis curis liberum ſervandum, & ſimilia, quæ omnia æſtimari pretio poſsūt. Quòd ſi publica Magiſtratus auctoritate Campſor conſtitutus eſt, etiam ipſa eius profeſſio computabitur. *Salas* Tr. *de Cambiis* C*ovar. de collat. Veter. numiſm. c.7. nu.*4. *Mol* D.399 *Medina de reb. per uſuram acquis.q.5. Navar.c.17.n.288. Eſcobar* Tr. 3. *Exam.7.c.2. & 3.* 2.titulus eſt lucri ceſſantis Fit enim ſæpe, ut unum genus monetæ plures, eaſque pretio æſtimabiles commoditates habeat, quam altera. Auream monetam facilius eſt, & deferre ſecū, & contra inſidias abſcondere, quàm argenteam & minutam Antiqua puriorem materiam & plus argenti continere quam nova vulgò exiſtimatur, & in multis verū eſt. *Navar.c.17.n* 301 *Valent.* D. 5. *q.* 23. *Pun.* 2. 3. eſt pecuniæ qualitas, & conditio. Alia moneta alia uſitatior, & propterea gratior eſt. Pro minus uſitata ſæpe luctandū diu eſt, donec accepterur. *Soto l.6. q.9. art.un.* Quando daleri, V g & ducati ex provincia in qua cuduntur, in alias deferuntur, ubi earum valor maior eſt, pluris meritò æſtimantur quàm minores monetæ, tum propter commoditatem, tum quia ſpes eſt futurum brevi, ut earum valor, & æſtimatio augeatur. *Mol. D.*398. & 410. *Azor. 3. l.10.c.3.& c.5.q.3.Medina* §.*q.* 7. *Layman l.4.Tr.4.c.19.Reginald l* 25. *q* ,9. 4. titulus eſt aſſecuratio, quia accipiens hic pecuniam, ut reddatur Romæ, in ſe periculū recipit, ut ſi pereat, ſibi pereat *Leſſ.* D.3. *Lugo* D.28 *Sect* 3 *nu* 40. *Salas* D 8.

IV. Quia radix omnīū malorū cupiditas multiplex eſt, noviſq; quotidie rei augendæ viis aperiendis intendit, innumeræ exortæ quæſtiones ſunt de licito, & illicito, iuſto aut iniuſto Cambio, obligatione reſtituendi, ac ſimilibus. Quocirca pro Generali reſolutione hæc Regula ſtatuatur. Vbicunque à parte Campſoris præſtatur aliquid pretio æſtimabile, pro eo exigi auctarium poteſt: Vbi verò nullus labor impenditur, nec aliud quicquam compenſatione dignū, nihil iuſtè exigi poteſt. Quo obtento ad particulares Caſus tota difficultas reducitur. Quantum hic, & nunc rectè petatur? Vbi nolim conſuetudinem attendere, aut ſequi, quia ut plurimum à radice ſua, quæ eſt cupiditas, & avaritia, vitium trahit, excepta quā viri probi agnoſcunt, ſed eorum, quos ab omni cupiditate lucri conſtat eſſe alieniſſimos, arbitrium cenſeo requirendum & obſervandum eſſe, hinc nimirum, quando nulla lege definitum pretium eſt. *Armilla V. Campſor. num. 3. Tann. l. cit. num.* 156. Aliqui ad iuſtitiam Cambii (eius præſertim quod

Digitized by Google

per minutum fit) tres conditiones exigunt. 1. eſt, ne in Campſore falſitas ſit, qui monetam radat, vel aliam pro alia ſubſtituat 2. ne occultet, ſed ſincerè aperiat monetæ valorem, ſi hic, aut alibi minor, vel maior 3. ut pretium iuſtum exigat, quod putant colligendum, tum ex lege, tum ex loci conſuetudine tum ex comparatione loci ad locum: denique copiâ, & inopiâ pecuniæ. *Filliut.* Tr.35. *Par.* 2. *c.* 5. *Tol. l.* 5. *c.* 52. *num.* 8. *Card. Lugo Diſp.* 28. *Sect.* 2.

V. Hinc excuſari ab iniuſtitia poſſe videntur *1.* qui Bambergæ ex. g. ſubſiſtens accipit à Petro 100. flor. & pro his Romæ ſoluit *69.* tantùm, quia nimirum à curâ, labore, & periculo transferendi pecuniam ſuam Petrum liberat. *2.* Famulus, qui cùm grandiorem monetam à domino ſuo accepiſſet transferendam ad creditores in via cum paruis commutat, & lucrum facit, abſque damno utriuſque domini nimirum & creditoris *Mol. D.* 402. *Salas* D. 7. Idem pulullus ſervit cubito quæſtorum, qui Principis ſui collectam pecuniam variè elocando aut permutando ſuam rem augent, Principi autem tempore conſtituto quantum oportet, adferunt. His Iudæorum nocte adeuntium opera plurimum prodeſt. *Az. l.* 10. *c.* 4. Q. 11. 3. Illi, qui ad nundinas V. g. Francofurtenſes dant pecuniam, & tanto maius auctarium petunt, quantò remotius diſtant. Quamvis enim præciſè temporis mora, non ſufficiat ad lucrandum, opportunitas, tamen interea negotiandi, ſi pecunia præſens foret, oſtendit damnum aliquod vel lucri ceſſationem, qui tituli approbantur *Soto l.* 6. *q.* 10. *ar.* 2. *Filliut. l. cit. cap.* 6. *num.* 400. *Leſſ. Dub* 2. *num.* 18.

4. Nuntii, qui ab uno Viennam ex. g. conducti, ab aliis quoque, quibus non indicant priorem contractum, mercedem itineris accipiunt. Nam obſequium hoc per ſe dignum eſt ſtipendio, & per accidens concurrit duplex ſolutio, quod ad fortunam, ſeu induſtriam gratuitam nuncii pertinet. Idem aurigis contingere ſolet, quibus nemo ſuccenſet, quando pro reditu iterum accipiunt mercedem. 5. excuſat Layman ſcholarem illum, qui ſtudiorum cauſa Romam profecturus tradit pecuniam Auguſtæ mercatori alicui, eumque rogat, ut pecuniam hanc alteri det ad cambium, quo eam deinde Romæ cum lucro, ſeu auctario recipere poſſit. Cambium enim, ut ex dd. liquet, per ſe licitum eſt: per accidens verò, quod immediatè tu ipſe, vel nomine tuo alius exerceat, illud, ac lucrum faciat. *Molina Diſp.* 403. *Laym. l.* 3 *tr.* 4 *c.* 19. *n.* 6. *Salas D.* 8. *Regin. l.* 25. *c.* 34.

VI. Ex adverſo improbantur à concilio iuſtorum Cambia ſicca, quibus nullus titulus & cauſa auctarii petendi verè ineſt, ſed ineſſe fingitur, adeoque ſub coloratâ laruâ Cambii execrabilis uſura exercetur. *Soto l.* 6 *q.* 8 *& q.* 10. *art.* 1. Exemplum Vide. Titius mercator Caio pecuniam numerat Bambergæ, ut reſtituatur Auguſtæ cum auctario conſueto in cambiis ad eiuſmodi loca, quamvis ſciat accipientem nec pecuniam, nec correſpondentem Auguſtæ habere: ideoque credat pecuniam in eodem loco, id eſt, Bambergæ, ubi accepta erat, reſtitutum iri. Quis hic non clarè videat contractum uſurarium? Do tibi 100. florenos hic, ut eoſdem paulò poſt cum fœnore, id eſt *10.* additis reſtituas? Fieri etiam poteſt, ut deceptus à Caio non habente pecuniam alibi, bona fide cambiat:

Digitized by Google

cambiat: quo in caſu aliqui putant ſortē, cum auctario ipſi deberi. *Mol.* D. 404. *Leſſ.c.*23. *Dub* 7. *Az.l.cit.c* 10. *Silv.V.Vſura* §. 4 *n*.9. *Valentia* D. 4. *Q*. 23. *pun*. 4 *Palao* D. 7. *pun*. 8. Optimè *Navar.c*. 17. *n*. 299. Qui cambiens dat pecuniam minoris valoris pro pecunia maioris valoris ſoluenda alio loco ei, qui nec realiter nec creditò eam ibi habet, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, quia virtualiter Vſuram committit. Nec ad excuſationem ſufficit, quod ignoret, eum illam habere, vel non habere, ſed oportet, ut ſciat, vel probabiliter credat, eam habere quia ignorantia facti eius, quod oportet ſcire, nō excuſat, qualis eſt hæc *arg c Innotuit, cum Glo. de elect*. ita *Navar* Subdit deinde *in V*. Conſtitutionem. *n eam pro noſtro* ubi damnatis Cambiis ſiccis ut uſurariis, præſcribit hanc in Cambio ſervandā formā.

Ad tollendas, quantum cum Deo poſſumus in Cambiis occaſiones peccandi. frau desque fœneratorum ſtatuimus ne deinceps quiſquam audeat. ſive à principio. ſive alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci: neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, ubi illa celebrantur: ubi verò non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptum locorum uſum exercere. alius illo prorſus reiecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nūdinis ſine terminis exercendi Curandum, autem erit in terminis ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur: ne dum longiores præfigurentur, quàm loca deſtinata ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio. Hucuſque Pontifex Navar. autem præter alia *nu*. 301. diſcutit Quæſtionem ſibi Romæ non ſemel propoſitam. An liceat uni Hiſpano dare alteri Romæ 100. ſcuta pro 100 ſoluendis in Hiſpania cum aliquo augmento? & reſpondet 1. non licere per viam intereſſe lucri ceſſantis, ſi non habebat illa deſtinata ad mercandum, vel ad emendum aliquid frugiferum, quia nullum verum tale intereſſe prætendere poteſt. 2. nec poſſe per viam emptionis, & commutationis rei præſentis cum re abſente, ſi ille nec formaliter, nec virtualiter habet illa in Hiſpania. 3. poſſe tamen per viam emptionis, aut commutationis, ſi alter verè habet illa ſcuta, quæ vendit, in Hiſpania, formaliter, vel virtualiter in reditibus beneficii, vel aliorum bonorum vel in tali credito, quod probabiliter creditur per literas eius deſtinatas ad aliquem cognatum, vel amicum tradenda ea eſſe ibi, idque duplici ratione. Primò ratione abſentiæ ob quam valet minùs deinde ratione valoris, quia plus valent 100. hic, quàm ibi totidem. 4. quòd liceat etiam per viam mutui, præſuppoſito, quod eadem pecunia valeat hic plùs, quàm ibi: imò & ſi, non valerent plus facta facultate mutuario ſoluendi in Vrbe. aut ſi malit in partibus cum cambio. quo traductio illorum in Vrbem conſtabit, quia hoc caſu nihil videtur accipi ultra ſortem. niſi ad ſummum intereſſe damni emergentis, præſertim ſi qui dat, indiget illis, vel putatur eis opus habiturus in Vrbe. *Ita Navarr de prædicta Bulla V*. 10. *Bapt. Lupum in Tr. de Vſuris. omm*. 3. 5. 1. *nu* 68 *Az*. *iii*. *l*. 10 *c*. 8. & 9 *Reginald. l*. 25 *n* 467. *Lugo* D 28. *Sect*. 8. Hæc ſufficiant de materia, ut *Sotus loquitur l*. 6. *q*. 8 *ar*. 1. per ſeipſam abſtruſiſſima, mercatorū novis, & quotidianis invētis, intricatiſſima, ac ſubinde Doctorū opinionibus plurimùm obfuſcatâ. *Beatus ille*,

qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris. Si quis tamen plurium deſiderio tenetur, *Ferdinandum de caſtro Palao in Diſput.* 7. conſulat, & ſatis factum ſibi eſſe fateatur.

TITULUS X.

De Contractibus oneróſis, in quibus transfertur uſusfructus rei.

DOminium utile cenſetur habere in bonis non ſuis Conductor, Emphyteuta, Vaſallus, & Livellarius. Vnde 4. ſpecies Contractuum naſcuntur, *Locatio* nimirum, & *Conductio*, *Emphyteuſis*, *Feudum*, & *Contractus livellaticus*, quorum naturam, & conditionem in ſequentibus exponemus.

§. I.

De Locatione.

1. QVemadmodum Emptio, & Venditio unum Contractum faciunt, ita Locatio, & conductio. Locatio dantis eſt, conductio accipientis. *Eſt enim Contractus, quo res aliqua vel perſona ad uſum ſeu fructum alteri pro pretio conceditur.* Dicitur 1. *Contractus*, quia hoc illi genus, 2. *res aliqua*, intellige, mobilis aut immobilis. 3. *perſona*, quia poteſt quis ſe vel ſervum ſuũ locare alteri. 4. *Ad uſum aut fructum*, infra decennium quia longius tempus pro emphyteuſi eſt. Quædam enim locantur ad uſum tãtùm, ut ſervus, equus, domus, & ſimilia, quorum non alius fructus eſſe, quàm ipſe uſus poteſt. Quædam verò ad fructum, ut agri, prædia, paſcua. Denique additur *pro pretio*, id eſt, pecunia. Nam ſi pro alia re fiat, erit Contractus *Do, aut facio, ut des, aut facias*, qui tamen ad Locationis regulas reducendus erit. *VVeſenbec. l.* 19 *ff tt* 2. *Azo l* 4. *Summa* §. 69. *Treutl Vol.* 1. *Diſp* 29 *Navar. c* 17 *num* 108. *Laym l.* 3. *Tr* 4. *c.* 22 *num.* 1. *Regin l.* 25. *c.* 38. *n.* 501. *Molin. tt.* 20. *n.* 1.

II Locatio dividitur 1. ratione rei locatæ in mobilem, & immobilem. Mobilis in homine, equo, bove Immobilis in agro, ſilva, prædio, & ſimilibus cernitur. Quando eſt prædium Vrbanum, conductor inquilinus vocatur, quando ruſticum, colonus. *l. qui pignoris. ff. de acq. poſſ. Glo. in l Emptorem. C. de locato. Silv.* V. *Locatio. n* 9.

2. Etiam ratione rei locatæ quarum aliquæ ſunt operæ, alicuius ad laborãdum, pugnandum, cuſtodiendum. &c. aliquæ alium in uſum, uti navis, currus. Aliquando ſimul iunctæ reperiuntur res, & operæ *l. qui operas. ff Locati.*

3. Secundùm conditionem aliquando locantur res, ut eadem ſpecie, ſeu numero reddantur puta, aurea vaſa: aliquando ſufficit

Digitized by Google

ſufficit eandem ſpecie aut genere reddere, uti argentum puſtulatum, id eſt, habens eminentiores partes inſtar puſtularum.

4. Ratione uſus. Aliarum rerum uſus certus, & determinatus eſt, puta, equi ad iter faciendum; aliarum indeterminatus, ut ſervi ad laborem, domus ad inhabitandum, hortus ad fructificandum.

5. Ratione temporis, ad certum, vel incertum. Certum eſt triennium: incertum, donec finiatur bellum. Breve cenſetur 5 annorum: longum verò decem. *l. 1. §. quod dictum ff. de ſeparationib. Filliut. tract. 36. c. 1. num. 4.*

III. Qui jus vendendi rem ſuam, iidem habent locandi illam, niſi lege aliqua prohibeantur. Locatio enim quædam quaſi venditio eſt. In particulari autem prohibentur 1. milites conducere prædia ad colendum, ne per hoc à militia avocentur, aut injuriam vicinis inferant. *l. milites & l. licet retrò C. de locat.* 2. prohibentur curiales qui nimirum curiæ obligati ſunt, ut adminiſtratores rerum fiſcalium *l. Curiales C. eod.* 3. Eccleſiaſtici prohibentur bona Eccleſiæ ſuæ locare ultra triennium *Extrav. Ambitioſa de reb. Eccl. non alien.* de quâ *V. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 11.* Sed quia neque hic, neque alibi in uſu eſt, quemadmodum teſtatur Cajet. *Navar. c. 27. num. Silv. V. Excommunicatio VII. num. 83. Armilla num. 5. Piaſec. part. 2. c. 5. num. 34 Layman l. 3. tract. 4. c. 10. num. 10.* non ſecundum illam, ſed illi contrariam conſuetudinem nobis vivendum eſt. Adde, quod in illis locis quoque ubi recepta eſt, quando ager ejuſmodi eſſet, qui non niſi quolibet triennio fructum adferat, ad novennium fieri poſſit locatio, uti citatus *Nav. tradit in Comm. de alien. rer. Eccl. num. 21. & 22 quem ſequitur Covar. l. 2 Variar. c. 16. num. 16. Azor. II. l. 9. c. 2. q. 2. Barb. in c. querelam. Ne Prælati vices ſuas* &c.

IV. Locantur eæ res, quæ ad commercium idoneæ ſunt, & vendi poſſunt. Servitutes reales vendimus, non tamen locamus, juxta *l. locare. ff. locati.* Penſionales è contra locari poſſunt ut habitatio, & uſusfructus. *l. arborib. §. 2. ff. de uſufruct.* Uſum, qui perſonæ adhæret, quæ habere uſum dicitur locare non poſſumus *l. item is cui § ſed ſi cui ff de uſu & habitat.* Multò minus rem ſuam quis conducit. *l. rei ſuæ ff de contrah. empt.* Viro bona dotalia, tutori bona pupilli, patrono jus patronatus unà cum bonorum univerſitate, ſaltem ad breve tempus locare licet *c. cùm Bertoldus de ſent. & re jud. Silveſt. V. locatio num. 1. Armilla num. 2. Treutler. Vol. 1. D. 29.* Res uſu conſumptibiles cujuſmodi eſt pecunia, panis, oleum, vinum, non poſſunt locari. *l. ſed mihi videtur §. ult ff Commodati.* Quærimus enim in tali contractu uſum rei; qui ſalva ipſius ſubſtantia nobis ſerviat. Fieri tamen poteſt, ut aliquando ad pompam, & oſtentationem ejuſmodi res conducantur oblato pretio. *Azor. III l. 8 c. 4. q. 7. Tholoſ. l. 27. c. 1. VVeſenb. l. 19 ff tt. 2. Fill tr. 36. c. 1. n. 12.*

V. De juſtitia pretii cùm dubitatur, plurimum valet arbitrium, & æſtimatio eorum, qui de animi puritate commendantur, nec turpis lucri infamia laborât: deinde conſuetudo loci, & populi. Mercæs, quæ 20. annorum lapſu exequat juſtum rei pretium, ſatis æqua videtur, quemadmodum in ſimili de cenſu conſtituendo judicamus. *Layman l. 3. tract. 4. c. 22. Gomez l. 2. Var. c. 3. Alexand. de Nevo*

Digitized by Google

*Conſil.*95.*VVeſenbec loc.cit.num.*6.*Treutl. num.*3. Porrò cum aliter non convenit, in fine anni feciendam eſſe ſolutionem monet. *Silv.V locatio num.*5. *Follerius in praxi Cenſuali pag.*566. *Fill.tr.*36.*c.*1.

VI. Rem à ſe conductam alteri locare conductor poteſt. *l.ſi cui ff. locati l.nemo C. eod.* Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam, aliis locare, ſi nihil aliud convenit. Intellige, ad eundem uſum, & homini æquè idoneo, non perſonæ inhoneſtæ nec in præjudicium aliorum. Et tunc ſecundus conductor actione perſonali tenetur penſionem ſolvere nō primo, ſed ſecundo locatori, cum quo contraxit. Interim fructus in prædio nati, & res ſecundi conductoris ſciente locatore in prædium ruſticum, vel etiam eo ignorante in urbanum prædium illatæ, tacitè pro penſione obligatæ manent. *l.ſi in lege* §.1. *ff. locati l. certi juris C. eod.* Unde conſequitur, ut ſi primo locatori ſolverit, omni obligatione liberetur. *l. ſolutum jun. Glo. ff de pignoratitia act. Mol. D.*489. *Negunſantius de pignoribus p.*2.*num.* 182. *Armilla V.locatio n.*7 *Laym. lo.cit. n.* 2. *Fill. lo. cit. nu.* 8.

VII. Quia non uno modo contingit impediri conductorem, ne uti poſſit re conducta, videndum eſt, unde promanet impedimentum ut cōſtet, an promiſſam penſionem ſolvere teneatur. Liber eſt, ſi à re ipſa, defectuoſa ſcilicet vel locatoris culpa impeditur. Idem de caſibus fortuitis judicium eſto, excepta peſte, de qua dubitare licet: naufragio quoque, & piratarum incurſionibus, ubi nihilominus mercedem exiget Navarchus. Si culpa locatoris uſum retardat, quanti intereſt, præſtabit conductori. *l.ſi fundus ff. locati Silv.V.locatio q.*12. *Arm.n.*14. *Laym.l cit.n.* 3 *Gaill.l.*2.*obſ.*21. *Treutler Diſp.* 29.*cit.n.*6. *Lugo Diſp.*29 *Sect.* 2.

VIII. Tributa & onera publica locator præſtat *ff de via publica*: expenſas verò conductor, ita tamen ut à penſione detrahere liceat, vel finita locatione à locatore repetere. *l.Dominus l. Colonus ff. locati Mol D.*496. Quod ſi præſtare impenſas cunctetur locans, rem conductam retinere poterit colonus. Excipe, expenſas, ſine quibus non proveniunt fructus, & niſi aliter inter eos conventum ſit, vel conſuetudo loci reſiſtat. *Reginald. l.*25.*c.* 39.*n* 50. *Fachin.part.*1.*l.*1.*c.*85. *Layman. num.*4. §.*ad locatorem. Fillint.c.*2. *Eſcobar. tract.*3.*Exam* 9.*c.*2.

IX. Idem locator poſtquam tradidit rem utendam, retrahere non poteſt ante terminum elapſum, exceptis quatuor caſibus in *c. propter ſterilitatem de locato.* memoratis. *Primus* eſt, ſi conductor penſionem toto biennio non ſolverit: modò ad quinquennium, vel amplius elocata res ſit; aliàs ſi breviori tempore, continuò expelli poteſt moram in ſolvendo faciens, quemadmodum annotavit *Navar.c.*17. *num.*193. *& Silv. quæſt.* 9. *Secundus caſus* eſt, ſi locator propter neceſſitatem ſupervenientem re ſua indigeat, nec alius modus ſit evitandi eam neceſſitatem ut ſi uxorem duxerit, & aliam pro inhabitando domum habere nequeat. Non valebit autem, ſi eadem neceſſitas extiterit ante locationem. *Covar.l.*2.*Var.c.*15.*num.*4 *Tertius caſus* eſt, ſi domus reparatione indigeat, quæ locationis tempore non indigebat. *l. Æde, quam C.de locato & c. propter ſterilitatem eod.* Eſt verò tunc conductori de alia domo

domo providendum, vel minuenda ſecundum proportionem penſio. Quin etiam ut in reparata denuò admittatur, petere poteſt. *Gloſſ. in textu l. ſi duo §. cùm inquilinus ff. uti poſſidetis.* *Quartus caſus*, ſi conductor domo abutatur ad opera parum honeſta, recipiendo verbi gratia fures, latrones, meretrices &c. ſive cum damno id fiat, ſive ſine illo. Convenit enim, ut non ſervanti fidem, non ſervetur fides. *jux. Reg. Iu. in 6. 75. de qua V. Dynum & Peckium.* Sed eo inventa nunquid locator totam penſionem exiget, an potius eam partem remittet, quæ reſpondet tempori nondum elapſo? Remittendum eſſe naturalis æquitas ſuadet, ſed in judicio conveniri poterit ad ſatisfactionem injuriæ, & damni, quod illatum eſt. *Antonin. part. 2. tt. 1. c. 15. Angel. num. 12. Navar. l. c. num. 194. Eſcobar. tract. 3. Exam. 9. c. 4 num. 39.* Denique locatoris obligatio eſt, compenſare damna, quæ in rebus locatis patitur conductor v. gr. Si non monuit de vitio rei, ſi rem alienam ſciens elocavit, dolus enim & culpa etiam levis in ejuſmodi contractu præſtanda eſt. *l. ſi fundus ff. locati. Tabiena num. 21. Filliut. tract. 36. c. 4. num. 63. & ſequentibus Melonius Tit. 20. n. 18. & ſequ.*

X. Conductor obligatus eſt, 1. non uti re locata, niſi ad uſum, de quo convenit, exceptis duobus caſibus: ſi alius uſus commodior, & facilior ſit. Eatenus enim locatori beneficium præſtat. Et ſi rationabiliter præſumat, locatori gratum, & acceptum fore. 2. Penſionem conſtitutam præfixo tempore ſolvere. 3. Rem locatam finito locationis termino reſtituere rem, dico, eandem numero integram, & minimè læſam. 4. Ante lapſum temporis, de quo convenit, non poteſt rem locatam deſerere, exceptis tribus caſibus. *Primus eſt*, ſi integram penſionem locatori ſolvat. *Secundus*, ſi res locata indigeat reparatione ut ipſe conductor ea uti poſſit, verbi gratia ſi domus ex parte collapſa ſit, vel equus locatus malè habeat, abſque culpa conductoris. *Tertius*, ſi ſupervenerit gravis neceſſitas, quæ rem locatam cogat deſererê. *Gloſſ. ad l. ſi in lege § ſi domus ff. locati Panorm. in c. propter ſterilitatem. de locato num. 7. Angelus §. 14. Silv. quæſt. 10. Tabiena num 12. Bonac. Tomo II. pag. 563.* Igitur peſtis tempore licebit migrare domo conducta, ut cum aliis multis notat *Covarr. l. pract. qq. c. 30.* nec tenebitur niſi eam penſionis partem ſolvere, quæ anteacto tempori reſpondet Item dicendum de aliis caſibus, puta belli, gravis inimicitiæ vicinorum, periculi à ſpectris, & infeſtatione dæmonum. *Molin. Diſp. 493. Reginald l. 25. c. 40. num. 517. Treutler. l. cit. nu. 5. Follerius in praxi Cenſuali pag. 566. Melonius L. cit. num. 16.*

Nota. Si finito tempore locationis, Domino ſciente in prædio manſerit, cenſetur renovata locatio. *Thol. l. 24. c. n. 17. Franc. Marcus Deciſione 539. n. 6.*

XI. Duæ actiones ex locatione naſcuntur. Una vocatur *ex locato*, quæ adverſus conductorem convenit locatori pro re locata, qualiſcunque ea fuerit, elapſo termino reſtituenda, & penſione ſolvenda. Altera vocatur *ex conducto*, quæ adverſus lacatorem convenit conductori, ut ſi impediatur uſu rei conductæ, vel non præſtetur, de quo cõvenit, nempè ut locator ſolvat, quod cõductoris intereſt, & dam-

Digitized by Google

& damnum dolo, culpa lata, aut levi illatum ſibi compenſetur: præterea reſtituantur expenſæ à conductore utiliter, & neceſſariò factæ. Denique ut remittatur penſio, cùm res & æquitas ſuadet. *VVeſenbec.num.16.* Porrò inter cauſas remiſſionis potiſſimè numeratur ſterilitas, abſque conductoris culpa proveniens, qualem inclementia aeris, inundatio, militum rapinæ adferre ſolent. *l. ex conducto §. ſi vis l. ſi uno. §. quicunque ff locati l. Excepto. C. de locato c. propter ſterilitatem. eod. Em. Sa. num.* 11. *Diana part* 3. *tract.* 6. *Reſ.* 17. Non eſt tamen quælibet ſterilitas ad id ſufficiens. Nam ſi minor fuerit, alterius anni felicitate compenſabitur. Quanta autem eſſe debeat, vix definiri poteſt. Si ex tribus partibus fructuum, quos communiter ſolebat ager reddere, vix duæ percipiantur, cenſent aliqui gravem carentiam videri. Melius fortè judicio arbitrorum relinquitur, qui attenta locorum, & agrorum conditione rem definiant. *V. Oldendorp. Claſſe 4. Actione 9.* Dubitabis, an viciſſim propter magnam ubertatem augeri penſio debeat? Debet utique, ſi ubertas ex improviſa felicitate proveniat. *l. ſed addes §. ſi mulierem ff Locati.* Contrariorum enim contraria conſequentia eſt, ut ſi ſterilitas ſufficiens cauſa eſt minuendæ penſionis, abundantia viciſſim ſufficiat, ad eandem augendam. *Panorm. Mol. Lcit. Leſſ. c.* 24. *D.* 3. *Gomez l.* 2. *c.* 3. *Silv q.* 14. *Navarr. in Manuali c.* 17. *num.* 187. *& ſequ. Eſcobar. tract.* 6. *Exam.* 9. *c.* 2. *Regin l.* 25. *c.* 41. *num.* 524. *Filliut. tract.* 36. *c.* 3. *num.* 52.

XII. Locatio duobus modis deſinit. 1. mutuo contrahentium, ſeu remittentium conſenſu. 2. lapſu temporis conſtituti. Facta hoc modo. Ut duret, donec locator voluerit, ipſius morte finitur. Succeſſor ſingularis, puta emptor, legatarius, & ſimilis nõ tenẽtur ſtare contractui locationis facto per eum, cui ſuccedit. Secùs de ſucceſſore univerſali, qui perſonam anteceſſoris ſui repræſentat. *Bonac. Tom.* II. *p.* 568. *num.* 2.

§. II.

De Emphyteuſi.

I. EMphyteuſis, latinè inſitio, ſeu implantatio, ſpecies locationis eſt, & definitur *Contractus quo res immobilis conceditur quoad dominium utile alteri, cum obligatione ſolvendi penſionem ſtatutis temporibus domino proprietatis.* Dicitur 1. *Contractus*, intellige onerosus & nominatus. 2. *Quo res immobilis.* In quo à locatione differt, quæ rerum mobilium, & immobilium eſt. *l.* 2. *C. de jure emph.* 3. *quoad dominium utile.* Per quod diſtinguitur à contractibus, quibus transfertur dominium directum. 4. *cum obligatione &c.* ad differentiam feudi, in quo perſonale ſervitium exhibetur. 5. *ſolvendi penſionem*, ſive pecunia ſit, ſive aliquid aliud. *Inſt. de locato §. adeò.* Denique additur *Domino proprietatis*, id eſt, directo, in recognitionem dominii, qui etiam appellatur Dominus rei. *Mol. D.* 444. *Azor.* III. *l.* 10. *c.* 1. *Tholoſ. l.* 27. *c.* 1. *num.* 4. *Melonius in Theſau. Iur. feud. tt.* 7.

II. Emphyteuſis 1. dividitur in novam, & veterem. Nova dicitur, quæ non tranſcendit primum emphyteutam. Vetus, quæ expleto tempore primæ locationis pervenit ad ſecũdum, vel quæ tranſmiſſa eſt

eſt ad hæredes. 2. in hæreditariam, & non hæreditariam. Illa titulo hæreditatis, hæc alio, puta donationis, venditionis, & ſimili obtinetur. Hæreditaria iterum vel eſt ſimpliciter talis, id eſt, conceſſa cum facultate transferendi ad quoſcunque hæredes etiam extraneos. Unde fit, ut emphyteuſis liberè alienari poſſit requiſito Domini conſenſu, vel etiam non requiſito, ſi ex inveſtiturâ appareat, conceſſam eſſe cum liberâ facultate alienandi. Alia non eſt ſimpliciter hæreditaria, quæ conceditur pro filiis, ſeu deſcendentibus, iisque hæredibus, quo caſu filius in emphyteuſi ſuccedere non poteſt, niſi etiam ſuccedat in hæreditate patris, avi & aliorum aſcendentium. Alia inſuper eſt hæreditas ex pacto, & providentia, quæ datur filiis, & deſcendentibus, vel abſolutè, vel in certas generationes: pro qua non requiritur ut filius ſimul hæres ſit, ſed ſuccedere poteſt etiam repudiata patris hæreditate, cùm alio, quam hæreditatis jure accipiat. *l. 1 ff ſi ager vectig l. ſi qui C. de fun. patrim. Melonius tt 7 num 2.* 3. in Eccleſiaſticam, & Laicam, ſeu profanam. Eccleſiaſtica conſtituitur in re, cujus dominium habet aliqua Eccleſia, hoſpitale, aliuſve pius locus. Laica conſtituitur in re, cujus dominium apud Laicos ſit, ſive Laico, ſive Clerico detur. Addunt aliqui deſumptam ex tempore diviſionem, ut alia detur ad vitam unius, alia ad duas, alia ad tres generationes &c. *Azor l. cit. c. 4. Oſtienſ. in Summ Schneidewin. l 3. Inſtit c. 25. Filliut. tract. 36 c. 7.*

III. Contractus emphyteuticus non cenſetur validus, niſi ſcripto conſignatus ſit, juxta communem DD. ſententiam, qui id colligunt *ex l. 1. C. de jur emph.* pactionibus ſcriptura interveniente habitis. De Eccleſiaſticis expreſſius habetur in *Authent. de reb. Eccleſ. non alien.* Quod ſi emphyteuta inſtrumenti ſcripturam exhibere non poſſit teſtibus probabit, celebratum eſſe contractum, & ſcripto confirmatum. Illis quoque deficientibus juramenti Religio valebit, quod ut ſibi deferatur, à Judice poſtulabit. Præter ſcripturam emphyteuti etjam fines, & terminos agrorum Domino id exigenti monſtrare tenetur: ſecus præſumptio contra illum fiet, de mala fide, & prædia ipſius omnia emphyteutica eſſe cenſebuntur. *Iul. Clarus l. 4. § 4. Emphyteuſis quæſt. 4. Gom. Tom. 2 c. 3. Fach. l. 1. c. 84.* Excipe niſi jus præſcriptionis obtendere poſſit, oſtendendo poſſeſſionem 30. annorum in emphyteuſi Laica, & 40. annorum in Eccleſiaſtica. *Maſcard. Concluſ. 603. Nu El. hard. Vol 2. Conſil. 33. Molin. Diſp.* 449. Imò non deſunt, qui decem annorum tempus ad præſcribendum ſufficere exiſtiment. Nam ipſa tot annorum penſionis ſolutio manifeſtè indicat pactum, & titulum adfuiſſe *arg. l. cùm de in rem verſo. ff. de uſuris. Azor III. l. 10. c 5 & 14. Silv. V. Emphyteuſis num. 1. & ſeq. Schneidewin l. 3. Inſtit. tit. 25 n. 7.*

IV. Obligatur *primò* emphyteuta ad fundum ſibi conceſſum proprio labore & induſtria colendum, curandumque, ne deterior evadat, quem in finem expenſas præſtare debet, quæ ad conſervationem fundi, & collectionem fructuum ſpectant, ut videlicet domus, horreum, puteus, aggeres, foſſæ, ac ſimilia conſerventur. Si autem omninò collapſa domus eſſet, reſtauratio ad Dominum fundi pertineret, cùm propria ipſius ſit.

Digitized by Google

Clarus l. cit quæſt. 8. *Conan l* 7. *c.* 12 *num.* 6. Si quid præter obligationem ſuam colonus extruxerit, aut intulerit, recedens poſt finitam locationem auferre ſecum poteſt. E contra, ſi quid ſuâ culpâ minutum, maximè ſi fundus in ſeipſo deterior effectus ſit, privari poteſt jure emphyteutico, & uſusfructus fundi cum proprietate conſolidari. *Auth. qui rem C. de Sacroſ. Eccleſ. Tiraquel. in l. ſi unquam V. omnia num* 31. *C. de revoc. donat.* Ad id verò non ſufficit quælibet fundi læſio, ſed notabilis ſit, & non tantum reſpectu fructuum percipiendorum ad tempus, quo colonus habebit ſed abſolutè, & per dolum, ſeu latam culpam emphyteutæ. *Mynſing. Cent* 6. *obſ.* 86. *Melon l. cit. num.* 5. *Secundò* tenetur annuam penſionem præſtare. *Inſtit. de locatione* §. *adeò.* Si neglexerit triennio in Laica emphyteuti, vel biennio in Eccleſiaſtica, in pœnam commiſſi ipſo jure cadit, & expelli à Domino poteſt, quamvis de ſolutione interpellatus non fuerit. *l.* 2. *C de Iure emph. Auth. qui rem C. de Sacroſ. Eccleſ. ubi. Clarus l. cit. Vallenſ. l.* 3. *tt.* 18. §. 2. *Zerola V. Locatio num.* 3. Excipe 1. niſi ignorantia cauſam omiſſioni dederit, puta, ſi hæres credidit fundum proprium eſſe. Neque enim locum habet commiſſi pœna, ubi culpa non eſt. *Gaill. l.* 2. *obſ.* 48 *num.* 4. 2. Si per emphyteutam non ſtetit, quo minus præſtaretur ſolutio. Ut ſi oblatam Dominus acceptare noluerit. *Gloſſ. in l.* 2. *V. ſecundùm legem C. de jur. emphyteut.* 3. Si Dominus ratione debitorum colono obligatus ſit, ita ut de compenſatione agi queat. *Molin Diſp.* 453. *Nava. c.* 17. *num.* 192. *arg. c.* 2. *de depoſito.* Præterea ut in prædictam pœnam incidat, & jure ſuo privetur, opus eſt, ut de eo voluntatem ſuam Dominus declaret, vel propria auctoritate rem emphyteuticam ſibi uſurpet, quod illi licere multi arbitrantur. *Mynſing. Cent.* 6. *obſ.* 65. Sed in tali eventu cenſetur Dominus renunciare non ſolutis penſionibus, quod in Eccleſiaſtica emphyteuſi non fit. Quamvis enim jure ſuo privetur, & abigatur colonus, nihilominus præſtare, & ſolvere tenetur præcedentium annorum penſiones neglectas, quemadmodum *Clarus docet l cit.* Tertia obligatio eſt, ne fundum ſibi conceſſum irrequiſito Domino alienet per venditionem: aliàs in pœnam commiſſi incidit, & privatur jure emphyteuſeos cum omnibus meliorationibus, intellige poſt factam rei venditæ traditionem *l.* 3. *C. de ju. emphyteut. Salas tract. de Cenſib. num* 2. *Leſſius c.* 24. *Dub.* 9. *num.* 52. Eſt verò moribus receptum, ut ſi vendere jus ſuum velit, dominum proprietatis moneat duorum menſium ſpatio conceſſo ad deliberandum, an ipſe eodem pretio jus emphyteuticum emere malit, vel ſi nolit, ad explorandum, an ſatis idoneo emptori vendatur fundus: qui denique recipietur, exhibito laudemio, cujus non una ubique menſura. Communiter quinquageſima pretii pars exiſtimatur: alibi triceſima, alicubi viceſima eſt. *Oſtienſ. apud Silv. V. emphyteut. num.* 28 *Layman. l.* 3. *tract.* 3. *c.* 23. *num.* 9 *Geo. Frantzkius tract ſing. de Laudemiis.* Idem laudemium ſolvi debet, quamvis per donationem vel alium modum transferatur emphyteuſis, exceptis quatuor caſibus. *Primus* eſt, quando hæres adit illam, ut

Digitized by Google

ut ſibi eo titulo debitam. *Secundus* eſt, quando quis vendidit, ſed re integrâ diſceſſum eſt à venditione. *Tertius*, quando alienatio eſt neceſſaria, ut ſi pater dotare velit filiam, & alio medio careat. *Quartus*, quando plures communem emphyteuſin habentes eam dividunt inter ſe. *Ita Bartol.* quod non omnes recipiunt, probabile tamen eſt, ſi quod præſuppoſuit *Bartol.* eos, qui communem emphyteuſin habent, non requiſito Domino dividere inter ſe poſſe. Sic namque non cenſetur ulla alienatio, aut præjudicium Domino fieri. *V. Silv. l. cit. qui num. 30. addit.* Si alius proprietatem fundi, alius uſumfructum habeat, huic, non illi dandum laudemium eſſe, quia omne emolumentum veniens ex re uſufructuariâ debetur uſufructuario. *l. item ſi fundi ff. de uſufruct. Specul. tt. de locat. Silveſt. V. emphyteuſis num. 28 Armilla num. 20.*

V. Hæc tamen non obſtant, quo minus emphyteuta rem ſibi conceſſam alteri obligari poſſit titulo hypothecæ, jus cenſus, aliamve ſervitutem ad vitam concedentis conſtituere, ad breve tempus locare, imò etiam ad tempus longum, dummodò non fiat ipſius rei emphyteuticæ locatio ſimpliciter, ſed alicujus commoditatis ex eâ percipiendæ nomine ipſius emphyteutæ, dum vivit. In hac enim conceſſione nullius damni, aut injuriæ Domino proprietatis inferendæ periculum cernitur. *Zerola V. Emphyteut. num. 4 Molin. Diſp. 461. §. Maius dubium.* Idem dicendum de titulo lucrativo legati, donationis, dotis, & ſimilium quando jure Domini illæſo fit. *Layman. loc. cit. num. 11. Melonius l. cit. n. 12.*

VI. At, finge, emphyteutam in Religione aliquâ profeſſionem edere, cui obveniet emphyteuſis? Reſp. Vel ex hæreditate, vel pacto, & providentiâ obtenta eſt. Si ex hæreditate tranſibit ad Monaſterium, ſeu Religionem, aliàs bonorum immobilium capacem, eâ lege tamen, ut poſt profeſſi mortem vendat: alioqui proprietarius omnem ſpem amitteret laudemium acquirendi. Si verò habetur pacto, & providentia, utilitas rei emphyteuticæ Monaſterii erit, quamdiu profeſſus vivit, eo mortuo ſuccedet, quicunque ex inveſtitura vocatur, aliàs ad Dominum proprietatis redibit. *Molin. Diſp. 140. Leſſius c. 41. d. 10 Sanchez l 7. Mor. c. 15. num. 59. Chaldas. de renovat. emphyteut. num. 84.* *Ratio eſt*, quia cum perſona religioſi omnia ipſius jura, & bona tranſeunt ad ordinem, & Monaſterium, aliàs non impeditum, quo minus bona immobilia poſſideat. *Gloſſ. & DD. in c. Beneficium V. Conferendum de Regular. in 6. Roder. Tom II. quaeſt. 122. art. 2 Layman l 3. tract. 4 cap 23. num. 15. Iaſon. in l 2 C. de emphyteut. Silv. V. Emphyteuſis num. 27.*

VII. Quænam emphyteuſes ad hæredes, ſucceſſores, vel etiam extraneos tranſmittantur, ex inveſtitura, ſeu modo primæ conceſſionis intelligi poteſt. Nam quæ abſolutè datur, nulla mentione hæredum, aut ſucceſſorum, ut, *Do tibi fundum hunc in emphyteuſin*, non eſt hæreditaria, adeoque non neceſſariò ad hæredes, aut ſucceſſores transfertur. Erit autem hæreditaria ſimpliciter, quando hac aut ſimili forma conſtituitur. *Tibi, Succeſſoribus, & hæ-*

Digitized by Google

& hæredibus tuis prædium meum in emphyteuſin trado. Atque ita tum filii, tum filiæ, adeoque extranei quoque habere poterunt. Nam hæredum nomine extranei computantur, uti nomen filiorum filias comprehendit. *l. quiſquis ff de verb. ſignif.* Conſuetudo nihilominus eſt, ut non niſi deficientibus maſculis feminæ admittantur, quemadmodum *Iul. Clarus notat l. cit. q. 32. n. 3.* An autem pari jure hic procedendum in Eccleſiaſtica, ut in Laica emphyteuſi meritò ambigitur, nec facilius intelligi, quèm ex praxi, & conſuetudine locorum poteſt: cùm in jure nihil expreſſum ſit. Quod enim *in Auth. de alienatione & emphyteuſi Iuſtinianus* præcipit, ut emphyteuſes Eccleſiaſticæ non concedantur, niſi in perſonam, quæ accepit, & duos hæredes, ſeu deſcendentes, non niſi de Eccleſia Conſtantinopol. & aliis quibuſdam ejuſdem Urbis locis intelligendum eſt. Fieri tamen poteſt, ut eadem conſtitutio in aliis etiam quibuſdam locis uſu recepta ſit. *Azor quæſt. ult.*

Nota. In generali conceſſione pro omnibus Succeſſoribus nõ comprehendi perſonas, quarum magna, adeoque ſuſpecta potentia eſſe poteſt. Eadem ratio eſt Eccleſiarum propter exemptionem, & privilegia, quibus gaudent. Neq; enim abſq; damno & præjudicio Domini proprietatis eo modo emphyteuſis transferretur. *l. ult. C. de jur. emph. Clar. q. 22. Molin. D. 459.*

VIII. Titius pro ſe, ſuiſque hæredibus ac Succeſſoribus obtinuit fundum emphyteuticum, nunquid uni filiorum, cui magis favet, prælegare poterit? Poterit utique, quando ſimpliciter hæreditaria eſt; cùm nulla lege conſtringatur, ut primogenito relinquat: ſed ſatisfaciet illi, aliiſve fratribus aſſignando portionem legitimã. Si murmuret adverſus patrem, audiet; Tolle, quod tuum eſt: an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? *Azor tit. l. 10. c. 11. q. 4. Filliut. tract. 36 c. 8. num. 144 Gaill. l. 2. obſ. 154.* Nihilominus in antiqua emphyteuſi alio utendum jure videtur, quia poſt mortem primi acquirentis jus hæredibus deſcendentibus acquiſitum eſt, vi primæ inveſtituræ, quod abſque gravi cauſa tolli non debet. Ita communiter *DD. Covarr. l 2. Var. c 18. Concluſ. 4. Speculator tt. de locatione §. nunc aliqua Verſic. 78. Layman. loco cit. num. 16. Feder. Conſil 228. Bald in l. Item videndum. ff de petit. hæred. Caſtr. in l. apud Iulian. §. ſi quis alicui ff. de Legatis I.*

IX. De expenſis & melioramentis in re emphyteutica factis à colono non niſi diverſis deciſionibus judicare poſſumus. Igitur

1. Si ex culpa ſua in commiſſum cadit, communia ſaltem, & conſueta melioramenta amittit, rara & valdè pretioſa non amittere probabile eſt. *Iul. Clarus quæſt. 45.* Similiter amittit, quæ poſt commiſſi pœnam Domino contradicente aut ignorante, fecit.

2. Quando citra culpam ſuam finitur emphyteuſis, ad emphyteuſam, aut hæredes ipſius pertinent, quoad valorem, & æſtimationem; quoad proprietatem verò Domini ſunt, qui vel pretium dabit, vel permittet auferri à colono: vel ſi malit, retinere tamdiu fundum poterit, donec ex fructibus ſibi ſatisfaciat.

3. Quando ex conventione aut con-

ſenſu

ſenſu domini impenſæ factæ ſunt, ad dominum integrè pertinent. Eo fine enim colono fundus, & agri committuntur, ut meliores cultura fiant, fructus emphyteuta in rem ſuam colligat, rem verò meliorem domino poſt elapſum terminum reſtituat. *l. 2. C. de iure emphyteu l. ſi vero quis. de alien & emph. Fill. l. cit. num.* 152 *Azor Tom.* III. *l.* 10 *c.* 12. *Q.* 1. *& ſequ.*

X. Emphyteuſis tribus modis finitur 1. culpa emphyteutæ, qui pacta violat, alienando, vel corrumpendo rem cõceſſam 2. elapſo tempore, de quo convenerat. 3. extincta familia ſeu generatione, pro qua conſtituta emphyteuſis erat. Neque finitam ſemel elocare iterum cogitur dominus: ſi tamen voluerit, præferendum putant priorem colonam, hæredes, & conſanguineos ipſius, idque tam in eccleſiaſtica quàm laica emphyteuſi. *Az. l. cit c.* 13. *q.* 2. *clar. q.* 43. *Treutl. Vol.* 1. *Diſp.* 19. *Silveſt n.* 11. *Armilla n.* 18. *Farinac. P.* 7. *tt. de furtis q* 175.

§. III.

De Feudo.

I. FEudum eſt *Contractus, quo res immobilis conceditur alicui quoad dominium utile, pro fidelitate & ſervitio perſonali exhibendo, retenta proprietate. Vallens. l* 3. *tt.* 20. Dicitur 1. *Contractus*, eo ſenſu quo Emphyteuſis. onerosus ſcilicet, & nominatus. 2. *quo res immobilis conceditur.* cuiuſmodi eſt regnum, provincia, urbs, pagus, caſtrum, & ſimilia. 3. *pro fidelitate, & obſequio perſonali* per quod potiſſimè ab emphyteuſi diſtinguitur. 4. *retenta proprietate.* ab eo ſcilicet, qui concedit feudum. Ipſe enim dominium utile feudatario, ſeu vaſallo, & poſſeſſionem naturalem tradit; Sibi verò proprietatem, & poſſeſſionem civilem retinet. *Leſſ. c.* 24. D. 1. *Alvarotus in Proœm. Iul.* Clarus. *§. Emphyt. c.* 1. *Layman l* 3. *Tract.* 4. *c.* 24. *num.* 1.

II. Dividitur 1. in feudum eccleſiaſticum, & ſæculare. *Eccleſiaſticum* dicitur, vel quod Eccleſia dat alicui, vel quod ab alio accipit, vel quod clerico datur. *Saeculare* quod à principe, vel alio quovis civili homine accipitur.

2. Aliud eſt *reale*, aliud *perſonale*. *Reale* feudum regulariter eſt tranſitorium tam reſpectu domini, quàm reſpectu Vaſalli. Quilibet enim proſpicere hæredibus ſuis præſumitur. *l pactum. ff de probationib. Feudum perſonale* dicitur, vel quia non porrigitur ad hæredes, accipientis, quamvis illius, qui dat, hæredes teneantur: vel quia neque ad dantis, neque accipientis hæredes derivatur. *Silveſt. V. Feudum. num.* 3.

3. Aliud feudum eſt antiquum, & paternum, aliud verò novum. Feudum antiquum cenſetur, quod maiores alicuius agnationis ſupra quartum gradum habuerunt. Paternum, quod parentes uſque ad quartum gradum habuerunt, veluti avus, proavus, abavus, atavus. Novum vero, quod cæpit in perſona Vaſalli, nec pervenit ad eum ex ſucceſſioue.

4. In propriè & impropriè dictũ. Propriè dictum eſt, quod ſimpliciter, purè, ac directò conceditur, nulla temporis, aut ſervitiorum determinatione factâ. Impropriè, quod conditionibus, vel obſequiis nominatim definitis eſt alligatum. *Tholos. l.* 6. *Syntagm. c.* 2.

5. Dividitur prætereà in Regale, & non regale, nobile & ignobile, maſculum, & muliebre, nec non aliter atque aliter, quæ quia noſtro inſtituto parum conducunt, omittimus. *V. Oſtermann. in Synopſi feudali nu.* 10. *& ſequ. Tholos l. 6. c. 2. & ſeq.*

6. In ligium, & non ligium. Ligium dicitur cum quis in feudo iurat ſe domino futurum fidelem contra quemlibet nullo excepto. Non ligium, quando excipitur ſupremus dominus *Barb in Clement. Paſtoralis de ſent. & re iudic.*

7. Dividitur in Francum, & non Francum. Francum dicitur, in quo duo concurrunt. Primum, quòd in inveſtitura expreſſe dicatur, quòd ſit Francum: Alterum, quod inveſtitus nō teneatur, niſi ad ſervitia, quæ ſunt expreſſa in inveſtitura. *Ita clarus q.* 12. Alii Francum feudum appellant, in quo non eſt præſtanda aliqua fidelitas: vel quando proprietas eſt infeudata

8. Denique aliud Feudum eſt ſimpliciter hæreditarium, aliud ſimpliciter ex pacto & providentia, aliud ex utroque mixtum. Feudum ſimpliciter hæreditariū eſt, quod per ſe. & natura ſua tranſit ad quoſcunq; hæredes, etiam extraneos. Feudum ex pacto, & providentia, quod cōceditur pro te, & filiis tuis, nulla hæredum facta mentione. Providentia autem duplex eſt, alia legis, alia hominis. Providentia legis facit, ut feudum non tranſeat, niſi ad deſcendentes maſculos, ſive hæredes ſint, ſive non, excluſis omnibus extraneis. Providentia hominis, ut ex tenore ipſius inveſtituræ vocentur expreſsè ſoli deſcendentes ipſius recipientis. Mixtum denique cēſetur, quod datur pro te, & filiis, ac hæredibus. Sic enim de utroque participat, hæreditario ſcilicet, & providentiali. *Iul. clar. §. Feudum. q. 9 Franc. Curtius q. 8. Layman lo. cit. Filliut.* Tract. 36. c. 9. *n.* 161. *& ſeq. Angel. V. Feudum n* 1. *Silveſt. nu* 3. *Melonius in Theſauro iuris feud. tit.* 1.

III. Conditione feudi præcipuæ ſeptem numerantur, iuxta veram interpretationem definitionis n. 1. allatæ. Prima eſt, ut res quæ in feudum datur, immobilis ſit, vel pro immobili habeatur, cuiuſmodi ſunt iura exigendi annuos reditus, ſervitutes rerum, vel perſonarum.

2. Vt dominium proprietatis, & poſſeſſio civilis maneat apud feudi auctorē, utile verò & poſſeſſio naturalis in feudatarium ſeu Vaſallum transferatur.

3. Vt Vaſallus non teneatur ad ullam penſionem, niſi feudum mixtum ſit, ſed tantummodò ad obſequium perſonale, quando exigetur.

4. Vt non præſtito obſequio, ad quod ſe obligavit, feudo privetur.

5. Vt ſine domini voluntate, & conſenſu non poſſit alienare feudum.

6. Vt à domino inveſtiatur, & accipiat poſſeſſionem feudi.

7. Vt neque donare, neq; oppignorare aut concedere alteri poſſit. *Angel nu.* 16. *Silv V Feudum nu.* 2. *c.* 1 *tt in quib cauſis l* 2 *feudor Azor* 3. *l* 10. *tt. de feudis c.* 3. *Roſella V. Feudū Tabiena eod. Melo. l cit. n.* 7.

IV. Dare poſſunt, qui bonorum ſuorum liberam poteſtatem habent nec ulla lege prohibentur. Quamvis enim res ipſa videatur exigere, ut qui feudum concedit, in altiore quodam gradu cōſtitutus ſit, cùm ſibi ſubditos faciat, *l* 1 *feudor tt.* 1. nihilominus conſuetudo invaluit, ut ignobiles quoque & plebeii bona in feudum dent. *Tiraquell. de Nobilitate c.* 7. *n.* 6. In particulari

lati dare feudum poteſt ſummus Pontifex &quidem res cuiuſcunque eccleſiæ, intellige, niſi aliter conventum ſit, conſuetudo obſtet, vel damnum, & præiudicium. Neque enim dominus bonorum eccleſiaſticorum (quamvis ita loquantur aliqui apud *Fran. Leon in theſ. fori eccl p.2.c* 20.) ſed adminiſtrator eſt *Alb Brunus conſ.* 1. *de feud. nu.* 32. 2. olim epiſcopi & Prælati idem poterant. *Oſtiens. in Sum. tt. de feud. Az. c* 5. nunc autem novum feudum illis facere non licet. *c ult. de feudis.* niſi cum illis conditionibus, quas *Extrav Ambitioſæ de reb. eccl. non alien.* Pauli II exigit de quo *Leſſius c.* 24 *D.* 11. & quamvis ea Conſtitutio quoad pœnas in ea contentas non eſſet recepta, epiſcopi tamen, & Abbates, qui vigore literarum Apoſtolicarum conſecrantur, iuramento promittunt, ſe non alienaturos inconſulto Pontifice poſſeſſiones ad menſam ſuam pertinentes. 3. Dare poſſunt Duces, Marchiones, & alii illuſtres viri. *l.* 1. *feud. tt.* 1. *V. Marchio.* quin etiam quilibet paterfam. licet plebeius, & ruſticus, modò bona allodialia ſeu libera habeat. *l.* 2 *feudor. tt.* 3. 4 Minor 25. annis curatorem habens novum feudum dare non poteſt, ſed vetus. *l. cit* Non enim videtur alienare, qui alienationem veterem renovat. *L* 1. *§. aquaductus ff. de aqua quotidiana.* Pupillo, furioſo, & amenti nulla conceſsio permittitur. Feminæ, & ſervo permittitur *l.* 3 *feud. tt.* 3 *§ perſonam Az. c* 5 *q.* 8. *Angelus n.* 2 *& ſequ. Silv. n* 5. *Tiraq. lo. cit.*

V. Acquiritur feudum tribus modis. 1. Inveſtitura quæ duplex, Realis, & verbalis ſeu abuſiva. Hæc verbis perficitur, illa traditione & apprehenſione poſſeſſionis feudi. *V. Mynſing Cent.* 4. *obſ.* 61. *Mol. D.* 10 §. *Porrò.* 2. longâ poſſeſsione, ſeu præſcriptione. 3. ſucceſsione. *Curtius de feudo par.* 2. *q.* 4. Inveſtitura realis pro feudorum varietate varia eſt: aliquando haſta, aliquando vexillum, vel aliud corporeum Symbolum traditur. Vbi præſentia teſtiū requiritur, qui ſunt vel pares Curiæ, id eſt, Vaſalli eiuſdē domini, qui feudū dat, vel ſunt extranei in defectu parium. Clerici ſine teſtibus inveſtiri poſſunt. Equidē dubitant nonnulli, an teſtes requirantur ſolùm ad probationem inveſtituræ, an verò etiam ab ſubſtantiam: ſed communior opinio eſt ad ſubſtantiam neceſſarios eſſe, ut colligitur ex *l.* 2. *feud tt.* 32. *Hannetonius de Vſib feudor. c.* 41. *Duarenus in Comm. de conſuetudinib feudor c.* 9 *n.* 3. *Tholos. L.* 6 *c* 14. Inveſtituram traditio feudi neceſſariò ſequitur, præſtito prius ab accipiente, iuramento. Vnde ius acquiſitum non leviter, & abſque gravi cauſa mutandum eſt. Si contingat unius feudi plures inveſtituras eſſe inter ſe pugnantes, prima obtinebit, & præferetur, quia ius illius virtute acquiſitū à ſubſequentibus non tollitur. Quod præſcriptionem attinet, in ſæculari feudo 30. in eccleſiaſtico 40. in eo, quod contra eccleſiam Romanorum eſt, 100. annorum ſpatium requiritur. *Mol. D.* 71. 72. *Silv. V. Præſcriptio.* De ſucceſſione, quæ dicenda occurrunt, nec paucis explicari nec omninò omitti poſſunt. Pluribus igitur membris, & numeris utemur, neceſsitati ſimul, & brevitati conſulentes.

VI. Suppoſito contra, quem olim, hodie feuda realia eſſe, & ſucceſsionē admittere, excludendi primò incapes, deinde quinam admittantur, videndum eſt. Excluduntur 1. ſecundùm leges, aliquo membro capti, quod videlicet ad præſtanda obſequi-

Digitized by Google

obſequia neceſſarium eſt. *l.* 1. *feud tt.* 6. § *quin etiam.* At uſu, & conſuetudine receptum eſt ut admittantur, & ſerviant per alios, præſertim ſi feudum paternum eſt.

2. Regulariter excluſæ ſunt feminæ. *l.* 1 *Feudor.tt.*1.§.*hoc autem clarus q.*73. quòd idoneæ non ſint ad exhib. obſequium, *Vallens.l.3 tt.*20. §. 1. *num.*3. *Tholos l.6 c.*12. ſed 52. reſtrictiones, & ampliationes 9. *Garzonius ponit Tract. de feminis ad feudum recipiendis, vel non* de quibus *V. Fillius.Tr.*36.*c.*10 *num.* 178. qui addet, in omnibus iſtis caſibus ſemper intelligi feminas ſuccedere deficientibus maſculis, niſi aliter pactum ſit.

Iam quòd ſeriem ipſam Succeſſiones attinet, & mares, 1. ſuccedunt maſculi deſcendentes in infinitum, cæteris excluſis ſive feudum laicum ſive eccleſiaſticum ſit. *Duaren.c.*11.*n.*3 *l.*1.*feud.tt.*1.§.*Hoc quoq;*.

2. Cum filiis ſuccedunt etiam nepotes, non tamen in capita, ſed ſtirpes. *Inſt. de hæreditat. quæ ab inteſt.* §.*cum filius.*

3. Filii naturales non legitimi, & adoptivi non ſuccedunt, niſi aliter conventum ſit. *l.* 2.*feud. tt.* 26. §. *Naturalis.*

4. Iure Gothico æqualiter ſuccedunt filii legitimi, non habita primogeniti ratione. Alicubi tamen primas obtinet primogenitus. *l.*1.*feud.tt.* 1.

5. Filius, qui hæreditatem paternam repudiavit, non permittitur in feudo ſuccedere. *l.* 2 *feud. tt.* 45. & 51.

6. De aſcendentibus dicitur *in l.*2.*feud. tt* 50. in allodialibus bonis quidem ſuccedere, in feudis autem minimè.

7. Aliis deficientibus collaterales ſuccedunt, ſed agnati tantùm, ſi feudum paternum ſit, & antiquum.

8. Vterini fratres, id eſt, eadem matre, ſed diverſo patre nati in feudis non ſuccedunt *l.* 2.*feudor.tt.*12.

9 Germanus frater, quàmvis iure civili præferatur conſanguineis, & uterinis, conſanguineos ſeu agnatos nō excludit. *Bald. l.*2.C.*de legit hæred.* Licet enim duæ qualitates concurrant in germano, alterius ratio tamen non habetur in feudis, quia coniunctio per feminas hic non æſtimatur. Quod ſi fratrum filii ſimul concurrant, admittuntur unà cum patruo ad feudum in ſtirpes. § *His verò l.* 2. *feud. tt.*12.

10. In caſibus Gothorum ſeu Longobardorum leges deficiunt, ſecundùm Ius Romanum & Cæſareum iudicabitur. Secundùm cuius diſpoſitionem, quando deficientibus aliis, ſuperſunt filii fratrum in gradu æquali, non in ſtirpes, ſed capita ſuccedunt. *l. Nepotes* C. *de legit. hæredib.* Quòd ſi in diſpari gradu ſunt, ſuccedunt non in capita, ſed ſtirpes.

11. An qui ex latere veniunt Agnati ſuccedant in infinitum, quemadmodum deſcendentes, an verò ad certum gradum, & quem illum non ſatis liquet. *In l.*1.*feud. tt.* 1. uſque ad fratres patrueles tantùm ſuccedere dicitur. Alibi tamen aliter ſervari videtur. *V. Claram Q.* 79.

12. De ſucceſſione extraneorum ex formula inveſtituræ iudicandum eſt. Nam tribus modis concipi verba poſſunt. 1. ut detur alicui feudum ſimpliciter, nulla mentione facta filiorum, & hæredum, & tunc ad extraneos non transfertur, quia ſtricti iuris eſt. & extenſio privilegiorum odioſa 2. ut detur alicui ita, ut transferre poſſit, ad quoſcunque voluerit vel expreſsè nominentur extranei, & dubium non eſt ad eos porrigi. 3. fieri poteſt, ut quis

Digitized by Google

accipiat feudum ſibi & ſucceſſoribus ſuis atque hæredibus quibuſcunque, & non ſatis liquidum eſt, an extranei comprehendantur. Baldus non comprehendi vult: aliis verò contrarium placet, quibus libenter ſubſcribo. *Az. III. c. 10 q. 5. Tholos. l. 6. c. 13 Iul. Clarus §. Feudum. q. 9. Hartmanni l. 2. obſerv. 15 & 16. Silveſt. n. 8. Angel n. 11.* Bald. *Conſil.* 265. *Fillius. c.* 10. *Mynſing. Centur. 3. c.* 93. & 94. *Item Deca de 3. Reſponſo Melonius in Theſau. Iur feud. tt.* 2.

VII. Peculiaris difficultas eſt de Clerico an capax feudi ſit? *Hartmannus Piſtor in QQ. Iuris Par. 2. l. 2.* cum aliis apud *Mynſing. Cent. 5. obſ. 48.* multis probare nititur clericum & monachum, etiam nō profeſſum à feudis excludi, eam præcipuè ob cauſam, quòd ſervitium, & obſequium debitum præſtare non poſſunt. Sed meminiſſe oportuit per alios præſtari poſſe, neque feminas in univerſum propterea excludi. Dicendum igitur, ſi clericus cum feudum apertum eſt, ſeu vacat, beneficiatus, vel ſacro ordine initiatus eſt, accipere feudum paternum poſſe, ea lege, ut per alios præſtet obſequium debitum. Si vero feudum perſonale eſt, nec per alium licet ſupplere ſervitium, eoque vacante beneficium aut ſacros ordines ultrò ſuſcepit, renunciaſſe iuri ſuo præſumitur, & ſummovetur, quia per eiuſmodi ſtatus ſuſceptionem ſeipſum minus idoneum feudo reddidit. *Clarus q. 78. Zypaeus l. 1. de iurisd. c. 30. Az l cit. q 3. Sanch l. 7. Mor. c. 15. Mynſing. Cent 5. obſ.* 48. De Monachis & profeſſis, eo modo, quo §. *præc. nu. 6.* de emphyt. diximus, iudicandum eſt: feudum tranſire in monaſterium eiuſmodi bonorum capax, modò reale ſit, & per alios ſupplere liceat obſequium. *V. Laym. l 3 Tr. 4. c. 24. n* 10. *Vallens l 3. tt. 20. §. 2. Sanch. l 7. Mor. c. 15. n 32. & ſeq. Silv. n.* 10. *Roder. 1. q. 38. art. 3. Silv. V. Feudum num.* 10. *Angel n. 9.*

VIII. Vaſallus abſque conſenſu domini ſui, feudum nō poteſt alienare, oppignorare, aut teſtari de illo: & ſi fecerit, amittet, ſicut etiam amitteret, ſi negaret. At domino conſentiente alienare, & pignori dare poteſt tam dicto domino, quàm extraneo *l. 2 feudor. tt. 55.* Imò nec in dotē dare. *lib cit. n 9. §. donare* Quamvis enim cauſa dotis ſit favorabilis, abſque alienatione non fit, quæ generaliter prohibetur. Genero tamen permitti poteſt, ut durante matrimonio habeat fructus ex re feudali, reſervato ſibi iure utilis dominii. *lib cit. tt. 17. Az. c. 11. q. 5. Silv. nu. 47. Iul clar. § Feudum. q. 31.* Melon. *l cit. n.* 10. & *alii DD. communiter.*

IX. Feudum ſuum in feudum alteri cōcedere licitum eſt ſub tribus conditionibus. *Prima eſt*, ut omnis fraus abſit. Committitur autem fraus in tali tranſlatione, quando pro inveſtitura pretium exigitur. *l. 2. feud tt. 55.* Verſic. Callidis. *Secunda*, ut detur homini pari gradu, & dignitate ornato ne domini conditio deterior reddatur, quemadmodum fieret, ſi feminæ aut potentiori daretur. *Tertia*, ut iiſdem pactis, & conditionibus detur, quibus à domino obtentum feudum eſt. Vnde cōſequitur, quòd dominus feudi, & illum quem immediatè inveſtivit, & ab hoc ſecundum inveſtitum compellere poſſit ad obſequium ſibi præſtandum: immediate primum, eoque mediante alterum interpellando. *Franc. de amicis Tr. de feud. p. 56. Az. l cit. q. 9. Melon l cit. tt. 4. n.* 11.

Digitized by Google

X. Feudum tribus modis finitur. *Primò* per delictum Vaſalli in dominum ſuum. *Secundò* propter delictum Vaſalli in aliquem alium. *Tertiò* abſque omni delicto. *l. 2 feudor. tt. 23. & 24.* Delictum Vaſalli in dominum eſt ingratitudo & conſiſtit in decem caſibus.

1. Si non petat inveſtituram, aut renovationem, idque intra annum, & diem, computando à die feudi poſſeſſionem adeptus eſt. *Clarus q. 49.*

2. Si dominum in acie periclitantem deſerat, vel in prælio vulneratum relinquat. *l 1 feud. tt. 5.*

3 Si ſciens domino inſidias parari, non monuerit aut certiorem fecerit. *l. 2. feud. tt. 28. §. præterea.*

4. Si uxori domini ſui, filiæ, ſorori, nepti vel nurui ſe miſcuerit, aut alicuius illarum pudicitiam tentarit, vel cum ea turpiter luſerit.

5. Si detulerit dominium apud Iudicem, vel accuſaverit etiam ex iuſta cauſa, excepto crimine læſæ maieſtatis divinæ, & humanæ.

6. Si abſque conſenſu domini feudum alienarit, & tradiderit.

7. Si filius ipſius, aut domeſticus, aut Vaſallus dominum offenderit, & admonitus non adducat reum ad petendam veniam.

8. Si contumax ſit in dominum, hoc eſt, vocatus ab eo ad Curiam venire recuſet.

9. Si iure feudi abutatur, contra leges, & conventiones.

10 Si domino exigenti obſequium, neget ſe Vaſallum eſſe. *Iſernia in Rubr. Quib. mo. feud amitt. Angel. num. 19. Silv. 17. Melon l. c. tt. 4.*

Ita in dominum ſuum Vaſallus peccat. In alium delinquitur duobus modis. Primò ſi fratrem ſuum occiderit. *l. 2. feud. tt. 37.* præſertim ſi ſpe totius hæreditatis potiundæ. Hoc enim deteſtabile habetur. Secundò ſi hominem quemcunque proditoriè occiderit. *l. cit.* Denique ſine Vaſalli culpa deſinit Feudum uno ex 4. hiſce modis. 1. elapſo tempore, pro quo datum eſt. 2. renunciatione ſpontanea. 3. ſuſceptione ordinis ſacri in iis, quæ non admittunt operam alienam. 4. præſcriptione temporis, quantum pro aliis rebus requiritur. *Tholos. l. 6. c. 19.*

QVÆR. An Vaſallus delinquens ipſo iure feudum amittat, vel potius neceſſaria ſit Iudicis ſententia? R. quando deliquit alienando feudum, non niſi declaratione Iudicis opus eſt, quod nimirum iure ſuo privatus, & bona confiſcata ſint. At quando aliis de cauſis peccavit, tunc niſi criminis convictus, aut per Iudicem condemnatus ſit, feudum retinet. *l 2. feud tt. 26 §. Vaſallus. Gaill l. 2. obſerv. 51. Fachineus l. 7. c 84. Clarus §. Feudum. q. 62.*

XI. Dominus feudi, quia reciprocè obligatus eſt Vaſallo ad præſtandam fidem, & vicem, ſi prævaricatus fuerit, & contra. Vaſallum deliquerit, nullum amplius exigere obſequium poteſt: & Vaſallo actionem inſtituere licet, ut ab omni iuramento, & obligatione liberetur. Quin etiam fieri poteſt, ut dominium proprietatis domino ablatum in Vaſallum transferatur. Etenim *l. 2. feud. tt. 47. ita legimus.* Quæſitum eſt, an ſicut

an ſicut Vaſallus feudum debet amittere, ita dominus proprietatate priveiur? Et quidam dicunt ex omni felonia, quâ Vaſallus feudo privatur, & dominus proprietate privetur: aliis non niſi ex magna feloniâ, alii ex nulla. Sed prior ſententia mihi placet, non habita diſtinctione, qualis Vaſallus ſit per Sacramentum, vel non.

Porro felonia non tantùm ſignificat contumaciam Vaſalli in dominum, & domini in Vaſallum perfidiam, verùm etiam quodlibet capitale facinus *tt. 26. l. 2. feud.* Gothi & Longobardi uſurpabant pro nequitia, Schelmerey. Scelere. Aliquo à Græco φήλωμα derivant, quod fraudem, deceptionem, impoſturam indicat. *Zaſius de feudi privat. par.* 10. *Oſterman. in Synopſi feudali. num 32.*

XII. Domino adverſus Vaſallum quatuor actiones competunt. *Prima* eſt rei vindicatio directa iure communi. *Secunda* eſt actio, quâ agit contra illum, ut debitum obſequium præſtet. *Tertia*. vocatur condictio ex moribus. Nam quando feudum apertum eſt domino, & cunctatur Vaſallus reddere coram Judice agit dominus, ut declaret, feudum ob Vaſalli culpam ſibi delatum eſſe. *Quarta* eſt rei vencitatio contra emptorem, cui abſque conſenſu ſuo Vaſallus feudum vendidit. *l. 1. ff. de condict. triticaria.* Emptori verò bonæ fidei competit actio contra Venditorem de evictione. *l. 2. feud. tt. 5.* Econtra malæ fidei emptor non habet actionem ex empto de evictione. *l. ſi feudum. C. de evictionib.* Datur præterea actio ſucceſſoribus in feudo. Filii enim, & agnati, quorum eſt, contra emptorem feudi procedunt, ut rem feudalem reſtituat. §. *Titius. l. 2. tt. 26.*

Vaſallo viciſſim actio competit adverſus dominum 1. quando contra promiſſionem factam non tradit feudi poſſeſſionem. *l. 2. tt. 7. ci fin.* Ea actione petit poſſeſſionem rei, & omnem utilitatem, hoc eſt, quanti ſua intereſt, non traditam continuò poſſeſsionem eſſe. Et hoc in novo feudo, in antiquo enim tantùm renovatio petitur. 2. poſt poſſeſsionem habet actionem in rem utilem adverſus quemlibet poſſeſſorem, ut deciditur in *tt. 8. l. 2. feudorum. V. Oldendorp in Progymn. claſſe 7. V. Feudam. num 4. Iul. Clarum. q. 89.*

XIII. De Iudice cauſarum feudalium ſequentia notatu digna ſunt.

1. Cùm de feudo duo Vaſalli contendunt, competens Iudex eſt dominus feudi. §. *praterea l. 2. tt. 55.*

2. Cauſa de re pertinente ad feudum inter dominum, & Vaſallum à paribus curiæ agnoſcitur, ſi ita convenerint Vaſallus & dominus. Si autem non convenerint, ius habet cogendi dominus, ut electus duobus vel tribus à ſe, pares Vaſallus eligat, quorum iudicio ſtetur. *l 2. feud tt. 16. & 20.*

3. Lis inter Vaſallum, & eũ qui Vaſallus non eſt, de re ad feudum pertinente ab Ordinario dirimenda eſt *Glo. & Abb.*

4. Cùm lite inter Vaſallos orta dominus ſuſpectus eſt, pares curiæ iudicabunt, de his verò, cùm ſuſpecti fuerint, loci Ordinarius. *l. 2. tt 25.* ſi Vaſalli inveſtiti ſint ab Imperatore, rege, aut principe, tunc ipſi iudicant. *tt 38. eod.*

5. An dominus feudi inter clericum, & laicũ Vaſallos competens Iudex ſit, meri-

tò dubitatur, nec deſunt negantes propter exemptionem cleri, quæ iuris divini eſſe creditur. Communior tamen opinio eſt, iudicari à domino poſſe, nõ præcisè, quia Conſtitutio Imperatoris Friderici id permittit, ſed quia Pontificum conſenſus & approbatio accedit, ut pluribus explicat. *Az. c 19 Zypaus l 1. de iurisd eccl. c. 30. Zerola V. Feudum Layman in defens. iuſta c. 4. p. 257.*

6. Controverſia de poſſeſſorio inter Vaſallos, aut Vaſallum & dominum, non alium Iudicem, quàm ipſum dominum habet, ad quem iure communi cauſæ feudales pertinent. *Iul. Clarus q. 90.*

7. Quando feudi dominus vel pares curiæ recuſant, vel non poſſunt iudicare cauſam de feudo, ad ordinarium loci devolvitur. *Abb. & Az. q. 7.*

8. Si dominus feudi clericus eſt, & renuit iudicari inter Vaſallos laicos ad Eccleſiaſticum iudicem venietur. *Idem*

9. Si clericus feudo privandus eſſet, iudicari, & puniri ab eccleſiaſtico Iudice debet. *Zypaus l 1. de iuriſd. eccleſ. c. 30. n. 5.*

10. Iudex, ad quem in cauſa feudali appelletur, eſt dominus ſuperior, à quo res conceſſa eſt inferiori domino, quamvis hic clericus foret, & ille laicus. Tunc enim inferior iudex licet clericus ſit, cognoſcit cauſam feudalem, ut illius competens Iudex, ac proinde ſuperiorem Iudicem habet, ad quem fieri poſſit appellatio. *V. Oſterman. in Synopſi feudali nu.* 41. *Mynſing. Cent 6. obſ. 19. Iul. Clar. q. 66.* Deniq; formam iudicii quod attinet, exceptis, quæ particularia in feudo ſunt, ut numerus teſtium, & ſim. non differt ab ea, quæ in aliis materiis iure communi obſervatur. *Bald. de feudis. § Præterea. nu.* 1. *Curt. par. 7. eod Iul. Clar. q. 90. Azor c. 19. & 20. Fillint. Tract. 36. c. 10. num. 202. Vivian. in Ration. l. 2 p. 26. Alago in compend. p. 209. Barbos in c. Verum de for. comp Hartmanni Pract. obſerv. l. 2. obſerv. 21. & ſequ. Melon. tt. 6.*

§. IV.

De Contractu Livellatico.

I. TAm emphyteuſis, quàm feudum vulgò vocatur libellus, livellus, & Contractus libellaticus. Item quod in emphyteuſin, aut feudum datur, ad libellum dari dicitur. Nomen quod attinet, à libella videtur ſumptum, quæ inter alia ſignificat minuti nummi Romani genus. *Cic. l. 4 in Verrem.* Ecquis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, unam libellam dediſſet? libellam pro aſſe ponit. Idem *ad Atticum l. 7.* Fecit palam te ex libella, me ex teruntio, ſubaudi, hæredem. Hinc libellam ſeu minutum nummum Gothici ſcriptores libellum appellarunt, & contractum libellarium, ſeu libellaticum quando res aliqua pro modica penſione in perpetuum locatur. *Iul l 2. feudor. tt. 39. §. 1.* libellum facere dicitur, qui modica libella, id eſt, minuto denariorum aureorum numero ſeu pretio vendit rem vel elocat. *Az. 111. l. 10. c. 1. de emphyt. § ſed quæres. Leſſ. c. 24. Dub. 1. n 6. Conanus l 7. c. 12. n. 12.*

II. Contractus libellaticus propriè cenſetur, quando Emphyteuta, vel feudatarius rem illam ſeu feudum, quem pro emphyteuſi, aut feudo accepit, ſimili contractu, tertio alicui tradit, faciens quaſi Subemphyteuſin, & ſubfeudum. *Neguſantius de pign. par. 2. membro 2. n. 51. Leſſ. loc. cit.* Aliqui tamen exiſtimant, eſſe venditionem quandam, vel locationem perpetuam, quæ fit interveniente Scriptura, & certâ

Digitized by Google

certâ penſione in annos ſingulos conſtituta, ita ut ſtato tempore (plerumque anno viceſimo nono) contractus renovetur, iterum numerato certo pretio, vel arbitratio nimirum ad evitandam præſcriptionem, & tollendam putatitiam venditionem. *Franc. de Amicis in Tr. de feud. pag. 42 Fill Tr. 31. c. 3. n. 72. Tholos. l. 6. c. 1. n. 6. Molina disp. 10. §. Libellus. Sandaus in Theol. iurid. p 23.*

III. Inter emphyteuſin, & libellaticam conventionem, ſeu Contractum *Cuiacius* hanc differentiam ponit, quòd non ſoleat emphyteuſis renovari non mutato poſſeſſore: libellaticus contractus autem renovetur ſtatis, certiſque temporibus etiam non mutato poſſeſſore, data certa pecunia, vel quam bonus vir arbitratus fuerit, ſecundùm qualitatem rei in libellam datæ, quod renovationis pretium *Leo Imp.* ἐισδεκτικὸν vocat. Emphyteuſis item contrahitur ſub lege meliorandæ rei, puta ædificij in area ponendi, vel reficiendi, vel agri excolendi, & recreandi: quam legem libellaria non habet. Inſuper in perpetuū fit ſemper *l. 1. feud tt* 8. emphyteuſis ſæpè ad tempus. Et ſi credimus antiquis feudorum conditoribus in libellaria eſt commiſſio loci poſt biennium, ſicut in locatione, cùm in emphyteuſi triennii ceſſatio exigatur & is, qui per libellum à domino poſſidet, vendere poteſt ſine conſenſu domini; emphyteuticus non item. *Ita Cuiacius*, quem laudat, & ſequitur *Tholos. l. cit.*

IV. Ad uſum & praxim huius temporis quod attinet, multis in locis pro Synonimis habetur emphpteuticus & libellarius contractus, *teſte Angelo conſ.* 184. *Tiraqu. de retractu municip.* §. 33. *Gl. 1. nu. 1. & Iul. Claro l. 4. q. 1.* Imò ignotam eſſe rem ipſam, & nomen noſtri mores probant. De alio genere livelli, in Gallia citeriore uſitati *Comitolus* agit *l. 3 q 29.* cuius magna ſit cum Cenſu de quo *Pii V. Conſtitutio* loquitur, affinitas: reipſa verò differat plurimùm. Etenim *Primò* in Cenſu pontificio venditor dominium feudi retinet: in libello ad emptorem tranſit. *Secundò*, Cēſui nihil aliud ſubiicitur, quàm fertilitas agri, aut fundi: in libello utrumque ſubiicitur, & emitur. *Tertiò* in Cenſu dominus fundi ſoluit annuam penſionem: in libello domino ſoluitur. *Quartò*, in cenſu æſtimatio penſionis ſumitur non ſolùm à quantitate fructus fundi, ſed etiam à ſervitute, quæ imponitur emptori, ut nunquā repetere poſſit pecuniam ſuam: in libello iuſta cenſetur penſio, quam fructus parit. *Quintò*, libellus duplici contractu conſtat, venditionis cum pacto retrovendendi & locationis. Nam qui à Titio agrum emit, continuò eidem locat: Cenſus autem eſt ſimplex contractus, puta, venditionis. Venditur enim ius percipiendæ penſionis, cui fœcunditas agri, aut fundi ſupponitur. *Sextò*, cenſus eſt perpetuus ex parte emptoris: libellus non ſemper eſt perpetuus, cùm æqua utrique contrahentium libertas relinquatur. *Septimò*, libellus non exigit ad valorem ſui ſolennitates à ſummis Pontificibus conſtitutas: Cenſus verò illis deficientibus, uti receptæ bullæ ſunt, non ſubſiſtit. Ita ferè *Comitolus*, addens octo conditiones, quibus ſervatis iniuſtitia vitetur in Contractu libellatico. Sunt autem eædem ferè, quæ in aliis Contractibus, in quibus dominium transfertur, neceſſariæ ſunt.

Notarii meminerint, ne in formando

Digitized by Google

inſtrumentò repugnantia ſcribant. V. gr. cum de venditione ſermo eſt, rem dicant à venditore in perpetuum alienari: cùm verò de locatione, ſcribant integrum venditori eſſe, rem ſuam redimere, quoties ipſi collibitum fuerit. Nam libertas illa, & modus redimendi non habet locum in locatione, & conductione, ſed Cenſu, ut ex dictis conſtat.

TITULUS XI.

De Contractibus adminiculantibus.

ITa vocare lubet conventiones illas, & pacta, quæ plerumque aliis contractibus adduntur, pro illorum completione, firmitate, aut perfectione. Numero quatuor ſunt. *Societas. Fidejuſſio. Pignus, & Hypotheca.* Quos eodem ſervato ordine breviter & ſuccinctè quoad fieri poteſt, explicabimus.

§. I.

De contractu Societatis.

I. SOcietas, uti hic uſurpamus nomen hoc, eſt *Conventio duorum, aut plurium ad conferendum aliquid in uſum vel lucrum commune.* Nec ulla juris neceſſaria ſolennitas eſt, ſed ſolo contrahentium conſenſu verbis expreſſo perficitur. *Azor l. 4. Summ. Rubr.* 41. *Gomez Tom. 2. c. 5. Soto l. 6. quæſt. 6. art.* 1. Ex qua definitione benè intellecta colligitur, quatuor potiſſimùm conditiones ad Societatem conflandam requiri. *Prima* eſt, ut ſinguli ſocii aliquid in commune conferant, pecuniam, induſtriam, inſtrumenta, aut ſimile quid. *Secunda*, ut illud, quod collatum fuerit, continuò cedat in dominium ſingulorum, ita, ut ſinguli efficiãtur Domini totius ſortis partialiter ſeu partiali dominio *l. 1. & ſeq. ff. pro ſocio Gaill. l. 2. obſ. 24. n. 9.* Quod etiã dicendũ de omnibus illis, quæ ſocius comparat nomine communi. *Covar. l. 3. Var. c. 19. nu.* 1. dummodò ea intentione conferat, ut ſit commune: alioqui non poteſt aliorum ſociorum dominio adjici. *Tertia* conditio eſt, ut damnum, & lucrum ſit commune, quod colligitur ex *l. cit. & ſequentib. C. pro ſocio. Quarta* ut dividatur lucrum ſecundùm proportionem ejus, quod ſinguli contulerunt. *l. ſi non fuerint & l. verùm 63. ff. pro ſocio.* Intellige, niſi aliter expreſſè fuerit conventum, & onus, quod præter naturam hujus contractus imponitur alteri, juſtè compenſetur. *Mol. D. 411. Tol. l. 5. c 41. Nav. c 17 nu. 251 Leſſius c. 25. D. 1. Tanner. D. 4. qu. 7. D. 8. Filliut. tract. 38. c. 1.*

II. Societas varia, & multiplex eſt, ſive materiam, & finem, ſive alia adjuncta conſideres. Ratione materiæ 1. eſſe poteſt omnium bonorum. 2. aliquorum tantùm, ut in Matrimonio ſolet. 3. lucrorum tantùm, ut quando hæredum bona indiviſa manent. 4. pecuniæ ſolius, vel ſolius induſtriæ, vel utriusque. 5. animalium tantùm, vel ſimul cum induſtria.

Ratione

Ratione finis proximi fieri poteſt.

1. Propter uſum duntaxat.

2. Propter lucrum, ut in negotiatione.

3. Propter utrumque, quemadmodum conjuges aliqui faciunt, ad matrimonii onera pariter toleranda.

Ex parte temporis. 1. initur Societas ad dies vitæ duratura.

2. Ad certum tempus, puta, decenniũ.

3. Uſque ad finem alicujus negotii, ante quem ſi contingat mori ſocium, ad hæredes ipſius obligatio non continuatur. *l. adeò l verum ff. pro ſocio.* quia in ejuſmodi conventionibus induſtria perſonæ electa præſumitur; qualis autem futurus ſit hæres, ignoratur. Quamobrem, ut continetur Societas, nova conventione explicita, vel tacita opus eſt. Tacitam voco, quando nemine contradicente inſtituta negotia aguntur. *Leſſ. c. 25. D. 1. Tholoſ. l. 27. c 4. Azor III. l. 9. c. 1. Tuſchus Concluſ. 279. & ſequ.*

III Quilibet ſocius aliis tenetur de dolo, culpa lata, & levi tam in conſcientia, quàm foro externo. Non autem leviſſima, multò minus de caſu fortuito. Ratio eſt. quia Contractus Societatis in bonum uniuſcunque ſocii dirigitur. Æquũ proinde eſt, ut quam ſuis quiſque rebus diligentiam, eandem pro ſocio adhibeat. De leviſſima culpa in *§. ult. Inſtit. de Societate* dicitur. Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam dirigenda eſt. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere ſocium, qualem ſuis exhibere ſolet. Nam qui parum diligentem ſocium ſibi aſſumit, de ſe queri, ſibique hoc imputare debet. *Ita ili.* Non repugnat tamen, inter partes de culpa leviſſima vel etiam caſu fortuito pactum firmari quo omnes teneantur: ſed tunc onus illud majore aliquo lucro compenſandum erit. At de non præſtando dolo, quia contra bonos mores nulla conventio iniri poteſt. *Molin. Diſp. 415. num. 3. Tholoſ. loco cit. num. 22. Azor l. cit. c. 2. quaſt. 2. Tuſchus Concluſ. 293. Alexand. l. 1. Conſil. 47. Leſſius loco cit. D 4. num. 37. Palao Diſp. 8. pun.* 8.

IV. Nemo ſociorum ultra vires ſuas tenetur, ſed quando convenietur in rebus ad ſocietatem ſpectantibus, præſtabit, quod commodè poteſt, ſecundùm ſtatum, in quo tunc eſt, & dignitatem perſonæ ſuæ. Et prudenter ſuadent aliqui cum *Glo in l. Verum. V. debetur ff pro ſocio.* judicis arbitrio relinquenda eſſe ſocio ita reperio tot bona, ut commodè ſuſtentari poſſit *juxta l. in condemnatione de Reg. Iur.* Igitur ſtatus habenda ratio eſt, cùm alius alio pluribus indigeat, plus, aut minus requirat. *V. Decium in Reg. Iur.* 28. *Divus Pius, &c.* Atque hæc moderatio illi debetur tantùm, qui bona fide, & abſque dolo rem agit. *loco citat. Verum Gloſſ. §. item ſi dote. Inſtitut. de actionibus*, aliàs lucrum ex malitia reportaret. Item non debetur illi, qui promiſit, & juramento confirmavit, ſe abſque ulla exceptione in quocunque eventu integram ſolutionem præſtiturum. *Soto l. 6 quaſt. 6. art. 1. Azor III. l. 9. hoc tt. cap. 2. Leſſius 25. Dub. 2. Layman. l. 3. tract. 4. cap. 20. Cardin. Lugo Diſp. 30. Sect. 3. Palao Diſp. 8 pun.* 12.

V. Societas deſinere quatuor modis poteſt *Primò* cujuſque ſociorum morte naturali, niſi contrarium pacti fuerit, nullius

nullius in particulari morte finiendam eſſe. §. *ſolvitur. Inſt. de Societ l. Nemo l. Actione ff. pro ſocio.* Hæres defuncti autem ad tria tenetur. *1.* ea, quæ cœpta ſunt, continuanda & perficienda eo modo, quo defunctum facere oportuit. 2. ad dolum, culpam latam, & levem, ſi ſociis per eum damnum aliquod obveniat. 3. ad dividendum cum ſociis ea, quæ apud defunctum ratione Societatis erant, deque illis, quoad poteſt, rationem conſortibus reddere. Nō obligatur tamen ad continuandam ſocietatem, quoad ea negotia, quæ nondum cœpta erant. *l. Man & ſervius §. ſi vino. ff. de neg. geſt. l. hæres ſocii. l. Verum ff. pro ſocio. Secundò* definit morte civili alicuius ſociorum, id eſt, maxima, & media capitis diminutione *de quo V. Inſtitut. l. 1. tt. 16. Tertiò* ceſſione bonorum ab aliquo facta. *§. Solvitur V. Item quis Inſt. h. t. l. 4. inn. Glo ibi ff. Pro ſocio. Quartò* adepto, & completo fine, cuius gratia convenerat. Abſoluta eſt V g. expeditio in Indiam, & claſſis appulit. Idem dicendum, ſi capitale perierit caſu, aut alio modo. *l. Verum. § ul. ff. pro ſocio.* Vel res, de qua convenerat, non ſit amplius idonea ad finem cogitatum. Denique ſi evolutum ſit temporis illud ſpatium, quo negotiatio circumſcripta erat, niſi ex tacito conſenſu ipſa rerum proſecutione continuata videatur. *Azo l. 4. Sum. Rubr. 41. n. 3. l. 17. ff. hoc tt. Inſtitut. de Societate. Silv. V. Societas §. 1. n. 9 Azor 3 l 9. c. 6. Schneidevv § Manet autem. Tuſchus Concl. 306. Angel §. 1. n 18.*

VI. Licebit etiam ultrò renunciare, quando ſcilicet certū tempus continuandæ Societati præſcriptum non eſt. Tunc autem tres attendendæ conditiones erunt. *Prima*, ut renunciaturus alios de conſilio ſuo certiores tempeſtivè faciat. Hinc ſi propter abſentiam aliquis non fuerit commonitus, & renuncians acquiſierit aliquid cum capitali, commune utriſque erit, ſi autem damnum obvenerit, ſolus tolerabit. Liberum namque abſenti eſt, ratam vel non ratam habere renunciationem, neque præſumitur unquam approbaturus aliquid, quod ſibi damnoſum, vel minus commodum eſt. Quando autem præmonitus de futura renunciatione eſt, pari cum aliis paſſu procedet.

Secunda conditio, ut non mero arbitratu, ſed habita ratione temporis, & negotiorum cœptorum renunciet, ne ſocii ex intempeſtiva mutatione notabile aliquod damnum patiantur. Sic enim comparati eſſe omnes debent, ut, quod ab aliis fieri ſibi exoptant, aliis idem præſtent. *Matth. 7.*

Tertia conditio, ut doloſa intentio non ſit, ad ſe nimirum trahendi lucrum, quod aliàs commune eſſet. Nihil enim bonæ fidei magis contrarium eſt, quàm fraus, & dolus. *l. Ea verò ff pro ſocio.* Quocirca ſi contingat per eiuſmodi modum hæreditatem V. g. adipiſci renunciantem, permittetur illi quoad damna, & incommoda, lucrum verò ſociis commune erit. Excipe, niſi in ipſo Contractu expreſſum ſit, licere cuilibet, quando opportunum ſibi videbitur, renunciare. Tunc enim ſi cui id minus proficuum exiſtit, ſibi imputet, qui noluit contradicere. *Silv. V. Societas n. 1. Tholos. l 27. c. 4. n. 17. Schneidevvin. lo. cit. n. 3. Conanus l 7. c. 13 n. 12.*

VII. Ad hæredes licet per ſe non tranſeat pactum Societatis, fiet tamen. 1. Si id exprimatur, quod commodè fit circa gabellas,

Digitized by Google

bellas, & vectigalia publica, dummodò hæres rebus gerendis idoneus ſit, & defuncto ſuccedat, in familia ſimul, & induſtria. *l. adeò l. Verùm §. in hæredem ff. pro ſocio. VVeſenbec. l. 17. ff. tt. 2. pro ſocio num. 7.* 2. Si contrahatur ſocietas cum pacto jurato pro ſucceſſione, porrigetur ad hæredes, quamvis obſtarent leges civiles. Nam juramenti Religio facit, ut in omni eventu, quo absque injuria divini nominis, & conſcientiæ damno ſervari poteſt, ſervetur. Et regula, quæ contra bonos mores præſtitum juramentum pronunciat invalidum eſſe, non de bonis moribus politicis, ſed naturalibus ac divinis intelligitur, quemadmodum in Comm. *de Reg. Iuris in 6. ad Regul.* 58. *docuimus. Molin. Diſp. 414. Filliut. tract. 38. c. 2. num. 29. Bald. Conſil. 109. l. 2. Angel. de Peruſio Conſil. 60. Roman. Conſil. 171. Palao Diſp. 8. pun. 12.*

VIII. Ex contractu hæc actio oritur cuilibet ſociorum pariter conveniens tam durante, quàm diſſoluta ſocietate. *l. actione §. pæn. & l. ſi quis univerſorum ff. pro ſocio.* Actio directa, inquam, ut ſi agatur contra conſortes, ne à convento fœdere recedant, eò quòd non expediat: item ut communicetur, & conferatur, quod acquiſitum eſt: ut ne pacta violentur. *l. ſi fratres §. 1. l. cùm ſocietas eod.* Poſt diſſolutam ſocietatem quoque plures ſunt cauſæ agendi, & inprimis, quia contractus hic bonæ fidei eſt *l. in propoſita ff pro ſocio, dolus, & culpa inter ſocios præſtatur l. cum duobus ff. eod.* & pro eo, quod factum non eſt dolo ſocii, vel pro eo, quod impenſum eſt, datur. *l. ſi fratres ff eod.* Eadem actione cogitur ſocius omnium bonorum, conferre in medium univerſa, quæ acquiſivit. *l. 1. §. 1. & l. actione §. ſocium ff. eod.* Nam quicquid impenſum eſt occaſione ſocietatis, & omne damnum incidens ſine culpa alicujus communicatur admodum lucri. *l. ſi unus ex ſociis, l. ſi fratres l. omnes alienum ff. eod.* Concurrere etiam aliæ actiones poſſunt, ex eo, quòd pactum, factumve eſt, ut præſcriptis verbis. *l. ſi margaritam ff eod. Furti. l. rei communis cum 2 ſeq. eod. legis aquiliæ l. ſed etſi eod. ſi plagium fiat l. merito eod.* Item eſt hæc actio pro ſocio rei quoque perſecutoria. l. ſed actione eod. *V. Tholoſan. l. 27. c. 4. Tuſchus Concluſ. 307. Oldendorp in Progymn. Claſſe 4. act. 21. VVeſenbec. l. 17 ff. tt. 2. num. 12. Conan. l. 7. c. 13. num. 10.*

IX. Haud levis quæſtio eſt, quomodo lucrum dividendum ſit, quando unus pecuniam verbi gratia 1000. aureorum contulit, alius verò operam tantùm, & induſtriam? Omiſſis DD. opinionibus, quæ plurimùm diſcrepant, cenſeo non ipſum capitale, ſeu pecuniam collatam, ſeu lucrum duntaxat inter ſocios dividendum eſſe juxta æſtimationem operarum ex conſuetudine loci, vel arbitrio prudentis, & boni viri.

Nam 1. pecunia in ſocietate confertur non eo fine, ut quoad ſubſtantiam, & totam æſtimationem ſuam aliis cedat, ſed ſolummodò, quoad uſum, & commodum, ſive ut vulgò dicimus interuſurium: quam ob cauſam ſi pereat quocunque caſu fortuito nulli, quàm Domino ſuo & conferenti perit. Convenit igitur eidem manere integram diſſoluta Societate, dividi autem lucrum ex ea, & aliorum induſtria partum habita ratione commodi utrimque & per pecu-

 niam,

niam, & per induſtriam comparati.

2. In Societate animalium, quando unus certum numerum ovium confert, alius verò operam & induſtriam ad paſcendum illas, finitâ Societate non oves, ſed lucrum dividitur juxta æſtimationem laborum. Idem ergò faciendum erit, cum alius pecuniam, alius operam ſuam impendit.

3. Accedit auctoritas multorum DD. tam Juris, quàm Theologiæ quos citant, & ſequuntur, qui hæc latius explicant. *Molin. Leſſius. Azor. Filliut.* Denique à *Sixto V.* definitum legimus in Conſt. *Deteſtabilis*, ſortem, quæ quæ extat finitâ Societate, eſſe reddendam ei, qui in commune contulit.

X. Verùm occurrit ſtatim objectio, non ſervari in iſto modo æqualitatem, cùm ſumma capitalis ſalva & integra maneat conferenti: ille verò, qui operam impendit, certò & ſemper amittit. Sed reſpondetur 1. operam non perire, ſed præterire, manere autem id, cujus gratiâ fiebat, lucrum, & utilitatem: quia ut diximus, æſtimatio facienda eſt ex regulis juſtitiæ diſtributivæ, ut tanta ſit lucri portio, quanta operæ & laboris fuit. Si dimidio æquat lucrum pecuniæ, dimidium habebit, ſi tertiâ parte, tertiam partem, & ſic deinceps. At, *inquis*, labor moleſtiam adfert, cujus gratiâ plerisque inamabilis eſt; pecuniæ collator omni moleſtiâ vacat. Eſto, nihil hic tamen iniqui. Non eſt enim neceſſarium, ut omnium ſociorum eadem conditio, & nulla differentia ſit; ſed id, in quo unius labor excedit; æſtimandum & compenſandum eſt. Conferens pecuniam, laborem corporalem non impendit, ſuſtinet tamen periculum amittendæ ſortis, & caret alio lucro quod ex præſenti pecuniâ capere poterat. Tam hoc pretio æſtimabile eſt, quàm labor, & induſtria qualiſcunque. Hæc duo igitur à parte conferentis pecuniam conſideranda ſunt, æſtimatio periculi, ſeu pretium aſſecurationis capitalis, & æſtimatio lucri ex pecunia ſi præſens eſſet, ſperati. Unde *Sotus l. 6. quæſt 6. art. 1.* non benè ſolum pretium periculi ſortis attendendum eſſe dicit, quaſi nihil aliud pateretur, qui pecuniam poſuit. Nam ſi ita fieret, is qui verbi gratia decem millia poneret ad negotiationem, in quâ nullum, vel valdè exiguum periculum metuitur, nec æſtimatur niſi 100. florenis, non poſſet plus lucri capere, quàm ille, cujus induſtria tantundem valet, quamvis commune lucrum eſſet quatuor, aut quinque millium, quod neque uſitatum neque juſtum eſt. Quamvis enim pecunia in ſe ſpectata ſolum ſterile ſit, nihilominus quando ad negotiandum confertur multum fructum adfert, fortunatos atque induſtrios locupletat, & idcirco per univerſum mundum maximoperè appetitur etiam cum detrimento bonorum ſpiritualium, ubi illud in uſu

O cives, cives, quærenda pecunia primùm eſt
Virtus poſt nummos.

V. Cardin. Lugo Diſp 30. Sect. 2. num. 15. & ſeqq Navar. c. 17 num. 257. Leſſius c. 25. Dub. 2. Filliut. tract. 38. c. 3. num. 49. Tuſchus Concluſ. 285. Abb. Conſil 77 Bald. Conſil. 304. Non eſt novum l. 1. Angel. V. Societas §. 1. num. 17. Silveſt. §. 1. num. 9. Armilla num. 12. Tabiena V. Uſura §. 3 num. 3. Franc. Marcus part. 1. Deciſion. aur. quæſt. 889. Ludov. Lopez

Digitized by Google

Lopez part 2. Inſtruct. c. 72. pag. 453. Palao Diſp 8. pun. 5 Binsfeld. in c. Naviganti. de Vſuris quæſt. 7.

§. II.
De Fidejuſſione.

I. FIdejuſſio *eſt alienæ obligationis ſuſceptio, per quam quis obligat ſe, ad eam implendam, quando principalis debitor defecerit.* Supponit ergò obligationem principalis, non quòd hæc tempore debeat præcedere, ſed quia dependet ab obligatione, vel præſenti, vel futura debitoris primarii. *Molin D. 539. num. 1. Azor. c. 12. VVeſenbec. l. 46 ff §. 1. Melonius in Theſau. iur. feud. tt. 17. num. 1* Securitatis cauſa à creditoribus inventa eſt, ut unius defectio & inopia ab aliis ſublevaretur. §. 1. *Inſtitut. de fidejuſſ. Onnatus Diſp. 52.* Verbis perficitur, & ſtipulatione: aliàs in foro civili non pareret actionē quamvis Jure Canonico ſufficiat conſenſus quomodolibet expreſſus. *l. Blanditus C. de fidejuſſ.*

II. Alia eſt judicialis, alia extrajudicialis. Judicialis eſt, qua quis obſtringit ſe ad ſiſtendum reum, aut debitorem in judicio, quando opus erit, aut requiſitus fuerit. Et hæc iterum duplex. Una, qua fidejuſſor tantùm obligat ſe ad ſiſtendum reum, aut debitorem in judicio ad litis exercitationem, quod ubi factum, & judicium finitum eſt, obligationi ſuæ fidejuſſor ſatisfecit. Altera, qua obligat ſe ad ſolvendum, quod fuerit judicatum, vi cujus obligatus manet, donec ſatisfactum fuerit creditoribus. *l. Gracè §. & poſt litem ff de fideiuſſ. VVeſenb. l. cit. num. 4.* Extra judicialis fidejuſſio eſt, quando extra judicium quis obligat ſe ad ſolvendum alterius debita. *Azor III. l. 11. c. 22. §. Tertio eſt notandum. Onnatus lo. cit. Sect. 4.* Olim creditori liberum erat, utrum mallet, primò convenire, fidejuſſorem, aut principalem. *l. Iure noſtro & l. Non recta C. de fideiuſſ* Poſteà verò correctum eſt, ut nimirum præſens & ſolvere potens debitor primò, & poſt ipſius defectum cognitum fidejuſſor appelletur. *Auth. præſente C. de fideiuſſ. & communiter DD. apud Gaill. l. 2. obſ. 28.* Excipe, niſi conſuetudo contrarium velit, qualem in Auſtria eſſe tradit *Gaill. l. cit. obſ. 27. num. 29.* ut neceſſario fidejuſſor poſt moram ante principalem, ſine diſcuſſione conveniatur. Item, quando notoriè conſtat, principalem non eſſe ſolvendo. *DD. in Auth præſente.* Quando autem dubitatur, excuſſio facienda eſt. *Schneidevvin. l 3. Inſtitut. tt. 21. Barb. in c. pervenit de fideiuſſor.* Denique conveniri poteſt ante principalem, ſi convincatur mendacii, quo ſe fidejuſſorem eſſe negaverit. *Bald. in Auth. Contra qui propriam. C. de non numer. pecu. per text. in l ſi dubit. § ita demū ff. de fideiuſſ.*

III. Quia ſponſio, & fidejuſſio periculo non vacat, ſed damnum minatur, juxta vulgare illud. *Sponde, præſto noxia eſt,* ideò non permittuntur omnes fidejubere, ſed excipiuntur indemnitatis cauſa *1.* muleres. *to. tt ff ad S. C. Velleian.* Nam fidejubere non poſſunt pro marito, pro aliis verò poſſunt cum publico inſtrumento, & tribus teſtibus. *l. antiquæ §. fin. C. eod.* Verùm obligatio inde contracta tollitur per exceptionem S. C. Velleiani, ex quo etiam in conſcientia aſſecurantur. *teſte Gomeſio Tom. 2. cap. 13. num. 16.* Quo tamen non licebit uti,

Digitized by Google

ſi qua illi coram Magiſtratu expreſsè renunciarit, vel ſi juramentum addiderit, aut pretium pro fidejuſſione acceperit. Lugo *Diſp.32. Sect.1.§.1.* 2. Excipiuntur milites. *l. milites 31. C. de locato & condu.* 3. Servus extra rem peculiarem. *l. Servus 20. hoc tit.* Pupilli autem, & minores auctoritate tutorum, ac curatorum rectè fidejubent, ſed reſtitui in integrum poſſunt. *l. ſi Titius ff hoc tit.* eoque pro idoneis fidejuſſoribus non habentur. *l. de die ff qui ſatiſdare cog.* 4. Clerici non poſſunt fidejubere in præjudicium Eccleſiæ, poſſunt verò in damnum proprium, ſaltem ex conſuetudine *Leſſius c. 28. num. 19.* quæ videtur derogaſſe antiquis Canonibus. *c. Te quidem 11. quæſt. 1.* 5. Nec profeſſus in religione approbata abſque ſuperioris ſui conſenſu, aut majore capituli parte. Aliter factum ſi fuerit, Monaſterium non tenetur, niſi quatenus in ipſius verſum eſſet utilitatem. *c. quod quibuſdam de fidejuſſor.* Quin etiam ne ſuperior quidem fidejubere poteſt, abſque conſenſu Capituli, niſi in re parva, de qua per ſe poſſet diſponere. *Onnatus Sect. 5. Azor lib. 1. num. c. 22. quæſt. 3. Silv. num. 4. Leſſius c. 28. num. 20. Barb. in c. quod quibuſd. de fidejuſſ.*

IV. Fidejuſſori abſque peccato, & periculo uſuræ pretium petere, & accipere licet pro fidejuſſione. Onus enim eſt fidejuſſio, quod æſtimari nummo queat. *Cajetan. in 2.2æ. quæſt. 78. art. 2. ad 4. Soto l. 6 quæſt. 1. art. 2. Silv. quæſt. 17. Navar. c. 17 num. 287. Azor loco citat. Dub. 5. Filliut. tract 38. c. 8. num. 159* Quod verum credo, quamvis nullius damni periculo ſe exponat. Pretium namque pro obligatione ſolvendi recipitur, quæ obligatio cùm civilis ſit, & conſequentiam annexam habeat, eventus non ſperati, communi hominum ſenſu prĕtio æſtimabilis eſt. Fieri tamen per accidens poteſt, ut nihil exigere queat pro fidejuſſione. Primò quidem, ſi ita ſtipulatum eſſet, vel ſi dividendum ex conventione inter ipſum, & creditorem, quod ſolvitur: Deinde ſi omne periculum abeſſet. *V. Binsfeld. in c. Naviganti de uſuris quæſt. 2. Covar. l. 3. Variar c. 2. num. 6 Silv. quæſt. 17. Angel. num. 20. Armilla num. 15. Tabiena num. 16. Emm. Sa. num. 1.* Creditor quoque, ut *Binsfeld. notat loco citat. Concluſ.* 3. exigere à fidejuſſore poteſt aliquid, ut ab obligatione illum liberum pronunciet.

V. Cùm plures fidejuſſores pro indiviſo ſe obligarunt, in ſolidum ſinguli tenentur. Ei tamen, qui interpellatur, excipere licet, ut quilibet pro ſua quota conveniatur, puta, ſi tres ſpopondiſſent pro debito 3000. quilibet non niſi pro mille flor. obligatus eſt, remittendo creditorem ut à duobus reliquis duo millia exigat. *l. inter fideiuſſores ff. hoc tt. l. non rectè C. de fideiuſſ. eod. Leſſius loco cit. D. 3. num. 21. Lugo §. 2. n. 16. Laym. l. 3. tr. 4. c. 29. n. 8.* Sed prædictam exceptionem opponere debet ante ſententiam definitivam qua imperatur ſolutio. Nec competit ei, qui vel ultrò, vel compulſus per ſententiam definitivam ſolvit, vel tali privilegio renunciavit. Quòd ſi totum ſolverit, unus de fidejuſſoribus, creditorem cogere poteſt ad cedendam ſibi actionem contra reliquos, exigendo à ſingulis quotam conſtitutam; à debitore verò non tantùm id, quod ex ſua obligatione expendit, ſed etiam compenſationem damno-

Digitized by Google

damnorum, quæ propter ipſum vel ipſius culpa paſſus eſt. *l. ſi fideiuſſores 42. §. Idem reſpondit. l. fideiuſſorib.* 18. *l. Cùm is.* 37. *ff. h. t.* Sed priuſquam ſoluerit, actio non cõceditur fideiuſſori contra principalem, niſi vel de eo expreſſe convenerint, vel dilapidare bona ſua incipiat, vel ipſe fideiuſſor condemnatus ſit. *l. ſi pro ea. C. mandati,* aut diu in obligatione ſteterit. *l. Lucius.* 38. *C. eod.* quod arbitrio iudicis æſtimandum eſt. *Bald. in di. l. ſi pro ea. n.* 12. *Lopez l. 8. tit.* 12. *par.* 5. *Matienz. l.* 5. *tt.* 16. *Onnatus diſp.* 53. *Sect.* 5. *Gomez l.* 2. *Var. Reſol c.* 13. *n.* 15. *VVeſenbec. hoc tt. n.* 6. *Meloninis lo. cit. num.* 33.

VI. Fideiuſſorum obligatio deſinit. 1. per ſolutionem vel remiſſionem ipſius debiti. *l. Cum is. l. Modeſtinus ff. de ſolut.* 2. per novationem *l.* 4. *C. eod.* 3. protogatione termini, de qua *V. Iaſon. in l.* 1. *C. de iudic. & ff tt. de novat.* abſque novo fideiuſſorum conſenſu facta. 4. per ſententiam definitivam. *Caſtr. & Iaſon n.* 19. *de iureiur.* 5. obligationis diuturnitate. *l. ſi pro ea C. Mandati.* 6. repræſentatione principalis rei ſemel facta, niſi aliter conventum ſit. Denique partium conſenſu. *Inſtit. quib mo toll. oblig. VVeſenb. l.* 46. *Digeſt. tt.* 1. *ci. fin. Vallens. l.* 3. *tt.* 5. §. 2. *Connanus l.* 6. *c.* 7. *Lugo. Diſp. cit. Sect.* 1. §. 2. *num.* 22. *Schneidevv. l.* 3 *Inſt. tt.* 21. *Barb. in c. Eum, pro quo de fideiuſſ. Gaill. l.* 2. *obſerv.* 29. *num.* 11. *Onnatus Diſp.* 52. *Sect.* 13. *Silveſt. num.* 12. *Armilla num.* 14. *Treutler. Vol.* 2. *Diſp.* 28. *num.* 7. *Gomez l.* 2. *Var. Reſol. c.* 13. *num.* 20. *Melon. lo. cit. num.* 47.

§. III.
De Pignore & Hypotheca.

I. PIgnus accipitur latè, & ſtrictè. Latè acceptum *eſt res qualibet obligata pro debito, ut inde ſatisfiat creditori, quando debitor non ſoluit.* Contractus pignoris *eſt conventio, qua aliquid creditori in ſolutionem debiti obligatur, ut in defectu per id ſatisfiat creditori.* Vnde ſolo externo conſenſu perficitur. *l. Contrahitur. l. creditor ff. de pignore.* Pignus ſtrictè acceptum eſt res mobilis prædicto modo ſubiecta, & tradita creditori, vel eius loco alteri. Contractus verò eſt idem qui ſupra, modo addas particulam, facta traditione creditori, aut eius loco alteri. *Inſtit. de oblig. §. furti. l.* 9. § 2. *ff de Pignorat. actione Leſſ c.* 28. *D.* 5. *Layman l.* 3. *Tr.* 4. *c.* 30. *n.* 1.

II. Hypotheca latè accepta, & contractus hypothecarius eodem modo, quo pignus, & contractus pignoris accipitur. Strictè verò eſt res immobilis ſubiecta modo prædicto non facta traditione rei ita obligatæ, & Contractus, quo res creditori in debiti ſolutionem obligatur non facta traditione rei ita obligatæ. Vnde ſi in Statuto aliquo mentio fiat pignoris, & odioſum eſt, non comprehenditur hypotheca: comprehenditur autem, cùm non eſt odioſum. *Mol D* 528. *num.* 6. *Azo in ſumma l.* 8. §. 13. *Meloninis in Theſauro Iur. feud. tt.* 18. *num* 1. Hinc colligi poteſt in Pignore ſex eſſe ſubſtantialia, quorum. *Primum* eſt, ut præcedat aliqua obligatio, non enim contrahitur pignus niſi propter aliquam obligationem. *Secundum*, ut res certa adſit, quæ pignori obligetur: quod

in hypothecâ non requiritur, quæ non eſt tradenda creditori, quemadmodum pignus. *Tertium*, ut creditor fructus in ſortem computet, ſive illi extent, ſive non. *Quartum*, Creditor tenetur de dolo, culpa lata, & levi in pignore. *Quintum*, in qualibet obligatione abſolutè vel conditionatè conſtituitur pignus. *Sextum*, quod pro uno pignus datum eſt, pro alio debito retinere poteſt. *Azor 3.c.12. VVeſenbec.l.* 20.*Digeſt.tt.*1.*Trentler.Vol.*2.*Diſp.*1.*nu* 1. *Fill.Tr.*38.*c.9.q.*8.

III. Pignoris vulgò tres ſpecies numerantur. 1. vocatur pignus conventionale, quod conſenſu & conventione conſtituitur. *l.1. ff de pignorat. act.*

2. Prætorium, *to. tt. C. de prætor. pignor.* quod prætor decreta miſſione poſſeſſioneque bonorum inducit. 3. iudiciale, captis à iudice pro re iudicata pignoribus. *l. à Divo Pio* 15. C. *de bonis auctoritate Iudicis poſsidendis.* Eſt etiam hypotheca alia generalis, videlicet omnium bonorum: alia ſpecialis, nimirum unius rei. *l. fin. C. quæ res pignori* Item alia tacita, alia expreſſa. *l. 2. 3. 4. ff. de pactis.* Tacita vocamus, quæ legis diſpoſitione fit. Porrò non intereſt, quibus verbis côtrahatur: nec ſimpliciter ſcriptura neceſſaria eſt. *l. 4. ff. de pignor. VVeſenb.l.*20.*Dig. tt. 1. Neguſantius par. 3. membro 2. Leſſ. c. 28 dub. 6. Laym. l.3.* Tract.4.c.30. *Filliut.lo. cit.n.*70. *Silv. V.* Pignus *num*. 1.

IV. Hypotheca tacita multiplex eſt, & contrahitur 1. in bonis illius, qui fiſco debet ſeu principi. Excipitur minor, qui ſi quid à fiſco emerit, quod emptum eſt, ſolum pro pretio manet obligatum. Quando autem propter crimen bona confiſcata ſunt, non hypothecata, ſed debita fiſco, cenſentur poſt latam ſententiam.

2. Omnia mariti bona pro dote uxori hypothecata ſunt, ut fideiuſſorum quoque, ſi quos pro dote reſtituenda maritus adhibuit. Præfertur etiam hæc, & fiſci hypotheca aliis ſimili privilegio non munitis.

3. Si quis dotem alicui mulieri promiſit, donec fidem ſuam ſoluendo liberarit, bona hypothecata habet.

4. Tutorum & curatorum bona minoribus pro adminiſtratione hypothecata ſunt.

5. Idem de Eccleſia, quia minorum privilegio gaudet, dicendum, pro adminiſtratione nimirum illi Prælatorum bona obligata eſſe.

6. Similiter bona adminiſtrantium res civitatis, patris, qui adminiſtrat bona adventiria filii: defuncti item pro legatis omnia bona hypothecata ſunt.

7. Si uxori aliquid à marito vel propter maritum donatum fuerit, ipſo mortuo ad liberos communes pertinet: muliere verò iterum nubente illius bona omnia, quæ à tempore donationis acquiſivit, prioribus liberis pro ea re obligata manent. Si marito ab uxore vel propter uxorem donatum fuerit, eadem lege tenebitur.

8. Quod pecunia pupilli emitur, illi pro precio obligatum manet, & privilegium Prælationis habet ante alios, qui in eadem re hypothecam habent.

9. Rei conductæ fructus hypothecati ſunt domino fundi pro penſione.

10. Quæ invehuntur in conductum prædium, Vrbanum, vel ruſticum, domino prædii pro penſione, & damnis rei conductæ illatis obligantur; ſed quando prædium

Digitized by Google

prædium ruſticum eſt, debent inferre domino ſciente.

11. Si pecunia detur ad reparandum ædificium aliquod, illud pro ea pecunia hypothecatum erit, cum prælatione ante alias hypothecas etiam expreſſas, & priores in eodem ædificio conſtitutas, excepta uxoris pro dote. Idem de navi dicendum, pro qua emenda extruenda, & inſtruenda pecunia eſt mutuata: *contra Brenchorſt Centur. 2. aſſ. 76.*

12. Denique omnis res, pro qua cuiuſcunque neceſſitatis intuitu pecunia mutuò data eſt, obligata manet hypothecæ nomine. Et hæc ex Iure communi ſumpta ſunt: quæ ubique non valebunt, ſed particularibus legibus, aut conſuetudine utendum erit *Angel nu. 3.* Mol D. 438. *Schneidevv. l. 4 ff. 11, 6. Silv* V. *Pignus. n. 2. Azor III. l. 7. tt de pign. c. 3. Connanus l. 4. c. 16. Barb. in c. ex literis de Pignorib.* Treutler. *Vol. 2.* Diſp *1. nn. 4. 5. Inſtit quib. mod. re con. obl.*

V. Illæ res tantùm in pignus & hypothecam dantur, quarum liberam habemus adminiſtrationem qualeſcunque ſint etiã incorporales, ut cenſus, debita, vectigalia, iuriſdictio quoque. E contra oppignorari non poteſt. 1. eccleſia, cœmeterium, & ſepulcrum *l. 1. §. ul. ff quæ res pignori.* neque ius patronatus *c. Bertholdus de ſent. & re iud.* neque mobilia pretioſa cultui divino conſecrata excepto caſu neceſſitatis, de qua. *V. c. Hoc ius 10. q. 2. c. Aurum 12. q. 2.* 2. liberum hominem oppignorari non poſſe ex c 2 *de pignor* patet. Si tamen captus fuerit, ſeipſum in pignus dare poteſt pro pretio, quod nomine ipſius perſolvitur. Poteſt etiã obſes dari, præſertim in cauſa belli, ut pactis ſtatur. Si autẽ princeps, à quo traditus eſt, pactum violet, nõ poterit ideò interfici, mutilari aut flagellis cædi. Poteſt tamen bonis ſpoliari, detineri, & in ſervitutem abripi, ſi Chriſtianus non ſit. 3. non exponuntur pignori aut hypothecæ bona publica ſeu Communitatis, cuiuſmodi ſunt viæ, pontes, fontes, & ſimilia, quæ nec vendere licet. Eodem pertinent publica ſtipendia militum, & ſimilia *l. Stipendia C. de execut rei iudic.* Itẽ veſtimẽta militum, filiorum & alia id genus neceſſaria. M*elon l. cit. nu 49.* 4. nec inſtrumenta aratoria, ut boves, aut alia animalia ad arandum deſtinata, & ſervi aratores *l. executores. l. Agricultores. C. quæ res pignori. 5.* Spes eorum præmiorũ, quæ pro coronis athletis dantur, ne quidem ſi generale pactum de omnibus bonis pignori obligandis intervenerit. *l. Spem eorum* C. *eod. Beuther. l. de prælationib. c. 77. 6.* Rem alienam quamvis vendere liceat, non tamen pignori dare: quia pignus afficit rem ipſam, cum creditori detur, ut pro ſatisfactione illud vendere poſſit *Glo. in l ſi ſine V. Conſultum eſt. C. ad S.C.* V*elleianum. Azor. l. 7. c. 6.* Hugo *D. 32. Sect. 2. Connanus l 4. c. 13. nn. 6. Tholoſan. l. 23. c. 8. Barb. in c. Nullus presb. de* P*ignoribus.*

VI. Si res in pignus vel hypothecam tradita non maneat integra, ſed deterior fiat, non amittit obligationem ſuam, ſed in eo, quod reſiduum eſt, retinet. ex. g ſi domus ex parte corruat, vinea, vel hortus minuatur. *l domo ff. de pignorat act.* Imò totum, quod accreſcit cenſetur hypothecatum. Si tamen ab alio proveniat incrementũ illud & melioratio, qui rem illam forte emit, datur optio illi, ut vel ſolvat debitum uſque ad id-

quod,

quod res ſine tali augmento valere poterat, vel à Creditore accipiat id, quod melioratio valere poteſt. *Mol. diſp.* 533. *Lugo n.* 32. *Leſſ. c.* 28. *dub.* 6.

VII. Obligationes ex pignore à parte debitoris tres ſunt. *Prima*, ut omnes impenſas ſoluat, quas creditor in conſervando pignore fecit. *l. ſi ſervos ff. de pign. Glo. in c.* 1. *de Vſura.* Intellige de impenſis non voluntariis, ſed neceſſariis. *Glo. & Bart. in di. l. ſi ſervos.* Convenit etiam, ut ferat impenſas utiles, modò immoderatæ non ſint. *Secunda* obligatio eſt, ut rem uni oppignoratam non det alteri in pignus. Hoc enim nec abſque ſuo, nec alterius damno fieri poteſt. *Melon. l. cit. n.* 23. *Tertia*, ut pignus nõ repetat, antequam ſatisfactum creditori ſit. Nec ſufficit etiam maiori ex parte ſoluiſſe, ſed pro minimo, quod reſtat, à creditore retineri poteſt. *l. Quamdiu* C. *de diſtract. pign.* A parte creditoris quinque obligationes reperiuntur. *Primò* Curandum illi eſt, ne pignus pereat, aut deterius reddatur. Cogitur enim damna pignoris compenſare. *l. ſi cùm venderet* §. *Venit autem ff. de pignor. act.* Melon. *l. cit. nu.* 15. *Secundò* non poteſt uti pignore; allas furti actione tenebitur. *l. ſi pignore* 54. *ff. de furtis. inſt. de oblig. quæ ex delictis naſcuntur.* §. *placuit.* Excipe 1. ſi talis uſus eſt, qui inter amicos liberaliter concedi ſoleat. 2. ſi per uſum nihil damni infertatur. 3. ſi in gratiam debitoris fiat, ut conſervetur, aut melius reddatur. *l. Creditor. ff. de pign. Tertiò* reſarcire debet damna pignoris, quo uſus eſt. *l. Creditor.* C. *de pignor act.* puta ſi equum debilitavit, ancillam proſtituit, & ſimil. *Quartò* fructus rei oppignoratæ, qui ſolius induſtriæ non ſunt, de quo fuſius infra, in ſortem, hoc eſt, pro parte ſolutionis facta computabit. *l. Creditor l. ul.* C *de pignor. act. l. ſi pignore ff eod. Quintò* ſoluto integrè debito pignus reſtituet ei, à quo accepit illæſum, & nihilo minutum. Neque enim alio fine datum eſt, quàm ut de ſolutione facienda caveretur. *VVeſenbec. l.* 21. *tt.* 6. Interea verò creditori permittitur acceptum pignus alteri dare, & ſecundam oppignorationem facere, quæ duret tamdiu, donec extinguatur prima. At ſecundus creditor repetito pignore, aut ſolutionem, aut pignus aliud depoſcet. *l. Cùm debitore iun Glo fin.* C. *de pign. act. Laym. l.* 3. *tr.* 4 *c.* 31. *n.* 4. *Palao diſp.* 4. *pun.* 19.

VIII. Fructus quod attinet, ſi creditor ex re pignori data percepit, aut debuit, & culpa ſua neglexit, ipſo iure debitum minuunt, & computandi ſunt in ſortem, ac ſolutionem. *l.* 1. & 2. C. *de pignor act. l. ſi pignore in princ ff. de pignor. act. VVading. D.* 6. *d.* 9. §. 2. Impenſarum verò habenda ratio eſt, quas ex neceſſitate (non voluptate & ſuperfluè) creditor impendit. *l.* 1. *C. de fructib. & litis expenſis. l. fructus in princ. ff. Solu. matrim. VVeſenbec. l.* 20. *ff. tt.* 1. *nu.* 5. In Iure Canonico tres potiſſimùm cauſæ ponuntur, ob quas creditor fructus computare pro ſolutione non tenetur. *Prima eſt*, ſi pro dote uxoris ſibi promiſſa maritus acceperit prædium, domum, aut aliam rem, ut ex ea fructus colligat, donec dotem accipiat, eiuſmodi fructus in ſortem non tenetur computare, quia pro alimento uxoris, & matrimonii oneribus dantur *l. pater. ff. doli mali & met. except. & c. Salubriter. de Vſur.* de quo fusè *Binsfeld* *Tract. de Vſur. Q. un. Secunda eſt*, quando fundus, aliave res ab eccleſia, feudi nomine datur, quam rem

rem deinde eccleſia in pignus accepit ab eodem, tunc fructus retinet, donec ſibi integrè ſatisfactum fuerit. *c.1. de feud & c. Conqueſtus. de Vſur.* quia in hoc caſu dominium directum cum utili conſolidatur. *Tertia* cauſa eſt, quando pignus cenſetur in bonis illius, cui datur. Eſt V.g. equus tibi furto ablatus, quem fur Titio ignoranti furtum donavit: is eum pignori dat tibi pro pecunia mutuata, fructus ex illo perceptos non teneris in ſortem computare, quia ex re tua proveniunt. *c. 1. de Vſur. Barb in c. cùm contra. de pignor.*

IX. Quamvis in emptione legis commiſſoriæ pactum admittatur, in pignoribus tamen utroque iure prohibitum eſt, ut nimirum debito non ſoluto ad præfixum diem pignus in dominium creditoris tranſeat. *l ul. C. de pactis pignor. & c. ſignificante, de pignor. Leſſ. c. 20. nu. 133.* Sed cur in emptione, & non in pignore permittitur? Quia licet pro non empta habeatur res propter non ſervatam fidem, nulla iniuria emptori fit: fieri autem in pignore poteſt, ſi illud, quod non rarò accidit, maioris pretii ſit, quàm pecunia debita. Quibus verò modis pactum legis commiſſoriæ in pignoribus contrahi poſſit, explicat pluribus. *Azor. l 7. c. 10. §. ſed quib. Barb. in c. ſignificante de pignorib. Silv. V. Pignus n. 6. Laym l. 3. tr. 4. c. 30. n. 6.* ubi addit, iuſtum fore pactum, ut non facta ſolutione pignus creditori vendatur, iuſto tunc pretio ſecundum boni viri arbitrium. *l ſi fundus. § ult. de pign. Abb. in c. ſignificante. h. tt.*

X. Pignus, & hypothecam generatim loquendo reali ſatisfactione, vel etiam ſolo creditoris conſenſu & condonatione ceſſare ac liberari notiſſimum eſt. *l. ſi probaveris. C de remiſ. pign l. item liberatur ff. quib mo. pignus, vel hypo ſolvatur.* Sed in ſpecie plures modi ſunt extinguendi obligationem, & recuperandi datum.

1. Si conventio fiat de non petenda pecunia debita. *l. Solutum. § ſi quaſi ff de pignorat. act. & l. ſi tibi. §. de pignore. ff. de pactis.*

2. Alienatione ipſius facta cum creditoris conſenſu. *l. ſi conſenſit ff. quib. mod. pign ſolv. l ſi probaverit. C. de remiſſ. pign. niſi creditor* ſalvâ ſui pignoris cauſa in alienationem conſenſerit.

3. Finito, & exacto tempore, pro quo datum fuerat. *l. Item liberatur. ff. quib. mod. pignus, vel hypotheca ſolvatur.*

4. Si cum conditione datum eſt, & illa deficit. *l. ſolutum. § ſi quaſi. ff de pignorat. act.*

5. Quando debitor per ſententiam Iudicis ab omni debito abſolvitur. *l. ſi deferente ff. quib. mod. pign. ſolu.*

6. Si ad inſtantiam creditoris debitor iuret ſe nihil debere. *l. ſi ead. deferente.*

7. Si debitor ſui creditoris creditori cum illius conſenſu ſoluerit: aut alio quolibet modo ſatisfecerit. *l ſolutus. § ſolutum. ff. de pignor act.*

8, Liberatur pignus redditione inſtrumenti publici, aut ſcripturæ, ubi conſignatus eſt contractus, & pecunia credita continetur. *l. Labeo ff de pact.*

9. Idem fit per emptionem, ſi creditor à debitore pignus emerit. *l. Titius ff quib. modis pignus ſolu.*

10. Et per novationem *l. ſolutum ff. de pignorat. act.* Novationem voco prioris debiti in aliam obligationem translationem, quando ex præcedenti cauſa ſic no-

Digitized by Google

va conſtituitur, ut prior extinguatur. *l. Novatio ff. eod.* Vt autem finiatur novatione pignus, debet novatio eſſe voluntaria, non neceſſaria, qualis eſt, quæ fit per litis conteſtationem, vel ſententiam Iudicis. *Glo. in l. ſolutum. ff. de pignor. act.*

Denique per exhibitionem debitæ pecuniæ à creditore recuſatæ. Vt ſi debitor eam offerat creditori, eoque renuente coram teſtibus fide dignis deponat in marſupio obſignato, apud hominem fidelem, vel locum religioſum. *L. Nec creditores. ff. de pignorat. act. Azo in ſum. l. 8. §. 25. Molin de Vſuris. q. 47. nu. 338. & q. 49. num. 344. Vegus. Par. 3. memb. 1. Azor l. 7. c. 14. Menoch. l. 3. Præſumpt c. 140. Treutler. Vol. 2. Diſp. 1. num. 9. V Veſenbec. l. 21 ff. tt. 6. Schneidevvin. in l. 3. Inſt. tt. Quib. mod. re contrah. obligatio. §. Creditor quoque num. 16. & ſeq.*

XI. Duæ actiones ex pignore naſcuntur, Pignoratitia, & Hypothecaria. *Soacius l. 4. Inſtit. tt. 6.* Pignoratitia eſt actio perſonalis, ut dicitur in *l. ult. ff. de diſtract. pignor.* Hypothecaria eſt realis, ut colligitur ex. *l. Eos.* C. *qui priores in pignore habeantur. & l. pignoris. ff. de pignor.* Ratio eſt, quia omnis actio, quæ ex contractu, vel quaſi contractu naſcitur; item quæ ex delicto, vel quaſi delicto, perſonalis eſt: ac proinde in perſonam primò, deinde in rem ratione perſonæ, quæ contraxit, aut deliquit, dirigatur. Hypothecaria verò realis nominatur, quia oritur ex iure in rem, quod creditor acquiſivit, repetendam ſcilicet ſi ei fuerit ſublata. Conſtat enim realem eſſe actionem, quæcunque ex dominio, vel iure in rem, provenit, quæ eatenus vindicator. *Oldendorp. Claſſe.* 3. *Actione* 10. *Schneidevv. h. tit. num.* 15.

Iterum pignoratitia actio duplex eſt, Directa, & Contraria. Directa competit debitori, qui poſt omnimodam debiti ſolutionem, repetit à creditore pignus. *L. ſi rem alienam. §. Omnis. ff de pignor. act.* Omnis pecunia, (*ait Vlpianus*) exoluta eſſe debet, aut eo nomine ſatisfactam, ut naſcatur pignoratitia actio. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non ſit ſolutum. Igitur ſatisfactione præſtita adverſus creditorem procedit debitor. Deinde eum quoque, qui accepto pignore non numeravit pecuniam, vel non eſt ſecutus, & perfectus contractus, ex quo debitor voluit obligari pignus. Item illum, qui dolo vel culpa quacunque damnum pignori intulit. Ea enim quæ diligens paterfam. in rebus ſuis præſtare ſolet, à creditore exiguntur. *l. ei.* C. *de pignor. act.* Denique ſi pluris vendidit pignus, quàm debitum eſt. *l. eleganter. §. ſi vendiderit ff. eod.* vel, ſi cùm venderet, convenit inter ipſum, & emptorem, ut ſi debitor redditurus eſſet pretium emptori, liceat ei recipere rem ſuam. *l. ſi cum venderet ff. de pignor. act.* Tranſit etiam actio hæc utrimq; in hæredes. Bonæ fidei eſt, nec admittit præſcriptionem, quia ceſſat bona fides in poſſidente alienum pignus. *Oldendorp claſſe 3. Act. 12.* Contraria actio competit creditori adverſus debitorem, qui rem alienam inſcio domino obligaverit, vel propriam alii prius obligatam, cùm utrique debito non ſufficeret, pignori dederit. Multò magis, ſi rem in publicum oppignoratam denuò obligaverit. Idem adverſus eum exercetur, qui æs pro auro pignori, vel hypothecæ dedit.

Digitized by Google

dedit. Nec refert utrum debitor fuerit conſcius, an ignoraverit talem defectum pignoris, per quem creditor decipiatur. Deceptus enim ſemper hac formula agere poteſt. *Oldend. l. cit.* Actio hypothecaria eſt creditoris ad poſſidendum pignus, ſibi obligatum. Aget propterea, ut illud retineat, ut ablatum recipiat, illud vendat, cùm præfixo tempore non ſoluit debitor. *Inſt. de act. §. Serviana.* Convenit etiam creditori contra tertium poſſeſſorem, & contra eum, qui à debitore emit. *l pignoris ff. de pign. l. distractis* C. *eod. Mynſing decade* 1. *Reſpon.* 9. *Broncoſt. Centur.* 3. *Aſſert.* 89.

XII. Sed quia non rarò contingit, unam rem pluribus oppignorari, quo ordine proſecutio, & diſtractio pignoris facienda ſit, inquiritur, Generalis, & uſu recepta regula eſt, potiorem eſſe in iure pignoris, cui prius eſt res obligata. *l. ſi pignus.* 8. *l. ſi & iure. lo ff. hoc tt. l. licet. C. eod. l.* 4. *C. ad Macedonian.* Neque intereſt, licet nonnulli contradicant, pignus conventionale, prætorium, aut iudiciale ſit. *l.* 2. C. *eod.* ſpecialiter, an generaliter res obligata ſit, expreſsè, an tacitè. *l. un.* C. R*em alienam gerentib. di. l ſi pignus.* 8. *ubi* DD. Ex aliis tamen bonis, ſi creditum deſumere queat is, qui generalem tantùm hypothecam habet, non conveniat ſecundo habenti ſpecialem præiudicare. Præterea non intereſt, privati ſint creditores omnes, an aliqui illorum privilegiati, ut pupillus, mulier, civitas, fiſcus, princeps. di. *l ſi pignus. l. fin. § fin. hoc tt.* Regulariter enim, quicunque primus eſt, præfertur: niſi aliud expreſsè per legem definiatur. Sic enim pupillus, mulier, & alii prœnominati præferuntur illis præcipuè, qui generalem tantum hypothecam habent. *Authent. de æqualitate dotis. Neguzant. Tract. de pignor. par.* 5. *membr.* 2. Pari modo, qui in morbum, funus, exequias crediderunt, & aliis etiam expreſſam habentibus anteponuntur. *Iaſon, & DD. in l fin. §. in computat. C. de Iure delib.* Item qui pecuniam dedit in rei oppignoratæ conſervationem, reparationem. &c. Item, qui ſervum ab hoſtibus redemit. *V. VVeſenbec. l* 20 *ff. tt.* 4. *Cod.* 8. 18. 19. *Mol. Diſp.* 336. *Laym. l.* 3. *Tract.* 2. *c.* 11. *num.* 4. *& ſequ Petrus à S. Ioſepho l,* 4. *de iuſt. c.* 11. *Reſolut.* 6.

TITULUS XII.

De Contractibus, in quibus Fortuna miſcetur.

INvenit humana cupiditas modum, quo fortunam aliàs infidam, & infœcundam ſubiiceret ſibi, & lucrum inferre cogeret, miſcendo induſtriæ, cuius certi ſunt fructus Inde quatuor enati ſunt Contractus, Aſſecuratio, Sponſio, Sortes, & Ludus: de quibus iuxta methodum hactenus obſervatam breviter agemus.

§. I.
De Aſſecuratione.

I. ASſecuratio eſt *Contractus, quo alienæ rei periculum ſuſcipitur pro pretio, aut alio intereſſe.* Dicitur 1. *Contractus*, quia obligationem reciprocam in paciſcentibus producit. Nam qui aſſecurat promittit ſecuritatem, qui aſſecuratur, promittit pretium, & ſoluit. 2. *Quo ſuſcipitur alienæ rei periculum*, ut intelligas materiam aſſecurationis eſſe res dubias, & periculis ſubiectas: ideò aſſecurans in ſe recipit periculum. 3. *Pro pretio.* Quamvis enim fieri gratis poſſit, communiter pretium intervenerit, & meritò, cum periculorum eventus varius & incertus, adeoque pretio æſtimabilis ſit. *Conrad. de Contr. q.* 1. *Garcias eod. c. 39. Summiſtæ V. aſſecuratio, & Negotiatio. Leſſ. c.* 28. D. 4.

Aliqui, ut *Silv. V. Negotiatio nu. 5. cum Baldo* reducunt ad contractum innominatum, *Facio, ut des.* Facio, *ait* aſſecurans, & præſto tibi ſecuritatem: reſpondet offerens pretium, *Do* pecuniam, ut me ſecurum reddas. Quod Contractus nominatos attinet ad Emptionem, & venditionem revocare licet. Aſſecurator enim vẽdit ſuſceptionem periculi, vel obligationem ſoluendi æſtimationem rei, ſi pereat, certo pretio. *Albernotius* vero quem Garcias ſequitur, reducit ad fideiuſſionẽ. Tria namque invenimus in hoc Contractu. 1. concurrit dominus rei aſſecuratæ, qui eſt inſtar creditoris, cui fideiubetur. 2. eſt res aſſecurata, quæ correſpondet debitori, conſideratur enim, quaſi ipſa obligata eſſet, ut perveniat ſalva in manus creditoris. 3. eſt aſſecurator correſpondens fideiuſſori, qui pro re aſſecurata, ut pro debitore ad ſolvendum obligat ſe, ſi ſalva non perveniat. Alii malunt ad locationẽ, & conductionem trahere quia aſſecurator locat operam ſuam in conſtituendo navim in tuto, & pro ea opera pretium accipit. Non intereſt demùm, quò trahas natura illius perſpecta. Meo quidem ſenſu nulli, quàm emptioni, & venditioni proximior eſt, ut facilè cuilibet naturam ipſius accuratè perſcrutanti patebit.

II. Ad huius Contractus iuſtitiam tria concurrant, neceſſe eſt. *Primò* ex utraque parte æqualitas, ut aſſecurator proportione periculum attenta pretium exigat, & aſſecuratus illud ratione periculorum ſolvat. *Secundò* ut eventus, de quo pactum initur, neutri parti manifeſtus, ſed dubius, & incertus ſit. *Tertiò* ut qui aſſecurat aliũ, verè habeat, unde ſatisfacere poſſit, per ſe, vel per alium: & qui aſſecuratur, reverè rem de loco in locum tranſmittat, nec mutet iter, exponendo rem maiori periculo, quàm conventum ſit: præterea eandem in rebus ſervandis diligentiam adhibeat, quam adhibuiſſet abſque aſſecuratione. *Mol. D. 507. Az. 3. l. 11. c. 18. D. 3. Soto l. 6. q. 7. Lugo D. 31. S. 7. nu* 93. Vnde ſequitur 1. quando aſſecurator certò novit merces in portum appuliſſe, vel aliàs ſecuro loco eſſe, non poſſe ſecundùm iuſtitiam, quicquam exigere Tunc enim obligatio ipſius nullam pretii æſtimationem meretur. 2. ſi quid acceperit eo nomine ad reſtitutionem teneri, uti ad expenſas contractus quoque, & damna inde enata, cùm horum omnium efficax cauſa ſit. Quod ſi in ſecuro res fuerit, ipſo ignorante, poterit exigere pretium iuxta æſtimationem eius periculi, cui ſe oppoſuit

Card.

Digitized by Google

Card. Tuſchus Concluſ. 537. & V. Securitatem Concl. 95. Leſſ. c 28. D. 4.

III. Ex adverſo, ſi mercator, qui mercium ſuarum conſervationem, & ſecuritatem quærit, eas jam tum periiſſe certò cognoverit, de aſſecuratione paciſci non poteſt: quia finis, quem intendit, impoſſibilis eſt, & aſſecuratio rem verſari in periculo ſupponit. At quamdiu dubium manet, ab aſſecurante aliquid recipere poteſt, pro periculo, cui exponit illud pretium abſque incommodo aſſecuratoris, uti poſſet, cùm res non periit; & ſi perierit, aliquid amplius repetere ſupra pretium datum. Quod omninò conveniens eſt. Nam quia aſſecurator lucrum habere poteſt in bona fortuna, dum res abſque ſuis impenſis conſervatur, etiam in contrario eventu æquum eſt, ut perdere poſſit, quod non fiet, niſi ultra pretium datum exigere aliquid amplius liceat. Filliut. tract. 37. c. 1. n. 5. & 6. Card. Lugo loco cit. n. 94. & ſeqq.

IV. Quia quatuor rerum genera ſunt, in quibus contractus aſſecurationis verſetur, quatuor illius ſpecies aſſignantur. In primo genere numerantur merces ſive in mari, ſive in terra. In ſecundo pecuniæ, ſive quando loco in locum tranſmittuntur, ſive aliàs debitæ, ut ſi tibi 1000. aureos debeat Cajus, & mercator ea aſſecuret pro conſueta penſione aureorum 50. In tertio eſt libertas, cum quis exempl. gratia mare navigans, metuenſque piratas curet ſibi aſſecurari libertatem. In quarto eſt vita. Sic beneficiarii, ut Bullas redimant, à mercatore accipiunt ſummam pecuniæ, quam ſolvant tribus aut quatuor annis: ſimul et jam pro eo tempore curant vitam aſſecurari, alioqui pecuniam mercator non vellet dare. Garzia c. 39 num. 11. Silv. V. negotiatio num. 4. Licet enim humanæ vitæ nulla vel nunquam ſufficiens æſtimatio aut pretium queat aſſignari, commoda tamen & damna, quæ ex illius brevitate, vel longitudine pendent, æſtimationi ſubjacent. Quocirca Reipublicæ multum proſunt mercatores illi, qui aliorum vitam aſſecurant. Cogitate Epiſcopum electum eſſe, & pro expeditione literarum pecuniam accipere poſt quinque annos reddendam, mutuator volet eſſe ſecurus, ut ſe indemnem ſervet, proque ea aſſecuratione meritò pretium exiget aſſecurator. Lopez l. 2. de Contract. c. 16. Azor loco cit. Dub. ult.

V. De pecuniæ aſſecuratione, an non uſuræ labe infecta ſit, aliqui dubitant. Titius mutuò dat pecuniam mihi eamque per loca periculoſa translaturo aſſecurat, & pretium exigit, an juſte? Negant Sotus, Cajet. Silv. & Navarrus apud Lud. Lopez part. 2. Inſtructorii c. 72. quibus favere creditur c. Naviganti de uſuris, ubi damnantur, qui ultra ſortem aliquid exigunt à navigantibus pro aſſecuratione pecuniarum. Sed Navarrus, in Comm. de uſuris, licet hunc ſenſum antiquum & propsium eſſe fateatur citati capitis, quod per ſusceptionem periculi rei mutuatæ uſura non tollatur. Monitos tamen eſſe vult Gregorium IX. non dicere, quòd prædictus contractus ſit uſurarius, ſed tantùm quod cenſendus ſit uſurarius, id eſt, talis præſumendus in foro exteriori, & velut uſurarius puniendus, qui ita contrahit; licet aliquando in conſcientia nō ſit uſurarius v. gr. in caſu, quo poſtquam abſolutè & abſque ſiniſtra intentione

mutuator pecuniam dedit, ad inſtantiam mutuarii, ſubierit periculum pecuniæ ſic mutuatæ; tunc ratione aſſecurationis iſtius periculi pretio æſtimabilis poterit licitè & abſque uſura petere & accipere aliquid ultrà ſortem. *Salas de Cambiis Dub.* 8. *Binsfeld. in c. Naviganti. de Vſur. quæſt.* 1.

VI. Contractum hunc fraudibus obnoxium eſſe in utraque parte manifeſtum eſt, ut meritò de illis excludendis *Soto moneat l. 6. q.* 7. licet melius faceret eas indicando. Sunt autem à parte aſſecurantis duæ, quarum prima eſt, ſi promittat aſſecurationem, nec habeat ſufficientia bona, ex quibus damnum, & jacturam mercium compenſet. Secunda, ſi pro illis rebus ſpondeat, quas certò novit extra omne periculum eſſe. Totidem modis fraudem facere poteſt, qui aſſecurandus eſt. *Primò* ſi rem ſuam periiſſe certò noverit, & tamen cum alio paciſcatur, ut illam aſſecuret. *Secundò* ſi loco ejus rei, quæ aſſecurata eſt, aliam ſubſtituat minoris valoris, vel etiam nullam. Sic enim propter materiæ & voluntatis defectum invalidus contractus redditur. Nam abſque conſenſu voluntatis, & re ſubſtrata pactum fieri impoſſibile eſt, ut ex *Titulo* 7. §. 1. conſtat. *Soto Garzia & Azor loco cit. Dub.* 9. *Leſſius loco cit. num.* 24. *& ſequ.*

VII. Obligatio aſſecuratoris eſt, ut ſi merces pro quibus aſſecurationem promiſit, ex toto aut parte intereant, illarum æſtimationem præſtet. Dico æſtimationem, quia non tenetur ad totum valorem mercium, ſed quanti æſtimatæ fuerint, vel lege & conſuetudine aliqua, vel particularibus pactis v. gr. trium, quatuor, aut quinque pro quolibet centenario. E contra aſſecuratus tenetur ad ſolvendum pretium aſſecurationis, de quo convenerat: præterea compenſare damna, quæ aſſecurator patitur in mercium interitu, cùm nulla ipſius culpa intercedit. Poterit autem ſi quid ex naufragio, vel direptione ſupereſt, illi relinquere vel alio modo ſatisfacere prudentum virorum arbitrio. *Fillius. tract.* 37. *c.* 1. *num.* 14. *Silveſt. V. Negotium quæſt.* 4.

VIII. Huc pertinet Contractus in Hiſpania conſuetus & frequens. Cùm bona magni pretii ſub haſta vænum exponuntur, promitti ſolet certa pecunia illi, qui pretium auxerit: hic pro illo pretio auget rerum venalium pretium intra juſti valoris terminos, quantum poteſt, & aſſecurat venditorem, quod deficientibus aliis ipſe emere velit. Non eſſe injuſtam hanc conventionem ex proportione, quam cum Contractu aſſecurationis habet, cognoſci poteſt: quia periculum, quod in ſe ſuſcipit aſſecurator pretio æſtimabile eſt, & ſupponimus juſtitiæ leges manere integras: quamvis evenire queat, ut bona expoſita ſummo pretio accipere cogatur, qui ad id fidem ſuam obligavit. *Azor loco cit. c.* 21. *Dub.* 3. *Card. Lugo loco cit. num.* 103.

§. II.

De Sponſione.

I. Sponſio eſt *Contractus, in quo duo de veritate vel eventu alicujus rei litigantes, ſibi invicem ſpondent aliquid, ut illius id fiat, qui veritatem attigerit. Lugo Diſp.* 31. *Sect.* 6. *num.* 73. Duo igitur in hoc contractu

tractu concurrunt, primum eſt rei incertæ indagatio cum præſumptione veritatem aſſequendi. Secundum, ex ea præſumptione eſt promiſſio præmii reſpectu adverſæ partis, cùm obtinuerit victoriam, cui à parte dantis reſpondet pœna, dum ſe privat eo commodo, quod fruſtra ſperabat. Eſt autem promiſſio non ſemper æqualis, ſed aliquando utrimque par, aliquando major unius, quam alterius. Sæpè etiam toto genere differt, ut ſi unus pecuniam, alius arma promittat. Sponſiones quoque concipi poſſunt circa futurum, præſens & præteritum. Circa futurum, ut, quòd Chriſtiani contra Turcas victoriam obtenturi ſint. Circa præſens, ut Summum Pontificem adhuc vivere. Circa præteritum, ut claſſem ex Indiâ feliciter appuliſſe. In his omnibus cùm incertitudo ſit, & cuique liceat ex ſuis indiciis conjecturam ſumere, de veritate illius certare, & promittere poteſt alteri, ſi victus ab illo fuerit, præmium, cum reciprocâ obligatione exhibendi. *Silv. V. Negotium Sanchez l. 1. Conſil. c. 8. D. 32.*

II. Eum, qui probabiliter ſcit, ſuam opinionem veram eſſe, & adverſarium decipi, cum eo non poſſe ſponſionem facere aliqui exiſtimant, propter defectum æqualitatis, quæ utrimque requiritur. *Molin. Diſp.* 508 *Garz. c.* 42. *Navarr. c. 20. num.* 18. Aliis non videtur illicita ſponſio, & lucrum inde ſperatum, modò certitudinem ſuam non occultet adverſario. Nam ſi ea cognita nihilominus inire pactum velit, ſibi damnum inde proveniens imputet *Azor* III *l.* 11. *c.* 19. *quæſt.* 4. *Rebellus l.* 16. *q. un. De ſponſione. Cotonius in Summa Diana V. Reſtituere num.* 40. Idem juris eſt, ſi qui certò ſciebat, poſtea dubitare incipiat. Exponit enim ſe alicui periculo amittendi, quamvis ob meram pertinaciam alter amittat.

III. Quæ ſponſiones conditionem illicitam habent, jam pridem legibus etjam civilibus reprobatæ ſunt. V. g. ſi duo concertent, uter alterum vincat edendo, vel bibendo. *l.* 3. *ff. de alea luſu, & aleatorib. l. x1. ff. tt.* 5. *Tholoſ. l.* 23 *c.* 3. *num.* 6. *Beneven. Straccha tract. de ſponſ. part.* 3. Lucrum tamen ex ejuſmodi ſponſionibus acquiſitum retineri à Victore poteſt, ſi abſque dolo, & fraude ſpopondit. Quamvis enim contrahentes malè agant, non peccant tamen contra juſtitiam, nec debito reſtituendi onerantur. Neque leges, quæ ejuſmodi contractus damnant, ad reſtituendum lucrum condemnant. *Azor loco cit. Dub.* 6. Hinc deducitur, ſi inter Titium, & Cajum ſponſione facta de curſu, vel ſaltu, ut victori præmium cedat, Cajus currere, aut ſaltare nolit, ad præſtandum Titio præmium teneri, eò quòd per eum non ſtat, quò minùs ſponſio adimpleatur. *Straccha de ſponſionib. ci. fin.* ubi aliud exemplum cum facetia conjunctum proponit. §. *Elegantem.*

IV. Mortuo Pontifice, & inſtituta de Succeſſore per Cardinales electione ſponſiones fiunt pro cujusque voto, & judicio, ſintne illicitæ, dubitatur? Non videntur illicitæ, ſi rem ipſam ſpectes, quia eventus dubius eſt, & quemadmodum ſuppono, in aliis æqualitas. Verùm prohibitas eſſe jure Eccleſiaſtico docet: *Bulla Pii IV. de reformat conclavis* ſuper elect. Romani Pontif. quæ incipit. *In eligendis Eccleſiarum Prælatis.* quam prohibitionem tamen non niſi in Urbe locum habere

mutuator pecuniam dedit, ad inſtantiam mutuarii, ſubierit periculum pecuniæ ſic mutuatæ; tunc ratione aſſecurationis iſtius periculi pretio æſtimabilis poterit licitè & abſque uſura petere & accipere aliquid ultrà ſortem. *Salas de Cambiis Dub.* 8. *Binſfeld. in c. Naviganti. de Vſur. quæſt.* 1.

VI. Contractum hunc fraudibus obnoxium eſſe in utraque parte manifeſtum eſt, ut meritò de illis excludendis *Soto moneat l.* 6. *q.* 7. licet melius faceret eas indicando. Sunt autem à parte aſſecurantis duæ, quarum prima eſt, ſi promittat aſſecurationem, nec habeat ſufficientia bona, ex quibus damnum, & jacturam mercium compenſet. Secunda, ſi pro illis rebus ſpondeat, quas certò novit extra omne periculum eſſe. Totidem modis fraudem facere poteſt, qui aſſecurandus eſt. *Primò* ſi rem ſuam periiſſe certò noverit, & tamen cum alio paciſcatur, ut illam aſſecuret. *Secundò* ſi loco ejus rei, quæ aſſecurata eſt, aliam ſubſtituat minoris valoris, vel etiam nullam. Sic enim propter materiæ & voluntatis defectum invalidus contractus redditur. Nam abſque conſenſu voluntatis, & re ſubſtrata pactum fieri impoſſibile eſt, ut ex *Titulo* 7. §. 1. conſtat. *Soto Garzia & Azor loco cit. Dub.* 9. *Leſſius loco cit. num.* 24. *& ſequ.*

VII. Obligatio aſſecuratoris eſt, ut ſi merces pro quibus aſſecurationem promiſit, ex toto aut parte intereant, illarum æſtimationem præſtet. Dico æſtimationem, quia non tenetur ad totum valorem mercium, ſed quanti æſtimatæ fuerint, vel lege & conſuetudine aliqua, vel particularibus pactis v. gr. trium, quatuor, aut quinque pro quolibet centenario. E contra aſſecuratus tenetur ad ſolvendum pretium aſſecurationis, de quo convenerat: præterea compenſare damna, quæ aſſecurator patitur in mercium interitu, cùm nulla ipſius culpa intercedit. Poterit autem ſi quid ex naufragio, vel direptione ſupereſt, illi relinquere vel alio modo ſatisfacere prudentum virorum arbitrio. *Filliuc. tract.* 37. *c.* 1. *num.* 14. *Silveſt. V. Negotium quæſt.* 4.

VIII. Huc pertinet Contractus in Hiſpania conſuetus & frequens. Cùm bona magni pretii ſub haſta venum exponuntur, promitti ſolet certa pecunia illi, qui pretium auxerit: hic pro illo pretio auget rerum venalium pretium intra juſti valoris terminos, quantum poteſt, & aſſecurat venditorem, quod deficientibus aliis ipſe emere velit. Non eſſe injuſtam hanc conventionem ex proportione, quam cum Contractu aſſecurationis habet, cognoſci poteſt: quia periculum, quod in ſe ſuſcipit aſſecurator pretio æſtimabile eſt, & ſupponimus juſtitiæ leges manere integras: quamvis evenire queat, ut bona expoſita ſummo pretio accipere cogatur, qui ad id fidem ſuam obligavit. *Azor loco cit. c.* 21. *Dub.* 3. *Card. Lugo loco cit. num.* 103.

§. II.

De Sponſione.

I. SPonſio eſt *Contractus, in quo duo de veritate vel eventu alicujus rei litigantes, ſibi invicem ſpondent aliquid, ut illius id fiat, qui veritatem attigerit. Lugo Diſp.* 31. *Sect.* 6. *num.* 73. Duo igitur in hoc contractu

Digitized by Google

tractu concurrunt, primum eſt rei incertæ indagatio cum præſumptione veritatem aſſequendi. Secundum, ex ea præſumptione eſt promiſſio præmii reſpectu adverſæ partis, cùm obtinuerit victoriam, cui à parte dantis reſpondet pœna, dum ſe privat eo commodo, quod fruſtra ſperabat. Eſt autem promiſſio non ſemper æqualis, ſed aliquando utrimque par, aliquando major unius, quam alterius. Sæpè etiam toto genere differt, ut ſi unus pecuniam, alius arma promittat. Sponſiones quoque concipi poſſunt circa futurum, præſens & præteritum. Circa futurum, ut, quòd Chriſtiani contra Turcas victoriam obtenturi ſint. Circa præſens, ut Summum Pontificem adhuc vivere. Circa præteritum, ut claſſem ex Indiâ feliciter appuliſſe. In his omnibus cùm incertitudo ſit, & cuique liceat ex ſuis indiciis conjecturam ſumere, de veritate illius certare, & promittere poteſt alteri, ſi victus ab illo fuerit, præmium, cum reciprocâ obligatione exhibendi. *Silv. V. Negotium Sanchez l. 1. Conſil. c. 8. D. 32.*

II. Eum, qui probabiliter ſcit, ſuam opinionem veram eſſe, & adverſarium decipi, cum eo non poſſe ſponſionem facere aliqui exiſtimant, propter defectum æqualitatis, quæ utrimque requiritur. *Molin. Diſp.* 508 *Garz. c.* 42. *Navarr. c.* 20. *num.* 18. Aliis non videtur illicita ſponſio, & lucrum inde ſperatum, modò certitudinem ſuam non occultet adverſario. Nam ſi ea cognita nihilominus inire pactum velit, ſibi damnum inde proveniens imputet. *Azor* III. *l.* 11. *c.* 19. *quæſt.* 4. *Robellus l.* 16. *q. un. De ſponſione. Cotonius in Summa Diana V. Reſtituere num.* 40. Idem juris eſt, ſi qui certò ſciebat, poſtea dubitare incipiat. Exponit enim ſe alicui periculo amittendi, quamvis ob meram pertinaciam alter amittat.

III. Quæ ſponſiones conditionem illicitam habent, jam pridem legibus etjam civilibus reprobatæ ſunt. V. g. ſi duo concertent, uter alterum vincat edendo, vel bibendo. *l.* 3. *ff. de alea luſu, & aleatorib. l.* XI. *ff. tt.* 5. *Tholoſ. l.* 23 *c.* 3. *num.* 6. *Beneven. Straccha tract. de ſponſ. part.* 3. Lucrum tamen ex ejuſmodi ſponſionibus acquiſitum retineri à Victore poteſt, ſi abſque dolo, & fraude ſpopondit. Quamvis enim contrahentes malè agant, non peccant tamen contra juſtitiam, nec debito reſtituendi onerantur. Neque leges, quæ ejuſmodi contractus damnant, ad reſtituendum lucrum condemnant. *Azor loco cit. Dub.* 6. Hinc deducitur, ſi inter Titium, & Cajum ſponſione facta de curſu, vel ſaltu, ut victori præmium cedat, Cajus currere, aut ſaltare nolit, ad præſtandum Titio præmium teneri, eò quòd per eum non ſtat, quò minùs ſponſio adimpleatur. *Straccha de ſponſionib. ci. fin.* ubi aliud exemplum cum facetia conjunctum proponit. §. *Elegantem.*

IV. Mortuo Pontifice, & inſtituta de Succeſſore per Cardinales electione ſponſiones fiunt pro cujuſque voto, & judicio, ſintne illicitæ, dubitatur? Non videntur illicitæ, ſi rem ipſam ſpectes, quia eventus dubius eſt, & quemadmodum ſuppono, in aliis æqualitas. Verùm prohibitas eſſe jure Eccleſiaſtico docet *Bulla Pii IV. de reformat conclavis* ſuper elect. Romani Pontif. quæ incipit. *In eligendis Eccleſiarum Prælatis.* quam prohibitionem tamen non niſi in Urbe locum habere

habere *Azor c.* 20. notat, cùm dicatur, contra facientes ſubjici arbitrio gubernatoris, & arbitrio futuri Pontificis, ut puniantur. *Craſtrenſ. in l. à Titio ff. de verb. oblig. Stracchal. cit part.* 4. Verùm *Gregorii XIV. Conſtitutio*, quam refert *Stephanus Quaranta V. Electio*. Complectens, & prohibens ſponſiones ſuper vita, vel morte Pontificis, vel electione futura etiam extra tempus Sedis vacantis univerſalis eſt. Irritæ ſunt igitur omnes ejuſmodi ſponſiones, & qui eas faciunt excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reſervatam; illis puta in provinciis, & diœceſibus ubi promulgatæ, & receptæ ſunt. *Fill tract.* 37. *c.* 3. *num.* 30. Idem ferè de ſponſionibus ſuper dubia Cardinalium electione dicendum, quoniam eadem in Conſtitut. à *Gregorio Pontifice* vetantur. *Lugo D.* 31. *Seſſ.* 6. *num.* 90.

V. In Francia, & Flandria celebrari ſponſionem ferunt hoc ferè modo Titius à Cajo 00. aureos accipit, ea conditione, ut ducentes reddere teneatur, ſi poſt biennium luſtrata Italia, & Roma incolumis redierit, vel uxorem acceperit. Nihil in eo contractu latere iniquitatis videtur, quia eventus dubius eſt, & uterque periculo amittendi ſeſe exponit. Nam ſi Titius non redierit quod contingens eſt Cajus amittit centum: ſi autem redierit Titius, ducentos ipſe amittet, ſecundùm conventionem. *Azor & Tholoſ. loc. cit. de aliis ſimilibus V. apud Angel V Uſura.* §. 1. *n.* 42. *Silv. eod. q.* 36. *Roſellam num* 39. *ci. fin.*

VI. Actio ex hoc contractu, cùm honeſtam cauſam habet, oritur *præſcriptis verbis*: cùm verò turpem, condictionis ſine cauſa, quia refert ſpeciem innominati contractus. *Facio, ut des*: vel *Do, ut facias*: cùm neque depoſitum propriè, neque ſequeſtrum ſit. *Godd. in l. ſponſio num.* 14. *ff. de verb. oblig. Ulpian. in l. ſi gratuitam ff. de præſcript. verbis* Oldendorp. *Claſſe* 4. *act.* 40.

§. III.
De Sortibus.

I. SOrtem vocamus actionem ab homine ſuſceptam, ut ex illius eventu occultum aliquid innoteſcat. *S. Tho. opuſc. de ſortibus* & 22. *q.* 95 *art. ult.* quem Summiſtæ ſequuntur. Alia eſt conſultoria, alia divinatoria, alia diviſoria. De primis duabus in explicatione primi præcepti Decalogi Morales agere ſolent. Tertia ſpecies huc pertinet, & definitur *Contractus, quo de re communi paciſcuntur aliqui, ut ſorte exploretur, cujus eſſe debeat*, quemadmodum milites circa Chriſti tunicam fecerunt. *Ioan* 19. *v.* 24. Aliter quoq; definiri poteſt, nimirum, ut ſit Cōtractus, quo mittuntur ſortes, ut poſito evētu quamvis caſuali voluntas contrahentium conditionata in abſolutam tranſeat, & res illi tribuatur, cui ſors annuit. *Angel. V ſors num.* 1. *Silv. V ſuperſtitio num.* 9. *Armilla. n.* 1. *Sanchez l.* 2. *Moral. c.* 38 *n.* 56.

II. Contractus ſortis diviſoriæ per ſe non eſt illicitus, imò ſublatis fraudibus non rarò utilis, & neceſſarius. Quod ſapiens indicat *Prov.* 18. *v.* 18. Contradictiones comprimit Sors, & inter potentes quoque dijudicat. Nec deſunt Auctores, qui exiſtiment, Apoſtolos orbem terrarum pro Evangelii prædicatione mittendo ſortem diviſiſſe, uti refert *Franciſc. Turrianus l.* 8. *Conſt. Apoſt. c.* 5. *quin etiam S. Auguſt. epiſt.* 180. *ad Honoratum* tempore peſtis ſorte dirimendum eſſe ſcribit, quis

quis ex Sacerdotum numero ſubire periculũ debeat. Et inter plures mortis reos, ſi noxium putetur omnes necare, dirimi ſorte poteſt, quis ex omnibus ſupplicio afficiendus ſit, *teſte Delrio l 4. c 4 Leſsio. c.43.Dub.9.* Idem de proiiciendis mercibus in communi naufragio: de inſequendo hoſte, cùm una aliqua cohors ſufficere cenſetur, aliiſque caſibus dicendum eſt. *Io.Maior in 4.Diſt.15.Q.22.§. Quartò dubitatur. Az.l.l 9.c.21.Laym l.4 tr.* 10.*c.* 3. *Torreblanca l.1.de Magia divinatrice c.22. num* 40.

III Prohibitæ ſunt ſortes circa beneficia eccleſiaſtica, electionem, & compromiſſarios pro eccleſiaſtica electione. *c. Eccleſia de ſortilegiis*, ubi *Honorius* III. ſortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnat. Quod ampliandum monet *Barboſa* etiam ad officia eccleſiaſtica. Convenit enim vel maximè, præpoſitos eccleſiarum, & Officiales eligere dignos eo gradu, cùm nihil utilius ad Dei gloriã, & animarum ſalutem contingere poſſit, quàm boni paſtores: ut è contra nihil perniciosius malis, & indignis. *Sanch l. 2 Mor.c. 38. num. 71. V. Barb in c. cit. Eccleſia.*

IV. Electio per ſortes ad beneficia eccleſiaſtica non tantùm illicita, ſed irrita quoque, & nulla eſt. *c. Quia propter de elect* ubi forma electionis præſcribitur, & non valere aliter factam electionem declaratur. Neque obſtat, quod in *c cit. Eccleſia* à Pontifice non reprobatur electio, ut nulla, per commiſſarios ſorte electos facta, quia licet electi ſorte eſſent nihilominus ſervare potuerunt formam in. *c. Quia propter* præſcriptam, ſecundùm illa verba. *Vel ſaltem eligendi poteſtas aliqui bus viris idoneis committatur*, qui vice omnium eccleſiæ viduatæ provideant de paſtore. *Suar l.2.de ſuperſt.c.12.n.*10.*Laymanl 4 Tract.*16 *c.3. n 9.* Max. *Sandaus in diſcept. de Rege Rom. Sect 3.n.2 & 3.*

V. *Dices*, ſaltem in caſu quo ſuffragia paria ſunt, inter duos valere ſors poterit. Tunc enim vix ſupereſt aliud remedium, & uterque dignus iudicatur honore, & gradu, de quo certatur. Adde, quod in multis congregationibus uſu receptũ eſt, ut plures eligantur, nõ ut omnes officium habeant, ſed ut inter eos ſolos ſors mittatur ad ſeparandum unum. Verùm his non obſtantibus eiuſmodi ſortitio iure communi reprobatur in generali prohibitione capitis. *Quia propter de electionib.* Et falsò ſupponitur, aliud nullum remedium supereſſe, quia licet eligere compromiſſarios à quibus electio fiat. Nec benè dicitur, utrumque dignum iudicatum eſſe, cùm neuter à Capitulo, ſed à parte duntaxat approbatus ſit. *Sayrus l. 4. c 5. Leſſ c. 5, Leſſ c 43.n 58 Barb.in c. cleros. Diſt.21.*

VI. Lites eccleſiaſticas ſortium interventu dirimere prohibitum non eſt. Ita ſenſiſſe aliquos Iuriſperitos teſtatur *Felinus in c. Capitulum de reſcript.* quibus favet. *Glo in c.licet cauſam. De probat V. Uti poſſidetis*, quo loco de litigantibus ſuper beneficio loquens dicit, Ubi nullus, vel uterque oſtendit titulum, & omnino ſunt æquales probationes nec apparet, quis ad iudicium provocavit, ſorte dirimatur: & allegat iura civilia, & *c. Sors 26 q.2* quatenus dicit, ſortem non eſſe malam, inferrque, nec in tali materia prohibitam eſſe Subſcribit. *Oſtienſis num.* 20. *& Abbas n.37. Navar.c.11 n.38.* Verùm licet admitti ea ſententia poſſit, non admittitur tamen,

Digitized by Google

men, ut ſortitio illa privata litigantium auctoritate fiat, ſed auctoritate Judicis opus eſſe. Nam ſuper beneficio paciſci privata auctoritate Simoniacum reputatur; quod incommodum ceſſat, quando Judicis auctoritate fit. Addit *Suarez loco cit. nu.* 15. multò magis in litibus non Eccleſiaſticis, ac ſæcularibus imò electionibus quoque ſortibus uti licere, quemadmodum uſus ipſe legum certiſſimus interpres docet. *V. Sanchez loco cit. num.* 76 *& ſeq Filliut. tract.* 24 *c.* 4. *num.* 101. *Leſſius c.* 43. *Dub.* 9. *num.* 58.

VII. Sortium uſus quamvis ex ſe malus non ſit, ſed indifferens, vitiari tamen pluribus modis poteſt, videlicet, *Primò*, per æſtimationem, & intentionem malam, ut ſi quis credat juxta diſpoſitionem aſtrorum contingere effectum in ſortibus, vel confidat in auxilio, & aſſiſtentia dæmonis, vel in fortuna, quæ non ſit providentia Dei. *Secundò* vitiari poteſt ratione materiæ, vel contra juſtitiam commutativam in electionibus ad beneficia, & officia, vel vindicativam in pœnis. Contingere enim facilè poteſt, ut in eum ſors cadat, qui minimè omnium deliquerit, niſi fortè ad ejuſmodi ſortitionem boni publici cura, & neceſſitas impellat: quo in eventu quilibet alioqui nocens jure ſuo ceſſiſſe putatur. *Tertiò* mala ſortitio erit, ſi intendatur effectus, qui non eſt ullo modo in poteſtate eligentium, ut ſi de re aliena mittant ſortes, vel de ea, quam non poſſunt ſua voluntate dividere, & applicare. Eſt enim tunc manifeſta injuſtitia, & miſceri poteſt ſacrilegium pro materiæ qualitate. Quod ſi per aliquod ſignum à Deo expectetur effectus, non diviſoriæ, ſed conſultoriæ ſortes erunt, de quibus hic minimè tractamus. *Quartò* poteſt malitiam trahere ex modo, ſi nimirum quis fraudibus utatur inter ſortiendum, quemadmodum in ludo fieri ſolet; ubi haud dubiè injuſtitia committitur. Poteſt etiam contingere irreverentia, ut ſi utantur libro evangeliorum, aut divinum oraculum pro rerum terrenarum acquiſitione. *Quintò* denique malæ fiunt ſortes per ſolam legum prohibitionem, in quibus legislator pro fine habet alicujus mali, aut periculi fugam, ut de electionibus ad beneficia Eccleſiaſtica ex dictis patet. *V. Filliut. tract.* 24. *c.* 4. *num.* 97.

VIII. Ex his colligitur, admitti non poſſe, quod *Baldus in l. Meminimus C quando, & quibus quarta pars debetur.* Non licere ſortibus uti, niſi in caſibus à jure permiſſis, & in aliis omnibus peccatum committi. Sunt enim, ut ex dictis liquet, per ſe non malæ ſed indifferentes, eo ferè modo, quo ludi & ſponſiones. Quocirca dicendum potiùs eſt, in ſortitione ut ſic, non contineri malitiam, ſed illam contrahere vel à fine malo, vel circumſtantiis parùm honeſtis: aliàs ne quidem approbari aliquando à Magiſtratu poſſent: quia non ideo bonæ erunt, quia permittuntur, cùm intrinſeca bonitas & malitia actuum ab humano arbitrio non pendeat. *Torreblanca l.* 1. *Dæmonol. c.* 22 *num.* 17. *& ſeq. Gloſſ. in cit. c. Eccleſia Felinus in c. Capitulum de reſcriptis num.* 21. *& c. Licet cauſam de probat. num.* 44. *Sanch. l.* 1. *Conſil. c.* 8. *D.* 36. *& l.* 2. *Moral. c* 38. *Em. Sa. V. Sortes. Suarez l.* 2. *de ſuperſtit. c* 12. *nu.* 17 *Barb in c. Sors* 22. *quæſt.* 5. *Tholoſ l.* 34. *c.* 5. *Fagund. l.* 1. *in Decal. c* 40. *Lugo Diſp.* 31. *ſect.* 6. *num.* 91.

§. IV.

De Contractu ludi.

I. LUdus, de quo hic agimus, eſt *Contractus quo victori certaminis res ab utroque expoſita tribuitur.* Dicitur 1. *Contractus*, pro genere. Verè enim utrimque obligatio naſcitur. 2. *Quo victori &c.* quia ſponſio eſt, vi cujus colludentes obligantur ad cedendum illi rem, qui victoriam obtinuerit. 3. *res ab utroque expoſita.* Uterque enim exponit ad lucrandum, & perdendum. *Mol. D. 510. Summ. V. Ludus.* Unde apparet, ludum eſſe mixtum quid ex duobus, nimirum contractu innominato, quo unus ludentium periculo exponit rem ſuam in alterius commodum, ut idem ab altero fiat: deinde ex induſtriâ ludentium, quæ ex majori, & minori experientiâ & dexteritate pendet. *V. Garziam c. 43. Leſſ. c 26. D. Filliut. tract. 37 c. 4. num. 3.*

II. Communis hominum ſenſus fatetur. ludum ex ſe & naturâ ſuâ licitum eſſe, ſi debitis conditionibus, & circumſtantiis veſtiatur: nec aliunde tot vituperiis & maledictis laceſſitur, quám quòd malorum hominum fraudibus vitiatur. *Barb. in c. Clerici de vi. & hon. Cler.* Perſonæ igitur ſint habiles, & rerum ſuarum Domini, finis honeſtus, puta, animi relaxatio, otii fuga, & ſimil. Vis, dolus, fraus procul arceantur. *Malvetius tract. de Sortib part. 1. num. 3. Silv. num. 2.* Sicubi in ſacris literis reprehenditur, alio ſenſu loqui memineris, & malam in partem ſumere, quemadmodum *Exod. 32.* Sedet populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Nam pro idoli adoratione, ut aliqui volunt, ſumitur: quamvis id textus minimè requirat, quia ſatis mali erat in ſaltu, & choreis, quas intemperantiâ ſtimulante agitabanr. *V. Corn. à Lap. in cap. cit. Exodi, Tholoſ. l. 39. c. 2. Laym. l. 3. tract. 4. c 21.*

III. Jure civili prohibentur omnes ludi, qui fortunâ magis, quàm arte reguntur, & ſignificantur omnes communi nomine Alex. *l. 1. & 3 ff. de aleatorib. & C. eod Authent. alearum uſus. Valentia 111. D. 5. q. 6. pun. 5.* Quia pernicioſi ſunt, jurgiorum, & cædium Seminaria. Eam ob cauſam denegatur actio pro re ſubtracta in domo ludentium, nec ſi quis verberaverit eum, qui ad ludendum habitationem præbuit, injuriarum nomine tenetur. Et quamvis alea militibus olim permiſſa eſſet, poſtea tamen prohibita eſt *l. fin. ff. de relig & ſumpt fun.* Infames quoque habiti ſunt, qui alea luderent, ut de Auguſto Cæſare, & Caligula apud Suetonium legimus. *Oſtienſ. in Summ. tt. de exceſſ. Prælat. §. Clericus.* Sexdecim vitia numerat, quæ aleæ ludus parturit: *Antoninus verò in 2. part. c. 23. §. 6* tot crimina exinde naſci tradit, quod ſunt in taxillis puncta, cui ſubſcribit *Petrus Ravenn. in alphabeto ſuo V. Ludus Tholoſon l. 39. cap 3. num. 3. & ſequentibus Comitol. l. 1. quæſt. 90.* Verùm de hac lege merito dici poteſt, quod nonnemo de omnibus, telas aranearum eſſe, cum nec ſummi, nec imi ab alearum ludo ſibi abſtinendum putent, nec Confeſſarius quiſquã adeò Religioſus eſt, ut propter ejuſmodi ludos aliquẽ gravioris peccati dãn t. Fatentur enim & Theologi, & Canoniſtæ hoc tẽpore vel abrogatas, vel nunquam receptas eſſe.

Digitized by Google

Quod etiam de iure Canonico quoad laicos dicendum eſt. *Medina in ſum. c.14. Valent.* D.5. *Q.6 p.5. Caiet. V. Ludus.& q.168.a.3. Salas dub.3. Cardin. Lugo diſp.31. Sect.1.n.9. Fill. Tr.37. c.4.n.58. Iul. Clar. in §. Ludus. Card. Tuſcus. Concl.456.*

IV. Idem aleæ luſus iure Canonico clericis prohibitus eſt. C*an.41. & 42. Apoſt. c. clerici 2. de vi. & hon. clericor. quibus conſonat* Con Tr. S.22. c.1. conſtituens, ut, quæ aliàs à ſummis Pōtificibus de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus &c. ſancita fuerunt, eadem in poſterum obſerventur. Vnde *Leſsius c.26. Dub.1. nu.5.* colligit, eſſe peccatum mortiferum, non quidem, ſi ſemel, aut bis, terue clericus ſic luſerit, ſed ſi huic ludo vacaverit, id eſt, crebrò, & per longum tempus luſerit. His enim ſolis pœnæ imponuntur. Benè & religiosè, ſed quæ hoc tempore paucis perſuaſeris, cùm contrarium uſu invaluiſſe, & ab eccleſiaſticis Prælatis, qui id minimè ignorant, nulla animadverſione caſtigari videamus. Scandalum igitur, & damnoſa profuſio bonorum facient, ut graviter ſic ludentes peccare cenſeantur. Scandalum ſanè nequaquam vitant eccleſiaſtici, qui in publico, frequenter, & magna ſumma propoſita ludunt: & minimè omnium Curati, quorum mores imitari plebs ſolet. *Salas Dub 24. Navar. c.20. n 9.* Pilæ, ſcaccorum, & ſimiles ludi clericis nō prohibentur, ſed ut parcè, & inter notos, ac familiares illis utantur, convenit. *Fill. l. c. nu.64.* Religioſos autem & epiſcopos vix unquam abſque gravi peccato alea luſuros, apud. *Lugo l. cit. num.12. plures affirmant.*

V. Ludo acquiſita, quem Ius civile, aut Canonicum vetat, non ſunt neceſſariò reſtituenda ante ſententiam Iudicis. *Sanch. cum multis. l.1. conſ. c.8. dub.1.* Quamvis enim contrarium de eo, qui ad ludendum alios traxerit, nonnulli DD. exiſtiment, ſupponentes iiſdem, quibus prohibetur legibus, irritari factum communiter tamē & Theologi, & Canoniſtæ negant. Non enim quia actus prohibetur, irritus eſt, ut manifeſtè patet in illis quæ circa adminiſtrationem Sacramentorum ab excommunicatis fiunt. *Navar. c.27. nu.36.* Nec apparet, unde ludentes non poſſint acquirere dominium eius pecuniæ, quam ludendo ſecundum æquas conditiones ſibi vendicant. Adde conſuetudinem paſſim receptam, ut quæ quiſque lucratus eſt, retineat. Illud tamen manet ex. *l. Alearum C. de aleatoribus.* victo concedi actionem amiſſa repetendi, quod ipſum longo non uſu abolitum cernimus in iis, qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem habent. *Mol. diſp.515. Covar in Reg. Peccatum Par.2. §. 4. nu.8. Medina q. 22 de reſtitut. Azo l.3 ſumma §.54. Iul. clarus. § Ludus nu 7. Tuſchus concl.456. Soto l.4. de iuſt q.5. art.2. Valentia lo. cit. § de ludis igitur.*

VI. Qui amiſit credito per luſum non prohibitum ſoluere quod promiſit, creditori tenetur: quia promiſſio de re licitâ iure naturali, etiam in conſcientia obligat. Et leges civiles ludūm prohibentes, non loquuntur niſi de illo qui pro præſenti pecunia celebratur. Quemadmodum ergò in tali ludo per leges non conceditur repetitio, ita nec illius, quod amiſiſti retentio. Idem dicendum de eo, qui quod per prohibitum ludum creditò amiſit, nō vult in iudicio repetere. Tenetur enim ſolvere in conſcientiâ, niſi fortè lu-

dus

dus peculiari aliqua lege irritus ſit declaratus. *Valent.q.6 p.5.§.2.Rebell. Par 2.l. 12.q.2 Salas dub.26.n.4 Emm.Sa.V. Ludus n.9.Tanner.111.D.4.q 6.n.308.*

VII. Ad reſtitutionem rei per ludum obtentæ tenetur 1. qui alium fraude, aut violentia ad ludendum compulit. 2. qui inter ludendum fraude utitur 3. qui ludit cum eo, quem ſcit non habere dominium, vel liberam adminiſtrationem bonorum: quales ſunt filii in parentum poteſtate cōſtituti, pupilli, prodigi declarati, alienorum bonorum poſſeſſores, regulares profeſſi, & ſimiles, de quibus multa & utilia. *Mol Salas.Sanch.Leſſius.Laym.Fillutius. Petrus à S. Ioſeph l.4. de iuſt. c.12.* & cum primis. *Az. 1. l.5.c.25.* Nihilominus lucrari poſſe, ſi bona fides adſit, etiam illos, qui amittere non poſſ. *Bonac. & alii docent.ap.Lugo.D.31.S.3.*

VIII. An teneatur reſtituere, qui luſit certò ſciens, ſe propter eminentem peritiam ſuam victoriâ potiturum, controverſia eſt, in qua DD. non conveniunt. Communior opinio eſt ad reſtitutionem teneri, eò quod in tali ſtatu inæqualitas ſit inter ludentes, nec ullum in ſe periculum ſuſcipiat peritiſſimus luſor. Si autem hanc eius peritiā adverſarius norit, & nihilominus in luſum conſentiat, nulla erit reſtituendi obligatio, ſed ſuæ levitati damnum imputare debet, qui cum fortiori hoſte certamen ultrò ſuſcepit. Idem dicendum eſt, ſi ab aliis monitus de periculo, non acquievit. *Mol. D.517.Leſſ.c.26.D 5.Rebellus, Medina. Pe Ledeſma, Salas.Az. lo.cit. Cardin.Lugo Diſp 31.Sect.2. §. 4 Fill.tr. 37 c.8.* Contrariam opinionem tuetur *Decius conſil 115. Covar. Reg. Peccatum. §. 4. & favet Navar c.20.nu.18. cum aliis quibuſdam apud Sanchez l. 1. conſil. c. 8. dub. 13. n 6.*

TITULUS XIII.

De præſcriptionibus.

IVre, & ingenio humano inventa eſt Vſucapio, & Præſcriptio, tum ad vitandam litium multitudinem, tum ad caſtigandam ſocordiam illorum, qui bonorum ſuorum curam non habent: unde poſſeſſiones incertæ, & confuſio dominiorum promanat. Cautum propterea multis legibus eſt, ne bona eccleſiaſtica in alienas manus per Vſucapionem, aut præſcriptionem tranſeant: qui modus conſervandi res DEO conſecratas inter potiſſimos numerari debet.

§. I.

Quid ſit præſcriptio, & Vſucapio?

I PRæſcriptionis nomen Iuris periti tribus ferè modis uſurpant, *Primò* pro exceptione, quæ opponitur ad excludendam actionem ab Actore intentam, quæ exceptio cùm ſit vel dilatoria, vel peremptoria, facit, ut Præſcriptio quoque dilatoria, aut peremptoria ſit *ff. de except.* Iuxta eundem ſenſum Tertullianus librū de præſcriptionibus adverſus hæreticos

cõpoſuit, ea adferens, quæ Catholici hæreticis velut litem intentantibus opponere poſſunt. *Secundò* ſumunt pro exceptione peremptoria, quæ oritur ex eo quod tempore legibus definito rem aliquam poſſedimus, vel iure aliquo uſi ſumus, vel quod alius tali tempore ab uſu alicuius iuris ceſſaverit, quemadmodum declarat. *Covar. in Reg. Poſſeſſor init §. un. num 4. & colligitur ex C. de præſcript. lon. temp. & de præſcript. 30. & 40 annorum. Tertiò* accipiũt pro dominii acquiſitione, vel alieni juris extinctione ex tẽpore legibus definito proveniente. Ita agrum, hortum, domum, aliamve rem præſcribere dicimus, id eſt, illius dominium acquirere. Et ſic non in jure civili tantùm, ſed Canonico quoque & utriuſque juris interpretibus ſumitur, ut *lo. cit. Covarr.* monet. Nam qui continuata poſſeſsione dominium alicuius rei compararat, à priore domino conventus præſcribebat, id eſt, opponebat certi temporis poſſeſsionem, qua rem ſuam fecerit. Hinc Vſucapio ipſa, & dominii acquiſitio cœpta eſt appellari præſcriptio, cum tamen ex uſucapione præſcriptio oriatur. *l Emptor. 7. C. de præſcr. lon. temp.* Præſcriptio igitur iuxta primum modum eſt exceptio adverſus actorem, ſecundo modo exceptionis ſpecies, ea nimirum, quæ peremptoria vocatur. Tertio modo dominii acquiſitionem, & alieni iuris eliſionem ſignificat. Vſucapio verò eſt *acquiſitio dominii per continuationem temporis lege definiti. l. 3. ff de Vſucap* intellige cauſaliter. Formaliter enim videtur eſſe poſſeſsio quædam rei alienæ. Dicimus enim Vſucapionem interrumpi. Poteſt nihilominus accipi etiam pro acquiſitione formali dominii nemo enim dicitur res uſu cœpiſſe, niſi earum dominium acquiſierit. Vnde colligitur, latius patere Vſucapionem, quàm præſcriptionem tertio modo conſideratam, quia omnis Vſucapio eſt præſcriptio, ſed non contra. Nam præſcriptio, qua extinguitur actio perſonalis aut realis alterius, non eſt propriè Vſucapio, cùm tamẽ ſit præſcriptio. *Conanus l. 3. c. 11. n. 1. & 2. Schneidevv. l 2. Inſtit tt. 6.* Qui autem ita diſtinguunt, ut Vſucapio rerum mobilium, ſit præſcriptio immobilium, præter Iuris civilis intentionem agunt. Nam immobilium quoque Vſucapionem eſſe patet ex *Inſtit. de Vſucap & l un. C. de Vſucap. transform.* Similiter in rebus mobilibus præſcriptio locum habet. Synonyma igitur ſunt. *Silv. V. Præſcriptio nu. 1. Vallens l. 2. tit. 26. §. 1. Barb in Rubr de Præſcrip.*

II. Præſcriptionẽ rigore juris introductam eſſe contra æquitatem naturalẽ *Azo* putat in *ſumma Cod § Pro empt. & Bald. in l. Ancillam. n. 11. C. de furtis.* Melius alii inventam dicunt naturali æquitate ſuggerente propter utilitatem publicam, ne lites fiant immortales, & incerta bonorũ poſſeſsio *Ioa. Andr. Ancharanus & Frãch. in c. Poſſeſſor de reg. Iur. in 6. Menoch. illuſt. c. 51.* Quamobrem Iure Canonico acceptatur, & uſurpatur, ut patet ex *tom. tit. de Præſcript l 2. Decretalium.* Et quòd ritè fuerit præſcriptũ, ſine peccato retinetur, etiamſi poſtea cognoſcatur eſſe alienum, quia, ut Armilla loquitur, ratione legum rationabilium factus eſt dominus rerum legitimè præſcriptarum ſecundum *Caietanum in ſumma, & Domin. Sotol. 4. de Inſtit. q 5. art. 4. §. Poſterior concluſio.* De qua re latius infra.

III. Præſcriptio triplex eſt. Alia brevis, alia

Digitized by Google

alia longi, alia longiſſimi temporis. Brevis eſt triū, aut 4. annorū. Longi decem annorum inter præſentes, & viginti annorum inter abſentes. Dicuntur autem præſentes, qui in eadem Provincia exiſtunt, aut meliùs hodie, qui in eadem civitate, ut notat *Gloſſ. in l. cùm in longi C. de praſcript. longi temp.* quia ſicut olim Provinciæ, ita nunc ſingulæ civitates ſuis legibus, & peculiari adminiſtratione reguntur. Temporis longiſſimi eſt 30. aut 40. annorum. Poſſet etiam dividi ſecundùm res aut bona, quorum dominia mutantur, ſed nimia eorum varietas non admittit. Saxones autem duas tantùm ſpecies agnoſcunt, quarum altera annalis eſt, & aliquot dierum, pro rebus mobilibus: altera ad res immobiles, & incorporales pertinet annorum 30. & aliquot menſium, *Schneiderr. l. 41. ff. tt. 3.*

§. II.

De conditionibus ad praſcriptionem neceſſariis.

I. AD præſcriptionem vulgò quatuor conditiones exiguntur, ſuppoſita nimirum capacitate activa perſonæ, & paſſiva rei, quod pro quintâ ponitur à *Bonac. To. 2 p. 418.* Prima conditio eſt poſſeſſio. Secunda bona fides. Tertia titulus. Quarta tempus à lege præſcriptū. *Oſtienſ. n. 1. & 6. Sil. v. V. praſcript. Zerola & alii Summ. eod. Barb in tt. de praſcr init.* Neceſſariam eſſe poſſeſſionem, aut quaſi poſſeſſionem civilem intellige patet *ex c. cauſam quæ 7 & c. cùm olim 18 de praſcript. Inſtit. eod §. 1. l ſine ff. de uſurpation. & praſc.* ubi clarè. Sine poſſeſſione uſucapio contingere non poteſt: intellige, ut præſcribens ſibi non alteri poſſideat *c. ſi is qui. 15. h t.* adeò ut tantùm præſcriptum, quantum poſſeſſum eſt, dicatur. Et poſſeſſio continua ſit. *l. 3. & l. nunquam 31. § 1 ff eod.* ita ut ante tempus definitum nullo momento interrumpatur. *c. illud 8. c. auditis 15. hoc tt. l. naturaliter 5. ff. eod.* Si interrupta fuerit, ſive per naturalem interruptionē, quæ extinctione poſſeſſionis contingit, ſive per civilem, quam litis conteſtatio, & citatio parit *l. cit naturaliter l. nemo C. de acquir. poſſ.* Uſucapio effectum ſortiri non poteſt. Continuatur autem poſſeſſio etiam in pluribus & diverſis perſonis, quæ cum bona fide ſibi invicem ſuccedunt *l un. ci ſi. C de uſucap. transfor. Azor III l. 1. c. 17. Molin. Diſp. 60. V Veſenbec. L. 41. ff. c. 3 Tuſchus Concl. 532.*

II. Requiritur ſecundo loco *Bona fides*, id eſt, *credulitas, ſeu perſuaſio qua quis prudenter credit, & perſuadet ſibi rem eſſe ſuam, aut ſaltem non eſſe alienam*, ut ſi putet, eum, à quo accepit, fuiſſe Dominum, cùm non eſſet, vel jus transferendi habuiſſe. *l. Bona fidei ff de verb. ſignif. c. Mala fidei poſſeſſor. de Reg. iur in 6.* in cujus Regulæ expoſitione diximus, adeò neceſſariam eſſe conditionem hanc, ut non tantùm ſub inchoatæ poſſeſſionis initium, ſed totius temporis lapſu in bona fide eſſe debeat abſque ulla interruptione, & notitia contraria, qua in re Jus Civile à Canonico correctum ſit. *Valent III. D 5 q 6 pun. 5 §. quarta conditio.* & ſecundum hanc Canonum diſpoſitionem judicari in Camera Spirenſi, *teſte Andr Gaill l. 2. obſ l. 2. 18. num. 10.* DIXI *prudenter credendum eſſe.* Nam perſuaſio ex ignorantia craſſa aut prava cupiditate nata, bonæ fidei nomen non meretur.

Nec

Nec iuris manifeſti error excuſat, ut ſi cõtractum Vſurarium feceris, rem quaſi donatam à prodigo, pupillo, vel religioſo accipias. *l. Iuris. & l. error ff de iu. & fa. ign.* quamvis eiuſmodi error ſufficere aliquando poſſit ad præſcribendos alicuius rei fructus. *Nav. l. 1 conſ. 6. tt. de off. Iud. l ſed etſi § ſcire ff de petit. hared* Nam qui circa fructus errat, non iuris, ſed facti ignorantia laborare videtur, exiſtimando, ſe ex re ſua fructus capere: quam facti ignorantiam ad præſcribendum prodeſſe ex *l. Iuris & di. l. Error. patet. Silv. V. Præſcriptio* §. 4. Armilla n. 4. *Mol diſp. 64. Medina q. 17. Leſſ. c. 6. D. 5. Fill. tr. 31. c. 8 num. 189. Soto l. 4. de iuſt q. 5 art. 4. Connanus l. 3. c. 13 n. 1. & 2.*

III. Quod titulum attinet, præſumptus ſufficit, qui tamen verus eſſe credatur ab eo, qui rem poſſidet. Talis enim titulus cenſetur habilem illum reddere ad inchoandam, & continuandam præſcriptioné. Quocirca nunc pro emptore, nunc pro legato, nunc pro dote, nunc pro ſuo, & ſimilibus, licet verus titulus abſit, iuſti erroris cauſa admittitur. Vſucapio. ut ſi dixeris mihi, fundum, quem tradis, te patri meo vendidiſſe, cùm non vendideris. *l. Ancillam ff pro ſuo.* vel rem mihi legatam eſſe, cùm legata non ſit *l. fin ff Pro legato.* Sed an Iure Canonico etiam titulus neceſſarius ſit, ambigitur propter *c. Ad aures & c. ſi diligenti h. t & c. Epiſcopum in 6.* ubi traditur, ſufficere bonam fidem, nec titulum requiri, niſi præſumptio vel jus commune ſit contra præſcribentem. Verùm ipſe textus *capitis Epiſcopum. circa fin.* ſatis indicat, loqui de præſcriptione non qualibet, ſed ea cuius contrarii memoria non extat. Nam tam longi temporis diuturnitas non ſinit nos eſſe memores initii cauſæ aut tituli præſcriptionis. Regulariter itaque non Iure Cano. ſed civili quoque præſcriptio longioris temporis quàm ordinarii puta, 100. annorum tituli neceſſitatem tollit. *Covar. ad Reg. Poſſeſſor, §. 5 n. 2. & alii apud Barb. in c. Dudum. de decimis. & c. Epiſcopum cit* ubi etiam notat inter longum, & longiſſimum tempus non differre, & ſufficere annos 40.

IV. Quarta conditio eſt, certi, ac definiti temporis continuatio, quod tempus pro varietate rerum varium eſt. Res mobiles corporales non furtivæ, privatorum hominum præſcribuntur poſſeſſione bonæ fidei cum titulo per triennium inter præſentes, & quadriennium inter abſentes *l. Quas actiones. C. de Vſucap. Meloníus Tit. 42. n. 1 l un. C de uſucap reform.* Sine titulo 30. annis. *l. Si quis emptionis C. de præſcript. 30. annor.* Contra eccleſiã præſcribitur eodem tempore. *Auth. quas actiones. C de ſacroſ. eccl c ult. & penult. 16. p. 3.* Sed an etiam contra Eccleſiam Romanam? Affirmat *Molina, & eum ſecutus* Leſſ *l. c. D. 7 Barb. in c. Illud de præſcr.* quod probabile eſt. niſi obſtent verbà Authenticæ citatæ. Quas actiones &c. quibus Romana eccleſia excipitur, & centum annorum ſpatium pro Vſucapione indigere inſinuatur. Obſtare autem & hodie contra Eccleſiam Romanam ſolã annorum 100. Præſcriptionem currere demonſtrat *Barb in c. Cum vob h. t.* Res immobiles privatorum præſcribũtur poſſeſſione bonæ fidei cum titulo per decem annos inter præſentes, & 20. inter abſentes *l. Cùm in longi. C de præſcr. longi temp. c. Sanctorum h t.* & eſt comm. DD Porrò in hac materia longum tempus cenſetur

eſſe

eſſe annorum decem inter præſentes: viginti inter abſentes: longiſſimum 30. & 40. annorum. Si contingat aliquem præſentem eſſe V.g. quinque annis, & poſtea fiat abſens ad præſcribendum requirentur adhuc decem anni: quia unus annus præſentiæ reſpondet duobus annis abſentiæ. At ſine titulo tam inter præſentes, quàm abſentes præſcriptio fit 30. annorũ ſpatio *l. ſi quis emptionis. C. de præſcr. 30. ann. & c. ult. de præſcript. Melonius Tit. 42. nu.* 14. Iura, debita, & actiones rebus immobilibus annumerari ſolitæ contra privatos præſcribuntur eodem tempore, quo res aliæ immobiles, niſi iure aliquo particulari diverſum quid ſanciatur. *Iul. Clarus §. fin. qu. 5. nu.* 1. Quamobrem, ut particularia videamus.

1. Beneficium eccleſiaſticum cum titulo colorato præſcribitur eodem tempore, id eſt, 10. annis inter præſentes, & 20. annis inter abſentes. Si titulus deſit, non præſumitur bonæ fidei poſſeſſio. *Glo. c. ult Contingit. de dolo, & contum* Nec titulus ad beneficium unquam præſcribitur, quia beneficium ſine inſtitutione canonica non obtinetur. *Reg. 1. de Reg. Iuris in 6.* Sed triennalis poſſeſſor abſque Simoniaco ingreſſu contra actionem cuiuslibet poſſeſſoris præſcribit iuxta regulam Cancellariæ Romanæ 33. non ſolùm fructus, ſed etiam proprietatem. *Nav. Conſil. 40. & 41. de præben.*

2. Ius patronatus ex tutiori ſententia, quia de præiudicio eccleſiæ præſumitur, annis 40. præſcribitur de quo amplius in §. 4.

3. Emphyteuſis eccleſiaſtica contra privatum, eo modo, quo res immobiles præſcribitur *Covar. § 5 n. 6. Barb. in c. ad audientiam h. t.*

4. Eodem modo ſervitus perſonalis, cuiuſmodi eſt Vſusfructus. *l. ult.* C. de longi temporis præſcript. Idem dicendum de reali cum titulo, ex ead. l. & communi apud *Covar. l. 1. Var. c 17. n. 11.*

5. Actiones civiles iure communi præſcribuntur 30 annis, & ſimiliter debita exigibilia iis actionibus, cùm bona fides adeſt. *l. Sicut in rem. C. de præſcr. 30. annor.* De exceptis n. ſeq. videbimus.

6. Mancipium libertatem præſcribit ſpatio annorum viginti cum bonâ fide inter abſentes, & præſentes. *l. 2. C. de lon. temporis præſcript.*

7. Contra Eccleſiam Romana inferiorem, & pia loco in quibuſcunque bonis immobilibus non niſi 40. annis fit præſcriptio. Contra Romanam verò annis centum *Barb in c. illud de præſcr.* Ordinũ quorundam religioſorum, ut S. Benedicti, & conſortium privilegium eſt, ut non breviori, quàm 60. annorum tempore præſcribatur.

Nota. In his omnibus præſcriptionibus annorum 40. & ultra regulariter non eſt neceſſarius titulus. *V. Barb. l. cit. Tanner. l. 3. Tr. 1. c. 8. n. 13 Tholos l 40 c. 7.*

V. Licet annis 30. actiones reales, & perſonales iuxta *l. ſicut in rem C de præſer. 30. & 40. annorum.* præſcribi poſſint, multæ tamen breviori tempore extinguuntur, & adverſum eos, quibus competunt, præſcribuntur.

Nam 1. Actio reip. contra quæſtores & adminiſtratores, poſtquam rationes ſubſcriptæ, & expunctæ ſunt, præſcribuntur ab ipſis annis 20. & ab hæredibus illorum annis 10. *l. in omnibus ff de diverſis temporal præſcriptionib.*

2. Actio redhibitoria ad recuperan-

 dum

dum pretium, quando error cauſam contractui dedit, contra emptorem præſcribitur 6. menſibus computandis à die, quo error innotuit. In conſcientia verò venditor ob dolum non liberatur: ſi bona fide egit, precium triennio uſucapit

3. Actio quanti minoris, ad partem pretii recuperandam, quam noluiſſet dare, ſi vitium ſciviſſet, excluditur unius anni ſpatio. *l. 1. & ſequentes ff. de adil. edi.* Excipe, ſi Eccleſiæ cōpetit, aut pio loco. Tunc enim 40. anni requiruntur ad excludendam. *Auth. quas actiones. C. de ſacros. eccles.*

4. Epiſcopus locum alterius epiſcopatus à ſe fidei Catholicæ reſtitutum triennio poſt pacificam poſſeſſionem præſcribit. *c. 1. latuit 16. q. 3. c. 1. de præſ.*

5. Iniuriarum actio unius anni lapſu extinguitur. *l. ſi non convivis. C. de iniuriis. Panorm. c. Ea noſcitur, n. 4. de ſent. excom.*

6. De aliis criminibus quoad pœnam extinguitur annis 20. *l. Querela C. de falſis.* Iudex tamen ex officio procedere poteſt contra infamatum. Excipe adulterium, quod quoad pœnam criminalem, & civilem præſcribitur annis quinque. *l. Adulter. C. ad le. Iul. de adulter.* Quoad divortium verò ne petatur, nulla præſcriptio fit. *c. Admonere. 33. q. 2.*

NOTA. In criminibus impedientibus executionem ordinis, vel beneficii retentionem etiam poſt peractam pœnitentiã, non valere præſcriptionem, nec accuſationem illorum claudi præſcriptione legali tradit. *Anton. de Butr. Imola, & Abb. in c. Inquiſitionis. de accuſ.* licet in aliis etiam Canones cum legibus, quoad terminos præſcriptionem conveniant. *V. Boer. deciſ. 26. n. 7.*

7. Actio ad reclamandum contra profeſſionem extinguitur quinquennio iuxta diſpoſitionem. *Concil. Trid. S. 25. de regular. c. 19.*

8. Actio quod metus cauſa in minore, unius anni ſpatio extinguitur: in maiore verò, quando prima occaſione oblata eam neglexit. *Panorm. c. ſi quis autem. n. 2. de Regularib.*

E contra actiones quædam non niſi 40. annis extinguuntur. eiuſmodi eſt actio hypothecaria, quæ reſpectu extranei quidem tollitur 30. annis, at contra creditorem, eiuſque hæredes non extinguitur, niſi annis 40. Requiritur autem in debitore bona fides, ſe non debere, & ut tanto tempore poſt diem ſolutioni aſſignatum, creditor non exegerit. Si autem poſſideat, qui non eſt, debitor, nec hæres illius (ut ſi vendita eſt, ignoranti hypothecam eſſe) tollitur decennio inter præſentes, & 20. annis inter abſentes. *l. cum notiſsimi 7. C. de præſcript. 30. Annor. Covarr. ad reg. Poſſeſſor par. 3. §. 3. Oldendorp. Claſſe actionum 3 claſſe actione 10. Leſſ. c. 6. D. 11. Tuſchus concl. 574 & ſequ.*

9. Actio Fiſci adverſus reum ob nō ſolutum vectigal, aut ſimile delictum propter cōfiſcationem bonorum, à reo, & hæredibus illius quinq; annis à die commiſſi præſcribitur. *l. 2. C. de Vectigalib. & commiſsis.* Qui verò propter aliud crimen, puta, perduellionis ob inceſtas nuptias reus eſt, non poteſt ea præſcribere: alii tamen ſive hæredes ſint, ſive non, ad quos bona deveniunt, contra fiſcum ſimiliter quinquennio præſcribunt, excepto crimine hæreſeos. *l. 2. cita. Covar. in Epito. 4. Decretal. par. 2. c. 6. §. 8*

10. Legata & fideicommiſſa adverſus legatarium, & fideicommiſſarium non niſi

niſi 30. annorum ſpatio præſcribuntur. *l ult.* C. *Communia de legatis. Covar. l. cit. Thol.l* 40 *c.*5. *Leſſ.c.*6 *dub.*11 *n.*39. *Laym. l.*3. *tr* 1 *c.*8. *Fill tr.*31. *c* 8. *Schneidevv.l.* 2. *Inſt.tit.*6. *Veſenbec.l* 44 *ff. tit.*3.

De bonis Principum.

I. In Principe duas perſonas conſideramus, Publicam, & Privatam, & eatenus duplicia bona illi conveniunt. Nam quà privatus, iure cum civibus communi utitur, adeoque nón minùs contra illum, quàm alium quemlibet præſcriptio procedit. Nec ratio ulla ſuadet, plus illi, quàm clericis in hoc genere tribuendum eſſe, contra quos in bonis propriis uſucapionem nemo non agnoſcit.

II. At quatenus Magiſtratum gerit triplicis generis bona poſſidet. Quædã coronæ annexa ſunt, ut Vrbes, caſtra, prædia, & ſimilia. Quædàm debentur tributi nomine. Alia pœnę per confiſcationem Iam quæ ad coronam pertinent, præſcriptionem non agnoſcunt, niſi annorum centum, ut colligitur ex *l. Vt inter divinum* 23. *C. de ſacroſ eccleſ* ubi in præſcribendo legato, donato, vel empto contra civitates exiguntur centum anni; multò magis igitur contra Regnum, & provinciam aliquam. Imò Gallorum Iuris Conſulti præſertim hoc tempore contendunt, provincias, & immobilia bona regni ſic annexa coronæ eſſe, ut nullo regis contractu aut promiſſione avelli queant: irritaque eſſe omnia in cõtrarium pacta Quod ſi verum eſt, ex iure particulari, lege aliqua ſcripta vel non ſcripta provepiat, neceſſe eſt. *Tholos l* 40. *c.* 2. *n.*5. allegans *Conſtitutionem Franc.* 1. *Anno* 1539. At verò poteſtas indicendi vectigal, inſtituendi tabelliones, legitimãdi, nobilitandi, & ſimilia, quæ regaliũ nomine comprehẽduntur, à ſubditis cũ titulo ſpatio annorum 40. ſine titulo per tempus, cuius initium ignoratur. *Pan in c. cum nobis. de præſcript.* & eſt communis ſententia. Simili modo præſcribuntur bona fiſco tradita ſeu incorporata, id eſt, 40 annis Vnde quod in § *Res fiſci. dicitur inſtitut. de Vſucapionib.* Res fiſci uſu capi non poſſe, intelligendum eſt de tempore ordinario, quo res privatorum præſcribuntur; puta, tribus, decem, aut viginti annis. *Balbus de præſcript. pàg.* 417 *Az.* III. *l.* 1. *c.* 23. T*uſchus concl.* 570.

III. Ea quæ in recognitionem ſubiectionis, & ſupremæ poteſtatis debentur regi, aut principi, uti ſunt tributa, cenſus, & ſimilia, non admittunt præſcriptionẽ, nec quiſquam eximere ſe ſuo arbitrio, & viribus poteſt Idem de poteſtate imperandi, iudicandi, corrigendi, & puniendi dicendum eſt, quia cenſetur intrinſeca, & ſuo modo eſſentialis, ita, ut ſine illa nihil, quàm merum, & nudum nomen princeps eſſet. Non repugnat tamen præſcribere exemptionem, & libertatem, per quã quis deſinat eſſe ſubditus in temporalibus. Principis verò eſt, ad id vigilare, & contradicere, quo interrumpatur vel ab initio opprimatur conatus præſcribendi. Idem de præſcriptione meri & mixti Imperii dicendum. *Covar* §. 3. *n* 3. *Leſſ. D* 12. *Az.* III. *l.* 1. *c.* 23. *Tholos lo. cit. Azor* III. *l.* 1. *c.* 20.

IV. De legibus ita iudicandum eſt. Quæ civiles ſunt, annorum decem conſuetudine præſcribi, niſi conſtet prius in non obſervantiam Principem conſenſiſſe. Nam ſi vel explicitè, vel implicitè ſeu tacitè conſentiat, per diſſolutionem multo breviori tempore extingui lex poteſt, ut communiter Theologi & Cano-

Digitized by Google

niſtæ docent. *Covar.l.1. Var.c.17. Barb in c. cum tua. de conſuet.* Alia ratio legum eccleſiaſticarum eſt. Nam ſi aliquo modo contra ius eccleſiæ tendat præſcriptio 40. annorum lapſus requiritur. Sin minus probabile eſt in recepta ſemel lege, ut præſcriptione tollatur, decennium, ut in civilibus ſufficere. Nullibi enim legimus inter civiles, & eccleſiaſticas leges ullum diſcrimen, quoad hoc, fieri: nec ratio apparet, cur negligentia, & conniventia in eccleſiaſtico magiſtratu non ſufficiat, quemadmodum in ſæculari ſufficere omnes fatentur. *Abb. in c. Cum contingat. de foro comp c. cum non liceat.* Leſſ. D.14. *nu.* 49. *Covar. Reg.* P*oſſeſſor p.2.§ 2.n.9 & 10. Fill.tr.31 c.9.n.201. Laym.l.3.Tr.1.c* 8 *n.*6. addens à ſubdito præſcribi poſſe partem aliquam iuriſdictionis, quæ alioquin communi iure Superiori competit cum bona fide præſcribere. V g Capitulum, ut in prima inſtantia ſuos Canonicos, & officiales iudicare poſsit. Sed requiritur ad hoc poſſeſsio temporis immemorialis, vel quadraginta annorum cum titulo colorato, quandoquidem præſumptio juris ſuffragatur Principi, vel epiſcopo, quemadmodum. *Covar.* ſupra citatus annotavit, & deſumitur ex. *c.1. de præſcription. in 6. V. Prolegom* §. *9. de* *Conſuetudine.* Plura de præſcriptione juriſdictionis, Imperii meri, & mixti ex allegatis auctoribus more ſuo compendioſè memorat.

Treutler Vol. 1. D*iſp. 3. n.7.*
Melonius Tit. *42.*
num. 26.

(*,*)

§. III.
Quinam præſcribere poſsint.

I. QVicunque poſſidere rem ſuo nomine poteſt, etiam præſcribere poteſt; qui verò pro alio poſsidet, non præſcribit. *c. Si diligenti. de præſcript.* cuiuſmodi eſt colonus, uſufructuarius, creditor quoad pignus, emphyteuta, conductor, commodatarius, & qui precariò poſsidet. *Inſtit Per quas perſon nob. acquir.* §. *Vſufructuarius. l. Nec creditores.* C. *de pignor. act. c. Quia cognovimus.* 10 *q 3. & c clerici.16 q 3.* His igitur remotis, præſcribit. 1. Paterfam. & filiusfam. præſertim miles, quod in caſtris acquirit: præterea in quaſi caſtrenſibus, & adventitiis quoad proprietatem. *l Sequitur ff de Vſucap* 2. præſcribit pupillus. *l cit* §. *2* etiam ſine tutore, modò habeat animum poſsidendi. 3. Infans, ſed tutore auctore *l 32.* §. *2 ff. de acquir. poſſ.* 4. Furioſus, quæ ante furorem poſsidere cœpit, uſucapit. *di. l ſequitur.* §. *5. Oſtiens. in Sum. h t n.3.* 5. Servus non ſibi, ſed domino ſuo uſucapit, quia pro eodem poſsidet. Pro hærede, aut iure hæredis nunquam uſucapit, quia vel inſtituitur hæres iuſſu domini, & ſic non ipſe, ſed dominus per eum uſucapit, vel abſque eo adit hæreditatem, & ſic nihil facit. *l. Sequitur ff de uſucap.*

II. Malæ fidei poſſeſſor, ut ex *nu. 2.* liquet, nullo unquam tempore præſcribit: neque hæres ipſius immediatus, quamvis ignoret, mala fide illum poſſediſſe. Cùm enim fictione juris una perſona cenſeatur, & poſſeſsio in illo continuari, eodem vitio tenetur. *l. Cum hæres* 11 *ff de diverſ. temporal. præſcript* §. *Diutina. Inſt. de uſucap.* ubi

cap. ubi habes. Si ille (*defunctus*) initiũ juſtũ non habuit (id eſt, ſi malâ fide cœpit poſſidere) hæredi, & bonorum poſſeſſori licet ignoranti poſſeſſio non prodeſt. Idem dicitur in *l. ult. C. communia de uſucap.* Nihilominus, ſi conſcientiæ ſtatum conſideres, non videtur denegganda illi præſcriptio annorum 30. numerando à die, quo ad eum bonâ cum ipſius fide poſſeſſio pervenit. Neque obeſſe poteſt præſumptio, quâ leges civiles nituntur, quia cenſetur deſinere in novo poſſeſſore, qui eam bonâ fide accipit, & ſic acceptam eadem fide continuat. Ita ſentiunt *Bart. Dyn. Bellamera, Alexander Conſil.* 110. *num.* 7. *& alii per Baldum relati Mynſing. Decade* 5. *Conſilio* 48 *Layman. l.* 3. *tract.* 1. *c.* 8. *num.* 18 *Leſſius c.* 6. *Dub.* 12. *num.* 42. *Molin Diſp* 65 *Treutler. Vol.* 2. *Diſp.* 22. *n.* 6.

III. Qui alio titulo, quàm hæreditatis, puta, donati, legati, empti &c. à malæ fidei poſſeſſore rem accipit, præſcribere poteſt tempore ordinario, exceptis duobus caſibus *Primus* eſt, ſi res immobilis ſit, & is, contra quem præſcribitur ignoret, eam ab alio poſſideri. *l. Authentica male fidei C de long temp præſcr. Secundus eſt*, ſi res furtiva ſit, aut vi poſſeſſa. Tunc enim ad præſcribendum 30. annorum ſpatium requiritur. *Inſtit. de præſcript.* §. *Furtivæ. l. an vitium ff. de diu tempor. præſcri. ubi dicitur*, fidem auctoris non obeſſe emptori, vel legatario Nam in ejuſmodi eventu mala fides auctoris non circa proprietatem. Sed ſolam rei poſſeſſionem verſatur. *l. pupillus ff. de his quæ in frau. creditor.* Quod ſi contigerit, rem poſſeſſoribus vacare, uſu capi poterit ordinario tempore per eum, qui emerit, vel dono acceperit ab uſurpatore. §. *quod autem Inſtit. de uſucap.* Neque enim furtiva, neque vi poſſeſſa eſt. Quanquam hoc Jus correctum videri poteſt *Novella* 119. *c.* 7. *ubi Iuſtinianus.* Si verus alienatarum rerum Dominus, & quod ei res competũt, & quia alienatio facta eſt, non aliter hunc excludi (ſancimus) niſi per tricennalem præſcriptionem, non valente dicere eo, qui res hoc modo poſſidet, quia ipſe bonâ fide poſſidet, quando ipſe à malâ fide poſſidente hoc accepit. *Schneidevvin. l.* 2. *Inſtit. tt.* 6. *num.* 66.

IV. Contra actionem perſonalem præſcribi poſſe, ita ut denegetur actio creditori, qui certo tempore non exegit debitum probabile videtur *Adriano quodl.* 6. *art.* 3. quem ſequitur *Leſſius Dub.* 6. *nu.* 20. allegans Caroli V. auctoritatem, qui Anno 1540. Bruxellæ ſtatuit, ut famuli mercedem exigant intra biennium, à die, quo deſierunt ſervire, alioqui non poſſint eam petere in judicio niſi ſcripturam producant. Verùm per hoc non liberatur quiſquam in conſcientia ab obligatione, qua juſtam mercedem famulis ſuis debet. Imò, ſi conſtaret in foro externo, mala fide non ſolviſſe, condemnandus eſſet. Nam ſcienti malam fidem ſuam nulla præſcriptio currit. *V. Card. Lugo D.* 7. *Sect.* 4.

V. Certi & indubitati juris eſt, inchoari non poſſe præſcriptionẽ à dubio, & ancipiti animo, ſed an ſuperveniẽs inchoatæ præſcriptioni dubitatio impediat illam, dubitatur. Nec deſunt affirmantes, inter quos *Major, Adrianus, & Soto l.* 4. *de juſt. quæſt.* 5. *art.* 4. *verſu ſupereſt ergò tandem.* Sed hodie contraria ſententia obtinuit, ſufficere poſt adhibitam ſufficientem diligentiam neſcire rem alienam eſſe.

Quod colligitur ex *c. ult. de præſcript.* In nulla temporis parte habeat rei alienæ conſcientiam. *& c. ſi Virgo 34. q. 1.* In jure prædiorum tamdiu unuſquiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiu poſſidere ſe ignorat alienum. Conſonat *Gloſſ. in c ult. h. t. Abb. Medina Covar. Silv. Navarr. Molina Diſp. 63. Sanch. l. 2. de matr. D 41. Suar. Tom. 11. de relig. l. 4. c. 5. Leſſ. c. 6. Dub. 3. Ratio* Manifeſta eſt. Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, de cujus Regulæ vi, & extenſione poſt alios conſulendus eſt. *Franc. Bardus de conſc. dubia diſcurſu 5. cap. 4.*

VI. Qui ignorantia juris laborat, etjam invincibili non præſcribit *l. 31. ff. de uſucap.* Nunquam in uſucapionibus juris error poſſeſſoribus prodeſt. *l. 4. ff. de jur. & facti ign.* Juris ignorantia in uſucapionibus negatur prodeſſe: facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat. Contrarium *Medina docuit C. de reſtitut. quæſt. 17.* eò quòd ignorantia Juris bonam fidem adfert. Sed meminiſſe poterat, non ſufficere bonam fidem Theologicè id eſt, bonam conſcientiam, ſi adſit mala fides civiliter, id eſt, quæ vitium aliquod ex lege habet, quæ præſcriptioni reſiſtit. Nam *l. quemadmodum C. de agricolis, & cenſitis* dicitur. Malè fidei poſſeſſorem eſſe nemo ambigit, qui aliquid contra legem mercatur: a[illegible]ò ut uſucapere non poſſit. Excipe 1. ni[illegible] ignorantia juris dubii, de quo ni[illegible] variæ Doctorum ſententiæ [illegible] *l. 1 Conſil. 9. de off. Iud. ordi-* [illegible]. Excipe 2. Si ignorantia juris civiliter in culpa cenſeatur, qualis eſt in milite, in minore 25. annis, & ruſtico non habente, quem conſulat. *Molin l. 2. de primogen. c. 7 n. 69 Leſſ. D. 5. num.* 17. Excipe 3. Præſcriptionem quoad fructus. Nam qui inculpatè exiſtimat, jus ſibi competere, fructus rei à ſe bona fide poſſeſſæ capere poteſt. *Bart. in l. ſed etſi §. ſcire ff. de petit. hæred. Layman. l. 3. tract. 1. c 8. num. 11.* Præterea ſciendum eſt, licet ignorantia juris præſertim clari, non proſit, ad præſcribendum, prodeſt tamen, ubi de damno vitando agitur, *teſte Papiniano l. 7. ff. de jur. & fam. ign* Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus; ſuum verò petentibus non nocet. Quocirca, ſi contingat rem plenè præſcriptam à te per errorem reſtitui Domino nunc primùm cognito, in judicio repetere poteris, tanquam indebitè ſolutum. Nam *in l. omnes C. de præſcr. 30 vel 40. annor.* expreſsè dicitur eum, qui uſu cœpit, pleniſſima munitione ſecurum eſſe, videlicet, ut à nemine impugnari poſſit, & ipſe nemini propterea obſtrictus ſit, dominio rei alienæ per legitimam uſucapionem in utroque foro ad ſe translato. *Abb in c. cum non liceat de præſcr. Glo. Abb. Cajet. Soto Covarr. Felinus, Andreas. Fachinæus l. 8. c. 28. Molina Diſp 61. & 64 Molina tract. 2. Diſp. 63. Concl. 1. Fill tract. 31. c 9. num. 201. Layman. l 3. ſect. 5. tract 1. c. 8. Palao tract. 31. D. uñ pun. 8. Dynus in Reg. Iur 13. in 6.* Ignorantia facti non Juris excuſat. Ubi non tantùm prodeſſe docet ignorantiam Juris, cùm de vitando damno agitur, ſed etiam cùm lucrum appetimus, quod videlicet abſque alterius injuria comparari poſſit. Contrarium *Medina tenet* C. *de reſt. quæſt.* 17. exiſtimans in foro conſcientiæ ignorantiam invincibilem nemini obeſſe. *V. Palao loco cit.*

§. IV.
Quæ res præſcribi poſſint.

I. Uſucapiuntur & præſcribuntur res omnes corporales, ſive eæ mobiles ſive immobiles ſint: illæ quidem per triennii, hæ verò per longi temporis poſſeſſionem *Inſtit de uſucap.*§.1.Incorporales quoque ut ſuperius diximus; niſi aliquâ lege, aut ſpeciali ratione earum uſucapio & præſcriptio impediatur. Prohibentur autem

1. Res uſibus publicis addictæ, ut forum, theatrum, via publica, & ſimilia. *l uſucapionem ff hoc tit.l præſcriptio* C. *de opere pub. l. diligenter* C. *de aqua ductu.* Et obtinet hoc quamvis populus, & civitas prænominatis locis non utatur.

2. Res ſacræ & religioſæ, loca & jura Eccleſiaſtica *Inſtit.de uſucap.*§.1 quia ejuſmodi res à commercio hominum ſejunctæ ſunt. Si autem contingat ex ſacra re profanam fieri, puta hoſtium improbitate, uſucapi poterit *c cùm loca ff. de relig. & ſumpt. fun.* Jura Eccleſiæ i(e)ò Laici non præſcr bunt, quia illa poſſidere nequeunt.*c.cauſam de præſcript. Zypæus l* 1.*de juriſdict. Eccleſ c.* 57.

3. Jus decimarum poſt Concil.Later. à Laico non poteſt præſcribi propter eandem cauſam *c.cit.cauſam* Jus patronatus verò in Eccleſia non libera, ſed jure patronatus grava'â alius contra alium præſcribere poteſt ſpatio annorum 40. Generali.*c querelam de elect.in* 6. *& c. conſultationibus de jure patron. V. Barboſ. in c. Cura de jure patron.*

4. Licet titulus beneficii Eccleſiaſtici non præſcribatur, ut §.2.n.17. diximus poſſeſſor tamē adverſus eum, qui verum titulum habet, tempore ordinario præſcribere poteſt.*Glo in c.conting. de dolo, & contum.Panor.ib.*Requiritur autem in hac præſcriptione bona fides, & titulus coloratus, ſeu veroſimilis.*Con. in reg poſſeſſ.par.* 2 § 10.*n* 9.*Balb.de præſcr.par.*3.*q*.10.

5. Contra obedientiam Superioribus debitam, viſitationem, & procurationē, quæ ratione viſitationis competit, nulla præſcriptio vires habet.*c.cum non liceat h. t.Con.Tr.S.*24.*c.*3.*de reform.* Fieri nihilominus poteſt, ut jus viſitandi à Capitulo contra Epiſcopum præſcribatur, ſecundùm doctrinam *Azor part.*2.*l.*3.*c.*40. *q* 8 *& part.*111.*l.*1.*c.*20.

6. Res indiviſè communis pluribus ab uno ſociorum non præſcribitur *l.communem ff. quemadm. ſervitus amitt. V. Boer. Deciſ* 58. Denique non præſcribuntur, quæ meræ facultatis ſunt, ut fuſius explicat.*Gail.l.*2 *obſ.*18. *de reliquis V.ſupra* §. 2 *Tuſch.concl.*534.

§. V.
Quando dicatur præſcriptio non procedere, dormire, & interrumpi.

I. NOn procedere præſcriptionem dicimus, quando ob impedimentum aliquod non incipit, vel non poteſt incipere. Hujus quatuor modi inveniuntur. *Primus*, ſi deſit poſſeſſio civilis. Sola enim naturalis minimè ſufficit.*l ſine poſſeſſ. ff.de uſuc Thol.l* 40.*c* 4. *Secundus*, ſi titulus deſit, nō poteſt inchoari præſcriptio, niſi tricennalis, & quæ illâ major. *Tertius*, ſi bona fides abſit, ut ex dd. §. 3. liquet. *Quartus*, ſi res prohibita ſit alienari, ejuſmodi eſt fundus dotalis, legatum, fideicommiſſum, bona adventitia filii,

filii. *Inſtitut quibus alienare licet. Schneidevvin. l. 4. tt. 6. §. de Publiciana VVeſenbec. l. 44. ff. tt. 3. Azor l. 7. Summ. §. 39. Vallenſ. l. 2. tt. 26. & 2. & ſequ.*

II. Præſcriptio dormire cenſetur, quã do poſtquam inchoata eſt, aliquanto tempore ceſſat, eoque finito, quaſi reſurgit, & cum præcedenti tempore continuatur. Sic dormit 1. tempore belli, quando leges & fora ſilent, homines aliò fugiant. 2. tempore peſtis, quo inter cives magna ex parte commercia languent. 3. Contra Eccleſiam, ceſſat, quando Rectore viduata eſt. 4. quando agere non poteſt is, contra quem inchoata eſt, quales ſunt pupilli uſque ad annum ætatis ſuæ decimum quartum expletum in mare; in ſemina autem duodecimum: uxor item vivente marito. *Caſtro Palao tract. 31. Diſp. un. pun. 22. § 16. Tholoſ. l. 40. c. 6 num. 10. & ſequ.*

III. Interruptio generatim loquendo duobus modis contingit, primò naturaliter, ſecundò civiliter. *Connanus l. 3. c. 14. n. 1.* Naturaliter interrumpitur, cùm incipit deeſſe conditio aliqua ad præſcribendum neceſſaria, poſſeſſio nimirum, aut bona fides. Civiliter, quando per actũ aliquem judicialem, puta litis conteſtationem interpellatur. Triennalis tamen non interrumpitur litis conteſtatione: ſed ſi condemnetur præſcribens, reſtituere tenetur: ſecus retinere exacto triennio poteſt. Decennalis, vicennalis, & tricennalis litis conteſtatione interrumpitur. Si tamen actor ſuccumbat, vel litem deſerat, non cenſetur interrupta. Similiter, ſi nõ niſi animo interrumpendi præſcriptionem moverit litem. Quod ſi litem conteſtari quis non poteſt, proteſtatio coram viris idoneis, & querimonia ad interruptionem proderit. *V. Balbum tr. de preſcr q. 6 Raym. & Silv. V. præſcriptio n. 12. Armillam eod. Tuſchum Concluſ. 386. Vallenſ. lo. cit Antonin part. 2. tt. 1. c. 15. §. 7. Tholoſ. l. 40. c 6. Leſſ. c. 6. Dub. 16.*

§. VI.

De reſtitutione in integrum adverſus præſcriptionem.

ILlis, qui damnum ex præſcriptione amiſſis bonis ſuis perpeſſi ſũt, hoc medio reſtitutionis uti licet, & interpellata Judicis auctoritate petere, ut in priorem ſtatum reponantur. Eſt enim reſciſſoria, vel reſtitutoria actio, qua rem noſtram ex alienis manibus domum revocamus, & recipimus. Convenit autem 1. minoribus ætate, qui viginti quinque annos nondum explerunt *l. 3 & 5. C. de in integr.* 2. Eccleſiæ, & piis locis, licet 40. annorum præſcriptio ſit. *Glo. & DD. in Authen. quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ. V. excluduntur.* Eccleſia enim habet privilegium minorum, eſtque inſtar minoris & pupilli, ut DD. tradunt *in c. 1. & 2. de reſt. in integrum lib. 6.* Nec intereſt ſciverint, vel non ſciverint præſcriptionem, potuerint impedire, vel non minores, & Eccleſiæ *Cov. ad Reg. poſſeſſor. part. 3 §. 3. n. 3.* quia propter imbecillitatem ætatis, & mentis privilegium illud minoribus conceſſum eſt, & inde ad Eccleſiam, & pia loca extenſum. Conceditur autem per quatuor annos poſtquam ſciverint completam adverſum ſe præſcriptionem eſſe. *l. fin. C. de tem. in integ. reſtir.* 3. majoribus ætate etiam permittitur prædicta reſtitutio in præſcriptione decem, & viginti annorum, dummodò

Digitized by Google

dummodò cum juſta, & probabili ignorantia ſua, aut omnino abſque negligentia ſua conſtet, præſcriptionem factam eſſe. Ignorantia enim ſufficiens cauſa reputatur ad reſtitutionem concedendam, quemadmodum *Bald in l. 1. nu. 24 C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. Anchar. Conſil. 70. n. 3. Curtius Senior in Conſil. 82. n. 2. Felin. in c. Vigilanti de præſcr. Gaill l. 2. obſ. 19 n. 18.* vocans communem opinionem. Iiſdem majoribus quatuor anni dantur pro tempore utili, ſicut minoribus. At in præſcriptione 30. & 40. annorum à prædicto beneficio excluduntur. Quia tanti temporis lapſus negligentiam arguit majorē, quam cui favor, & gratia ulla tribuenda ſit. *V. Tuſch. Concl. 587. & V. reſtitutio in integrum Concl 289 DD. in c. 1 & 2. de reſtit. in integr. Molin. Diſp. 80. Leſſ. c. 6. Dub. 18. Laym. l. cit. c. 8. ci. fin. Regin. l. 10. nu. 300 & 301. Greg. Lopez l. 28. tt. 29 par. 3. Palao l. cit. §. 17.* etiam 30. aut 40. annorum præſcriptionem majoribus concedendam eſſe probat, contra quàm *Cova & alii nonnulli* faciendum contendunt. Idem de probabili ignorantia aſſerit *n. 4.* Secutus *Comitolum, qui l 7 q. 17.* omnino perſuadere nititur, ignoranti præſcriptionem non obeſſe. Contrarium verò leges præſumunt.

TITULUS XIV.

De immunitate Eccleſiaſticâ.

IMmunitas Eccleſiaſtica eſt Jus, quo loca, res & perſonæ Eccleſiaſticæ à cōmuni onere, ſeu obligatione liberæ, & exemptæ ſunt: alibi libertas, & exemptio vocatur. *arg c. adverſus de immun. Eccleſiar.* DIXI, loca, res, & perſonas pluraliter, quia unius alicujus particularis loci vel hominis exemptio immunitatis Eccleſiaſticæ nomen non meretur, quando hæc univerſitatem, & ſtatum generaliter concernit. Triplicem eſſe aſſignata definitio indicat. 1. dicitur localis, quia Eccleſiis, & ſimilibus locis religioſis tribuitur. 2. realis, quæ rebus & bonis convenit. 3. perſonalis, quæ perſonis Eccleſiaſticis debetur. De hac immunitate nonnulla in *Parte prima tit. 1. § 4.* diximus, quibus hic reliqua addemus. *V. Vallenſ. l. 3. Decretal tt. 49. Azor To. 11. l. 9. c. 10.*

§. I.
De immunitate locorum ſacrorum.

I. INmunitas Eccleſiarum conſiſtit *Primò* in eō, ne in illis celebrentur emptiones, venditiones, negotiationes, & nundinæ: item univerſitatum, & quarumcunque Societatum concilia, coitiones, & publica parlamenta, multò minùs fœda, & profana colloquia, & quæcunq; alia, quæ divinum officium perturbare poſſunt, abſtinendum quoque à litibus, & judiciis ſæcularibus, præſertim criminalibus, quæ ſanguinis pœnam irrogent. *c. 1. & c. Cùm Eccleſia h. t. c. ceſſent eod in 6.* Alia illorum ratio eſt, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, ut manumiſſio, colla-

 t-

tio graduum Academicorum, & ſimilia. *Secundò*, ne domus à Clericis inhabitatæ, vel à Laicis conductæ, multò minus ipſarum Eccleſiarū propriæ ſerviant hoſpitibus recipiendis: niſi fortè prius quàm Eccleſiæ obtinerent ejuſmodi oneribus fuerint gravatæ, aut inopinatus Principis adventus id exigat. *Tertiò*, ne in illis recipiātur ſuppellectilia privatorum, niſi urgeat neceſſitas, & metus amittendi. *c. fin. de cuſtodia Eucharistia*; ea lege tamen, ut ſublatâ neceſſitate iterum efferantur. *Quartò*, ne in propugnacula, & Caſtella transformentur, vel in ſervitutem redigantur à Laicis *c. Sanctorum* 10. *q.* 1. Epiſcopus tamē in caſu neceſſitatis permittere poteſt, dummodò ceſſante neceſſitate in priorē ſtatum reducantur. *Quintò*, in eo, quòd reus ad Eccleſiam confugiens extrahi ad pœnam aut mortem non poſſit, de quo poſtea. Hoc enim Eccleſiæ honor, & dignitas exigit, ne ethnicorum aræ, & ſtatuæ potiores eſſe videantur. *Piaſec. part.* 2. *c.* 4. *Gutierus l.* 1. *c.* 1. *Covar. Var. l.* 2 *c.* 20. *nu.* 14. *Silv. V. Immunitas num.* 3. *& ſeq.*

II. Immunitate gaudent omnium primò templa, & ſacella auctoritate Epiſcopi conſtituta & cōſecrata, vel alio modo deputata ad publicum ſacrificii, & ſacramentorum uſum. *c. pen. de immun. Eccl. ubi Greg. IX.* Eccleſiæ, in quâ divina myſteria celebrantur, licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur, quia obſequiis divina myſteria celebrantur. Sic interpretantur DD. apud Barboſam, ut etiam de aptitudine valeat. Sufficit enim, ſi inibi poſſint divina celebrari. Nec obſtat, ſi interdicta eſt. *Silv. n* 2. Idem de Oratoriis dicendum licet non conſecratis, modò ad ſacrum uſum Epiſcopi auctoritate deputata ſint. *Panor. in c. cit. h. t. Covarr. l.* 2. *Var. c.* 20. *n.* 4. *Silv. V. immun n.* 1. *Angel. ib. n.* 25. *Tabiena n.* 14. *Armill. n.* 10. *Greg. Lopez par.* 1. *tt.* 11. *l.* 4. *Iul. Clarus l.* 5. *receptar* §. *fi. q.* 30. *n.* 4. *Paz. pract. Tom.* 1. *par.* 5. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 24. *Sanchez l.* 6. *Conſil. moral c.* 1. *Dub.* 7. *Zerola par.* 1. *V immun. Piaſec l* 2. *par.* 4. *n* 53. *..z.* 11. *l* 9 *c.* 8. *Em. Sa V Eccl. immun. Caniſ. in Sum. l.* 2. *tt.* 24. *Lupus tract. de poteſt. Eccleſ. p.* 2. *q.* 11. *Suarez in defenſ. fid. Cathol l.* 4. *c.* 1. *Zyp. de juriſd. Eccl l.* 1. *c.* 34. *Filliut. tract.* 24 *c.* 9. *num.* 236.

III. Eandem immunitatem participant cœmeteria. *c. cùm in Eccleſia h t. & ibi Abb. Navar. c.* 25 *num.* 17. *Silv. V. immun. n* 3. *Tuſchus concl.* 227. Idem domus Epiſcopi, Monaſteria hoſpitalia, aliaque pia loca. *Barb. in c. Eccleſia de immun. Eccl. Gambacurta l.* 4. *c.* 1. a [illegible] quoque, porticus, templorum, ſacriſtia, & habitacula. *c. ſi quis contumax* 17 *q* 4. Nam quæ locis religioſis adhærent, religioſa ſunt; *l.* 44. *ff. de rei vendicat.* Comprehendi etiam domos, & atria, & quæcunque loca exiſtentia in circuitu quadraginta paſſuum in Eccleſiis majoribus, in minoribus verò triginta, *c ſicut antiquitus, & c. quiſquis eadem quaſt. quarta* dicitur. Domos dico Clericorum, imò Laicorum quoque conſtructas intra prædictos limites, ut *Barb. in c. ſi quis contumax* 17. *q.* 6. notat, præſertim, ſi Laici illi Eccleſiæ inſerviant, pulſando campanas, Eccleſiam mundam ſervando, & ſimilia præſtando. *Idem Barb.* advertit immunitatem localem de ſpatio 30. & 40. paſſuum non habere locum in Eccleſiis, quæ ſunt intra ambitum caſtellorum, & hoc propter anguſtiam loci. *Alex. Conſil.* 145. *Germon. l.* 3. *c.* 16. Hodie

Digitized by Google

dic verò non videtur ullibi in uſu eſſe. *Em. Sa. V. Eccl. immun. num. 1.*

IV. Ut Synodi olim in Eccleſiis agebantur, ſic etiam cauſæ Eccleſiaſticæ. *c. preceptum 2. q. 2. c. qua fronte de appell.* nunc verò poſtquam judiciorum forma cauſidicorum & rabularum abuſibus ſanctitatem amiſit, conſultius viſum eſt, extra Eccleſiam in certis domibus aut conclavibus judicia celebrare. Nulla igitur hoc tempore quo adhoc, inter ſæcularem & Eccleſiaſticum Judicem differentia eſt. Uterque Eccleſiam vitat, & alibi dicaſterium frequentat. Sed nonnullis viſum eſt durius, quod *Greg X. in c. decet de immun. Eccl. in 6.* Judicum ſæcularium ſententias in locis Deo dicatis prolatas omni robore firmitatis carere vult, quaſi per hoc falcem in alienam meſſem immittat. Sed tum ratione loci, tum peccati ea poteſtas ſummo præſuli competit, ut notatur in *c. 1 de uſuris in 6.* Et ſanè æquum eſt ex regulâ Juris, (*quæ eſt 64. de Reg. Iur in 6.*) quòd ea, quæ contra jus fiunt, pro infectis habeantur: nec rationi adverſatur, quod juriſdictionem ſuam pœnali ſententia judex tueatur. Quin etiam prædicta pœna ut ſæcularis videatur, ad finem ſpiritualem à Gregorio intentum deſervit, eoque ſe ipſius ſuprema poteſtas extendit. *Zypæus l. 1 de juriſdict. cap 34. num. 14. V. quæ dix. in part. 1. Sum. tit. 14. §. 2. & 3.*

§. *II.*

De immunitate Eccleſiæ reali.

I. PRimos Chriſtianos venditis bonis ſuis eorumque pretio in unum collato, communem vitam egiſſe, inde alimoniam cœpiſſe ex *c. 4. Actor.* notum eſt Eccleſia dominium, & adminiſtrationem præpoſiti, diſtributionem Diaconi habebant. Poſtea verò hominum numero & poſſeſſionum acceſſu majore conſultius viſum eſt, ipſa prædia & immobilia bona Eccleſiis tradere, ut ipſa ex eorum reditibus ac proventibus annuis miniſtris & officiales aleret, quemadmodum in lege veteri quoque, non tantum fructuum decimas, ſed etiam certam partem civitatum ac prædiorum in ſingulis tribubus ex Dei mandato Levitæ poſſederunt. *c. 34. Numer.* De illis ergo bonis, quæ Eccleſia in communi poſſidet, ſive dominii, ſive adminiſtrationis titulo, qua immunitate gaudeant. Quamvis nam de proventibus perſonarum in *prima part. tt. 1. §. 4.* Satis dictum eſt.

II. Bona Eccleſiarum propria non vinciuntur, aut gravantur legibus civilibus, quæ circa donationes, teſtamenta, aut contractus aliquid diſponunt. Unde primo quilibet rem ſuam Eccleſiæ donare poteſt. *l. Generali l. Iubemus de Sacroſ. Eccl.* 2. donare inter vivos ſine inſinuatione, quamvis excedat quantitatem 500. aureorum *l pen. C. de donat.* Imò excedere ſummam prædictam licet, quouſque placuerit *Oſtienſ. & Ioan Andr. in c. ult de ſolut.* 3 legata teſtamento relicta Eccleſiæ valent, licet teſtamentum ſolenni juris forma careat. *c. Cum eſſes. de teſtam.* Duo vel tres teſtes ſufficiunt, quamvis jus civile ſeptem requirat. Imò ſi irritum omnino fuerit teſtamentum, *Cov. in c. relat. de teſt.* Neque intereſt, ſive hæres hæreditatem adeat, ſive non, ut Cov. citat. probat ex *c. Raynald de teſtam.* 4. dominium rei in Eccleſias transfertur ſolo pacto id eſt nuda rei promiſſione, cùm tamen in aliis neceſſaria ſit traditio. *l. ut inter divinas C. de Sacroſ. Eccl.* In emptione tamen requiritur ſolutio pretii, vel fides de illo. 5. Quod ex

pecunia Eccleſiæ emptum fuerit, etiam citra nomen ipſius Eccleſiæ acquiritur Eccleſiæ *c. Apoſtolicos* 12.*q*.2. *& Gloſſ.ibid. in verb conſtruxiſſe.* 6. Contra Eccleſiam proprio Prælato carentem nulla præſcriptio currit; & ſuperior Prælatus poteſt agere pro ea. *Innoc.in c.olim de reſtitut. Spoliator.* 7. Eccleſia jure minoris & reip. fruitur, omniaque illius privilegia participat. *Gloſſ & Panorm.in c auditis de in integ.reſt.* Unde bona Prælati, pro adminiſtratione bonorum Eccleſiæ tacitè obligata ſunt. *Az.part.*11.*l.*9.*c.*10 §.*ſeptimum.* 8. Bona Eccleſiæ pro debitis alienis obligari non poſſunt. *c.*2. *de ſolut.* 9. Eccleſia non debet, vectigal, gabellam aut pedagium ex ſibi donatis & legatis. *Tholoſ.l.*3. *c.8.c. quamvis & duob. ſequ.*23. *q.* 8. *V. Zypaeum l.*3 *conſultat.Canon.Conſult.*1. 10. Eccleſiæ, Monaſteria, Hoſpitalia, aliaque pia Domicilia non obligantur ad lucrativam deſcriptionem *c.in qualibet* §. *ſancimus* 23.*q*.8. Eſt autem lucrativa deſcriptio, quarta pars bonorum, quæ à Curialibus relinquuntur extraneis, quam Fiſcus, ſeu Curia ſibi vendicat, exceptis, quæ relinquuntur ipſis curialibus, & eorum conjunctis. *l.*1. *&* 2. *C.quando & quibus quarta pars debetur.* 11. Eccleſiæ & loca pia, ut hoſpitales domus pietatis cauſa conſtructæ nullum ſæcularem judicem agnoſcunt. *c.cum ſit generale de fo. compet* Et ſacrilegi cenſentur, qui illis damnum inferunt. *Filliut tract.*15.*c.*6. *num.* 15?. 12. Bonorum Eccleſiaſticorum alienatio ſine præſcripta ſolennitate facta nullius roboris & momenti eſt. ut tt. poſtremo latius explicabitur.

III. Eccleſiæ, templa, Sacella, Oratoria, & ſi quæ his ſimilia loca ſacra auctoritate Epiſcopi conſtructa, & fundata ſunt, non poſſunt in profana loca commutari. Idem de Eccleſiaſticis vaſis, veſtibus, paramentis, cortinis, candelabris & ſimilibus dicendum. *c.quæ ſemel* 17. *q.*3. *c.nulli licet* 12. *q.* 2. *c. Ligna & ſeq de conſecrat.Diſt.*1 *Tabiena V.Eccleſia n.*6. *Layman. l.*5.*tract.*5 *c.*6. *num.*19. *Tuſchus V.Oratoria Concl.*176.177.178. Si autem Legatus Apoſtolicus, vel Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoſpitio recipiendus ſit à Clericis, vel Monachis, vel alio Epiſcopo, poterit Eccleſiaſtica Domus ad quam divertit, ornari cortinis & ornamentis Eccleſiaſticis. *Silv.V.Immun.*§.1.*n.*15. *Ang.n* 65.*eod.*

IV. Duo caſus ſunt, teſte *Antonio Cucchio*, quibus Eccleſia immunitate nō fruitur in bonis ſuis. *Primus*, ſi quis ab initio cùm Eccleſiam fundaret, vel ſuis opibus locupletaret, ut ejus patrocinium nanciſceretur, aliquos ſibi reditus annuente Epiſcopo ſibi reſervavit; tunc enim onus illud Eccleſiæ non licet detrectare. *Secundus*, ſi res aliquod onus habens annexum à Laicis ad Eccleſiam transferatur. Onus enim ſuam rem ſequetur, &, Eccleſiam quoque tenebit. *l alienatio ff. de contrah. empt.Bald.Conſil* 433. Ita *Cucchius* abſque ulla limitatione reſpiciens forte ad *c. ſi tributum* 11.*q.*1.*& c.Conventor* 23.*q*.8. ubi legimus Agri Eccleſiæ tributum ſolvunt. Quod à S. Ambroſio quia permiſſivè tantùm eſt prolatum non probat Eccleſiam ex juſtitia tributum debere, ut *Barb mon. in c.cit.* Si tributum. Igitur Maxima illa *Res cum onere ſuo tranſit*, de onere perpetuo & immutabili accipienda eſt, quemadmodum in 1.*part.Sum.tit.*1.§.4.*n.*7. *exoſuimus Az.par.*111.*l.*5.*c.*19. *Thol.de rep.l* 3. *c.*7.*n.*43. *Piaſec.par.*2.*c* 4. *Ang. Conſil.*206.

Oldra.

Oldrad. Conſil. 2208. *V. tertio quia res Abb. Conſil.* 30. *l.* 2. *Card. Tuſch V. omu. Concl.* 145.

§. III.

De immunitate reorum.

I. CErti & noti iuris eſt reum ex delicto, vel crimine, ſi ad eccleſiam, monaſterium, aliumve ſimiliter exemptum locum confugerit, inde à magiſtratu ſæculari extrahi non poſſe, niſi in caſibus iure, aut conſuetudine permiſſis. Nec tamen omnibus reis ea libertas conceditur. Nominatim à Barboſa in. *c. Cùm eccleſia h. t.* ponuntur. 1. fures ſimplices 2. rei peculatus vel aliàs gravati debitis. 3. fabricatores falſæ monetæ. 4. Sodomitæ. 5. Sacrilegi. niſi intra eccleſiam peccarint. 6. blaſphemi, exceptis hæreticalibus. 7. Simoniaci. 8. offendentes perſonam alicuius principis, ſuperiorem recognoſcentis. 9. effringentes carcerem, indeque ad eccleſiam confugientes 10. banniti, niſi pro crimine excepto proſcripti ſint. 11. Excommunicati. *Iul. Clar. Q* 30 *Decianus l. 6. c. 28. Sanch. l. 6. Conſil. c. 1. Dub.* 8. *Tholos. l.* 33. *c.* 22. *n.* 2. *&* 3.

II. E contra ſecundùm *Conſtitutionem Cùm alias nonnulli. Greg.* XIV. laicis ad eccleſias aliaque ſacra loca confugientibus immunitas eccleſiaſtica non ſuffragatur. 1. ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur. 2. depopulatores agrorum. 3. qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis eccleſiis, earumque cœmeteriis committere non verentur. 4 qui proditoriè proximum ſuum occiderit 5. aſſaſini 6. hæretici 7. læſæ maieſtatis in perſonam ipſiusmet principis rei. Ita Greg. Mandat deinde omnibus eccleſiarum, & Sacrorum locorum præpoſitis, ut eiuſmodi criminum reos, ad eccleſiam confugientes, à Curia ſæculari requiſiti tradi, ac conſignari curent. Abſque conſenſu verò epiſcopi, vel alterius, ad quem ſpectat, nulli ſæcularium quenquam capere, vel extrahere licet; ſed cognita per epiſcopum cauſa ſi culpabiles inventos recuſaverint tradere illos, conceditur extrahere laico magiſtratui, quam minimo id fieri poteſt, ſcandalo, & tumultu. Poſtquam extracti fuerint, & capti, ad carceres curiæ eccleſiaſticæ reponi & inibi ſub tuto, & firmo carcere ac opportuna cuſtodia, data illis, ſi opus fuerit per curiam ſæcularem, detineri debent, nec tradi poſſunt, niſi cognito prius per epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato epiſcopi per Iudicem eccleſiaſticum curiæ ſæculari quacunque appellatione poſtpoſita conſignentur. De crimine verò hæreſis cognitio ad forum eccleſiaſticum tota pertinebit. Denique qui contra prædictam conſtitutionem aliquid attentarit, cenſuras & pœnas violatoribus eccleſiaſticæ libertatis in iure conſtitutas ipſo facto incurrunt *V. Pias p* 326.

III. Ex his deducitur 1. non amittere privilegium immunitatis eccleſiaſticæ eum, qui in Eccleſia quantumlibet magnum, & atrox crimen præter homicidiũ, & mutilationem membrorum perpetravit. 2. neque illum, qui exiſtens in eccleſia alium foris exiſtentem iaculo, aut ſclopo transfigit. 3. neque illum, qui ſive intra, ſive extra eccleſiam mandat alterius occiſionem. Nam licet homicidii reus ſit, non poteſt propriè appellari occiſor. 4. gau-

Digitized by Google

dere immunitate eccleſiaſtica illum, qui in atrio, vel ſcalis conſiſtens hominem occidit, quia non occidit in ipſa eccleſia. 5. eum, quoque qui inimicum ſuum nō proditoriè, ſed ex inſidiis occidit. Nam proditoriè occidere ſimulationem amicitiæ præſupponit 6. eum, qui pecunia conductus ex mandato alterius occidit aliquem præſente ipſo mandante, quia nō eſt propriè aſſaſinus. 7. eum, qui quemquam in duello occidit, aut crimē nefandum commiſit, quia neutrum in Gregoriana Conſtitutione excipitur. At qui veneno aliquē occidit, ex communi ferè DD. ſententia immunitate eccleſiaſtica privatur, quia proditoriè occidentibus annumeratur. Aliqui tamen Summum Pontificem ab epiſcopo conſulendum eſſe volunt. *Pias. Par 2. c. 4 n. 53 Diana Par. 1. Tract. 1. Bonacin. Diſp. 2. Q. 3. pun. 16.*

IV Quamdiu in eccleſia reus commoratur, victus, & veſtitus illi conceditur. *l præſente C. de his, qui ad eccl fug* Cuſtodia tamē apponi poteſt, ne pro libitu effugiat. Si quæ ſecum intulit, nequaquam auferenda illi. *c. Definivit. 17. q* 4. ubi additur, per omnia licitum illis in 30. paſſus ab eccleſiæ ianuis progredi: in quibus 30 paſsibus uniuſcuiuſque eccleſiæ in toto circuitu reverentia defendatur Iam ſi veſtis ſola, vel aliqua corporis pars, ut brachium, aut caput foras propendeat, non cenſetur propterea extra limites immunitatis eſſe. *Covar l. 2. Var. c. 20. nu. 17.* Quod ſi per vim extractus fuerit, reſtituendus eſt cum omnibus rebus & bonis, quæ ablata fuerint, nec propter alia delicta à judice detineri poteſt. *Barb. ad c. Inter alia. h. t. Filliut. Tract 15. c. 6 n. 154.*

V. Quod clericos attinet, ſi poſt patrata delicta ad eccleſias confugiant, beneficio immunitatis extra caſus à *Greg* XIV. in bulla ſua comprehenſos gaudere debent. *Sa. Congr. epiſcop. & Regular. in Tropienſi. 24. Ian. 1607.* Et hic reſcriptum quoque Eccleſiæ Averſæ fuiſſe teſtatur *Carolus Maranta Tom. 11. reſp. 50. nu. 6. Decianus l. 6. c. 26 nu. 1. Barb. in Summa Apoſtol decis Collect. 97 nu. 6. & c. cùm Eccleſia h. t. Zerola Par. 1. V. Immunitas nu. 8. Gambacurta fusè l. 4. c. 11. nu. 5.* Non ſunt enim deterioris conditionis, quam laici. Verùm *Panor. in c. Inter alia. de immun. eccl n. 13.* docet, Iudicem eccleſiaſticum poſſe clericum invitū ab eccleſia abducere ad criminis punitionem, quod conſuetudine, & moribus obtinuit, *teſte Ioa Bern Diaz in pract criminali. c.* 125. qui tamē aſſerit, contrariā opinionē magis communē eſſe, eamque ſervandam, ubicunque crimē à clerico commiſſum dignum eſt degradatione, & traditione curiæ ſæculari. Tūc enim poſt degradationem educi, & tradi poteſt. Alias vel clericus nō eſt ab eccleſia abducendus, aut ſi abductus fuerit, nō eſt curiæ ſæculari tradendus Sed conſiderandū monet *Didacus Covar. l ci. n. 6.* in criminibus, quæ merentur degradationē, & traditionē iudici ſæculari nō obtinere eccleſiarū & templorū divinorū immunitatē, cum atrociſſima ſint, adeoque extrahi, & tradi poſſe. Quæ opinio ante. *Greg. 14.* Bullam Superius allegatā fortè admitteretur: nunc autem nullum ob crimen in ea non comprehenſum immunitas cuiquam neganda eſt. Si tamen ob delictum confugerit ad eccleſiā clericus, ab eccleſiaſtico iudice extrahi poſſe tradit *Nav c 25 n. 21. 22. Clarus q. 30. Silv q. 3 § 3. Remig. Fallentia 21 Laym. l. 4. tr 9. c. 3 n. 11.*

VI. An

Digitized by Google

VI. An monachi gaudeant immunitate eccleſiaſtica, iam pridē à nonnullis quæſitum eſt: Nō gaudere tradit *Baptiſta de Salis in ſumma ſua*, eò quòd rarò aut nunquā exeunt clauſtrum monaſterii Nam ſecundùm regulam eorū, & iure communi poſſunt per eorum Superiores in monaſterio arceri, verberari, & incarcerari: ac ſi opus eſt è monaſterio expelli vel etiā in arctius monaſterium detrudi, prout in iure videmus definitū *c. Vniverſitatis. de ſent. excō.* Mira ſanè ratiocinatio, quæ regularibus eam gratiā tollit, quæ omnibus clericis iure communi tribuitur: & ſupponit, monachos in caſu neceſſitatis nō niſi ad propria monaſteria confugere poſſe. Quid enim, obſtare poteſt, quo minus ad eccleſiā aliquā, aut hoſpitale confugiant. Quis permittet Superioribus, ut inibi eos verberent, vel invitos extrahant contra *Gregorii x.* conſtitutionem iam ſæpius allegatā? Quid de illis *Baptiſta de Salis* diceret, qui expoſiti ſunt ad curam animarū in oppidis, & pagis, annon ad eccleſias parochiales poſt caſum & periculū convolare poterunt: Miniſtros ſuos Eccleſia nō tuebitur? *Dian Par.* 1. *Tr.* 1 *Reſ.* 25. *Gambacur ta l.* 4. *c* 11. *Roderic. Tom.* 11. *q.* 51 *ar* 4. *Sanchez l* 6. *Conſil. c.* 1. *Dub.* 8.

VII. Mancipium aut ſervus, qui propter ſervitium domino ſuo præſtandum libertatis, & otii amore ad locum ſacrum confugit, petenti domino abſque mora reddi debet: ſi verò ob ſævitiam ipſius proripuit ſe, & refugium quærit, non niſi præſtito de impunitate iuramento, reddetur. Hoc præſtito ſi nihilominus detinetur, auctoritate propria extrahere, & velut rem ſuam vindicare poteſt. *c. Inter alia h. t. Az.* 11. *l.* 9 *c.* 9. *q.* 9. *§. quid dicendum.*

VIII. Iudæos, & infideles gaudere immunitate eccleſiaſtica, cenſuit Innocētius in *c. cit. Inter alia. Ioan. Andr. n.* 8. *Oſt n.* 1. *Silv. num.* 2. *Boerius* & alii plures apud *Barb. in c. cit.* Contrarium verò amplexus eſt *Abbas, Covarr Iul. Clarus, Portel. Marquard. Decianus Card. Tuſchus, Rebuffus. Franc. Leo. Ambroſin. Farinac. & alii apud eundem.* Noviſſimè *Gabr. Pereira de manu regia. part* 2. *c.* 40. aſſerit, Maurum, Iudæum, & quemlibet alium infidelem non gaudere hac immunitate, niſi in caſu, in quo ſtatim fiat Chriſtianus. Verùm, ſi verum eſt, quod pro prima opinione Sacra Cardin. congregatio deciderit. Anno 1631. *uti Barb. teſtatur*, illi acquieſcimus. *V. Suar. l.* 3 *de Relig c.* 10. *num.* 9. *& ſeq. Fill. Tr.* 15 *c.* 6. *num.* 149. *& ſeqq.*

IX. Titius ad eccleſiā confugiens, clauſam reperit, ideò manu iniecta anſam, aut vectes apprehendit, nunquid abſtrahi à iudice ſæculari impunè poterit? Reſpondet apud *Covarr. l.* 2. *Var. c.* 20. *num* 17. *Ignaus* abduci non poſſe, & ſi abducatur immunitatem eccleſiaſticam violari, & ſecundum hanc aſſertionem Rotomagi ſæpiſſimè iudicatum fuiſſe, convenienter Sacris Canonibus è quibus id deducatur. Nihil dubii remanet, ſi immunitas ad 30. paſſus ab eccleſiæ ianuis extenditur ita, ut intra illos conſiſtentem non liceat abſtrahere ſine periculo incurrendæ excommunicationis *cap. definivit. c. frater. c ſicut. c ſi quis contumax* 18. *q.* 4. *Layman l.* 4. *tr.* 9 *c.* 3 *n.* 3.

X. Eum qui confugit ad Sacerdotem geſtantem Venerabile Sacramentum, immunem maxima DD. pars pronunciat apud Barb. l. cit. Eandem libertatem aliqui

eum

cum Diana tribuunt reo, qui effugiens manus ſatellitum miſcet ſe, & adhæret perſonis, quæ aſſociant Euchariſtiam, quamvis non tangant Sacerdotem, vel haſtam baldachini. Sed *Gloſſa in c. Quaſitum* non immeritò contradicit, quia privilegium ad non expreſſa extendi non debet. Fortè conſultiſſimum eſt, in eiuſmodi dubiis ad loci conſuetudinem attendere.

XI. Iudex contra immunitatem eccleſiaſticam delinquens iure civili crimine læſæ maieſtatis irretitus, & ultimo ſupplicio puniendus eſt. *l.2. & l preſenti. C. de his qui ad eccleſ confug.* Iul. Clarus *l. 5. recept. ſent. p* 30. n.' Zerola Par. 2 V. *Immunitas. Silv* §. *3 ει. fin.* Iure Canonico autem excommunicari debet, pæna pecuniaria mulctari, & ad publicam pœnitentiam adigi, nec ad communionem eccleſiæ admitti, niſi reſtituat eccleſiæ eum, quem per vim extraxit. *c. Nullus. c ſi quis contumax. c. Quiſque* 17 *q.* 4. Monet autem *Decianus l.* 6. *c.* 29 à prædictis pœnis excuſare cauſam, licet colorata ſit, & conſuetudinem, quæ iuri communi derogavit.

TITULUS XV.

De Templis, & Altaribus.

TEmplum ex carne & oſsibus compoſitum rerum omnium opificem DEUM principio formaſſe *Polydor. Vergil. ait l. 5. de invent. rer. c. 6.* quando ſcilicet primum hominem Adamum ex terra condidit: poſtmodùm ex materiâ tabernaculum DEO poſitum eſſe à Moyſe, ubi preces, & vota DEO exoluerentur, arcam, & tabulas lapideas cuſtodiret. *Exodi* 25. 26. & 27. Equidem corpora noſtra templum eſſe Spiritus Sancti Paulus Apoſtolus quoque monet non uno loco. 1 *Cor.* 3. 2 *Cor.* 6. *V.* 16. Verùm de illo nobis hic nulla quæſtio erit, ſed de materiali templo, ſeu ſtructurâ, quæ domus DEI ab ipſo Salvatore nuncupatur. *Matth.* 21. *V.* 13. *Ioan.* 2. *V.* 16.

§. I.
De ædificatione Templorum.

I. DE templo, ſeu domo in cultum divinæ maieſtatis extruenda primò omnium, quod quidem nobis conſtet, ſollicitum fuiſſe Davidem regem ſacræ literæ teſtantur. *l.* 2 *Reg. c.* 7. & *l.* 1. *paralip. c.* 17. ubi ſumptus quoque, & impenſæ deſcribuntur. DEUS tamen piæ ipſius voluntatis executionem Davidi negatam in filium eius Salomonem transtulit, qui magnificè præſtitit. *l.* 3. *Reg c.* 6. & *ſeqq. Gigan. de crim. læſæ maj c.* 20. *V. Salianum Anno Mun.* 3021. *ubi num.* 62. *ſummam* expenſarum facit. 72. milliones, nongenta, viginti ſex millia, ſexcentos ſexaginta ſex aureos.

II. Primi

Digitized by Google

II. Primi Chriſtiani ad Verbum Dei audiendum, & Sacramenta percipienda in domibus privatis conveniebant propter horribiles perſecutiones, ut hodieque in Angliâ, & Bataviâ, quin etiam in cryptis ſubterraneis, ut ex hiſtoria eccleſiaſtica liquet Non defuere tamen, qui diverſis in locis templa & Oratoria conderent, quæ impiorum furor brevi ſubruit, quemadmodum. *Baron. in Annalibus ſuis notat Anno Chr.* 57 *& Bell* To. 1. *Controv l* 3. *c.* 4. Tandem ſub Imperatore *Conſtantino M.* ſublato pœnarum metu & facta poteſtate bona ſua teſtamento relinquere in pios uſus liberè, quicunque vellent, templa conſtruxerunt ipſius Iuſtiniani exemplo permoti, qui non unam, ſed plures Romæ, & alibi baſilicas maximis impenſis ædificavit; ut videre eſt apud *Baron Anno Chr.* 324. *V. Franc Leon* Par. 1. *Theſauri eccles c.* 12. *n.* 12. *Eckium in Enchirid tt.* 32. *&* 33 *Durantum l.* 1. *c.* 2. *& quæ diximus Tit.* 1. §. 1.

III. Forma templorum communis olim fuit ad ſimilitudinem crucis, habebatque in longitudine tres partes diſtinctas, Porticum, ſeu Veſtibulum, Navim, ſive atrium, ubi populus maneret, & Chorum clericalem, ubi altare maius pro Sacrificiis publicis. In uno latere cuſtodia ſacrarum veſtium, quam Sacriſtiam vocamus, in altero ſacellum erat. Inſuper templi frons Orientem reſpiciebat, tum quia optima mundi pars Oriens cenſetur, tũ quia Chriſtus in cruce pendens faciem occidenti obvertit, ut orantes converſa in Orientem vultu Chriſtum quaſi intueantur: tum denique ut oſtendamus, nos lucem, ac puritatem mentis à Deo petere. *Bellarm l.* 3. *de cultu Sanctor. c.* 3. Addunt alii qui factum à primis Chriſtianis, ut ſeſe à Iudæorum ritibus ſepararent, qui ad occidentem verſi orare ſolent, eò quod tabernaculum Moſis ad occidentem diſpoſitũ eſſet. *Baron. A* C. 58. *S. Thom.* 22. *q* 83. *a* 3. *Suar. l.* 3. *de Orat. c.* 7. *Paulinus ep.* 12 *ad ſeverum Tertull. in Apolog. c.* 16. *Az. Tom.* 11. *l* 9. *c* 3. *Durantus l.* 1. *c.* 3. *&* 14.

IV. Maior Eccleſia per circuitum quadraginta paſſus (al. legunt 60.) capellæ verò, & minores eccleſiæ triginta paſſus habere debent. Ita antiquitus à SS. PP. conſtitutum eſſe *Nicol* Papa *teſtatur in c. Sicut antiquitus* 17 *q.* 4. Vbi ex Iſidoro notat *Barboſa*, paſſum continere quinque pedes, pedem verò quindecim digitos. Addit Glo. prædictum ſpatium non convenire capellis, quæ ſunt intra ambitum caſtellorum propter loci anguſtiam. Sed de hoc ædium ſacrarum ſpatio nullus eſt, qui hoc tempore curam ullam exiſtimet habendam eſſe, ſed quomodo extendere ſpacium, & ſuperare veterum limites queant, omni ſtudio & conatu laborant.

V. Vt templum extruatur in locis non exemptis, requiritur auctoritas, & conſenſus epiſcopi, in exemptis verò ſummi Pontificis. *c Nemo de conſecr. Diſt.* 1. Nemo eccleſiam ædificet, antequam epiſcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult quæ ad luminaria, ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiant. *Conſentit Auth. de eccleſiaſt. titulis. c* 7. Si quis fabricare voluerit venerabile oratorium, aut monaſterium, præcipimus, non aliter inchoari fabricam, niſi locorum ſanctiſſimus epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit cru-

cem. Non eſt autem neceſſarium, ut epiſcopus, quod faciendum præſcribitur, per ſeipſum præſtet; ſufficiet alteri demandaſſe, quemadmodum. *Gloſſa in citatum c. Nemo. annotavit. cui aſſentitur* Selva *de benef par.1.q.6.num.9.* Quid ſi nolis, *ais?* Reſp. Ad id cogi poſſe per Archiepiſcopum, vel alium Superiorem, niſi rationabili cauſa munitus ſit. *c. Nullus de iure patron.* ubi Panorm generatim. Vbi requiritur conſenſus unius in favorem, & gratiam alterius, ſi renuerit conſentire abſque legitimâ causâ, poſſumus ſuperiorem adire, ut cogat eum ad conſentiendum. *Az. l. cit Piaſec* Par.1.c.5.

VI. Non ſufficere Epiſcopi conſenſum tacitum arbitratur Abbas in c. Cura de iure patron. Sed requiri explicitum, ſeu expreſſum. Quia nimirum in illis, quæ odioſa ſunt, cuiuſmodi cenſetur eſſe ius patron, cùm eccleſia pereũ non maneat libera, non ſufficit conſenſus tacitus. Sed eccleſiã extruit cuius patrocinium relinquatur auctori, non ſic grave & odioſum eſt, ut epiſcopi conſenſum impedire, aut retardare debeat. In bonum, & utilitatem eccleſiæ cedit, templa & oratoria erigi à laicis. Nam præter temporalem utilitatem, quam eiuſmodi loca ſacra præſtant, accẽditur, & augetur fidelium pietas, & zelus ad conferendum bona ſua in honorem Dei, & animarum ſalutem promovendam. Multò igitur probabilius videtur ſufficere Epiſcopi qualiſcunque cõſenſus, etiam tacitus, ut ſi ſciverit extrui domũ ſacrã, & non contradixerit, cùm facilè poſſit. *Roibus de iure patron. Selva de benef par.1.q.6.n.21. Zerola.* Par.1.V. *Eccleſ. n.3.*

VII. Dubitatur etiam, an ſub initium ædificandæ domus, vel fundandæ adeſſe oporteat epiſcopi licentiam, & auctoritatẽ? Sufficere, ſi iam conſtructæ adiiciat conſenſum auctoritate *Zabarella Cardinalis, Rochi, Curtii, & aliorum confirmat. Selva l.cit.* Neque id abſurdũ videri poteſt, cùm omniũ iuditio domum in profanos uſus erectam epiſcopus in ſacrã convertere, & conſecrare queat, ſecundùm illud Archidiaconi in. *c. Nemo de Conſecr. Diſt.*1. Si quis ædificet domũ non eo animo & voluntate, ut eccleſia ſit, poteſt epiſcopus eã in eccleſiã convertere, & conſecrare: quẽadmodũ *Boniſac.iv.* Pantheon ab Agrippa omnibus Diis extructum conſecravit in eccleſiam omnium Sanctorum, & alii Pontifices fana Gentilium in eccleſias cõmutantes diverſis Sanctis cõſecrarunt, retenta etiã, ubi fieri poterat annominatione. V g. Apollinis in honorẽ S Apollinaris, Martis in honorem S. Martiales, vel Martini, Minervæ in honorem S. Mariæ. *Bellarm. l.3 de cultu Sanctor. c 4. §. Victor Viteenſis Durantus l.1.c 2.num.4.*

VIII. In alieno ſolo inſcio aut invito domino templũ ſtatuere de nõ ſuo, offerre victimã eſt, Deo ingratam, hominibus iniuriam. *Arg. c. Si ſervus D.54.* Si autẽm cõrigerit, & loci dominus laicus cũ ſciret, nõ contradixerit, eccleſia manebit libera, nullo patronatus iure in laicum tranſlato. Sibi enim imputare debet, qui non contradixit. Si domino fundi inſcio conſtructa fuerit, erit quidẽ libera, ſed qui extruxit, in dẽmnem ſervare dominum tenetur. Ad idem tenebitur epiſcopus, ſi ponendo primarium lapidem, vel poſtea cõſecrando eccleſiam negligent fuit in perquirenda veritate; ita ut damnum domino ſoli illatum integrè compenſetur. *arg. c. Nemo de conſecr. Diſt.1. & c. Comperimus 14.q.3.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi fundus alterius eccleſiæ, vel collegii eccleſiaſtici ſit, eccleſia inibi conſtructa illi ſubiecta erit cum iure patronatus. *c. Quæſiſunt.* 16. *q.* 4. *& c. Apoſtolica* 8. *q.*1.

IX. Novi templi auctor eidem deputare pro ſuſtentatione miniſtrorum & aliis uſibus dotem obligatus eſt *c. Cùm ſicut de conſecr. diſt.* 1. *c. Placuit* 1. *q.* 8 *Auth. de eccles. titulis c. Si quis autem.* De quantitate, & magnitudine dotis ambiguum iudicium eſt, propter diverſitatem loci, temporis, neceſſitatis, perſonarum, & ſimilium. *In auth. Vt nullus fabricet oratorii domos. Verſic. Sancimus*, dicitur, requiri dotem, quæ ſufficiat ad luminaria, cuſtodiam domus, alimenta, & ad ſacrum miniſterium. Epiſcopus ergò penſatis omnibus determinabit, quantum pro temporis, loci. & aliarum circumſtantiarum ratione ſufficiat. Neque hic antiqui nobis Canones uſui ſunt, quia tempora, & non in illis mutati ſumus. *Barb. Deciſ. Apoſt. num.* 440. *Piaſecius* Part. 1. *c.* 5. *num.* 1. addens, ſi Epiſcopus ædificari eccleſiam ſine dote permiſerit, obligatum iri, ex ſuo compenſare *c. Cùm ſicut citat. iun. Glo. Iacob. de Graff. Par.* 2. *l.* 2. *c.* 15. *num.* 9.

X. Eccleſia reſtauratione indigens ſuo ipſius ære reparanda eſt, modò pro fabrica certam portionem aſſignatam habeat. *c. un.* 10. *q.* 3. Si minus ſufficiens eſt, attributa quantitas, contribuet Rector, & qui in ea beneficium habent. *c.* 1. *de eccl. adific. & c Si monachus* 16: *q.*1. His deficientibus Ordinarius, & Capitulum providebit. *c. ul. de his, quæ ſi. à mai. par. Capituli.* Denique ad conſuetudinem flectendi oculi, quæ alicubi obtinuit, ut populus in reparationem eccleſiæ conferat, quia illi ad percipiendum Sacramenta, & cæleſtem doctrinam deſervit. *Tholos. l.* 2. *Synt. c.* 2. *num.* 12. *Iac. de Graff. lo. cit. Armilla num.* 9. *V. quæ diximus in* Par. 1. *tt* 3. §. 3.

XI. Deſtruere vel in profanos uſus cõvertere eccleſiam aut monaſterium nefas. *c. Quoniam.* 19. *q.* 3. *& c Quæſiſunt:* 17. *q.* 4 ubi excommunicationis pœna decernitur. *Roder.* 11. *q* 50. *art.* 6. An verò, qui incendio vel alio modo malitioſè diruunt ſacrata loca, ſint ipſo iure excommunicati, ambigitur? Summiſtæ paſſim affirmant cũ *Glo. in c. Tua de ſentent. excom. Suarius V. D.* 22. *nu* 16. ut probabilem ſententiam agnoſcit per c. Conquesti: quia incendiarii eccleſiarum revera ſic effractores, & ſpoliatores earum. *Navarrus* autem Caietanum ſecutus nullum extare Canonem dicit, qui eccleſiarum incenſores excommunicet, nec defendi poſſe contrariam opinionem, niſi per conſuetudinem toleratam, & approbatam ab eccleſiarum Prælatis. Idem tradit. *Avila de Cenſuris Par.* 2. *cap* 7. *diſp.* 1. §. *Dixi regulariter.* Cæterùm eccleſiæ quocunque modo deſtructæ ligna & lapides ad privatos laicorum uſus applicari non debent. *c. Ligna de Conſecr. Diſt.* 1. *Flo in c. Quæ ſemel* 19. *q.* 3. *Filliut. Tract* 24. *c.* 9 *n.* 239.

XII. Quæri ſolet, An deſtructâ eccleſiâ omnia illius privilegia extincta & & perdita ſint? Innocentium ſecutus *Abbas in c.* 2. *de novi op. nunciat.* cum diſtinctione reſpondeat, ſi eccleſia Superiorum auctoritate & iuſſu deſtruatur propter exceſſus clericorum, aliumve iuſtam cauſam, non poſſe amplius vocari Canonicas, aut clericos illius eccleſiæ, nec quicquam ex aſſignatis proventibus percipere.

Digitized by Google

cipere: ſi verò deſtructa fuerit hoſtili manu aliove illicito modo, cuncta privilegia remanere. Similiter, ſi in alium locum auctoritate Superioris transferatur, vel alteri alicui eccleſiæ uniatur, & privilegia, & Indulgentias perdurare. Idem de altaribus dicendum, ſi fortè alium in locum intra eandem eccleſiam aliquod transferatur, vel propter ruinam reſtauretur. At quamdiu manent diruta, Indulgentiæ, & privilegia quaſi ſuſpenſa cenſentur. *Glo. in c. Statutum de el in 6. Az. 11 l. 9. c. 3. q. 13. Silv. V. Indulgentia q. 5 n. 7. Filliut. Tr. 8. c. 6. n. 134.*

Hinc ſequitur deſtructionem eccleſiæ, eiuſdem reparationem, vel loci mutationem intra eandem non obeſſe altaribus privilegiatis, cuiuſmodi ſunt pro liberatione animarum ex purgatorio. Cùm enim privilegium cenſeatur ipſis ſuo modo impreſſum, comitatur in omnem locum, & angulum, quo migratint.

XIII. Eccleſiam ſæcularem converti poſſe in regularem extra controverſiam eſt: regularem convertere in ſæcularem magis ambiguum, & arduum. Exempla tamen non deſunt. Regulariter verò, ait *Rodericus* To. 11. q. 50. ar 6. mutatio ſtatus eccleſiæ prohibita eſt in iure. Andr. & Abb. in c. Inter quatuor. De relig. dom. Vnde monaſterium ſeu locus religioſus hoc modo reformatur, ut ſi deficiant religioſi alicuius monaſterii, ſumantur religioſi aliorum monaſteriorum eiuſdem ordinis: quibus deficientibus deveniendum eſt ad regulares alterius ordinis, & in defectum omnium regularium monaſterium ad ſæcularitatem reducendum erit, in illoque clerici ſæculares ordinari debebunt, iuxta ea quæ tradit Ioan. Andr & *Abb. in c. Inter quatuor. de relig. domib.* Et quando ſic monaſterium de licentiâ Papæ aut ordinarii adhibito fratrum conſilio ad alium locum transfertur, additur clauſula, ut ad profanos uſus non redigatur: quam additionem conformem eſſe iuri teſtatur. *Mandoſius. de ſignaturæ gratia tt. Translationes.* Et ipſa eccleſia exempta translata non perdit exemptionem, quam prius habebat; ut ſi civitas deſtruatur, & alii cives ſubrogentur, gaudebunt privilegiis priorum. *Ita Roderic. l. cit. & Azor* To. 11. l. 9. c. 3. q. 11.

§. II.

De conſecratione Eccleſiarum.

I. VT ab uſibus profanis ſeparentur templa, & eccleſiæ, conſecrandæ, vel benedicendæ ſunt. *S. Thom. 22. q. 83. ar. 3.* quem ſequuntur alii Theologi. Sicut enim non aliis, quàm ſacrati domino Sacerdotes debent miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre; ſic nec in aliis, quàm domino ſacratis locis, id eſt, in tabernaculis divinis precibus à Pontifice delibutis miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet. *c. Sicut Diſt. 1. De Conſecrat.* Munus conſecrandi ad epiſcopum pertinet, epiſcopum proprium, dico. Nam extra diœceſin ſuam nulli licet eccleſiam conſecrare. *c. Nemo. de conſecr. diſt 1. c. Tua fraternitas. de conſecr. Eccleſ. vel alt.* Quòd ſi ea tantùm delegari poſſunt, quæ iuriſdictionis ſunt, conſequitur neceſſariò poteſtatem conſecrandi eccleſias epiſcopum delegare non poſſe, quia eſt actus ordinis. *c. Aquæ de conſecr. eccl. vel alt* Prælati tamen Regulares ex indultu Papæ eccleſias benedicunt.

Digitized by Google

eunt. *Suar. IV. Diſp.* 81. *Sect.* 3 *Tanner. IV. D.* 5. *quæſt.* 10. *num.* 17.

II. Cauſæ conſecrationis plures ſunt. *Prima* quidem, ut effugentur maligni Spiritus, quod illuſtri exemplo *S. Gregor. probat l.* 3. *Dial. c.* 30. & ob eandem cauſam, aqua, herbæ, ſal & ſimilia benedicuntur. *Secunda*, ut in illis velut Deo gratis oratoriis afflictorum hominum preces & vota facilius admittantur. Quam ob cauſam *l.* 3 *Reg c.* 8. Salomon dixit, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam nocte, & die, ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus; ut exaudias deprecationem populi tui Iſrael, quodcunque oraverint in loco iſto. *Tertia* cauſa eſt, ut repræſentetur ſanctificatio, quam per Chriſti paſſionem Eccleſia cõſecuta eſt, & noverimus ſanctitatem requiri in illis, qui Sacramentum Altaris ſuſcipere cupiunt. *Quarta*, ut quod in templis, & altaribus viſibiliter colitur, in nobis inviſibiliter compleatur. Templũ enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. 3. *ad Cor.* 3. *v.* 17. *In nobis, ait S. Bern. Serm.* 1. *in Dedicat. Eccleſ.* Spiritualiter impleri neceſſe eſt, qui in parietibus viſibiliter præceſſerunt. *Durantus de ritib. Eccl. l.* 1. *c.* 24. *Iac. de Graff. part.* 2. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 15.

III. Tempus quod attinet, licet feriæ non excludantur, nemini in dubium venire poteſt, quin diebus feſtis maximè conveniat Eccleſias conſecrare. *c. tua fraternitas de conſecr. Eccleſ. vel alt. ubi Innoc.* III. *Ternacenſi Epiſcopo ſcribit.* In diœceſi tua licet tibi Eccleſiis dedicationem impendere, tam diebus Dominicis, quàm privatis. Cui conformiter *Piaſecius in par.* II. *Praxis Epiſcop c.* 5. *n.* 2. Ædificata, *inquit*, Eccleſia conſecratur quocunque die, ſive feſto, ſive feriato: idque ab ipſomet Epiſcopo. Eſt enim actus ordini ipſius deputatus. Unde ipſum Epiſcopus non poteſt committere ſimplici Sacerdoti. *c. Aqua de conſecr Eccl. vel alt. Abb. Innoc. Oſt. Silv. V. Conſecratio num.* 2. *Armilla num.* 1. *Iacob. de Graff. part.* 2. *l.* 2. *c.* 15. *n.* 12.

IV. In tribus caſibus facienda conſecratio eſt, quemadmodum ex *c. propoſuiſti de conſecr Eccl. vel alt.* colligunt. *Primus* eſt, quando naſcitur vel dubitatur, an unquam Eccleſia conſecrata fuerit. *Fran. Leo part.* 1 *c.* 5. Cæterùm an conſecrata ſit, cognoſci poteſt vel ex ſcriptura, ſeu inſtrumento donationis, vel ex antiquis libris Eccleſiæ, vel ex columnis, ſaxo, aut tabula marmorea, aut crucibus in pariete expreſſis. *Barb. in c. propoſuiſti.* Creditur etiam teſtimonio unius teſtis de viſu, vel auditu. *Piaſec. part.* 1. *c* 5 *num.* 4. *Secundus*, quando incendio deformata eſt, ita ut parietes combuſti, vel omnino abraſi fuerint, aut majori ex parte. Solius tecti abſumptio non cenſetur ſufficiens cauſa eſſe. *Tertius*, cùm parietes omninò, vel eorum potiſſima pars concidit, ita ut oporteat eos denuò inſtaurare etiam ex ejuſdem Eccleſiæ lapidibus *c. de fabrica. de conſecr. Diſt.* 1. *Angel. V. Conſecratio num.* 3. *Silv. ibid. n.* 4. *Roſella n.* 2. *Tabiena eod.*

V. Quid verò, ſi paulatim minuantur parietes, & per partes decidãt, ac paulatim reparetur Eccleſia, faciendum ſit, meritò ambigitur, quia non adeò facile eſt diſcernere, an in prædicto caſu eadem numero Eccleſia maneat? Eandem manere cenſeo. Sic enim navim quoque eandem credimus eſſe, quæ ſubinde corruptis tabulis reficitur ſubſtituendo alias. *l. quod interum ff. de legatis.* Civitas quoque, ſeu civium

vium congregatio eadem reputatur, quamvis in mortuorum locum alii per intervalla ſubrogentur. Verùm adhuc quæſtio manet. Si ex intentione renovandi Eccleſiam unius paries poſt alium ſucceſſivè deſtruatur, & reædificetur, ſic immutata videatur, ut denuò conſecranda ſit? Operantis intentionem proderit attendere. Nam ſi conſilium ipſius eſt, omnes, aut ferè omnes partes reparare, adeoq; quaſi novum ædificium conſtruere, deſinere priorem Eccleſiam, & quaſi novam erigi judicabimus, & erectam aliâ conſecratione indigere. *Ang. n. 3. Arm. eod. Abb. in c. propoſuiſti n. 8. Barb. in c. Lineis. de Conſecr. Eccl. & in Sum. Deciſ. Apoſt. Collect.* 270. *Layman. l. 5. tract. 4. c. 5. num. 15.*

VI. Omnes baſilicæ, & templa cum Miſſa debent conſecrari. *c. 3. de conſecrat. Diſt.* 1. Miſſam Epiſcopus ipſe peraget: aut ſecundùm Hugonem ejus loco presbyter. Si omnino negligatur, conſecrationem non vitiat, ut DD. communiter tradunt. Ad majorem videlicet ſolennitatem, non verò ad ſubſtantiam neceſſaria eſt. *Gloſſ. in c. omnes de conſecrat. Diſt.* 1. *Azor* 11. *l. 9. c. 4. q. 2. Iacob. de Graff par. 2. l. 2. cap. 15. nu. 7. Durandus l. 1. de ritib. c. 24.*

VII. Eccleſia reconcilianda, non denuò conſecranda eſt, quando polluitur, ſeu violatur: quod contingit.

Primò per injurioſam ſanguinis effuſionem *c. propoſuiſti c. ult. de conſecrat. Eccl. vel alt. & c. un. eod. in 6.* Requiritur autem 1. ut unius infligatur exiſtenti non in tecto, turri, aut loco ſubterraneo templi; fieri tamen poteſt, ut ſanguis extra Eccleſiam fundatur, vel extra illam exiſtat vulnerans. 2. ut factum notorium ſit, juris, aut facti evidentiâ. 3. ut actus vulnerationis ſit peccatum mortale. 4. ut effuſio ſanguinis fiat in notabili quantitate. In dubio Epiſcopus diſcernet.

Secundò violatur per homicidium notorium injurioſum, etiam ſine ſanguinis effuſione. *c. cit. propoſuiſti.* Cæterùm non requiritur, ut percuſſus in ipſa Eccleſia moriatur. Hæc enim impertinens cenſetur, ut inde patet, ſi foris vulneratus ad eam confugiens inibi moriatur. Quod dixi *injurioſum*, intellige homini, vel loco. Nam ſi reum Judex in Eccleſia mortis ſupplicio afficeret, violaretur. Idem dicendum, ſi ſeipſum quis in Eccleſia interficeret.

Tertiò per illicitam & notoriam humani ſeminis effuſionem. *c. ult. de conſecrat. Eccleſ. & c. Eccleſiis de conſecrat. Diſt.* 1. Excipe caſum neceſſitatis, ſi duo conjuges coacti inhabitare ſeſe mutuò cognoſcerent.

Quartò per ſepulturam hominis excommunicati *c. cit. propoſuiſti* intellige, de excommunicato publico, & denunciato, & notorio Clerici percuſſore. Quocirca ſi Lutheranus aliquis in templo Catholico ſepeliatur, ut in nupero bello ſæpè accidit, non cenſebitur propterea violatum. *arg. c. Sacris de ſepult.* Idem dicendum de ſepultura illius, qui ſpecialiter interdictus eſt.

Quintò polluitur per ſepulturam hominis infidelis, non baptizati. *c. Eccleſiam.* 1. & 2 *de conſec. Diſt.* 1. *licet infans eſſet.* Si tamen infans in utero extingueretur, ſimul cum matre ſepeliri poteſt, quia jam non duo, ſed unum corpus cenſentur. *V. Suar. l. 3 de relig. c. 2. Azor Tom. 1. l. 10. c. 26 Filliut. tract. 24. c. 9. num. 236.*

Sextò quando Eccleſia per Epiſcopum excom-

excommunicatum publicum conſecratur, aut benedicitur *arg. c. Conſuluiſti de con ſecr. eccl. vel alt. Nav. c. 27. n. 258. Franc. Leo par. .. c. 5.* Alii tamen hoc nullo jure niti putant apud *Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 9.*

VIII. Eccleſia violata cœmiterium illi contiguum quoque violatum eſſe cenſetur, ita, ut nullus in eo ſepeliri poſſit, tanquam in conſecrato *c. un. de conſecrat. eccl in 6. ubi Bonifa. ius Papa.* Si Eccleſiam pollui ſanguinis effuſione contingat, ipſius cœmiterium, ſi contiguum ſit eidem, cenſetur eſſe pollutum. Unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis ſepeliri. Secus, ſi remotum fuerit ab eadem. Non ſic quoque in caſu converſo ſentimus, ut videlicet polluto cœmiterio, quamvis Eccleſiæ contiguo debeat Eccleſia reputari polluta, ne minus dignum majus, aut acceſſorium principale ad ſe trahere videatur. Non unum, ſed plura cœmiteria eſſe noſcuntur, quæ quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen medio ſe junguntur. Ideoque violato eorum altero alterum (licet de uno ad aliud per portam inter mediam habeatur acceſſus) non propter hoc reputabitur violatum. *Ita Bonif V. Laym l. 5. tr. 5. c. 5. n. 11. Tanner. IV. Diſp. 5. q. 10. n. 31.*

IX. In modo reconciliandi differentia eſt, cùm Eccleſia etiam non conſecrata, polluatur. Reconciliatio conſecratæ fieri debet ab Epiſcopo cum aqua benedictâ ab ipſo vel alio Epiſcopo: non conſecratæ verò poteſt fieri à ſolo presbytero, cum aqua à ſeipſo benedictâ cum ſale vino & cinere. *c. aqua de conſecr Eccl Ioan. Andr. Anchar. Cardin. & Panorm. apud Navar. c. 27. n. 256 Franc. Leo l. cit* Prælatos regulares quoque reconciliare proprias Eccleſias poſſe aquâ vel ab Epiſcopo, vel à ſeipſis benedicta, Epiſcopo per dua diatas abſente, diximus in *part. 1. tt. 16. §. 5.* Quin etiam ex commiſſione Epiſcop Eccleſiam conſecratam à ſimplici presbytero reconciliari affirmat *Emm. Sa. V. Eccleſia n.* 20. cui aſſenſum præbere non audet *Diana part. 2. tr 15. reſol.* Et hæc de Eccleſiis & cœmeteriis benedictis vel cõſecratis tantum intelligenda ſunt. Oratoria, aliave loca pia niſi aut benedicta aut conſecrata ſint, nec polluuntur, nec ut reconcilientur, opus habent. *Armilla V. Eccl. n 8. Henriq. l 9. c. 27. n. 6. Nav. l. 3. Conſi. 1. de conſecr. Eccleſ Laym. l. cit. num.* 12.

X. Polluta Eccleſia illius omnia altaria fixa cenſentur ſimul polluta. Similiter altari polluto totum Eccleſiæ corpus pollutum cenſetur. At verò, ſi corruptis parietibus aut muris Eccleſia putetur execrata eſſe, ut denuò conſecrari debeat, non propterea altaria quoque aliàs incorrupta conſecratione indigent, aut reconciliatione. Pari modo reliquæ Eccleſiæ nihil oberit, ſi per inſignem fracturam, aut læſionem altare amiſerit conſecrationem. *Azor Tom I l. 10. c. 27. qu. 14. Silv. quaeſt. 11. Laym. l. cit. num. 17.*

NOTA. Non eadem eſt ratio Eccleſiæ conſecratæ & benedictæ tantùm. Benedictio enim cenſetur non parietibus, ſed ſolo tantum inhærere: eaque propter benedicta manet etiam corruptis parietibus. *Tann. l. cit. num.* 40.

XI. Si ſub ipſo Miſſæ ſacrificio, antequam ea non inchoatus eſt, contingit Eccleſiam violari, ceſſare Sacerdos: poſt inchoatũ verò Canonẽ proſequi debet. Neq; enim cũ hoſtia jam parata ſit, decet immolationẽ emittere, vel imperfectam relinquere. Quid verò, *inquis* in Eccleſia polluta

Digitized by Google

polluta ſi quis bona fide celebret, nunquid pro reconciliata habebitur, ita ut nova reconciliatione non indigeat? Reſ. minimè. Nam ſi id fieri poteſt ab eo, qui bona fide ſacrificium peragit, etiam de eo affirmandum erit, qui mala fide agit; de eo item, qui cum diſpenſatione in caſu neceſſitatis miſſam in illa legit. *S Thom. q. 83. art. 3. Sotus in 4. diſt. 13 q. 2. art. 3. Avila P. 5. D. 7. Dub. 3.* Contrarium tamen *Alfonſ. Caſtro docet l. 2. de lege pœn. c. ultimo & Em. Sa V. Eccleſia num.* 19. Sed abſque fundamento.

XII. Finge, præter caſus num. 7. enumeratos enorme aliquid in Eccleſia fieri, v. gr. rixam cum clamore, verberibus, & fractione membrorum, equi introducantur, concio ab hæreticis inſtituatur, annon pro execrata habebitur? *Abbas in c. propoſuiſti de conſecr. Eccl. num.* 4. tradit, quorundam locorum conſuetudinem eſſe, ut ejuſmodi caſibus Sacerdos aqua à ſe benedicta Epiſcopi juſſu Eccleſiam lavet: quod etiam *Durandus approbat l. 1. Rationalis c. 6 num.* 41. Nec video, cur à quopiam reprehendatur. Si qua Eccleſia multo tempore à Sectariis, uti ſunt Lutherani noſtri, occupata recipiatur, conveniens erit ab Epiſcopo altaria viſitari, & cognoſci num fracta ſint, tum ſi integra fuerint, aqua luſtrali à ſe benedicta conſpergi cum aliis templi partibus, vel id negotii alteri cuiquam Sacerdoti committere. *Layman l. 5. tract. 5 c. 5. num.* 14. Eadem cura ſacris lipſanis debetur: ne fortè veris Sanctorum reliquiis adulterinæ ab hæreticis ſuppoſitæ colantur.

XIII. Dubium eſt, quam pœnam incurrat, in Eccleſia polluta miſſam legens? Oſtienſis tradit irregularem fieri; Abbas verò ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenſum. Utrumque arguit manifeſta deciſio capitis. 18 *de ſent excom in* 6. Is, qui in Eccleſia ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluta ſcienter celebrare præſumit, licet in hoc temerariò agat, irregularitatis tamen, (cùm id non ſit expreſſum in jure) laqueum non incurrit. Supereſt ergò, ut pro qualitate culpæ, temeritatis aut etjam ſcandali pœna arbitraria ab Epiſcopo puniatur. *Gemin. Ioan. Andr. Anchor. Vivianus. Alagona, & alii ap. Barb. in c. cit. Silv. V. Conſecratio num.* 9. *Suarez IV. Diſp.* 81. *Sect.* 4. *Em. Sa V. Eccleſia num.* 21. *Navar. c.* 25 *num.* 83. *Tanner. IV. Diſp.* 5. *quæſt.* 10. *Dub.* 2. *num.* 19.

§. III.
De Altaribus.

I. ALtare, quaſi alta ara dicitur ab altitudine, quia veteres olim Diis ſuperis in ædificiis à terra exaltatis ſacra faciebant: Diis terreſtribus in terra, Diis inferis effoſſa humo. *Roſinus l. 2. antiquit. Roman. c. 2.* Servius ab ariditate aras derivat, quod in illis adoleatur ignis, qui are faciendi vim habet. *Iſidorus* verò ab ardendo, quòd in aris victimæ ardeant. Dixeris melius, aram dici quaſi aream, quòd æquè pura eſſe debeat. In Eccleſia Chriſti fidelium aras nomen habere à puriſſimo & incruento ſacrificio docet *Nazianz. in Orat. 4. contra Iulianum.* Denique Varro anſas primò, poſtmodùm aras dictas eſſe confirmat, eò quòd orantes manibus tenerent, & apprehenderēt. Unde *Virgil. l. 4 Æn.* Talibus orantem dictis, araſque tenentem. *Tholoſan. l. 2. Syntagm. c. 1. num. 6. Durantus l. 1. de ritibus*

Eccleſ.

Digitized by Google

Eccleſ.c 15.Filliut. tract. 5. c. 4. num.119.

II. Altare aliud eſt mobile, uno, non duobus lapidibus conſtans *Silv. n.3.* quod etiam viaticum, & portatile nuncupatur *c.ult. de privil. in 6.* ubi Epiſcopis ab Eccleſia ſua frequenter abſentibus conceditur facultas habendi altare viaticum, inq; eo celebrandi. Idem poſſe ubique locorum Regulares aſſirmat Diana. Privilegium Societate noſtræ à Greg. XIII. conceſſum, ubique gentium, etiam in caſtris militũ, modò loca tuta, & honeſta ſint, altaris viatici uſum agnoſcit. *V. Compend. in V. Alt. Barb. in Deciſ. Apoſt. Coll. 169.* Aliud eſt immobile, fixũ, & ſtabile, ut paſſim in templis videmus. Hoc conſecrationem amittere creditur, quando ſuperior lapis ab inferiori parte tollitur. *c. Ligneis. de conſec. Eccl.* Nam ut *Gloſſa* ait conſecratio præcipuè conſiſtit, in conjunctione lapidis & inferioris ſtructuræ. Quod ſi ita frangatur mobile, ſeu immobile altare, ut in nulla integra parte Calix non patena inſiſtere queat, conſecratio perit. Item, ſi lapis ſigilli amoveatur à reliqua ſtrictura, vel reliquiæ tollantur. *Silv. V. altare n 6. & ſeq. Az. l.1.10.c.27.q.12 Zer. V. alt. n.6. Iac. de Graff. P 2.l.2.c.15.n.15 Piaſe. par.1.c. 5. n. 8. Barb in c. altaria ſi non de Conſecr. D. 1. & l.2 de jure Eccl. c 7. Thol. lo cit. n.17.*

III. Ut miſſæ ſacrificium offerri poſſit, altare ab Epiſcopo conſecrandum eſt. *c. altaria de Conſe. Diſt. 1. S. Aug. ſerm. 255. S. Leo 1. epiſt 88. alias 92.* ubi loquens de Chorepiſcopis, & presbyteris. Siquidem, ait, nec erigere illis altaria, nec Eccleſias, vel altaria conſecrare licet. *Bellarm. l.1. de Cler. c.14. Arm. n.5.* DIXI *ab Epiſcopo conſecrandũ,* intellige, niſi aliis per privilegiũ permittatur. Nam *Leo X.* fratribus S. Franc. Min. pro Indiarum partibus, & *Paulus* III presbyteris Societatis Jesu conceſſit, ut in locis remotiſſimis infidelium, ubi Epiſcoporum copia non habetur, poſſint altaria conſecrare. *V. Comp. privil. & Roder. To. 1. q. 28 art. 2.* Idem privilegium ab Innoc. VIII. Generali Ciſtertienſium & quatuor primariis Abbatibus indultum eſſe meminimus in *par. 1. tt de Abb. §. 3.* Unde colligitur neceſſario, Juris tantùm poſitivi eſſe, ut altaria ab Epiſcopis conſecrentur: item quod ex lapidibus altaria conſtruãtur. Olim quippe lignea fuiſſe hiſtoria Eccleſiaſtica docet. & ſervatum eſt á Silveſt. Papa ligneum, in quo S. Petrus ſacrificaſſe creditur. *S Tho q.83.a 3. Laym. l.5 tr.5.c. 6.n.1 Suar. III Diſp 81. Sect. 5. Silv. V. altare num.1. Roſella, & alii Summ. eod.*

IV. Dubium eſt, an in quolibet altari neceſſarium ſit ſigillum, in quo Sanctorum reliquiæ contineantur? Affirmant *Canoniſtæ ex c. placuit de conſec. Diſt. 1.* Negant verò Theologi Scholaſtici, inter quos *Dominicus Soto in 4. Diſt. 13. q. 2. ar. 3. Fran. Suar. To. III. Diſp. 81. Sect. 5. Ag. Coninc. & alii,* quibus non pudet ſubſcribere Etenim *c. placuit,* cujus auctoritate Canoniſtæ nituntur, aliud nõ vult, quàm ne templa conſecrentur ſine ſacris reliquiis, idq; propter hæreſin Iconoclaſtarum. Item, ne acceptetur ulla memoria martyrum, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis fideliſſima origine tradatur. Nihilominus pia conſuetudine nunc receptum eſt, ut omnibus altaribus fixis, & non fixis certæ reliquiæ includantur, cujus rei gratia Sacerdos in Miſſæ introitu dicit. *Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquæ hic ſunt.*

Digitized by Google

Quia tamen impoſſibilium nulla obligatio eſt, nil obſtat, quo minus altaria conſecrentur, ſine appoſitione reliquiarum: quod ex Rubrica Antiquorum Miſſaliũ *Angelus in V. altare num.* 3. confirmat, ubi dicitur, ſi reliquiæ non adfuerint orationem illam *Oramus te &c.* omittendam eſſe. Neque illarum loco ſubſtituendum eſſe corpus Chriſti Innocentius Papa ab Oſtienſi conſultus reſpondit. Non enim conſecratur, ut abſcondatur, ſed ut pro ſpirituali cibo animabus ſerviat. *Io. Andr. Abb. & alii apud Azor l l 10. c. 27. q. 9. Emman. Sa. V. altare Armilla num. 5. Reginald. l. 29. n. 190 Fill tract. 5 c. 4. n. 121. Coninck de Sacram. quæſt. 83. de ritu Vener. Sacram. art. 3. Dub. 2. num.* 41.

V. Quod *Zerola ait part. 1 V. altare. n.* 10 altaria, quæ reperiuntur in quibuſdam Capellis per agros & vias, debere per Epiſcopos ſubverti ex decreto *Con. Carthagin c.* 14. non de quibuslibet accipiendum eſt, ſed de illis, quæ cum deſtituta ſint veris reliquiis, & approbatione Ordinarii, occaſionem erroris & falſæ pietatis populo ſubminiſtrant. Sic enim citatum Conc. loquitur in *c. placuit de conſecr Diſt.* 1. Altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur ab Epiſcopis, ſi fieri poteſt, evertantur; vel plebs admoneatur, ne illa loca frequentent, ut qui recta ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devincti teneantur. Gloſſa quoque ibidem refert, quoſdam propter ſomnia, & inanes cauſas conſtruere ſolitos altaria in agris, & villis abſque ullis reliquiis, quem abuſum ſacris Canonibus inviſum ut ex num. præced. patet, tollere Concilium voluerit. *Armill. num. 6. Coninck lo. cit.*

VI. De altaribus privilegiatis pro animarum ex purgatorii pœnis liberatione quæſtionem movet *Fran. Leo in theſau fori Eccl. c. 7 num.* 31 nunquid celebrata miſſa in aliquo illorum pro Joanne defuncto, ſequatur, ut ejus anima quæ in purgatorio eſt, liberetur? & directè non ſolvit, ſed ſupponendo viventium orationes, & ſuffragia duobus modis prodeſſe in purgatorio detentis, conſolando nimirum, & ſatisfaciendo, ait, priore modo cõtingere poſſe ut plus aliis, quàm Joanni conducant, poſteriore autem ſecundùm intentionem, & affectum applicantium, & ſtatum illorum, quibus applicantur prodeſſe. Quod ita generaliter dictum conſonat quidem doctrinæ Catholicorum Theologorum; ſed dubium propoſitum non tollit, an Joannis anima liberetur ex purgatorio, quando pro ea in altari privilegiato miſſa offertur? Quamobrem petenda aliunde ſolutio erit. Et mihi nunc quidem in mentem venit illud, quod de Sabbatina Indulgentia jam pridem à Sede Apoſt. determinatum leg: *Pium eſt credere*: nec aliud quicquam in ejuſmodi quæſitis, quæ ad voluntatem potius, & affectum, quàm intellectum pertinent, requirendum exiſtimo. De ſacris veſtibus Eccleſiæ, & Sacerdotum uſui neceſſariis, quomodo conſecrandæ, à profanis uſibus ſeparandæ, & tandem propter vetuſtatem cremandæ ſint; *V. Iacob. de Graff part. 2. l. 2. c. 15. num. 23 & 24. Turrecrem. in c. Concedimus num. 5. de Conſecrat. Diſt. 1. Silv. V. Conſecratio & V. Veſtis Armill. eod. Fillius. tract. 5. c. 4. num. 124. & ſequ. Coninck lo. cit. Tanner IV. Diſp. 5. q 10. n. 39.*

TIT.

Digitized by Google

TITULUS XVI.

De Religioſis Domibus.

RElIgioſas domos appellamus Monaſteria, & hoſpitalia, quæ pietati & miſericordiæ exercẽdæ ex profeſſo dedicatæ ſunt, & plerumq; Eccleſiis ſeu templis adhærent. *c. quidã cũ ſeq. de rel. dõ. c. Mona. 18. q. 2. c. qui verè ead. c. omn. Baſi. 16. q. 7.* Eodem pertinẽt orphanotrophia, brephotrophia, noſocomia, gerontocomia, leproſoria, & ſi quæ his ſimilia loca reperiuntur Epiſcopi præſertim auctoritate conſtituta, de quibus annotare pauca conſultum judicamus.

§. *I.*

De erectione, & adminiſtratione domorum religioſarum.

I. RElIgioſa olim loca, ut in procemio monui, dicebantur, quæ privata alicujus auctoritate, aut facto dedicata erant religioni, ut ſi quis in domum ſuam mortuũ intuliſſet. Sic enim *l. 2. Inſt. tt. 1. legimus.* Religioſum locum unuſquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum. In communẽ autem locũ purum invito ſocio inferre non licet. Unde colligimus religioſum opponi puro. Hodie verò ut locus aliquis religioſus exiſtimetur, Epiſcopi auctoritate opus eſt, qui vel conſecratione, vel benedictione, & certis precibus ad id utitur. Quocirca Chriſtianis idem locus, qui religioſus, etiam ſacer eſt. *c. abolenda de ſepult. Azor* 111. *l. 1. c. 26.*

II. Cùm unuſquiſque rei ſuæ, id eſt, bonorum & facultatũ Dominus ſit, nec ulla lege certum ad uſum determinetur, arbitrio ſuo poteſt domum habitationis ſuæ, in Eccleſiam, vel miſericordiæ templum convertere: idque vel cum auctoritate & approbatione Epiſcopi, vel abſque illa. Unde duo hoſpitalium genera exiſtunt, ſacrum, & profanum, hoc propria, illud Epiſcopi auctoritate conſtitutum. De quo ubi exortum dubium fuerit, ad circumſtantias, adjuncta, & conjecturas recurrendum eſt. Nam ſi per Laicos abſq; Epiſcopo gubernetur, nec habeat cœmeterium ſepeliendis mortuis dedicatũ, nec campanile, ſignum eſt, locũ profanum eſſe: item, ſi ex bonis ac proventibus illius collectæ Laicis ſolvantur. Similiter Oratorium, ſi per Laicos regi ſoleat, & campanali careat, non eſt ſacer locus. At ſi hoſpitalis domus campanile habeat, vel in ſuperiore tecti parte campanam, ut ad divina officia convocentur homines, pro religioſo, & ſacro loco haberi debet. Item ſi à Clericis gubernetur, vel Laicis quidem, ſed ab Epiſcopo deſignatis ſi tamen aliquid horum deſit, non continuò ſequitur, locum non eſſe religioſum, ſed omnia ponderanda ſunt, ut dubio ſublato veritas innoteſcat. *Gloſſ in c. unicuique de conſecr Diſt. 1. Silv. V. Hoſpitale num. 3. Barboſ. in c. quia contingit de Relig. domib. num. 17. Zerola Dub. 2.*

Digitized by Google

III. Ejuſmodi domus, loca religioſa, & hoſpitalia gaudent omnibus piæ cauſæ privilegiis *c. requiſiſti de teſtam. Innoc. in c. 2. de in integr. reſtitut. Lapus de Caſtillione num. 13. Silveſt. & alii communiter.* Nam quoad juris effectus Eccleſia, & pia loca æquiparantur. *Barb. in c. Eccleſia de reſtit. in integr. in 6. imò idem Barboſa notat in c. 4. de relig. domib.* licet hoſpitale non ſit erectum, & approbatum auctoritate Epiſcopi, locus religioſus, & ſacer non ſit, adhuc videri locum pium eſſe de juriſdictione Eccleſiaſtica, & gaudere privilegiis Eccleſiæ, cum cauſa pietatis inſtitutus ſit. Quo poſito conſequitur, ea quæ legantur, & relinquuntur pro piis cauſis ſolvi poſſe hoſpitalibus, & confratriis, quamvis privata auctoritate conſtructa & fundata ſint. *Vallenſ tamen l. 3 tt. 36. §. 1. num. 4.* ſtricti Juris eſſe exemptionem prædictam exiſtimat, adeoque non extendendam, ſed reſtringendam.

IV. Hoſpitalia non poſſunt dari in titulum beneficii Clericis ſæcularibus, rejecta omni conſuetudine contraria. Ita ſancitum eſt in *Con Vienn. relato in Clem. de rel. dom Quia contingit verſu. Vt autem,* ubi additur limitatio. *Niſi in illorum fundatione aliter conſtitutum ſit, ſeu per electionem de rectore illi ſit providendum.* Gubernatio autem viris prudentibus, & idoneis, ac boni teſtimonii committenda, qui ſciant, velint, & poſſint loca ipſa utiliter regere, & fructus in perſonarum miſerabilium utilitatem fideliter diſpenſare. Hinc ſequitur in literis ad beneficia impetratis non includi hoſpitale, niſi fortè acceſſorium ſit reſpectu Eccleſiæ annexæ, quæ in titulum confertur. Tunc enim juxta regulam communem acceſſorium ſequitur ſuum principale, contineri cenſetur. *DIXI. Niſi in fundatione aliter conſtitutum ſit.* Sunt enim publica hoſpitalia quædam, quæ in titulum dantur hoſpitalariis de quibus *Tholoſ. l. 15. c. 28. Roder. To. 11 q. 85. art. 1. Franc. Leo in Theſaur. Eccleſ. part. 2. c. 18. n. 83. & 85.*

V. Hinc verò dubium naſcitur, an per Legatum Apoſtolicum alicui religioſo committi hoſpitale poſſit? Affirmat *Azor To. 11. l 5 c. 29. q. 27* At jure communi non poſſe docet *Rodericus l cit. art. 3.* quia obſtat § *ut autem*, ſupra citatus. quo hoſpitalia in beneficium concedi prohibentur. Limita tamen *primò*, ſi conſuetudo eſt, ut per regulares adminiſtretur, cujuſmodi multa hoſpitalia ſunt de menſa Prælatorum, quæ ut ab ipſis, ita à Legato à latere cõmitti alicui religioſo poterunt. *Secundò*, cùm neceſſitas hoſpitalis, & pauperum id ſuadet, Nam in tali eventu etiã Epiſcopus avocare à clauſtro Monachum poteſt. *Tertiò*, ſi hoſpitale Eccleſiæ curatæ annexum eſt, ita, ut Rector unius ſit Rector alterius. *Quartò*. Si in hoſpitalitate & propter hoſpitalitatem religio fundata eſt, cujus generis non pauca reperiuntur in Germania noſtra hoſpitalarii S. Joannis Jeroſolymitani, & Theutonicorum S. Mariæ quorum originem & inſtitutum deſcribit. *Polydor. Virgil. de inven. rer. l. 7. c. 5. Azor Tom. 1. l. 13. c. 6. Iac. de Graff. part. 2. l. 2. c. 10. n. 13.*

VI. Cura, inſpectio, & reformatio domorum hoſpitalium ad illos pertinet, quos vel ſtatutum in fundatione, vel cõſuetudo, vel privilegium admittit: his verò deficientibus ad ordinarium de jure. *c. de xenodochiis. de religioſ. domib. Con. Trid. Seſſ. 25. c. 8. de reform.* Neque mirum

videri

videri debet, epiſcopum excludi ab exigenda ratione adminiſtrationis per voluntatem fundatoris in primâ erectione additam. Id enim Eccleſia permittit piis benefactoribus, ut plurium ad eandem miſericordiam affectus excitetur, & foveatur. Nihilominus epiſcopo viſitare hoſpitalia licet, quia. *Conc. Trid Seſſ.* 22. *c.* 8. quoad viſitationem non excipit, niſi ea loca, quæ ſub regum immediata protectione ſunt. *Et c.* 9. præcipit ab adminiſtratoribus rationem exigendã eſſe. *Barb in Summa Collat.* 13. *Az.* 11 *l.* 3. *c.* 40. *q.* 12. In viſitatione autem vidẽdum eſt, an pauperes, infirmi, & indigentes, iuxta fundationis modum & ordinem alantur; fructus, & reditus fideliter diſpenſentur; quæ & quanta ſint accepta & expenſa. Quod ſi conſuetudo eſt, ut adminiſtratores non niſi deputatis ex collegio ipſorum rationem reddant, adhuc tamen epiſcopus unà cum eiuſmodi deputatis intereſſe poterit *Con. Tr. l. cit. Piaſec. Par.* 1. *c.* 2. *nu* 38. *Abb. in c. Sopita. de Cenſ. nu.* 5. *Iac. de Graff. Par.* 2. *l.* 3 *c.* 28. *n* 44. *&* 49.

VII. Facultas epiſcopis conceſſa viſitandi hoſpitalia, aliave pia loca, non excludit Iudices ſæculares, quò minùs eadẽ viſitare queant, ſi hoc illis alias legitimè competit. Ita Congregatio *Cardinal. declaravit in c.* 8. *Seſſ* 22. *Conc. Triden.* Imò generaliter tradit. *Covarr. Zerola & alii quidam*, licet epiſcopi piarum voluntatum executores abſolutè conſtituti ſint, nihilominùs ad ſæcularem quoque iudicem pertinere, mixtique fori eſſe, ita, ut utrimque Iudicem pro libitu adire liceat, & poſtulare, ut exequi pia legata faciat. Quod tamen non videtur procedere in eo, qui animam ſuam nullo executore nominato hæredem inſtituerit. Tunc enim ad ſolum epiſcopum loci executio ſpectare videtur, ut qui ſolus à teſtatore melioris fidei præſumptione præoptatus ſit. *V. Tholoſan. l.* 42. *c.* 36. *n.* 7. *& ſequentibus, Laym. l.* 3. *Tr.* 6. *c.* 11. *n.* 1. *Emm. Sa in V. Xenodochium. Vallens. l.* 3. *tt.* 6 §. 2.

VIII. Si hoſpitalia ad certum peregrinorum, infirmorum, aut aliorum indigentium genus fuerint inſtituta, nec in loco, ubi dicta domicilia exiſtunt, eius generis perſonæ, vel admodum paucæ repetiantur, fructus, & proventus illorum in alium pietatis uſum, qui illorum inſtitutioni conformior ſit, ac pro loci, & temporis occaſione utilior, converti poſſunt, prout Ordinario loci cum duobus de Capitulo expedire viſum fuerit *Ita Conc. Trid. Seſſ.* 25 *c.* 8. *de reform.* ubi Cardinalium Congregatio declarat Concilij mẽtem fuiſſe, providere, ne qui hoſpitalia poſſident, fructus omnes in proprium uſum convertant, ſub prætextu, quòd non reperiantur infirmi ſecundùm primam inſtitutionem hoſpitalis; adeoque non eijciendos eſſe, quamvis diverſo morbo laborantes, qui alioqui pauperes, aut aliter miſerabiles perſonæ ſunt. *V. Con. Trid. loc. cit. & Rodericum To.* 11. *q* 85 *art.* 2.

IX. Eodem loco Concil. Tridentini diſponitur, ut hoſpitalium adminiſtratio uni, & eidem perſonæ ultra triennium deinceps non committatur, niſi aliter in fundatione conſtitutum ſit, de quo *V. Nicol. Garziam de benef. Par.* 1. *c.* 3 *n.* 7.

Quibus autem perſonis committi poſſint ac debeant, *Silveſter n.* 6. inquirit, & reiicit. 1. religioſos, niſi domus hoſpitalis illorum, Ordinis eſſet. 2. feminas, ubi ſoli viri inhabitant; niſi fortè ſine cura foret.

Digitized by Google

Nam ſi monaſterii gubernatio, ut in S. Brigittæ Ordine fit, committi mulieribus poteſt, multò magis noſocomiorum. Ita Abb. citatus à Silveſtro, qui addit, ſi annexum monaſterio hoſpitale ſit utrumque feminæ ſubiici poſſe. 3. converſos, qui literati & clerici ſunt, quia tenentur ad officium divinum, ut alii monachi, quos non convenit curam Xenodochij temporalem habere. At de ſpirituali cura, quæ in prædicatione Verbi divini, & Sacramentorum adminiſtratione conſiſtit, dubium non eſt, quin regularibus benè committantur. Aliàs hæc cura de communi iure pertinet ad eccleſiam matricem, intra cuius limites exiſtit, quamvis præſcribere poſſit, ut proprium Sacerdotem ac curatorem habeant. *V. Moſcon. l. 1. de Societatib. Par. 4. c. 6. Em Sa. V. Xenodochium.*

§. II.

De privilegiis Domorum Religioſarum.

DE immunitatis privilegio, quà locali, quà reali, quod religioſæ domus, monaſteria, & hoſpitalia participant, diximus in *tt. 14* §. 1. *&* 2. ſed quia latius patet exemptionis beneficium, & particularia quædam hoſpitalibus, & Xenodochiis conveniunt, expedire videtur, non omitti.

Primum igitur privilegium conſiſtit in exemptione à magiſtratu, & iuriſdictione ſeculari. *c. Eccleſia. de reſtit in integr. in 6. c. ad hæc. de relig. dom. Clem. Quia contingit. eod. & c. Cùm ſit generale. de fo. comp.* ubi lædentes domum religioſam ſacrilegi vocantur: quod non applicandum illis, qui res, & bona perſonarum eccleſiaſticarum iniuria afficiunt, quamvis ea bona iuriſdictioni eccleſiaſticæ ſubſint *c. Si clericus. de fo. compet. Conc. Triden. Seſſ 22. c 8. Seſſ. 25 eod.*

Secundum. Domus hoſpitalis privati hominis arbitrio, & liberalitate, abſque approbatione, & auctoritate epiſcopi extructa, non ſubeſt illius directioni, aut diſpoſitioni, quoad temporalia, ſed illius, quem auctorem habet, cuius poteſtati relinquitur, per ſe, vel per alios illam adminiſtrare: mortuo tamen illo epiſcopus curabit, ut pia voluntas defuncti executioni mandetur. *Silv. nu. 2. Valleus. l. 3. tt. 36. §. 2. n 3 Graff. Par. 2. l 2. c. 28. n. 49.* In dubio, an Epiſcopi auctoritate extructa domus ſit, affirmativa ſententia prævalere debet. *Feder. & Lapus à Silv. citati q. 2.*

Tertium. Præſcribere poteſt omnia pia legata, illius loci civitatis, vel oppidi, in quo ſitum eſt, ita ut ab eis alii omnes excludantur: nec ſi Ioanni Andreæ credimus ſtatutum valet, ut eiuſmodi legata alteri hoſpitali vel pio loco cedant. Colligitur ex *c. Quia contingit h. t. in Clement.* ubi indicatur præſcribere poſſe pauperum ſepulturam, & habere presbyterum, qui Sacramenta miniſtret. Similiter decimas præſcribere poteſt, ſecundùm Lapum, ex quo eſt locus religioſus, epiſcopi auctoritate fundatus. *Silv. num. 19.* Nec imperantur illi extraordinariæ in caſu neceſſitatis. *Tholos. l. 2. Syntag. c. 20. num. 12*

Quartum. Peculiare illud eſt, quod hoſpitale præ aliis domibus religioſis in Commendam dari non poſſit, niſi ad quatuor menſes, idque ab ipſo Pontifice, & cum clauſula. *Vt omnes fructus in uſum*

pauperum

Digitized by Google

pauperum convertantur. Sic Cardinali de Piſis poſtulanti, ut hoſpitale Placentinum ſibi ad ſex menſes tantùm commendaretur, Congregatio Cardin. cenſuit dandum & cuſtodiendum per quatuor menſes per Breve cum onere tamen, ut poſtea de viro idoneo provideretur, & interim nullos ipſe fructus perciperet, ſed in uſus pauperum converteret. *Con. Tr. S. 25. c. 8. Declar. n. 1.*

Quintum. Quamvis epiſcopo liceat hoſpitalia, & Xenodochia viſitare, quemadmodum *§. praced. num. 6.* diximus, nullam tamen illi eam ob rem debent procurationem, ſeu præſtationem ſumptuum neceſſariorum in ipſa viſitatione, fortè quia magis eſt charitati & ſtatui conveniens, ut pauperum habitationi per eleemoſynam ſubveniat, quàm eorum annona vivat. *Navar. Conſil 3. de relig. dom. l. 3. Silv. n. 16. Lorichius § 7.*

Sextum. Adminiſtratio & gubernatio hoſpitalium & ſimilium locorum jure commumi ab Epiſcopo gubernantur: qui tamen uni & eidem perſonæ ultra triennium committere non poteſt, juxta decretum *Conc Trid. Seſſ. cit.* de quo *V. Nicol. Garciam de benef. par. 1. c 3. AZ. 11. l. 3. c. 3. q. 3 Vallens. l. 3. tt. 36. § 2 nu. 5. & ſeq. V. §. 1 n 6.* Dixi jure communi ad epiſcopum ſpectare curam, ac gubernationem, ut intelligas conſuetudine, pacto, vel ſtatuto aliter fieri poſſe, quemadmodum benè notat. *Lapus in Tract de hoſpital. n. 15.*

Septimum. Hoſpitalia non comprehenduntur ſub regulis reſervatoriis. Clem. Per literas. De præbend. Feder. de Senis conſil. 280. *Cardin. in c. 2. De prabend. Simonet inTract. de reſervat. c. 7.* Hoſpitalia enim ſunt ſpecialiter privilegiata, adeò, ut impoſitio decimarum à Papa ad illa non extendatur. *Glo. 1. in Clem. 2. De decimis.* Item privilegium, vel ſtatutum de percipiendis fructibus primi anni eccleſiarum vacantium non comprehendit fructus hoſpitalium. *Anchar. in repet. cap. ſi propter. de reſcr. in 6. Felinus in c. de quarta nu. 18. de praſcript. V. Franc. Leo. in theſauro Par. 2. c 18. n. 81. & ſeq.*

Octavum. Bona hoſpitalium non eadem cum eccleſiaſticis lege tenentur, ut alienari non poſſint, ſed prout ratio, & neceſſitas poſtulat, pro uſu pauperum immobilia commutare licet mobilibus, vel in pecuniam convertere. Ratio diverſitatis eſt, quia bona eccleſiaſtica ab initio donantur, & acquiruntur eccleſiis pro oneribus epiſcopalibus ac papalibus, in neceſſitatem & utilitatem eorum, qui ſacris muneribus funguntur Unde ex alienatione illorum ſequitur confuſio & perturbatio ordinis eccleſiaſtici: At quæ hoſpitalibus relinquuntur, in alimenta pauperum convertenda ſunt, & dominiũ illorum ab illis, qui præſunt, & adminiſtrant, minime acquiritur. Nec difficile eſt videre, multò ſatius eſſe frumentum, aut pecuniã habere, quàm multas & amplas domos, ut meritò cũ hæ legatæ fuerint, venditione trãsferantur. Nonnulli etiam teſte *Silv. n. 18.* exiſtimant valere conſuetudinem, ut omnia bona etiam immobilia hoſpitalibus relicta vendantur, nec requiri ſolennitatem in iure præſcriptam pro alienatione bonorum eccleſiaſticorum. Nam poſita pauperum neceſſitate cui neceſſariò ſubveniendum, cenſentur ea bona ſervando ſervari non poſſe. Epiſcopi tamen requirere auctoritatem & con-

& conſenſum expedit: cuius rei exemplũ Lapus allegat in Rectore hoſpitalis S. Mariæ Florentiæ, qui de triennio in triennium petit ab epiſcopo licentiam vendendi bona omnia ſibi obvenientia: quæ licentia tam generalis, & vaga in eccleſiaſticis bonis non ſufficeret. Videtur etiam excipienda primaria Xenodochii dos, ſuper qua fundatum eſt, ne in generali conceſſione vendendi & alienandi comprehendatur. *Petrus de bella pertis. Lapus de Caſtill. Silveſt lo cit.*

Nonum. Hoſpitalarii, quamvis eleemoſynarum, & proventuum ſacrorum alimento vivant, per ſe non ſunt ad officium divinum, & horas Canonicas obligati, niſi clericatus titulo, vel aliunde ſit præceptum aliquod, ſed ſatisfaciunt ea præſtando, quæ uniuſcuiuſque loci ſtatuta, & mores requirunt. *Moſcon. de maieſt. eccles. l. 1. de Societatib. c. 6.*

Decimum. Quæ domus, & loca piorum hominum voluntate, & epiſcopi auctoritate ſemel in uſum pauperum, infirmorum, peregrinorum, vel quocunque modo indigentium dedicata fuerint, ad profanos uſus denuò traducere non licet. *c. Nulli licet 12. & c. mancipia de rer. permut c. Veſtimenta. de conſecr. Diſt 1. & 19. q. 3. c. Quæ ſemel. & ff. de relig. & ſumpt. fun. l. ſi quis ſepulcrum. Azor 11. l. 9. c. 3. q. 11 & l. 3. c. 3. q. 2. Lancelot. l. 2. tt. 22. Fill. Tract. 24. c. 9. n. 239.*

Dixi. *Domos ab epiſcopo ſemel dedicatas in profanum uſum converti non poſſe.* Reliquæ enim, quibus ea conſecratio deeſt, quamvis eadem intentione conſtructæ ſint, ut non niſi in pios uſus deſerviant, neque hos, neque aliis privilegiis gaudent, & alios ad uſus pro rationabili arbitrio applicari poſſunt, quemadmodum annotavit. *Abbas in c. ad hæc. nu. 4. de relig. domib ex Auth. de eccleſ. titulis §. ſi quis ædificationem.* Limita, niſi eiuſmodi domus, & loca Eccleſiæ donata & incorporata ſint. Tunc enim iuxta communem de bonorum eccleſiaſticorum alienatione normam de illis iudicandum. *V. Tholos. l. 25. Synt. c. 8. & quæ Tit. ult. dicturi ſumus.*

TITULUS XVII.

De alienatione rerum eccleſiaſticarum.

QVod non nemo dixit, Non minor eſt Virtus, quàm quærere, parta tueri, hoc non modica bonorum ſuorum iactura, & damno Eccleſia experta eſt, quando præpoſiti & adminiſtratores ſua magis, quàm quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærentes, ea, quæ piorum hominum liberalitas contulit, vel profuſis donationibus, vel noxiis contractibus alienarunt. Quæ res cum Imperatorum, tum præcipuè ſummorum Pontificum curam acuit, ut omnem bonorum eccleſiaſticorum alienationem, niſi præſcripta ſolennitate factam ſeveris legibus condemnarent, ut ex dicendis patebit. *Mol. D. 464.* Sit igitur.

§. I. Alie-

Digitized by Google

§. I.

Alienatio rerum eccleſiæ prohibita eſt.

I. ALienationis vox, quamvis alibi ſtrictè, hic latè accipienda eſt, in materia videlicet eccleſiæ odioſa, ut quælibet rei eccleſiaſticæ alterationem damnoſam comprehendat, iuxta *c. Nulli h. t.* ubi ita legimus. Alienationis verbum cōtinet conditionem (alii conductionem legunt, alii teſtamenti conditionem) donationem, vēditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractū. *Bonacina* eo nomine intelligit omnem actum, quo dominium rei directum, vel utile, aut uſusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Item ex *Pauli* II. decreto locatio ultra triennium, inſtitutio, hæredis, & fideicommiſſum: item pignoris conſtitutio, & hypotheca ſpecialis, in qua nimirum certius periculum, quàm in generali eſt. *V. Card. Tuſchum V. alienatio. concl.* 272.

Non aliter Imperatorum leges. Nam *in C. de reb. non alienandis l. Sancimus* dicitur. Sive lex alienationem inhibuerit, ſive teſtator hoc fecerit, ſive pacto contrahentium hoc admiſerit, non ſolùm dominis alienationem, vel mancipiorum manumiſſionem eſſe prohibendam, ſed uſusfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi (*Sancimus*) ſimiliq́ue modo, ut ſervitus minimè imponi, neque emphyteuſis contractus, niſi in his tantummodò caſibus, in quibus conſtitutionem auctoritas, vel teſtatoris voluntas, vel pactionum tenor, qui alienationem interdixit, aliquid tale permiſerit. Ex hiſce igitur colligimus Iuris intentionem eſſe, ut in propoſito alienationis terminus ſamatur, quàm latiſſimè pro omni actu ſcilicet, quo ius alteri tribuitur, & ab eccleſia tollitur. *Abb. num.* 3. *Redoan. hoc tt. c.* 6 *Gaill. l.* 2. *Obſ* 10. *Mol. Diſp.* 446. *Az.* II. *l* 9. *c.* 1. *Silv. V. Alienatio num.* 1. *Laym. l.* 3 *tr.* 4. *c.* 10 *Zerola* Pa. 1 *V. alienatio.*

II. Bona eccleſiæ immobilia, & mobilia pretioſa, quæ ſervādo ſervari poſſunt, tam civili quàm Canonico iure alienari prohibentur. *Auth. de non alien aut permutand reb. eccl. Auth. de eccleſiaſticar. rer. immob alien. Cauſa* 12. *q.* 2 *per aliquot capita. c Nulli c. ſi quis presbyter c Poſſeſſiones. c. ad audientiam de reb. eccl. alienand. Leſſ. c.* 25. *D.* II. Idem dicendum eſt de iuribus, & actionibus rerum immobilium, & mobilium precioſarum, quia licet nonnulli refugiant illas bonis immobilibus & mobilibus annumerare, tamen cò reduci poſſe fatentur. *Clem. Exivi de verb ſignif.* § *cumque annui Panorm. in c. Nulli h. t.* Si quæris, quænam ſint illa, quæ ſervando ſervari poſſunt, reſpondet *Gloſſa in l.* 1. *C. ſi adverſus uſuras*, ea eſſe, quæ triennio non pereunt, & adhuc ſervata fructus edunt. Vnde quæ uſu abſumuntur, talia non ſunt, ut vinum, oleum, fructus arborum & ſimilia. Et quamvis de pecunia dubitari poſſet, ſi ad eccleſiam pertineat, & ad bona immobilia emenda deſtinata ſit, immobilibus omnino annumerari debet, ob eamq́ue cauſam alienari non poteſt. Cenſetur autem ad rerum immobilium emptionem deputata, cùm à Superiore cum clericorum conſenſu in eum finem aſſervatur. Rebuff. in Compr. alienationis rer. eccl. *Piaſec. Par.* 2. *c* 5. *num.* 29. *Vall. ns l.* 3. *tt* 13. 5 *Tuſchus Concl.* 271.

 III. Hanc

Digitized by Google

III. Hanc antiqui iuris prohibitionem innovavit, confirmavit, & auxit *Paulus* II. *in Conſtitut ſua Ambitioſæ*, eamque in vigore ſuo relinquens. *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 21. præcipit, ut omnes locationes bonorum eccleſiæ, quæ repræſentata pecunia in ſucceſſorum præiudicium fiunt, pro nō validis habeantur, nec in Romana Curia, vel extra eam confirmentur, non obſtante quocunque indulto aut privilegio Nec liceat iuriſdictiones eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare, nec conductoribus per ſe, aut alios ea exercere, aliterque concesſiones etiā à Sede Apoſt. factæ ſurreptitiæ cenſeantur. Quod dicitur, *iuriſdictionem eccleſiaſticam locari non poſſe.* Congregatio Cardin. extendit ad quodlibet minimum officium, cui iuriſdictio ineſt. Iam quia non minus detrimenti ex immodica bonorum alienatione in Regularibus animadverſa eſt, *Vrbanus* VIII. Decretum edidit *die ſeptimo Sept. An.* 1624. quo regularibus omniū Ordinum bonorum immobilium ac precioſorum mobilium alienationem, omneque pactū, per quod ipſorum dominium transfertur, cēſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem, & cōductionem ultra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſin, præterquam in caſibus à iure permiſſis fieri, perpetuò prohibet, & interdicit, abſque ipſius Congregationis Concilii expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna privationis omnium officiorū, quæ tunc obtinebunt, vociſque activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda quam ipſo facto incurrant. &c. Habetur in *additionib. ad c.* 11. *Seſſ.* 25. *Co. Tr. & VVadingum Tr. de contr. diſp.* 2. *dub* 8. *§.* 2.

IV. Non omittam, quod ad præfatam prohibitionem corroborandam plurimū momenti habet, iuramentum, quo ſe in promotione ſua Epiſcopi obſtringunt. *Poſſeſſiones verò ad menſam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli mei, inconſulto Romano Pontifice; & ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam ſuper hoc edita conſtitutione contentas eo ipſo incurrere volo.* V. *tas. l. cit.* De menſa eccleſiæ dicuntur ea bona, quæ perpetuò unita fuerunt eccleſiæ, & quæ nunquam alteri poſt acquiſitū ſemel dominiū cōceſſa fuerunt, vel quæ ad eam reverſa, vel ei incorporata ſunt. *Barb. in c. Vt ſuper hoc cit* Secundùm *Gloſſā in clem.* 1. *de exceſſ. Prælat. Innoc. in c. ut ſuper de bon. eccl. non alien. Abb. ibid. à num* 9. *Rodoan de reb eccl alien. q.* 62. Bona menſæ epiſcopalis ſunt, quæ principaliter ad illius ſuſtentationem ſunt deputata, & nullum alium rectorem habent præterquam ipſum epiſcopum. *V. Piaſec. Par.* 2. *c.* 5. *n* 35.

NOTA. Eiuſmodi iuramentum, quo quis iurat, non alienare rem eccleſiæ, ſi *Emma. Sa.* credimus, non obſtat, quo minus ſervatis alioqui ſervandis poſſit in eius utilitatem alienare, itemque rem modicam. Intelligitur enim illud iuramentum ſecundùm iuris diſpoſitionē. *Ita Em. Sa.* V *alienation.* 6. cuius doctrinam cōfirmant ea, quæ *Azor tradit* de iuramento alumnorum Collegii Anglicani, & beneficiatis, qui Ordinario iurant, ſe beneficiū non dimiſſuros gratia alterius, quibus

tamen

Digitized by Google

tamen ingreſſuris Religionem liceat in gratiam amicorum dimittere. *Az.* 1. *l.* 11. *c.* 5 5. *Animadvertendum. Laym. l.* 3. Tr. 4. *c.* 10 *n.* 10. Illud verò admitti non poteſt, quod *Covarr. l.* 2. *Var. c.* 16. *nu.* 2. *cum Calderino ait*, Prælatum, qui iuravit non alienaturum ſe bona eccleſiæ ſuæ, quamvis in longum tempus inconſulto Pontifice elocet nō fore periurum, quòd locatio nonniſi impropriè alienatio dicatur &c. iuramentum ſtricti iuris cùm ſit, extendi non debeat ad ea, quæ in ipſo non continentur Nam ſi ut *n.* 1. *diximus* in hac materia ſub nomine alienationis comprehenditur omnis actio dominii directi & utilis translativa, negare non poſſumus, longi temporis elocationem prohiberi, adeoque periurum fore Prælatum, qui eo modo faceret locationem *Bald l ult. C. de alien. bon. Mol. diſp.* 466. § *Ex dictis. Azor* 11. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 2. §. *Voluerunt.*

§. II.

Quænam bona Eccleſiæ alienari poſſint.

I. QVoniam Iura ſuperius allegata, de certo rerum genere tantùm loquuntur bonis nimirum immobilibus. & mobilibus pretioſis, quæ ætatem ferunt, ſequitur exceptionem dari, ut quaſdam res alienare ſine peccato liceat. Primò igitur alienare conceditur res mobiles, quæ ſervando non ſervantur, hoc eſt, quæ abſque notabili detrimento non durarent, quæque utendo abſumuntur, cuius generis ſunt arborum fructus, pyra, poma, nuces. frumentum, oleum, vinum (quamvis de hoc alicubi poſſet dubitari, cùm in annos 10. 20. & ultra conſervetur) frumentum, pecora ſingularia, non greges. Adde pecuniam uſualem, quæ non eo fine colligitur, & ſervatur, ut in bona immobilia comparanda impendatur. Et ſic in Rota deciſum eſſe *Piaſecius affirmat Par.* 2. *c.* 5. *num* 32. Immobilibus quoq; annumerari debent arbores grandes, quæ cædi non ſolent, nec licet Silvas cæduas exſcindere, unde non mediocre damnum eccleſiis adfertur. *l lex quæ tutores.* C. *de admin tut. Panorm. in c. Nulli. Nav. Conſ* 6 *n. eo tit. Thol. l.* 25. *c* 8 *n.* 19.

II. Quæ res in feudum, vel emphyteuſin dari ſolet, & ante hac data eſt, iterum abſque alia ſolennitate in feudum, vel emphyteuſin dari poteſt, dummodò Eccleſiæ id proſit, & fructus non ſint incorporati eccleſiæ. Tunc enim non cenſetur nova alienatio, quam iura prohibeant, ſed eius, quæ pridem fuit continuatio. Porrò ad hoc, ut dicatur rem ſolitam in feudum, vel emphyteuſin dari, ſufficiunt duo actus, vel unus ſolennis cum quadraginta annorum decurſu. Addit *Piaſecius*, quòd primæ conceſsionis cauſa certante non debeat concedi pro antiquo canone, neque cum tali conditione, quæ eccleſiæ gravior ſit quàm ante fuit; neque pro fæminis, ſi maſculis tantùm conſuevit concedi. *Laym. l.* 3. Tr. 4 *c.* 10 *nu.* 2. *Leſſ c.* 25. *Dub* 11. *n.* 59 *Bald. Conſil.* 475. *l.* 1. *Tuſchus Concl.* 277.

III. Præterea terrulæ, vineolæ, & aliæ res mobiles, vel immobiles exigui valoris excipiuntur, & alienari poſſunt, cùm eccleſiæ utilitas, aut neceſsitas exigit. *c. Terrulas* 12. *q.* 2. quod eſt Concilii Agathonis, minimè derogatum per. *Extrav Ambitioſa & Concil Trident. ut Congregatio Cardin declaravit. Tholos. lo cit* Notat verò. *Barb. in c fine exceptione.* 12. *q.* 2.

illam alienationem eccleſiæ non cenſeri utilem, qua recipit tantùm, quantum dimiſit, quemadmodum Rota decidit. Tunc enim nihil lucri acquirit, ſed quaſi ante habita conſervat. Sed difficilius eſt iudicare, quidnam ex rebus & bonis eccleſiaſticis ſit vili, & modici valoris. Quod enim uni propter indigentiam magnum, alteri propter abundantiam exiguum videbitur. Quamobrem non alia hic, quàm viri prudentis, & omnia ſuis momentis ponderantis trutina deſerviet. Arbitrabitur, qui bonus, & ſapiens eſt. *arg c. Cæterum de donat. Piaſec. l. cit n. 25. Leſſ l. cit num. 64. Mol. diſp. 468. § Licet prædicta Em. Sa. V alienatio. nu. 7. Laym. n 5 & alii communiter.*

IV. Eodem iure fundum eccleſiæ ſterilem olim, nunc verò in culturam redactum, illius, qui id fecit, hæredibus, in emphyteuſin dare licet. *c. Ad aures 7. hoc tit.* ubi tamen limitatio additur Niſi fortè tunc aliis poſſint ad maiorem eccleſiæ utilitatem cum eodem labore, & onere conferri Poteſt item alienari res, quæ nondum cœpta eſt poſſideri ab eccleſia. Nam hæreditas Eccleſiæ teſtamento relicta, & legatum remitti poteſt, quando in de odium, vel ſcandalum aliquod timetur. *Tuſchus Concl* 276 *n.* 47. *Az.* II. *l* 9. *c.* 1 *q* 12. *Redoan. q.* 2. *c* 7. *Rebuf. in Compend alienat. rer eccl n* 31 In acquirendis enim Prælatus eccleſiæ ſuæ præiudicare poteſt. *Abb in c. Tua de his quæ fi à Præl.* ſine conſ n. Capituli. *Armilla. V. alienatio. n.* 17. *Silv. num.* 18. Si tamen legatum communiter utile foret epiſcopo & Capitulo, illud dimittere epiſcopus non poſſet in Capituli præiudicium. *Pias l. cit. num.* 33. *Leſſ. num.* 65. *Layman. num.* 6. *Tuſchus lo. cit. VVading. de Contr. diſp.* 2. *dub.* 8. §. 3.

V. Quæ donantur eccleſiæ aut monaſterio incapaci, puta, Fratribus S. Franc. de obſervantia, & ſimilibus, licitè alienari poſſunt, per Syndicum videlicet, quemadmodum *Roderiq. declarat. Tom.* 1. *q.* 28. *artic.* 6. Non minus commutari poſſunt in alium uſum modò abſit ſcandalum, & non offendantur, qui donarunt, ut ibid. artic. 5. explicatur. Extant quoque ſpecialia quædam privilegia, quibus conceditur Ordinibus Religioſis, ut non petita Ordinarii, vel Pontificis licentia bona ſua alienare poſſint. *Tale eſt Greg* XIII. *cuius initium, Apoſtolica Sedis*, relatum in Comp privil. Societati noſtræ conceſſum, de quo multa commentatur. *Roder. l. cit. art* 3. *V. Compend Privilegior. Ordin. Mendic. Verb Alienatio. Compend. Privil. Societatis* IESU. *eod. num.* 2. *Em. Sa. lo. cit. Suarez* IV. *De Relig. l.* 2. *c.* 27. & 28. *Silv. V. Alienatio num.* 20, *Armilla n.* 29. Præſumitur enim verò non aliam fuiſſe illius qui donavit, mentem. Aliàs non ſatis perſpectam habuiſſe Eccleſiæ & religioſi ordinis obſervantiam videbitur; ſimulque benè & malè de eodem meruiſſe.

§. III.

Cauſa alienandi, & modus.

I. QVatuor cauſæ ſunt, quæ alienationem bonorum eccleſiaſticorum licitam, & validam reddunt. *Glo. Summaria in* 12. *q.* 2. *Prima eſt neceſſitas,* ſi ex.

Digitized by Google

ſi ex.gr. Eccleſiæ debita urgeant, ſi redimenda vexa, & gravia damna avertenda. *Auth hoc jus porrectum C. de Sacroſ. Eccleſ. & Authent præterea eod. Thol. l. 25. c. 8 n. 4. Secunda major utilitas*, ut ſi patrimonium Eccleſiæ per alienationem creſceret. *Clement. 1. de reb. Eccl. non alien. §. Et hoc quidem Auth de alien. & emphyteu. Tertia pietas*. Si redimendi captivi, alendi pauperes, curandi infirmi, & ſimil. Tunc enim calices quoque & vaſa Eccleſiæ frangenda, & deſtribuenda ſunt *c. aurum c. Sanctorum 12. q. 2.* exemplo S. Ambroſii, Achatii, Cæſarii, & aliorum Epiſcoporum. Abſurdum enim non eſt, ut dicitur in *l. Sanccimus C. de Sacroſ. Eccleſ.* animas hominum quibuſcunque vaſis, & veſtimentis præferri. *Quarta cauſa* eſt incommoditas, ut ſi fundus aliquis nimis procul diſtet, nec niſi magna cum difficultate excoli queat *arg. c. Terrulas 12 q. 2.* Quocirca magnum Eccleſiæ, & animabus piis beneficium præſtarent Epiſcopi noſtri, qui parœcias habent à ſuo territorio longè remotas, uti manifeſtum nobis eſt, ſi invicem commutarent, & proximiores ſibi unuſquiſque regendas ſumeret. Incommodum vident & agnoſcunt omnes, volunt etiam ſubinde, ſed abſque affectu. De temporalibus fortè quia difficilior eſt compenſatio, ne ſpiritualia benè ordinentur, obſtat *Panorm. in c. nulli Silveſt n 2 Guterrius l 3 quæſt. 8. Layman n. 3. Schneidevv. l. 2. Inſt. tt. 1. §. ſacræ Tuſchus Concluſ 271 num. 11. Layman. l. 3. tr. 4. c. 11. n. 3.*

II. Aliqua prædictarum cauſarum movente fieri poteſt alienatio adhibita ſolennitate, quæ conſiſtit in his quatuor conditionibus. *Prima eſt*, ut in Capitulo conſultetur, & diſquiratur, num expediat alienationem facere c. ſine diſtinctione *12. q. 2. c. 1. de reb. Eccleſ. alien. in 6.* Neque exiſtimandum eſt, tres neceſſarios eſſe tractatus, niſi conſuetudo id velit, ſed unum ſufficere, cum *Gloſſa in c. 1. de reb. Eccl. non al. in 6.* communiter DD. tradunt apud *Sanchez. l. 7. Moral c 6. num. 8. Secunda*, ut Capitulum expreſsè conſentiat. *c. 1. c tua & to. tit. de his, quæ fiunt à Præl. ſine conſen. Capit.* Sufficit autem majoris partis conſenſus eorum, qui præſentes ſunt. Hoc tamen ſi neglectum fuerit, poterit poſtea Capitulum ratum habere contractum, & compellere reluctãtes ad ipſius obſervationem. *Tertia* eſt auctoritas Prælati requiſita, puta Epiſcopi, Abbatis, & ſimilium, quorum conſenſus omnimodè neceſſarius reputatur. *c. in venditionibus 16 q. 7.* Quod ſi Abbas Epiſcopo ſubſit, hujus etiam conſenſus obtinendus. Si Eccleſia Rectore careat, dandus illi adminiſtrator eſt, priuſquam Epiſcopus alienationi futuræ auctoritatem præbere queat. Cùm periculum in mora, & Prælatus abſens eſt, ſufficit conſenſus præſumptus. *Quarta* conditio eſt, ut Capitulum ſubſcribat. *c. tua ſup. cit.* non tamen in omnibus, ſed in donationibus, venditione & permutatione. Eſt quoque multis in locis receptum, ut ſolus Notarius ſubſcribat. *Leſſius num. 63. Silv. num. 2. Vallenſ. §. 3. num. 1. Tuſchus V. tractatus in alienat. bon. Eccl. Concl. 338.* Inſuper ex Conſtit. Pauli II. Ambitioſæ inconſulto Romano Pontifice, nulla alienatio, aut conceſſio bonorum Eccleſiaſticorum fieri poteſt, factaque ipſo facto nullius roboris, & momenti eſt *c. ſi quis de reb. Eccl ali.* Nec Capitulum modò, ſed Prælatus quoque rem malè alienatam re-

 petere

Digitized by Google

petere poteſt allegans propriam turpitudinem ſecundùm *Abb. in c. cit. ſi quis Nav. l. 1 Conſ. 20. de reſcript. edit. 2.* Si quis verò bona fide rem emiſſet à Prælato agere contra eum de precio recuperando poterit: imo ab ipſamet Eccleſia exigere, quatenus inde locupletior facta eſt. *Geminianus Conſil.* 48. *pro examinatione. Tuſchus Concluſ.* 272. *& 273. Layman lo. cit. n.* 4.

III. Ad pleniorem inſtructionem pertinent notabilia quædam à diverſis DD. tradita, quæ non pigebit attexere. *Primum eſt*, quamvis alienatio, cui prædicta ſolennitas deeſt, in foro externo irrita ac nulla ſit, ut diximus, non continuò ſequi in foro conſcientiæ quoque nullam eſſe, ita ut teneatur reddere Eccleſiæ, qui per donationem aut venditionem aliàs ſecundum Jus naturale validam aliquid accepit. *Panormitanus enim in c. quia plerique de immun. Eccl. & c. requiſivit de integr. reſt. in foro conſcientia* ſufficere ait, ſi contractus ſecundùm limites naturæ validus ſit per conſenſum videlicet & titulum. Quod confirmat auctoritate Innocentii, qui in *c. quia propter de elect.* dicit, electionem factam abſque ſolennitate juris valere, & tutum in conſcientiâ eſſe ſic electum, ita ut non teneatur renunciare, quia Jus poſitivum invenit iſtas ſolennitates propter ſcandala, & fraudes evitandas, quibus ſublatis coram DEO tutus ſit. Quod dictum notatu dignum vocat *Silveſt. num. 13.* quia valet in omni actu, in quo eſt prætermiſſa ſolennitas juris poſitivi ſervato jure naturali. *V. Sanch. l* 4. *Conſ. c. 1. D 15. Tanner.* III. *D.* 4. *q.* 7 *n.* 189. *Azor* II. *l* 9. *c.* 1. *q.* 8. *Secundum.* Si beneficiatus quiſquam habeat jus percipiendi reditus in propriam utilitatem, & non ut adminiſtrator in utilitatem communitatis, abſque omni ſolennitate locare poſſe ad longum tempus, puta annorum decem, vel etiam ad dies vitæ. Cùm enim ea locatio cum vita ipſius finiatur, nihil inde periculi in Eccleſiam, vel Succeſſorem derivatur, quemadmodum *Abb. nota. in c. 2. de his quæ fi. à Pral. &c. & in c. veniens* 1. *de tranſact.* Si autem quis ut adminiſtrator tantùm elocet, prædium, in morte ipſius non expirat locatio, ideoque prohibita eſt longi temporis elocatio. *Covar. l. 2. Var. c. 15. n 6. Tertium eſt.* Quod diximus per Conſtitutionem *Vrbani VIII.* prohiberi locationem, & irritam eſſe, quæ ultra triennium extenditur, intelligi de rebus, quæ quotannis fructũ dant. Et ſi quis ager, aut fundus non niſi alternis annis fructificet in 6. annos concedi poſſe, ſi non niſi tertio anno, in novem, ut cum *Covar. cenſet Leſſ. n 69. Quartum.* Si Prælatus juraverit, ſe bona Eccleſiæ non alienaturum, nihil aliud addendo, nihilominus alienare poſſe conſulto Papa, & adhibita ſolennitate Juris, quia tale juramentum præſumitur fieri tantùm de alienatione illicita. Si autem juraverit non alienaturum ſe niſi conſulto Papa intelligitur etiam de aliàs licita, quam nõ poteſt ex tali juramento facere, quin perjurii crimen incurrat, alienando ſine conſenſu Papæ. Excipe caſum neceſſitatis, quæ non permittit moram, ut Pontifex conſulatur. Quod notandum monet *Silv q. 17.* quia facit pro exemptis habentibus ſuperioris in remotiſſimis locis. Denique Bullas Summorum Pontificum de non alienandis Eccleſiaſticis bonis abſq; ſolennitate præſcripta in multis locis nõ eſſe receptas, imò nec notas quidem, niſi

illis,

Digitized by Google

illis, qui in libris reperiunt. Quod de noſtra hac Germania ipſe integra fide affirmo: de aliis mundi partibus *Cajetan. in V. Excommunicatio c.75. Navar. c.27. nu. 149. Silv. n 15. Covar l.2. Var. c.16. n 6. Azor II. l.9. c.2. q.1. Toletus l.5. c.91. Vallenſ §.3. Piaſecius part. 2. c. 5. §. ad extremum* in multis locis non eſſe receptam ait, in aliquibus ſolùm quoad irritationem contractus valet enim, ait, contra eam conſuetudo. Idem *Tuſchus* aſſerit in *V. Conſuetudo Concluſ. 826.* Quod verò *Petrus Avenda dicit apud Ign. Lopez in pract Crim c.75. eos*, qui vel non eſſe receptam, vel contra eam conſuetudinem valere ſcripſerunt inadvertenter locutos eſſe, in ipſo magis apparet. Quomodo enim inadvertenter loquuntur, qui rem ſibi evidenter notam loquuntur? An non magis ille, qui ex ſuæ provinciæ, aut regni praxi de univerſo orbe pronunciat? Et *Navarro* quid faciet, qui quòd multis annis in Hiſpania, & Luſitania vixerit, ac docuerit Canones, non potuit eorum locorum mores ignorare. Scribit tamen *lo. cit. Extrav. Ambitioſa*, nullibi omninò receptam eſſe, quia in nullo loco uſu recepta eſt privatio beneficiorum, quam incurri jubet ipſo jure ab aliis, qui fuerunt minores, quàm Epiſcopi, vel Abbates intra ſex menſes, ſi perſeverent in dicta alienatione: & quod in Luſitania non videtur recepta, quoad ſolos tres annos, quia paſſim videmus fieri locationes in quatuor annos. *Ita Navar.* quem non videtur legiſſe *Fachinæus, qui l.10. c.98.* confidenter aſſerit, explodendam eſſe opinionem dicentium uſu receptam non eſſe Paulinam Conſtitutionem.

IV. Pœnas quod attinet, ſi cui neceſſarium, vel utile eſt, cognoſcere poteſt, *ex Roderico Tom. I. q.28. art. 13. & c. 2. de reb. Eccl. non alien. in 6.* ubi variæ ſuſpenſiones ponuntur adverſus Clericos, qui immobilia bona, aut jura Eccleſiarum Laicis ſine conſenſu Capituli, & ſpeciali licentia Papæ ſubjiciunt. Item *Clement. 1. eod. tit.* ubi cenſura ſuſpenſionis ab officio ipſo jure lata eſt in religioſum, qui Monaſterio, Prioratui, Eccleſiæ, aut cuivis adminiſtrationi præſidens ejuſdem jura, reditus, aut poſſeſſiones alicui ad vitam ejus, aut ad certum tempus concedit, niſi neceſſitas vel utilitas expoſcat, & Conventus, vel ſi Conventu caret, proprii Prælati conſenſus accedat. *Ita ille.* Accuratiſſimè omnium *Ign. Lopez in pract. criminali Canonica pag. 232. & ſeq.* octo pœnarum genera enumerat, quem legendum ſuadeo.

* * *

Finis ſecundæ Partis.

PARS III.

PARS III,

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS III.

Digitized by Google

Digitized by Google

E

PARS III.

Digitized by Google

PARS III,

Digitized by Google